COMMENTARIUS IN GENESIM.

STUDIUM BIBLICUM

UTRIUSQUE TESTAMENTI

CATHOLICUM.

LIBRI EXEGETICI.

COMMENTARIUS

IN

LIBRUM GENESIS.

COMPOSUIT

P. MICHAEL HETZENAUER O. C.
PROFESSOR EXEGESIS IN UNIVERSITATE PONTIFICII SEMINARII ROMANI
AD S. APOLLINAREM.

CUM APPROBATIONE REVMI. MAGISTRI S. P. AP.
ET GENERALIS ORDINIS.

GRAECII ET VIENNAE.
SUMPTUS FECIT „STYRIA".

MCMX.

Hic Commentarius nihil continet, quod sanae doctrinae adversetur, sed principiis catholicis apprime conformis est. Auctor copia eruditionis atque iudicii acumine et maturitate excellens feliciter demonstrat, multas sententias interpretum modernorum cum principiis sanae philosophiae et hermeneuticae generalis pugnare, sententias vero ab ipsis reiectas vere scientificas esse. Commentarium omnibus studiosis sacrae Theologiae summopere commendamus.

Oeniponte, 16. Octobris 1908.

P. Gottfried Noggler O. C.,
approb. Lect. Theolog. dogm.

P. Franciscus Ser. Tischler O. C.,
approb. Lect. Sacrae Script.

Praesentium virtute libenter concedimus, ut opus, cui titulus „Commentarius in librum Genesis", a R. P. Michaele Hetzenauer, Ordinis nostri Alumno atque Exegesis in Universitate Pontificii Seminarii Romani ad S. Apollinarem Professore, concinnatum et a duobus Ordinis Theologis revisum et probatum, servatis alias servandis, publici iuris fieri possit.

Romae ad S. Laurentii a Brundusio, die 4. Octobris 1909.

Fr. Pacificus a Sejano,
Min. Gen. Cap.

Imprimatur.

Fr. Albertus Lepidi O. P.,
S. P. Ap. Magister.

† Iosephus Ceppetelli,
Patr. Constantinopol., Vicesgerens.

Litteris Typographiae c. r. Universitatis „Styriae", Graecii.

Legenti salutem.

Hunc Commentarium in Genesim anno 1908 exeunte divulgare volebam, quo consilio approbationem ecclesiasticam quaesivi et impetravi. Cum tamen professor Introductionis biblicae per totum annum scholasticum gravissimo oculorum morbo laboraret, ego non solum in III. et IV. cursu Exegesim biblicam, verum etiam in I. et II. cursu Introductionem in Vetus Testamentum et Hermeneuticam biblicam tradere debui. Qui cognoverunt, quot et quam graves quaestiones his diebus in Hermeneutica atque in Introductione tractandae sint, non mirabuntur quod divulgationem Commentarii ad exitum anni 1909 differre debuerim.

Licet Hoberg et Hummelauer aliique interpretes catholici utiles commentarios in Genesim composuerint, nihilo secius Commentarius meus non superfluus fuerit. Nam in eo recentissima critica inferior atque sublimior diligenter spectatur et criticorum pronuntiata principiis philosophicis et hermeneuticis examinantur. Tale examen hodie maximi momenti est, quia sententiae et obiectiones recentissimae criticorum acatholicorum in libellis atque ephemeridibus iam ipsi populo christiano „tamquam decretoria pronuntiata novae cuiusdam scientiae liberae“ obtruduntur (Leo XIII, Providentissimus 27 et 29), dum obiectiones, spinae ac dumeta antiquiorum adversariorum Ecclesiae in vita publica nunc omnino negliguntur.

Citavi recentissimos auctores, catholicos et acatholicos, praesertim Germanos. Auctores aliarum nationum enim plus minusve ab operibus Germanis dependent, ut ipse vidi atque etiam a doctis Gallis, Germanis, Italis audivi; quare ista opera, quae quasi fontes aliorum sunt, cura singulari revolvenda ac notanda videbantur, eo magis quod studiosi plurimi linguam

Germanicam non callent, ideoque ea legere nequeunt. Si sententias vel voces quasdam interpretum ad litteram transcripsi, semper inter virgulas eas posui; generatim vero explicationes, quae philosophice et hermeneutice mihi probabiliores apparebant, propriis vocibus ac sententiis proposui atque deinde annotavi, qui interpretes consentientes vel dissentientes sint. Hac ratione scribendi studiosi hunc Commentarium legentes videbunt, quales sint nunc sententiae interpretum recentissimorum; videbunt quoque, interpretationes conservantium a viris doctis nequaquam derelictas esse.

Sequor in Commentario ut in aliis operibus meis systema conservantium moderatorum, qui traditionales interpretationes retinent, donec rationes gravissimae suadent, ut eas relinquamus (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 2). Libenter credo, interpretes liberales moderatos, qui ab interpretationibus traditionalibus etiam propter leves rationes recedunt (cf. introductionem in Genesim, § 7), Commentario meo non contentos esse. Attamen, non tantum asserere sed etiam demonstrare debent, me nimis conservantem esse: principia mea aut in se falsa aut in explicationibus nonnullis minus bene observata esse, quod hucusque nemo eorum demonstrare potuit. Equidem simpliciter et candide veritatem quaero. Si sententiae interpretum acatholicorum interdum cum principiis philosophicis et hermeneuticis conveniunt, eas veras dico; si sententiae catholicorum aliquando cum iisdem principiis pugnant, eas falsas pronuntio: immo varias eiusdem auctoris interpretationes mox veras mox falsas voco, quatenus cum principiis nominatis conveniunt aut pugnant, ut in Commentario videre potes.

„Retinens instituta maiorum, exemplar in hoc“ sumpsi „versionem vulgatam, quam Concilium Tridentinum in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habendam decrevit“ (Leo XIII, Providentissimus 33). Simul autem observavi monitum eiusdem Pontificis (ibidem): „Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus

accurate inibi elatum sit, ‚inspectio praecedentis linguae' suasore Augustino, proficiet." Nam S. Hieronymus in versione sua plura omisit, plura addidit, plura transposuit, plura nimis libere vertit, easdem voces Hebraeas nunc hoc nunc illo modo transtulit. Videas librum Genesis, praecipue capita posteriora, et admiraberis licentiam a S. Hieronymo sumptam. Propterea saepissime non solum textum originalem, verum etiam antiquissimam versionem Graecam notavi, quae textum Hebraicum generatim multo accuratius reddit quam Vulgata.

Textum Vulgatae ex editione mea critica transcripsi; textum Graecum usque ad cap. X. ex Tischendorf-Nestle, a cap. XI. ex Brooke citavi; textum Hebraicum ex Kittel sumpsi. Verba textus Hebraici saepius ita typis descripsi, ut in contextu leguntur, ideoque dageš lene omisi. Errores quosdam typographicos benevolus lector ipse facile corrigere potest.

Romae, die festo S. Hieronymi, 30. Septembris 1909.

P. **Michael Hetzenauer** O. C.

Index Generalis.

Opera saepius adhibita.

Operibus ab acatholicis divulgatis stellula praefixa est. Libros et ephemerides et libellos raro citatos hic omisi.

Editiones criticae Bibliorum.

*Biblia Hebraica, edidit *Kittel,* Lipsiae 1905—1906.
Biblia Sacra Vulgatae Editionis, critice edidit P. *Michael Hetzenauer* O. C., Oeniponte 1906.
*The Book of Genesis, by *Ball,* Leipzig 1896.
*The Old Testament in Greek, edited by *Brooke* and *Mc Lean,* Cambridge 1906.
*The Old Testament in Greek, edited by *Swete,* Cambridge 1896—1905.
Variae Lectiones Veteris Testamenti (Hebraici). Opera ac studio *De-Rossi,* Parmae 1784—1798.
Variae Lectiones Vulgatae Latinae, digessit *Vercellone,* Romae 1860—1864.
*Vetus Testamentum Graece, edidit *Tischendorf-Nestle,* Lipsiae 1887.

Opera philologica.

**Benseler-Kaegi,* Griechisch-Deutsches Schulwörterbuch, Leipzig 1900.
**Biel,* Novus thesaurus philologicus sive Lexicon in LXX et alios interpretes et scriptores apocryphos Veteris Testamenti, Hagae Comitum 1779—1780.
**Fürst,* Hebräisches und Chaldäisches Handwörterbuch über das Alte Testament, Leipzig 1876.
**Georges,* Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, Leipzig 1879—1880.
**Gesenius-Buhl,* Hebräisches und Aramäisches Handwörterbuch über das Alte Testament, Leipzig 1905.
**Gesenius-Kautzsch,* Hebräische Grammatik, Leipzig 1902.
**Gesenius-Roediger,* Thesaurus philologicus criticus linguae Hebraeae et Chaldaeae Veteris Testamenti, Lipsiae 1835—1858.
**Kautzsch,* Grammatik des Biblisch-Aramäischen, Leipzig 1884.
**Menge,* Griechisch-Deutsches Schulwörterbuch mit besonderer Berücksichtigung der Etymologie, Berlin 1903.
**Passow,* Handwörterbuch der Griechischen Sprache, Leipzig 1841—1857.
**Siegfried-Stade,* Hebräisches Wörterbuch zum Alten Testament, Leipzig 1893.

Opera introductoria.

Bleek-Wellhausen, Einleitung in das Alte Testament, Berlin 1893.
Cornely, Historica et critica introductio in U. T. Libros Sacros, Parisiis 1897.
**Cornill,* Einleitung in die kanonischen Bücher des Alten Testaments, Tübingen 1905.
**Driver-Rothstein,* Einleitung in die Literatur des Alten Testaments, Berlin 1896.
Gigot, Special Introduction to the Studi of the Old Testament, New-York 1903—1906.
**Holzinger,* Einleitung in den Hexateuch, Freiburg i. Br. 1893.
Kaulen, Einleitung in die Heilige Schrift Alten und Neuen Testaments, Freiburg i. Br. 1898.
**Kautzsch,* Abriß der Geschichte des alttestamentlichen Schrifttums, Freiburg i. Br. 1897.
**Keil,* Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung in die kanonischen und apokryphischen Schriften des Alten Testamentes, Frankfurt a. M. 1873.
**König,* Einleitung in das Alte Testament, Bonn 1893.
Martinetti, Manuale Introductionis in S. Scripturam, Romae 1907.
Reusch, Lehrbuch der Einleitung ins Alte Testament, Freiburg i. Br. 1870.
**Reuss,* Die Geschichte der Heiligen Schriften Alten Testaments, Braunschweig 1890.
Rösch, Die Heiligen Schriften des Alten Testaments, Münster i. W. 1908.
**Rupprecht,* Das Rätsel des Fünfbuches Mose und seine falsche Lösung, Gütersloh 1894.
— Des Rätsels Lösung oder Beiträge zur richtigen Lösung des Pentateuchrätsels, Gütersloh 1895—1897.
— Die Kritik nach ihrem Recht und Unrecht. Eine principielle Beleuchtung der kritischen Methode mit Illustrationen aus der deutschen Kritik und Dr. Drivers „Einleitung“, Gütersloh 1897.
— Wissenschaftliches Handbuch der Einleitung in das Alte Testament, Gütersloh 1898.
Seisenberger, Einführung in die Heilige Schrift, Regensburg 1909.
**Strack,* Einleitung in das Alte Testament, München 1906.
Ubaldi, Introductio in Sacram Scripturam, Romae 1886.
* *Weber,* Kurzgefaßte Einleitung in die heiligen Schriften Alten und Neuen Testaments, München. 10. Aufl. von *Deinzer,* 1897; 12. Aufl. von *Weber,* 1907.
* *Wildeboer-Risch,* Die Literatur des Alten Testaments, Göttingen 1905.

Opera exegetica.

**Bachmann*, Praeparation und Commentar zur Genesis, 1890—1893.
**Delitzsch Franz,* Neuer Commentar über die Genesis, Leipzig 1887.
**Dillmann,* Die Genesis, Leipzig 1892. Est opus **Knobel* retractatum.

**Gunkel,* Genesis übersetzt und erklärt, Göttingen 1901.
Hoberg, Die Genesis nach dem Literalsinn erklärt, Freiburg i. Br. 1908. Alteram hanc editionem in Introductione tantum adhibere potui; in Commentario primam (1899) adhibui.
**Holzinger,* Genesis erklärt, Freiburg i. Br. 1898.
Hummelauer, Commentarius in Genesim, Parisiis 1895.
**Kautzsch,* Die Heilige Schrift des Alten Testaments, Freiburg i. Br. 1896.
Lapide, Commentaria in Pentateuchum Mosis, Neapoli 1854.
Minocchi, La Genesi con discussioni critiche, Firenze 1908. — Vide Introductionem in Genesim § 7.
Neteler, Das Buch Genesis der Vulgata und des hebräischen Textes übersetzt und erklärt, Münster i. W. 1905.
**Reuß,* Das Alte Testament, Braunschweig 1892—1894.
**Strack,* Die Genesis übersetzt und ausgelegt, München 1905. — *Alia opera exegetica in Introductione in Genesim § 7. videas.*

Opera argumenti varii.

**Benzinger-Baedeker,* Palästina und Syrien, Leipzig 1900.
**Benzinger,* Hebräische Archäologie, Freiburg i. Br. 1894.
**Bezold,* Die babylonisch-assyrischen Keilinschriften, Tübingen 1904.
Billot, De Inspiratione Sacrae Scripturae theologica disquisitio, Romae 1903.
Bonaccorsi, Questioni Bibliche, Bologna 1904. — Vide Introductionem in Genesim § 7.
Boni, Il Responso della Commissione Pontificia per gli Studi Biblici sull' autenticità mosaica del Pentateuco, Siena 1907.
**Budde,* Das Alte Testament und die Ausgrabungen, Gießen 1903.
**Buhl,* Geographie des alten Palästina, Freiburg i. Br. 1896.
Cellini, Propaedeutica Biblica, Ripaetransonis 1908—1909.
Corluy, Spicilegium dogmatico-biblicum, Gandavi 1884.
Delattre, Auture de la question biblique. Une nouvelle école d'exégèse et les autorités qu'elle invoque, Liege 1904.
**Delitzsch Friedr.,* Babel und Bibel, Leipzig 1903—1905.
Döller, Bibel und Babel oder Babel und Bibel? Paderborn 1903.
— Abraham und seine Zeit, Münster i. W. 1909.
Dornstetter, Abraham. Studien über die Anfänge des hebräischen Volkes, Freiburg i. Br. 1902.
**Eerdmans,* Alttestamentliche Studien. I. Die Komposition der Genesis, Gießen 1908. II. Die Vorgeschichte Israels, Gießen 1908.
Egger, Enchiridion theologiae dogmaticae specialis, Brixinae 1902.
— Streiflichter über die „freiere" Bibelforschung, Brixen 1899.
— Absolute oder relative Wahrheit der heiligen Schrift? Brixen 1909.
**Engel,* Wirklichkeit und Dichtung, Dresden 1907.
Engelkemper, Die Paradiesesflüsse, Münster i. W. 1901. — Vide Introductionem in Genesim § 7.

Engert (excommunicatus), Die Urzeit der Bibel. I. Die Weltschöpfung, München 1907.
Fonck, Streifzüge durch die biblische Flora, Freiburg i. Br. 1900.
— Der Kampf um die Wahrheit der heiligen Schrift seit 25 Jahren, Innsbruck 1905.
Gnandt, Der Mosaische Schöpfungsbericht, Graz 1906.
Gockel, Schöpfungsgeschichtliche Theorien, Köln 1907.
Grimme, Unbewiesenes. Bemerkungen eines Philologen zu F. Delitzsch, Babel und Bibel, I—II, Münster i. W. 1903.
Grimmich, Lehrbuch der theoretischen Philosophie, Freiburg i. Br. 1893.
Gutberlet, Lehrbuch der Philosophie, Münster 1897—1906.
Hagemann, Elemente der Philosophie, Freiburg i. Br. 1897—1902.
Hasert, Antworten der Natur, Graz 1903.
Herders, Konversations-Lexikon, Freiburg Br. 1902—1907.
Hetzenauer, Wesen und Prinzipien der Bibelkritik auf katholischer Grundlage, Innsbruck 1900.
— Epitome Exegeticae Biblicae Catholicae, Oeniponte 1903.
— Theologia biblica. I. Vetus Testamentum, Friburgi Br. 1908.
Heyes, Bibel und Ägypten, Münster i. W. 1904.
Hilaire de Barenton, Exégèse nouvelle. Les doctrines de M. Loisy, Paris 1903.
Hoberg, Moses und der Pentateuch, Freiburg i. Br. 1905.
— Über die Pentateuchfrage, Freiburg i. Br. 1906.
— Bibel oder Babel? München 1907.
Höpfl, Das Buch der Bücher, Freiburg i. Br. 1904.
— Die höhere Bibelkritik, Paderborn 1905. — Vide Introductionem in Genesim § 7.
Holzhey, Schöpfung, Bibel und Inspiration, Stuttgart 1902. — Vide Introductionem in Genesim § 7.
**Hommel,* Die Altisraelitische Überlieferung in inschriftlicher Beleuchtung. Ein Einspruch gegen die Aufstellungen der modernen Pentateuchkritik, München 1897.
Hugo, Katholische Exegese unter falscher Flagge, Regensburg 1906.
Hummelauer, Exegetisches zur Inspirationsfrage, Freiburg i. Br. 1904. — Vide Introductionem in Genesim § 7.
Hurter, Theologiae dogmaticae compendium, Oeniponte 1900.
**Jacob,* Der Pentateuch. Exegetisch-kritische Forschungen, Leipzig 1905.
**Jeremias,* Das Alte Testament im Lichte des Alten Orients, Leipzig 1904. — Alteram editionem (1906) citare non potui.
Kaulen, Assyrien und Babylonien nach den neuesten Entdeckungen, Freiburg i. Br. 1899.
— Der Biblische Schöpfungsbericht, Freiburg i. Br. 1902.
**Kautzsch-Socin,* Die Genesis mit äußerer Unterscheidung der Quellenschriften übersetzt, Freiburg i. Br. 1891.

Kayser und *Roloff*, Ägypten einst und jetzt, Freiburg i. Br. 1908.
**Kiepert*, Lehrbuch der Alten Geographie, Berlin 1878.
— Atlas antiquus, Berlin 1903.
Kley, Die Pentateuchfrage. Ihre Geschichte und ihre Systeme, Münster i.W. 1903.
**Köberle*, Babylonische Kultur und Biblische Religion, München 1903.
— Die Alttestamentliche Offenbarung, Wismar i. M. 1908.
**König*, Neueste Prinzipien der alttestamentlichen Kritik geprüft, Berlin 1902.
Kortleitner, Archaeologiae biblicae summarium, Oeniponte 1906.
— De Polytheismo universo et quibusdam eius formis apud Hebraeos finitimasque gentes usitatis, Oeniponte 1908.
**Kräutlein*, Die sprachlichen Verschiedenheiten in den Hexateuchquellen, Leipzig 1908.
Lagrange, La methode historique, Paris 1904. — Vide Introductionem in Genesim § 7.
Loisy (excommunicatus), Les mythes babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse, Paris 1901.
Mangenot, L'authenticité Mosaïque du Pentateuque, Paris 1907.
Meyenberg, Ist die Bibel inspiriert? Orientierende Wanderungen durch die Gebiete der modernen Bibelfragen, Luzern 1907.
**Meyer*, Palästina und Syrien, Leipzig 1895.
**Müller*, Die alten Ägypter als Krieger und Eroberer in Asien, Leipzig 1903.
Murillo, Critica y exegesis. Observaciones sobre un nuevo sistema exegético de la Biblia, Madrid 1905.
Nikel, Genesis und Keilschriftforschung, Freiburg i. Br. 1903.
— Alte und neue Angriffe auf das Alte Testament, Münster i. W. 1908.
— Die Glaubwürdigkeit des Alten Testamentes im Lichte der Inspirationslehre und der Literarkritik, Münster i. W. 1908.
— Das Alte Testament im Lichte der altorientalischen Forschungen. I. Die biblische Urgeschichte, Münster i. W. 1909. — Videas Introductionem in Genesim § 7.
Pelt-Rouselle, Storia dell' Antico Testamento, Roma 1907. Est versio operis a Schöpfer vulgati cum notis Rouselle minus bonis, nunc deletis.
Pesch, De Inspiratione Sacrae Scripturae, Friburgi Br. 1906.
Peters, Die grundsätzliche Stellung der katholischen Kirche zur Bibelforschung oder die Grenzen der Bibelkritik, Paderborn 1905.
— Papst Pius X. und das Bibelstudium, Paderborn 1906.
— Bibel und Naturwissenschaft, Paderborn 1906.
— Glauben und Wissen im ersten biblischen Schöpfungsbericht, Paderborn 1907. — Videas Introductionem in Genesim § 7.
Reusch, Bibel und Natur, Freiburg i. Br. 1862.
Riess, Biblische Geographie, Freiburg i. Br. 1872.

Riess, Atlas Scripturae Sacrae, Friburgi Br. 1906.
Rießler, Wo lag das Paradies? Hamm i. W. 1908 (Frankfurter Zeitgemäße Broschüren, XXVII, 12).
Scerbo, Il Vecchio Testamento e la critica odierna, Firenze 1902.
Schanz, Apologie des Christentums, Freiburg i. Br. 1903—1906.
Schiffini, Divinitas Scripturarum adversus hodiernas novitates asserta et vindicata, Augustae Taurinorum 1905.
Schoepfer, Geschichte des Alten Testaments mit besonderer Rücksicht auf das Verhältnis von Bibel und Wissenschaft, Brixen 1906.
— Bibel und Wissenschaft. Grundsätze und deren Anwendung auf die Probleme der biblischen Urgeschichte: Hexaëmeron, Sintflut, Völkertafel, Sprachverwirrung, Brixen 1896.
**Schrader-Zimmern-Winckler,* Die Keilinschriften und das Alte Testament, Berlin 1903.
Schulz, Doppelberichte im Pentateuch, Freiburg i. Br. 1908. — Vide Introductionem in Genesim § 7.
Schuster-Holzammer, Handbuch der biblischen Geschichte, Freiburg i. Br. 1891; 6., von *Selbst-Schäfer* völlig neu bearbeitete Auflage 1906.
Seisenberger, Der biblische Schöpfungsbericht, Freising 1882.
**Sellin,* Der Ertrag der Ausgrabungen im Orient, Leipzig 1905.
Simar, Lehrbuch der Dogmatik, Freiburg i. Br. 1899.
Specht, Lehrbuch der Dogmatik, Regensburg 1907—1908.
**Stade,* Geschichte des Volkes Israel, Berlin 1889.
Stöckl, Grundzüge der Philosophie, Mainz 1892.
Szczepański, Nach Petra und zum Sinai, Innsbruck 1908.
Trissl, Das biblische Sechstagewerk, Regensburg 1892.
**Urquhart-Spliedt,* Die neueren Entdeckungen und die Bibel, Stuttgart 1904.
— Die Bücher der Bibel, Stuttgart 1904—1909.
Vigouroux-Ibach, Die Bibel und die neueren Entdeckungen in Palaestina, in Ägypten und in Assyrien, Mainz 1885—1886.
Vigouroux e Bacuez, Manuale biblico, S. Pier D'Arena 1901.
Weber, Christliche Apologetik, Freiburg i. Br. 1907.
**Wellhausen,* Die Komposition des Hexateuchs und der historischen Bücher des Alten Testaments, Berlin 1899.
— Israelitische und jüdische Geschichte, Berlin 1904.
Wetzer und Weltes Kirchenlexikon, von Hergenröther-Kaulen, Freiburg i. Br. 1882—1903.
Wiedemann, Ägyptische Geschichte, Gotha 1884—1888
**Winckler,* Abraham als Babylonier, Ioseph als Ägypter, Leipzig 1903.
— Die Gesetze Hammurabis, Leipzig 1903.
— Himmels- und Weltenbild der Babylonier, Leipzig 1903.
— Keilinschriftliches Textbuch zum Alten Testament, Leipzig 1903.
**Wünsche,* Schöpfung und Sündenfall des ersten Menschenpaares im jüdischen und moslemischen Sagenkreise mit Rücksicht auf die Ueberlieferungen in der Keilschriftliteratur, Leipzig 1906.

Zanecchia, Scriptor Sacer sub divina Inspiratione, Romae 1903. — Vide Introductionem in Genesim § 7.
Zapletal, Der Schöpfungsbericht der Genesis, Freiburg i. Schw. 1902.
— Alttestamentliches, Freiburg i. Schw. 1903. — Videas Introductionem in Genesim § 7.
**Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft,* herausg. von Stade-Marti, Gießen 1881 ss.
**Zimmern,* Biblische und babylonische Urgeschichte, Leipzig 1903.
Zschokke, Historia sacra Antiqui Testamenti, Vindobonae 1903.

Etiam in lexicis realibus a *Büchner* (1904), *Guthe* (1903), *Hagen* (1905 ss.), *Riehm* (1898), *Schenkel* (1869—1875), *Vigouroux* (1895 ss.), *Winer* (1847—1848), *Zeller* (1893) vulgatis plurima exhibentur, quae librum Genesis illustrant.

Introductio in Genesim.

§ 1. De nomine, argumento et dispositione.

Primus liber Sacrae Scripturae in Vulgata Clementina sic inscribitur: *Liber Genesis, Hebraice Beresith;* in Sixtina duo verba ultima omissa sunt. Antiquissimi codices versionis LXX interpretum *Γένεσις Κόσμου* exhibent, recentiores tamen *Κόσμου* omittunt (cf. Brooke). In Bibliis Hebraicis titulum בראשית legimus, quem plerique viri docti a primo verbo libri בְּרֵאשִׁית *In principio* petitum censent; Blau (Zur Einleitung in die Heilige Schrift, Budapest 1894, pag. 44 s.) vero putat, librum Genesis apud Hebraeos originaliter ספר מעשה בראשית vel brevius ספר בראשית *Liber creationis* inscriptum fuisse atque hoc nomen postea falso intellectum esse; Hoberg[2] opinatur, originalem titulum Hebraicum forsitan יְצִירַת הָעוֹלָם = *γένεσις κόσμου* fuisse.

Liber Genesis originem generis humani et familiae populique electi describit, 50 capitibus constat et in duas partes dividitur, quibus exordium praepositum est.

In exordio (1, 1—2, 3) hagiographus originem materiae elementariae (1, 1. 2), formationem rerum e materia elementaria (1, 3—31), requietem Dei et sanctificationem diei septimi (2, 1—3) describit.

In parte priore (2, 4—11, 26) historiam totius generis humani hagiographus exponit, et quidem sectionibus quinque, quarum unaquaeque nomine *generationum* תּוֹלְדוֹת i. e. *historiae* inchoatur. In prima sectione (2, 4—4, 26) auctor inspiratus *historiam caeli et terrae* instituens (2, 4) describit statum innocentiae (2, 5—25). Repetit creationem herbarum in genere (2, 5 s.) et exponit formationem Adae (2, 7), plantationem paradisi et translationem Adae (2, 8—17) necnon formationem Evae (2, 18—22) et coniugium (2, 23—25) in specie. Describit etiam statum

peccati (3, 1—4, 26), videlicet: tentationem et peccatum (3, 1—6), sequelas peccati (3, 7—24), malos et bonos incolas terrae (4, 1—26). — In secunda sectione (5, 1—6, 8) narratur *historia Adam* seu vita primorum hominum (5, 1—31) necnon praeparatio diluvii (6, 1—8), scilicet depravatio morum (6, 1—4) ac decretum Dei (6, 5—8). — In tertia sectione (6, 9—9, 29) *historiam Noe* legimus. Noe nobis proponitur ante diluvium (6, 9—7, 16): quomodo iussu Dei arcam aedificaverit (6, 12—22) atque eam intraverit (7, 1—16); inter diluvium (7, 17—8, 12): quomodo aquis multiplicatis (7, 17—24) iterum decrescentibus (8, 1—5) volucres emiserit (8, 6—12); post diluvium (8, 13—22): quomodo ex arca egressus holocausta obtulerit (8, 13—22), a Deo paciscente benedictus sit (9, 1—17), ipse maledixerit ac benedixerit (9, 18—27), demum mortuus sit (9, 28. 29). — In quarta sectione (10, 1—11, 9) *historia filiorum Noe* consignata est. Hagiographus refert tabulam gentium (10, 1—32) eamque Iaphethitarum (10, 2—5), Chamitarum (10, 6—20), Semitarum (10, 21—31), necnon dispersionem gentium (11, 1—9) narrans aedificationem turris (11, 1—4) et confusionem linguae (11, 5—9). — In quinta sectione (11, 10—26) i. e. in *historia Sem* enumerantur novem vel potius decem posteri Sem, qua enumeratione historia totius generis humani absolvitur simulque historia populi electi praetexitur.

In parte altera (11, 27—50, 25) historia populi electi narratur, et quidem sectionibus quinque, quae etiam nomine *generationum* תּוֹלְדוֹת inchoantur. In prima sectione (11, 27—25, 11) *historia Thare* continetur. A familia Thare (11, 27—32) exordiens hagiographus narrat primo Abrae vocationem (12, 1—14, 24). Refert praeceptum Domini (12, 1—3), Abrae emigrationem (12, 4—9), iter in Aegyptum (12, 10—20), reditum ex Aegypto (13, 1—4), discessionem Lot (13, 5—13), benedictionem Abrae (13, 14—18), invasionem Elamiticam (14, 1—12), victoriam Abrae (14, 13—17), benedictionem Melchisedech (14, 18—24). Narrat deinde Abrae pactionem (15, 1—21, 34): foedus cum Deo ictum (15, 1—21), filium ancillae susceptum (16, 1—16), pactum confirmatum (17, 1—27), apparitionem Domini (18, 1—33), fata pentapoleos et Lot (19, 1—38), filium liberae acceptum (20, 1—21, 34). Narrat denique Abrahae consummationem (22, 1—25, 11), describens obedientiae praemium (22, 1—19), Rebeccae consanguineos (22, 20—24), monumenti possessionem (23, 1—20), Isaaci matrimonium (24, 1—67), finem Abrahae (25, 1—11). — In secunda sectione (25, 12—18) *Ismaelis* soboles, mors et habitatio exponitur. — In tertia sectione (25, 19—35, 29) *historiam Isaaci* discimus. Hagiographus refert prius fata Isaaci (25, 19—28, 9): quomodo gemini nati (25, 19—26), primogenita vendita (25, 27—34), promissiones innovatae (26, 1—5), Rebecca servata (26, 6—11), Isaac locupletatus (26, 12—22), promissiones confirmatae sint (26, 23—25); quomodo Abimelech cum Isaaco foedus inierit (26, 26—33), Esau duas uxores duxerit (26, 34 s.), Isaac filiis benedixerit (27, 1—28, 5), Esau tertiam uxorem sumpserit (28, 6—9). Refert postea fata Iacobi (28, 10—35, 29): describit Iacobum exsulem (28, 10—30, 43),

revertentem (31, 1—33, 16), reducem (33, 17—35, 29). — In quarta sectione (36, 1—43) *historia Esau* proditur. Enumerantur uxores et filii Esau (36, 2—5), immigratio eorum in Seir (36, 6—8), nepotes Esau (36, 9—14), duces filiorum Esau (36, 15—19), filii et nepotes Seir Horraei (36, 20—28), duces Horraeorum (36, 29 s.), reges Edomitarum (36, 31—39), duces Edomitarum (36, 40—43). — In quinta sectione (37, 1—50, 25) *historia Iacobi* depingitur. Auctor describit primo Iosephum humiliatum et exaltatum (37, 1—41, 57). Narrat quomodo furto ablatus (37, 2—38, 30), innocens in carcerem missus (39, 1—40, 23), ante Pharaonem ductus (41, 1—36) et praepositus Aegypti constitutus (41, 37—57) fuerit. Describit secundo Iosephum cum fratribus agentem (42, 1—45, 28), et quidem in priore (42, 1—38) et altero adventu (43, 1—45, 28). Describit tertio Iacobum in Aegypto degentem (46, 1—50, 14). Refert, eum in Gessen habitasse (46, 1—47, 28) atque benedicentem ac prophetantem vita excessisse (47, 29—50, 14). Describit quarto Iosephum pie viventem et morientem (50, 15—25).

§ 2. De auctore Pentateuchi.

Disquisitio, qua scriptorem Genesis eruere volumus, a quaestione quis Pentateuchum i. e. primos quinque libros Scripturae composuerit, difficile separatur; propterea in hac paragrapho de auctore totius Pentateuchi loquar. Claritatis causa historiam brevem quaestionis praemittam, deinde varias sententias criticorum ac decreta Ecclesiae proponam, denique argumenta allata examinabo.

A. Historia brevis quaestionis.

Quid homines saeculorum variorum de auctore Pentateuchi sentiebant? „Traditio Iudaica et Christiana, scribit Cornill (Einleitung 22), unanimiter tenet, Mosen esse auctorem Pentateuchi, et exceptis raris obloquentibus (mit Ausnahme vereinzelten Widerspruchs) ista sententia inconcussa obtinuit usque in XVII. saeculum.“

Iudaeis persuasissimum fuit, Moysen esse auctorem Pentateuchi, et quidem ita ut „negatio mosaicitatis Pentateuchi iuxta Talmud a paradiso excludat“ (Holzinger, Genesis VIII). — Secundum Talmud (Babha Bathra 14. 15) ultimi 8 versus Deuteronomii, in quibus mors, sepultura, laus Moysis et successio Iosue narratur, ab Iosue additi sunt. Saeculo XI Isaac ben Iasus († 1057) affirmavit, Gen. 36, 31 ss. (de regibus Edom qui regnaverunt *antequam haberent regem filii Israel*) regnante Iosaphat scriptum esse, quin tamen Iudaei opinionem eius adoptarent; e contrario Abraham ibn 'Ezra († 1167) eam diserte repudiavit.

Primus Iudaeus, qui negavit Pentateuchum a Moyse scriptum esse, fuit Baruch (postea Benedictus) de Spinoza († 1677), pantheista revelationem supernaturalem, miracula et vaticinia reiiciens ideoque auctoritatem sacrorum Librorum acerrime impugnans. At Iudaei eum non tantum non secuti sunt, sed potius e coetu suo eiecerunt.

Samaritani quoque cum Iudaeis semper consenserunt, Moysen esse auctorem Pentateuchi.

Christus ipse et hagiographi Nov. Test. eandem sententiam dixerunt, ut Holzinger (Genesis VIII) et Steuernagel (Einleitung in den Hexateuch 251) cum aliis plurimis recte asserunt et nos infra (cf. *D*) demonstrabimus. Saeculo II. p. Ch. n. Celsus ethnicus necnon Gnostici haeretici mosaicitatem Pentateuchi negarunt quidem, reliqui vero Christiani usque ad saec. XVI. constanter eam affirmarunt. Etiam Lutherus († 1546) eam agnovit, quamvis diceret: „Quid faceret, etsi Moses eum non ipse scripsisset?“ (Strack, Einleitung 28). Andreas Bodenstein Carolostadius († 1541) dubitavit, utrum dictio et filum narrationis a Moyse esset necne, retinuit tamen legem esse Mosaicam.

Primus Christianus, qui asseruit Pentateuchum in hac forma non a Moyse, sed ab Esdra vel alio viro Dei esse, fuit Masius catholicus († 1573). Sententiam eius adoptarunt Bonfrerius Iesuita († 1642) et Hobbesius deista († 1679). Peyrerius, Calvinista et auctor hypothesis Praeadamitarum († 1676) docuit, Pentateuchum non opus Moysis, sed ex variis scriptis, etiam Mosaicis, compositum esse. Denique Richardus Simon († 1712) affirmavit, Pentateuchum in hac forma non a Moyse esse, sed a recentioribus scriptoribus inspiratis: affirmavit, Moysen narrationes libri Genesis e monumentis et fabulis antiquioribus sumpsisse atque populo legem dedisse, annalistas autem iussu Moysis reliqua scripsisse; has narrationes et annales a recentioribus mutatas, auctas, decurtatas et in Pentateuchum praesentem compilatas esse.

Quid viri catholici et acatholici inde a saeculo XVIII. docuerint ac doceant, mox videbimus.

B. Variae sententiae criticorum.

Recentiores viros criticos in tres classes distribuere possumus. Ad primam classem pertinent, qui asserunt Pentateuchum reapse a Moyse *ca.* 1500 a. Ch. n. conscriptum esse. Tales sunt: Cellini, Cereseto, Cornely, Flunk, Hetzenauer, Hoberg, Holzammer, Kaulen, Kley, Mangenot, Martinetti, Pelt, Reusch, Rösch, Schöpfer, Seisenberger, Selbst, Ubaldi, Vigouroux, Zschokke catholici necnon Deinzer, Green, Hävernick, Hengstenberg, Keil, Rupprecht, Urquhardt, Weber acatholici.

Asserentes, Pentateuchum reapse a Moyse conscriptum esse, non affirmamus, Moysen omnes partes substantiales

propria manu scripsisse, cum Apostoli quoque concepta sua aliis dictaverint; immo non impossibile censemus, Pentateuchum simili ratione scribi potuisse, qua iuxta plures epistola ad Hebraeos composita est (vide respons. II. Commiss. bibl. infra, *C*, positum). Concedimus, Moysen in componenda Genesi antiquis traditionibus et monumentis usum fuisse. Affirmamus, Moysen varios libros variasque partes eorum in circumstantiis et annis diversis, i. e. decurrentibus 40 annis scripsisse. Non negamus, post mortem Moysis ab aliis scriptoribus inspiratis vel etiam a librariis non inspiratis nonnulla addita vel omissa vel mutata, praesertim pro antiquioribus vocabulis et constructionibus recentiores adhibitas esse: ita tamen, ut Pentateuchus substantialiter integrum ac genuinum opus Moysis maneret. Non negamus, hodiernum textum Pentateuchi in rebus accidentalibus corruptum esse; si in libris Nov. Test., qui saeculo I. p. Ch. n. scripti sunt, 40.000, immo iuxta alios 120.000 variantes inveniuntur (Hetzenauer, Bibelkritik 169), etiam in Pentateucho ca. 1500 a. Ch. n. composito corruptio accidentalis textus admitti potest ac debet, uti in hoc Commentario in Genesim ipse perspicies.

Ad secundam classem illi omnes pertinent, qui magis minusve negant, Pentateuchum a Moyse compositum esse. Quattuor hypotheses ab eis propositae sunt, quarum tres priores nunc obsoletae, quarta vero a plurimis acatholicis sustinetur.

Hypothesis monumentorum antiquior (Ältere Urkundenhypothese). Catholicus medicus Parisiensis Astruc († 1766) docuit, Moysen librum Genesis e 12 monumentis composuisse, quorum 2 principalia erant, videlicet monumentum, in quo Deus *Elohim*, et monumentum, in quo *Iehova* appellatur. Similiter *Eichhorn († 1827) prius in Genesi monumentum elohisticum necnon 3 vel forsitan 5 inserta Moysis distinxit, reliquos autem libros Pentateuchi, exceptis Deut. 32—34, a Moyse compositos dixit; postea tamen docuit, reliquos istos libros e monumentis Moysis aliorumque scriptorum Moysi aequalium constare, quae a redactore quodam inter Iosue et Samuelem vivente collecta essent. *Ilgen († 1834) librum Genesis e 17 monumentis compositum asseruit, quorum 10 priori Elohistae, 5 posteriori Elohistae, 2 Iehovistae, redactionem autem viro post Moysen viventi ascripsit. *Hupfeld († 1834) quoque priorem et posteriorem Elohistam atque Iehovistam distinxit.

Hypothesis fragmentorum (Fragmentenhypothese). Catholicus theologus Britannicus Geddes († 1802) totum Pentateuchum e fragmentis variis copilatum esse censuit, et quidem elohisticis et iehovisticis. *Vater († 1826) quoque affirmavit, Pentateuchum e fragmentis variis, interne non cohaerentibus constare, quae redactor quidam longe post Moysen, forsitan circa exilium collegisset, ne perirent; probabilissime ne unum quidem fragmentum Mosaicum esse. In libro Genesis solo 39 fragmenta repperit. Eandem sententiam *Hartmann († 1838) defendit et *De Wette († 1849) adamavit, sed *Ewald († 1875) et *Ranke Henr. († 1876) confutarunt.

Hypothesis supplementorum (Ergänzungshypothese). Patroni huius hypothesis sunt: *Bohlen († 1840), *De Wette (inde ab anno 1840), *Lengerke († 1857), *Bleek († 1859), *Tuch († 1867), *Stähelin († 1875), *Franc. Delitzsch († 1890) annis prioribus. Docent autem: in Pentateucho duo scriptores habemus, scilicet scriptorem monumenti primitivi elohistici, quod scriptor iehovisticus variis supplementis non cohaerentibus auxit. Elohista regnante Saule, Iehovista regnante Salomone vixit; posterius Deuteronomium adiunctum est.

Hypothesis monumentorum recentior (Neuere Urkundenhypothese). *Gramberg († 1830) in Pentateucho Elohistam, Iehovistam, compilatorem distinxit, quam distinctionem *Ewald et *Stähelin adoptarunt. *Hupfeld ab anno 1853 in Pentateucho 3 monumenta distinxit: monumentum primitivum, elohisticum recentius, iehovisticum, quae redactor retractaverit. Idem docuerunt *Böhmer et *Knobel († 1863). Hypothesim magis magisque excoluerunt *Reuss († 1891), *Graf († 1869), *Vatke († 1882) et praesertim *Wellhausen, quibuscum plurimi acatholici recentiores consentiunt, scilicet: Addis, Bacon, Baudissin, Budde, Carpenter, Cheyne, Cornill, Franc. Delitzsch († 1890) posterioribus annis, Dillmann († 1894), Giesebrecht, Guthe, Holzinger, Kayser, Kautzsch, Kuenen († 1891), Marti, Nöldeke, Schrader, Smend, Smith († 1894), Stade († 1906), Steuernagel, Westphal aliique.

Hi viri Hexateuchum, i. e. Pentateuchum et librum Iosue, e 5 monumentis principalibus a *R* i. e. redactore vel redactoribus conflatum asserunt, quae sunt: *P* i. e. codex *p*resbyterorum (Priestercodex, Priesterschrift; a Tuch monumentum fundamentale, ab Hupfeld Elohista prior vel antiquior, a Schrader narrator annalista vocatus); incipit Gen. 1, 1. — *S* vel *H* i. e. lex *s*anctitatis (*H*eiligkeitsgesetz) vel lex *S*inaitica = Lev. 17—26. — *E* i. e. *E*lohista (ab Hupfeld Elohista posterior

vel recentior, a Schrader narrator theocraticus, a Dillmann liber fabularum appellatus); incipit Gen. 15, 2 vel saltem Gen. 20, 1. — *J* i. e. *I*ahvista (a Tuch narrator supplens, a Schrader narrator propheticus nominatus); incipit Gen. 2, 4. — *D* i. e. *D*euteronomicus, a quo partes principales Deuteronomii scriptae sunt.

Quod ad aetatem monumentorum attinet, sequentia statuunt: omnia post divisionem regni Israel scripta sunt, et quidem *J* ca. 850 in regno australi, *E* ca. 750 in regno septentrionali, quae ca. 650 in *JE* i. e. in *Je*hovistam coniuncta sunt; *D* (cc. 12—28) post 650 scriptus, in exilio vel post illud, ergo saeculo VI. retractatus et cum *JE* coniunctus est; *S* et *P* in exilio vel post illud scripta sunt; ca. 440 *S* et *P* cum *JED* coniuncta et in Hexateuchum conflata sunt. Moyses igitur neque Pentateuchum neque monumenta in eo conservata scripsit.

Fundamentum huius hypothesis vel recentioris scholae criticae est Hegelianismus seu pantheismus logicus vel systema evolutionis (cf. pag. 420 s.), quemadmodum viri supra nominati ipsi profitentur. Systema evolutionis adhibent supremum principium hermeneuticum (cf. pag. 420), ut in Commentario videbimus; adhibent etiam supremum principium criticum. Si omnia e simplicioribus et rudioribus ad perfectiora et excultiora naturaliter evolvuntur (cf. pag. 420), Hexateuchus legem atque religionem iam valde excultam et perfectam exhibens non in principio, sed circa finem litteraturae Hebraicae collocandus est. Videas examen argumentorum huius scholae in fine.

Ad tertiam classem critici acatholici et catholici pertinent, qui inter hypothesim monumentorum recentiorem atque sententiam criticorum conservantium conciliare volunt (Vermittlungskritiker). Ex acatholicis Rupprecht (Einleitung 137. 143) enumerat: Robertson, Orelli, Öttli, Strack, Bestmann, Lotz, Volck, Sellin, König, Driver, Klostermann etc. Hi viri docti in pluribus quidem dissentiunt, in sequentibus tamen consentiunt: systema evolutionis naturalis reiiciendum; revelatio supernaturalis, miracula et vaticinia agnoscenda sunt (ibi 133). Historia primitiva populi Israel in substantialibus pro vera haberi debet, in particularibus tamen

fabulosa esse potest (ibi 134). Monumenta varia distingui debent, inter quae Mosaica quoque reperiuntur; *J* et *E* saeculo IV. post Moysen scripta, et Pentateuchus saeculo X. post eum compilatus est (ibi 137): inspiratio sensu ecclesiastico intellecta omnino neganda est (ibi 141).

Vestigia acatholicorum etiam catholici quidam secuti sunt, e. g. Lagrange, Hügel, Hummelauer, Vetter († 1906), Gigot, Barry, Peters; pronuntiata eorum in „Herders Konversations-Lexikon" (VI, 1385 s.) quoque deposita sunt. Repudiant systema evolutionis naturalis; agnoscunt revelationem supernaturalem, miracula et vaticinia atque etiam inspirationem, cuius tamen vim et rationem non recte explicant; historiam primitivam in substantialibus, non autem in omnibus particularibus pro vera habent; in Pentateucho monumenta varia, etiam Mosaica, distinguunt, quae ab Esdra collecta sint. Audiamus Vetter et Gigot. Iuxta Vetter (Tübinger Quartalschrift, 1903) historia ab Adam usque ad Abraham aetate Iudicum scripta est; elementa partium legalium ad Moysen spectant, sed a sacerdotibus ampliata et collecta sunt: una harum collectionum est Deuteronomium, circa finem aetatis Iudicum facta; Mosaicae sunt etiam notitiae chronologicae et carmina. Quando templum Salomonium aedificabatur, Pentateuchus compositus, sed ab Esdra completus est. Secundum Gigot (Special Introduction) Deut. 5—26 regnante Iosia, codex presbyterorum tempore exilii, reliquae partes Pentateuchi vivente Moyse scriptae sunt, si additiones quasdam excipiamus.

Critici conciliantes, acatholici ac praesertim catholici, inter duas molas devenerunt, a quibus lente quidem sed tanto subtilius conterentur. Videas quae infra dicentur.

C. Decreta Ecclesiae.

Concilium Tridentinum in sessione quarta, die 18. Aprilis 1546 celebrata, decretum de canonicis Scripturis fecit, in quo legimus: „Sacrosancta, oecumenica et generalis Tridentina Synodus . . . orthodoxorum patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor . . . pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. Sacrorum vero librorum indicem huic decreto ad-

scribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infrascripti. Testamenti veteris, *quinque Moysi,* id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium . . . Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit . . . anathema sit." — Hunc canonem Concilium Vaticanum in sess. III, cap. 2, can. 4, sic repetiit: „Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit."

His decretis Ecclesia directe inspirationem et canonem sacrae Scripturae definire voluit, ut contextus ostendit; indirecte etiam auctorem Pentateuchi indicavit, quatenus Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium *quinque Moysi* appellavit. Noluit tamen genuinitatem Pentateuchi directe docere, eo minus definire (cf. Hetzenauer, Bibelkritik 32 s.), quia illo tempore de auctore Pentateuchi nulla controversia erat.

Plures viri docti asserunt: sicut phrasis *Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum* in eodem decreto Tridentini recurrens non significat, omnes et singulos 150 Psalmos a Davide compositos esse, ita phrasis *quinque Moysi* non indicat, omnes et singulos istos libros a Moyse scriptos esse. At comparatio claudicat. Etenim iam phrasis diversa est. Tridentinum non dixit *centum quinquaginta Psalmi Davidis* uti dixerat *quinque Moysi,* sed dicit *Psalterium Davidicum:* Psalterium recte *Davidicum* nominatur, quamquam non omnes Psalmi a Davide compositi sunt, quia Psalmistae sequentes more et exemplo Davidis carmina sua componebant (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 210). Deinde Psalterium ipsum in inscriptionibus Psalmorum praeter Davidem alios quoque Psalmistas explicite nominat: filios Core, Asaph, Salomonem, Eman, Ethan, Moysen (cf. ibidem), ita ut sensus phraseos *Psalterium Davidicum* pateat. Denique sensus verborum *quinque Moysi* ex usu loquendi istius temporis accipiendus est. Anno 1546 autem omnes Iudaei et Christiani persuasum habebant, *quinque Moysi* reapse a Moyse esse (cf. pag. XIX), quare phrasis in decreto Tridentini eadem ratione intelligi debet. Repetimus tamen, Concilium hanc sententiam neque definire neque directe docere voluisse.

Ex inspiratione Pentateuchi, a Concilio Tridentino et Vaticano definita, etiam argumentum pro authentia Pentateuchi deduci potest, quemadmodum infra, *D,* ad argumentum VI. notabimus.

Commissio biblica die 27. Iunii 1906 approbante Summo Pontifice „propositis sequentibus dubiis . . . respondendum censuit prout sequitur: I. Utrum argumenta a criticis congesta ad impugnandam authentiam Mosaicam sacrorum Librorum, qui Pentateuchi nomine designantur, tanti sint ponderis, ut posthabitis quampluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis, perpetua consensione populi Iudaici, Ecclesiae quoque constanti traditione nec non indiciis internis quae ex ipso textu eruuntur, ius tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxima ex parte aetate Mosaica posterioribus esse confectos? Resp. Negative.

II. Utrum Mosaica authentia Pentateuchi talem necessario postulet redactionem totius operis, ut prorsus tenendum sit Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse; an etiam eorum hypothesis permitti possit qui existimant eum opus ipsum a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent; ac tandem opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum, ipsiusmet nomine vulgaretur? Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III. Utrum absque praeiudicio Mosaicae authentiae Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata, ipsi operi inseruerit? Resp. Affirmative.

IV. Utrum, salva substantialiter Mosaica authentia et integritate Pentateuchi, admitti possit tam longo saeculorum decursu nonnullas ei modificationes obvenisse, uti: additamenta post Moysi mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interiectas; vocabula quaedam et formas e sermone

antiquato in sermonem recentiorem translatas: mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et iudicare? Resp. Affirmative, salvo Ecclesiae iudicio."

His responsis Commissio biblica sententiam criticorum conservantium (cf. pag. XXI) approbavit nihilque novi statuit. Nonnulli in responso II. novitatem viderunt; immerito. Nam similem hypothesim conservans Keil protestans iam anno 1873 in opere suo „Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung", pag. 163 s., ut plausibilem proposuerat.

De isto decreto Commissionis biblicae catholica „Rivista storico-critica delle scienze teologiche" (Roma 1906, pag. 966) sequentia continet: „L' ultimo responso della Commissione biblica ha provocato nel mondo della critica, bisogna confessarlo, una profonda e poco bona impressione. Il dottor Hastings, per esempio, così la commenta nell' ultimo fascicolo dell' *Expository Times:* . . . Ora noi non conosciamo uno studioso serio del V. T., in alcun paese protestante, il quale avrebbe apposta la sua firma a una conclusione di questo genere. E se noi dobbiamo trarre una previsione dagli ammaestramenti del passato, noi crediamo che verrà tempo in cui la Chiesa di Roma dovrà pentirsene."

Ephemeris modernista „Das Zwanzigste Jahrhundert" (München 1906, pag. 471 s.) catholicum exegetam Tubingensem Paulum Vetter 1906 mortuum valde laudat et pag. 472 sequentia narrat: „Moriens Vetter certior factus est de decreto Romano ,Roma de Mosaica compositione Pentateuchi'. Iuste iratus ob talem laesionem scientificae exegesis decretum maximam ignominiam saeculi nominavit (Auf seinem Totenbette erfuhr Vetter noch das römische Dekret ,Rom über die mosaische Abfassung des Pentateuchs'. Im gerechten Zorn über eine derartige Verletzung der wissenschaftlichen Exegese nannte er das Dekret die größte Schmach des Jahrhunderts)". Ephemeris catholica „Biblische Zeitschrift" (Freiburg i. Br. 1907) pag. 114 dubitat, utrum narratio ista vera sit necne: pag. 336 autem eam apocrypham vocat. Quidquid id est. Sive Vetter ipse haec verba pronuntiavit, sive alii ea composuerunt atque morienti professori attribuerunt: narratio demonstrat, quid nonnulli catholici Germani de decreto cogitaverint ac dixerint.

Britanni et Itali quidam (cf. Briggs, The Papal Commission and the Pentateuch, London 1906; Il Programma dei Modernisti, Roma 1908, pag. 32 s.) de scientia philologica et critica plurium membrorum Commissionis biblicae tam male locuti sunt, ut verba eorum repetere nequeam; ipsi decreto quemlibet valorem scientificum denegant.

His aliisque adhuc vivacioribus sententiis factum est, ut protestantes et schismatici Commissionem biblicam non „Consilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis" (ut in decreto legimus) sed „temerarium

consilium catholicum (einen katholischen Humbug)" nominarent, atque etiam boni viri catholici Commissionem ac decreta eius negligerent atque despicerent. Propterea Summus Pontifex Pius X. in Motu Proprio *Praestantia Scripturae Sacrae* dd. 18. Novembris 1907 patrocinium causae Commissionis despectae suscepit.

„Post diuturna rerum iudicia consultationesque diligentissimas, inquit Sanctitas Sua, quaedam feliciter a Pontificio de re Biblica Consilio emissae sententiae sunt, provehendis germane biblicis studiis, iisdemque certa norma dirigendis perutiles. At vero minime deesse conspicimus qui, plus nimio ad opiniones methodosque proni perniciosis novitatibus affectas, studioque praeter modum abrepti falsae libertatis, quae sane est licentia intemperans, probatque se in doctrinis sacris equidem insidiosissimam maximorumque malorum contra fidei puritatem fecundam, non eo, quo par est, obsequio sententias eiusmodi, quamquam a Pontifice probatas, exceperint aut excipiant.

Quapropter declarandum illud praecipiendumque videmus, quemadmodum declaramus in praesens expresseque praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de re Biblica, sive quae adhuc sunt emissae sive quae posthac edentur, *perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice, se subiiciendi;* nec posse notam tum detrectatae oboedientiae tum temeritatis devitare aut culpâ propterea vacare gravi quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent; idque praeter scandalum, quo offendant, ceteraque quibus in causa esse coram Deo possint, aliis, ut plurimum, temere in his errateque pronunciatis."

Quilibet catholicus bonus scit, quid post hanc declarationem Summi Pontificis faciendum sit. Cum tamen decreta Congregationum Romanarum, etiam a Papa modo ordinario approbata, nequaquam infallibilia sint; cumque acatholici declarationem Romani Pontificis non agnoscant: mox examinabimus, utrum istud decretum Commissionis biblicae, scientifice consideratum, revera tam antiscientificum sit, uti dicitur.

Omnes viri et ephemerides supra citati profitentur, in decreto Commissionis biblicae Pentateuchum Moysi auctori ascribi. „Che cosa è ciò che il papa ha approvato in esso?" interrogat e. g. notus exegeta protestans Hastings atque respondet: „Egli ha approvato la conclusione che i primi cinque libri della Bibbia, come si trovano oggi (eccettuati i possibili errori d' interpreti o di amanuensi), furono scritti e pubblicati al tempo di Mosè, o da lui stesso o sotto la sua direzione o sanzione" (cf. Rivista storico-critica delle scienze teologiche. Roma 1906, pag. 966). Peters tamen catholicus cum sagacitate prorsus admirabili in decreto contrarium invenit. In libello suo „Papst Pius X. und das Bibelstudium" (Paderborn 1906, pag. 72 s.) scribit, Commissionem biblicam hoc tantum declarasse, argumenta hucusque a criticis congesta non tanti ponderis esse, ut ius tribuant affirmandi Pentateuchum non Moysen habere auctorem; Commissionem non negare possibilitatem, suo tempore a

criticis tam peremptoria argumenta congeri posse, ut affirmandum sit, Pentateuchum non a Moyse, sed ex fontibus maxima ex parte aetate Mosaica posterioribus confectum esse. Verumtamen vana est haec assertio. Nam quamplurima testimonia utriusque Testamenti collective sumpta, perpetua consensio populi Iudaici, Ecclesiae quoque constans traditio (quae argumenta a Commissione afferuntur) numquam pondus suum amittent, si divinitatem Christi credamus et inspirationem sensu catholico intelligamus. De his statim loquemur.

D. Examen argumentorum.

Examinabimus prius argumenta principaliora, quae pro authentia Pentateuchi a criticis conservantibus allata sunt; deinde argumenta principaliora, quae a criticis radicalibus (cf. pag. XXII) necnon conciliantibus contra eam producuntur.

I. Argumenta pro authentia allata.

Argumenta, quibus probant Pentateuchum reapse a Moyse scriptum esse (sensu pag. XXI declarato) sunt sequentia: sententia unanimis et constans Iudaeorum; Pentateuchus et traditio Samaritanorum; traditio Christianorum; testimonium Christi et legatorum eius; testimonium librorum Vet. Test. postmosaicorum; testimonium ipsius Pentateuchi; sensus Ecclesiae catholicae. Vim probandi horum argumentorum examinare debemus.

1. Sententia unanimis et constans Iudaeorum.

Iudaeos unanimiter et constanter usque ad saec. XVII. p. Ch. n. sensisse, Pentateuchum a Moyse scriptum esse, omnes critici concedunt. Haec autem sententia Iudaeorum invenitur argumentum potentissimum pro authentia Pentateuchi, si eam accuratius consideramus.

a) Pentateuchus est opus publicum, pro toto populo Iudaeorum destinatum, et quidem plura continens, quibus populus pudore suffundebatur; est codex civilis et religiosus, iuxta quem populus in vita civili et religiosa se formare debuit; Pentateuchus multa praecepta gravia et gravissima continet, quorum transgressio severe puniebatur: immo istas leges et poenas a Deo sancitas et a Moyse

promulgatas pronuntiat. — Atqui iuxta principia philosophica moraliter impossibile est, integrum populum tempore historico talem codicem civilem et religiosum agnovisse et ad observationem praeceptorum gravissimorum se obligasse, quin prius investigaret, utrum istae increpationes et leges et poenae revera a Deo et Moyse essent necne. Quod si invenisset, eas ab hominibus confictas et per piam fraudem Moysi atque Deo attributas fuisse, quod tempore historico facile eruere poterat, iuxta leges psychologicas cum indignatione eas repudiasset. Sed Iudaei e contrario unanimi et constanti consensu codicem suum civilem ac religiosum Moysi ascripserunt atque gravia praecepta eius ut praecepta Dei a Moyse promulgata habuerunt. — Ergo sic concludimus: cum moraliter impossibile sit, populum Israel tempore historico tam severum codicem civilem ac religiosum recepisse, quin prius originem eius accurate examinaret; cumque pariter impossibile sit, totum populum tempore historico in isto examine errasse et codicem per errorem Moysi tribuisse: unanimis et constans Iudaeorum sententia iuxta principia scientifica argumentum potentissimum pro authentia Pentateuchi iudicanda est.

b) Monumenta Pentateuchi, a criticis radicalibus et conciliantibus supposita, in populo Israel post mortem Moysis tempore historico scripta, retractata, collecta et conflata dicuntur (cf. pag. XXIII s.). Verumtamen de tali monumentorum scriptione, retractatione, collectione et conflatione in traditione populi Israel nullum prorsus vestigium reperitur; populus Israel explicite contrarium testatur, videlicet Pentateuchum ab ipso Moyse compositum fuisse. — Antiscientificum omnino est, si homines saeculo XIX. et XX. p. Ch. n. viventes originem Pentateuchi melius scire volunt quam populus, qui iam longe ante nativitatem Christi Pentateuchum codicem suum civilem ac religiosum habuerat.

2. *Pentateuchus et traditio Samaritanorum.*

Postquam cives regni Israel vel Samariae in Assyriam deportati sunt, tam Sargon (722—705) quam Asarhaddon (680—669) et Assurbanipal (669—626) reges Assyriorum colonos

in terram Samariae miserunt (4 Reg. 17, 24 s.; 1 Esdr. 4, 2. 10), qui cum relictis civibus regni Israel mixti et Šomᵉronim i. e. Samaritani nominati sunt (4 Reg. 17, 29). Colebant idola sua, simul tamen etiam Dominum Deum Israel, cuius cultum sacerdos Israelita, a Sargon missus, eos docuit (4 Reg. 17, 26—41) atque Iosias, rex Iuda, circa 621 magis purgavit ac promovit (4 Reg. 24, 15—20). Cum Iudaeis ex captivitate reversis Ierosolymis templum aedificare volebant, sed ab eis repulsi inimici Iudaeorum facti sunt (1 Esdr. 4, 2 ss.) ac permanserunt (Ioan. 4, 9; 8, 48).

a) Samaritani in synagoga sua in Nabulus exsistenti magnum thesaurum custodiunt, scilicet Pentateuchum Samaritanum. Continet libros Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii et decurtatum librum Iosue. Est scriptus lingua Hebraica et quidem antiquis litteris Hebraicis. Samaritani tradunt, originale Pentateuchi sui a nepote vel pronepote Aaronis scriptum esse; multi acatholici recentiores asserunt, illud post reditum Iudaeorum e captivitate Babylonia ad Samaritanos venisse; sententia autem vera est, istum Pentateuchum iam ante reditum Iudaeorum apud Samaritanos fuisse. Nam post reditum Samaritani inimici Iudaeorum facti sunt ac permanserunt (vide supra), ut catholici et acatholici interpretes docent: qua tales autem iuxta leges psychologicas numquam codicem civilem et religiosum Iudaeorum codicem suum recepissent atque praecepta eius observassent. Praeterea, si post reditum Iudaeorum eum receperunt, declarari nequit, quare cum eo decurtatum librum Iosue dumtaxat, non vero reliquos libros historicos et propheticos simul receperint, quos Iudaei iam collectos habebant. Demum, si Samaritani post reditum Iudaeorum Pentateuchum ab eis recepissent, non antiquis litteris Hebraicis, sed litteris Assyriis seu quadratis scriptus esset, quibus Iudaei tunc utebantur (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 252 s.).

Putarunt quidam, Pentateuchum Samaritanum in possessione illorum civium regni Israel fuisse, qui in Samaria relicti erant (vide supra), quod non improbabile est; alii censent, istum sacerdotem, quem Sargon rex ad Samaritanos miserat, ut doceret *eos legitima Dei terrae* (4 Reg. 17, 27 s.) exemplar Pentateuchi secum sumpsisse.

Quod si Pentateuchus Samaritanus iam ante reditum Iudaeorum e captivitate apud Samaritanos erat, ea omnia corruunt, quae critici radicales et conciliantes de compositione, retractatione, conflatione monumentorum in exilio Babylonio et post illud peracta asserunt (cf. pag. XXIII et XXIV). Nam Pentateuchus Samaritanus cum Pentateucho hodierno congruit, si quasdam lectiones variantes excipiamus, quas in Commentario notabo: ergo Pentateuchus iam ante exilium Babylonium in hac forma aderat.

b) Traditio Samaritanorum constans et unanimis Pentateuchum Moysi attribuit auctori, ut omnes critici catholici et acatholici profitentur. Hanc traditionem Samaritani certo ab Iudaeis sumpserunt, sed non post exilium Babylonium, quando inimici eorum facti sunt, sed iam antea, probabilissime quando Pentateuchum ab eisdem receperunt. Ergo etiam traditio Samaritanorum compositionem, retractationem, conflationem monumentorum in exilio Babylonio et post illud peractam confutat et falsam monstrat.

3. *Traditio Christianorum.*

Omnes Christianos orthodoxos (cf. pag. XX) a saec. I. usque ad saec. XVI. (cf. pag. XX) constanter Pentateuchum Moysi auctori ascripsisse, nemo catholicorum vel acatholicorum negat. Affirmant autem critici radicales et conciliantes, istam traditionem falsam esse. Repono: *a)* Traditionem totius antiquitatis Christianae falsam esse, non tantum asserendum sed etiam argumentis nihil dubii relinquentibus demonstrandum est. Argumenta vero a criticis allata valde levia sunt, quemadmodum infra, n. II. videbimus. *b)* Traditio Christiana eo minus falsa esse potest, quod quaestio auctorem Pentateuchi spectans non simpliciter litteraria est, ut saepe repetitur, sed quaestio cum inerrantia hagiographorum inspiratorum et ipsius Iesu Christi intime connexa (cf. infra, n. 4—6). In tali quaestione unanimem et constantem traditionem Christianam errasse, improbabilissimum est.

Saepius dicunt et scribunt, Christianos in rebus pluribus simpliciter traditiones Iudaeorum assumpsisse, quae saepius falsae essent, ideoque traditionem Christianam in quaestionibus litterariis parum valere. Re-

spondeo: Christiani in quaestione auctorem Pentateuchi attingenti utique traditionem Iudaeorum assumpserunt, sed traditionem ab hagiographis inspiratis et ipso Christo approbatam, quae proinde falsa esse nequit, ut ex sequentibus apparebit.

4. *Testimonium Christi et legatorum eius.*

a) Christus Dominus Moysi Pentateuchum in genere et singulos libros eius in specie tribuit, necnon legem in genere et tria praecepta in specie ab eo data asserit.

α) Apud S. Ioannem (5, 45—47) legimus, Christum ad Iudaeos dixisse: *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem. est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί· de me enim ille scripsit, περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψεν. Si autem illius litteris non creditis, εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου γράμμασιν οὐ πιστεύετε, quomodo verbis meis credetis?* In celebri hoc loco Christus personam suam personae Moysis, verba sua scriptis illius opponit; affirmat, illam personam *(ἐκεῖνος)* de persona sua *(περὶ ἐμοῦ)* scripsisse *(ἔγραψεν)*, atque scripta illius *(ἐκείνου)* Iudaeis nota ac determinata esse: *τοῖς ἐκείνου γράμμασιν οὐ πιστεύετε*, inquit; articulus *(τοῖς)* enim adhibetur, si res notae ac determinatae sunt. Quot et qualia autem scripta Iudaeis ut scripta Moysis nota ac determinata erant? Omnes consentiunt, Iudaeos cum Christo viventes unanimiter quinque primos libros Scripturae Moysi auctori adiudicasse: ergo verbis *τοῖς ἐκείνου γράμμασιν* Christus eosdem quinque libros *(τοῖς γράμμασιν)*, non partem dumtaxat Pentateuchi, intelligit atque Moysi ascribit *(ἐκείνου)*. „Notandum, ait Knabenbauer (in h. l.), hac Christi locutione et argumentatione clarissime affimari, scripsisse Moysen eiusque scripta exstare apud Iudaeos.“ Vis huius atque sequentium testimoniorum Christi nullis ambagibus attenuari potest, ut infra videbimus.

Sadducaei resurrectionem negantes ad Christum dixerunt (Marc. 12, 18 s.): *Magister, Moyses nobis scripsit, ἔγραψεν ἡμῖν, ut si cuius frater mortuus fuerit, et dimiserit uxorem, et filios non reliquerit, accipiat frater eius uxorem ipsius, et resuscitet semen fratri suo.* Haec lex, qua consuetudo matrimoniorum

leviratus confirmata et mitigata est (cf. pag. 542), legitur in Deut. 25, 5ss. Christus persuasionem Sadducaeorum, istam a Moyse scriptam fuisse, non reprobavit sed e contrario approbavit dicens (Marc. 12, 26): *non legistis in libro Moysi, ἐν τῇ βίβλῳ Μωυσέως, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob?* Christus citans Ex. 3, 6 de determinato et Sadducaeis noto libro *(τῇ βίβλῳ)* loquitur eumque *Moysis* esse dicit *(Μωυσέως)*, ad quem Deus locutus est; Sadducaei autem totum Pentateuchum Moysi ascripserunt, ut omnes concedunt: ergo verba Christi *ἐν τῇ βίβλῳ, in libro* de Pentateucho intelligi debent. Etiam Holzinger (Genesis VIII) asserens, Pentateuchum ab Iesu scriptum Moysis iudicatum esse, haec verba i. e. Marc. 12, 26 adducit.

β) De me enim ille sc. Moyses *scripsit,* affirmat Christus (Ioan. 5, 46). Qua sententia iuxta Knabenbauer et protestantes Meyer-Weiss (in h. l.) sequentia vaticinia Messianica a Moyse scripta esse testatur: Deut. 18, 15 *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus: ipsum audies* (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 580s.); Num. 24, 17 *Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel* (cf. ibidem, pag. 578s.): vaticinium Iacobi (Gen. 49, 10); benedictio Messianica Abrahae et Isaaco et Iacobo promissa (Gen. 12, 3; 18, 18; 22, 18; 26, 4; 28, 14; vide explicationem locorum); protoevangelium (Gen. 3, 15) necnon varii typi Messianici, qui in Pentateucho continentur. Iudaei, ad quos Christus locutus est, sine ullo dubio verba eius ita intelligebant (cf. pag. XXXIII). — In Marc. 12, 26 Christus verba, quae Ex. 3, 6 leguntur, ut partem libri Moysis producit. — De vinculo matrimonii loquens Dominus Pharisaeos interrogavit (Marc. 10, 3ss.): *Quid vobis praecepit Moyses? Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere. Quibus respondens Iesus, ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit, ἔγραψεν, vobis praeceptum istud,* videlicet Deut. 24, 1ss. — Legem leviratus (Deut. 25, 5ss.) a Moyse scriptam fuisse, Dominus etiam confirmavit (cf. pag. XXXIII s.).

In his locis Christus partes tantum Genesis, Exodi, Numeri, Deuteronomii a Moyse scriptas asserit, si usum loquendi solum spectamus; si tamen ad aliud principium hermeneuticum respicimus, nimirum ad circumstantias historicas, et quidem ad persuasionem Iudaeorum, quibuscum Christus loquebatur, illud *scripsit* non ad partes restringendum, sed ad integros libros extendendum est, quod contextus (cf. pag. XXXIII s.) adhuc clarius ostendit.

γ) Christus non solum tria praecepta specialia, sed totam legem a Moyse datam esse docuit. Praecepta specialia circum-

cisionem (Lev. 12, 3), pietatem in parentes (Ex. 20, 12; Deut. 5, 16), oblationem leprosi mundati (Lev. 14, 2ss.) ordinant. Ioan. 7, 22s.: *Moyses dedit vobis circumcisionem: (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) et in sabbato circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato?* — *Marc. 7, 10: Moyses enim dixit,* εἶπεν· *Honora patrem tuum, et matrem tuam. Et* (cf. Ex. 21, 17; Lev. 20, 9): *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* — Matth. 8, 4 et Luc. 5, 14: *Vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tua, sicut praecepit Moyses, in testimonium illis.*

Quod ad totam legem attinet, Christus Iudaeis dixit (Ioan. 7, 19); *Nonne Moyses dedit vobis legem,* τὸν νόμον· *et nemo ex vobis facit legem?* Nomen *legis* cum articulo (ὁ νόμος = *hatthora*) complexum omnium mandatorum, quae in Pentateucho continentur, significat, quemadmodum epistolae ad Romanos et Galatas commonstrant. Propterea sententiam Christi *Moyses dedit vobis legem* de isto complexu recte accipimus. Similiter Ioannes (1, 17) scripsit: *lex,* ὁ νόμος, *per Moysen data est, gratia, et veritas per Iesum Christum facta est.*

Secundum haec effata Christi lex Veteris Testamenti a Moyse data et Pentateuchus ab eo conscriptus est. Ita intellexerunt locos citatos antiquiores interpretes catholici et acatholici; ita eos intelligunt etiam interpretes recentiores ac recentissimi, tam catholici et acatholici conservantes quam acatholici radicales, e. g. Holzinger et Steuernagel. — Conservantes, qui divinitatem et inerrantiam Christi credunt, consequenter concludunt, Pentateuchum esse genuinum opus Moysis (cf pag. XXs.); radicales acatholici divinitatem et inerrantiam Christi negant, ideoque consequenter iudicium eius ut fallibile dissimulant vel negligunt, ob rationes internas (vide n. II. infra) Pentateuchum longe post mortem Moysis compositum declarantes. Critici conciliantes autem cum conservantibus divinitatem et inerrantiam (ita catholici) vel saltem auctoritatem incomparabilem (ita Strack aliique protestantes) Christi agnoscunt; simul tamen cum radicalibus Pentateuchum plus minusve Moysi denegant (cf. pag. XXIIIs.): quare consequenter effata Christi alio modo ac conservantes et

radicales explicare debent, qui modus logice et hermeneutice falsus est.

Audiamus catholicum conciliantem Peters (Die grundsätzliche Stellung der katholischen Kirche zur Bibelforschung, Paderborn 1905) qui omnino ab Hummelauer (Exegetisches zur Inspirationsfrage, Freiburg 1904, pag. 85 ss. 99 ss.) dependet et catholicum Nikel (Die Glaubwürdigkeit des Alten Testamentes im Lichte der Inspirationslehre und der Literarkritik, Münster i. W. 1908, pag. 41 ss.) pedisequum repperit. Ipse Peters pag. 69 scribit: „Utrum Pentateuchus noster a Moyse compositus an a scriptore post exilium vivente, utique inspirato, e quattuor antiquis, fontibus principalibus compositus sit . . . haec et similes quaestiones patentis campi criticae litterariae in se res investigationis scientificae, non fidei religiosae sunt. Credulus (gläubige) investigator catholicus in his rebus item libertatem suam habet ut acatholicus.“ Pag. 68 de libro Genesis dictitat: „Genesis nititur (wurzelt) autem longa traditione orali, quae vix ante aetatem Iudicum litteris consignata fuerit. Moyses igitur plane expers est huius rei.“ Quomodo hae assertiones cum sententiis Christi (cf. pag. XXXIII ss.) conciliari possint, pag. 64 s. sic exponit: „Non quodlibet verbum divini magistri definitio fidei est . . . Propheta et magister fratrum suorum opiniones eorum et totum complexum cogitationum (Vorstellungskreis) eorum respicere debet, qui (complexus cogitationum) nimirum non absolute sed relative dumtaxat rectus est. Si igitur ad Mosen et Isaiam, ad Ionam et Davidem appellat loquitur et debet loqui, quomodo in synagogis et scholis Iudaeorum tunc mos erat.“ Deinde citat Marc. 10, 4 s., Ioan. 5, 46, Marc. 12, 35 ss. et prosequitur: „Ex his locis hoc tantum sequitur, Iudaeos tunc istas opiniones habuisse. His suppositionibus, quas auditores ut facta agnoverunt, in demonstratione utitur, quin de obiectivitate suppositionum iudicium faciat.“ Demum concludit: „Aliter res se haberet, si auctor inspiratus qua talis vel si Christus de tali quaestione ita sententiam suam aperiret, ut sine dubio hoc factum litterarium-historicum et quidem hoc ipsum (selbständig) asserere vellet. Nam in hoc casu utique dogma inspirationis certo errorem excluderet.“

Hae doctrinae criticorum conciliantium partim ambiguae partim minus accuratae partim falsae sunt. Asserunt primo, quaestiones criticae litterariae in se res investigationis scientificae, non fidei religiosae esse. Distinguo. Si Christus vel auctores inspirati de his rebus nullum iudicium enuntiarunt, transeat, licet non omnes hoc concedant (cf. Billot, De inspiratione 61 ss.); si vero ipsi de his rebus iudicium enuntiarunt, nego: nam in hoc casu iudicium eorum propter auctoritatem Dei per hagiographos et in Christo loquentis credere debemus. Videas sequentia et § 7 infra. — Asserunt secundo, credulum investigatorem catholicum item libertatem suam habere ut acatholicum. Hoc falsum est. Nam acatholici, paucissimis exceptis, divinitatem Christi et inspirationem hagio-

graphorum et consequenter inerrantiam eorum negant, ideoque iudiciis eorum non ligantur; catholici autem divinitatem Christi et inspirationem hagiographorum atque consequenter (vide § 7 infra) inerrantiam eorum affirmare debent, et idcirco iudiciis eorum ligantur. — Asserunt tertio, non quodlibet verbum divini magistri definitionem fidei esse. Transeat; verumtamen, quodlibet iudicium a Christo enuntiatum cum realitate obiectiva conveniat necesse est. Etenim Verbum caro factum, *plenum* gratiae et *veritatis* (Ioan. 1, 14), in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi (Col. 2, 3), quod est via et *veritas, ἡ ἀλήθεια,* et vita (Ioan. 14, 6), nullum iudicium facere potest, quod cum realitate obiectiva non conveniat. Si rem quandam affirmat, necessario in obiectivitate ita est, licet ista res ad res fidei et morum non pertineat. Videas sequentia. — Asserunt quarto, Christum opiniones fratrum suorum non absolute sed relative rectas respicere debuisse. Utique, Christus falsas fratrum suorum opiniones respicere debuit, eas permittere quoque potuit, si fratribus non noxiae erant; numquam tamen opiniones eorum obiective falsas approbare potuit, quia Deus, essentialis veritas et veracitas, ne minimum quidem errorem approbare potest. Immo „propheta et magister fratrum suorum" opiniones eorum falsas diserte reprobare debuit, si eis noxiae erant.

Asserunt quinto, Christum iuxta morem loquendi synagogarum et scholarum Iudaeorum suae aetatis loqui debuisse; Iudaeos autem illo tempore quinque primos libros Scripturae titulo *libri Moysis* vel simpliciter nomine *Moysis* citasse, ita ut etiam Christus istum morem citandi sequi debuerit: ergo verba Christi *liber Moysis* nihil aliud significant quam quinque primos libros Scripturae, et sententiae eius *Moyses dixit, praecepit, scripsit* idem sonant atque „ille auctor, quem Moysen fuisse tradunt, dixit, praecepit, scripsit", quominus Christus de vero auctore iudicium suum enuntiaverit. Sic e. g. si citaremus *Šophᵉtim* (Iudices) vel *Mᵉlachim* (Reges) *narrant,* non affirmaremus librum Iudicum ab Iudicibus vel 3. et 4. librum Regum a Regibus scriptum esse, sed titulo tantum uteremur, quo hi libri in Hebraico inscribuntur. — Haec explicatio primo aspectu valde plausibilis apparet, ideoque multos fascinavit; accuratius tamen inspecta omnino fallax invenitur. Lubentissime concedimus, Christum morem seu usum loquendi et citandi Iudaeorum temporis sui sequi, sub verbis et phrasibus eandem ac Iudaeos significationem et sensum subiicere debuisse, ut ab ipsis intelligeretur (cf. Hetzenauer, Exegetica 32). Atqui omnes omnino Iudaei istius temporis cum phrasibus *Moyses dixit, praecepit, scripsit* hunc sensum coniunxerunt, personam ducis populi Israel legem dedisse, Pentateuchum scripsisse et in eo loqui (cf. pag. XXXIII s.). Ergo Christus usum loquendi Iudaeorum sequens cum eisdem phrasibus sensum eundem coniungere debuit. Comparatio titulorum *Šophᵉtim* et *Mᵉlachim* non valet, quia Iudaei sub his titulis numquam sensum subiecerunt, librum Iudicum ab Iudicibus vel 3. et 4. librum Regum a Regibus scriptum esse.

Asserunt sexto, ex Ioan. 5, 46 hoc tantum sequi, Iudaeos tunc credidisse Pentateuchum de facto a Moyse conscriptum esse, Christum autem de obiectivitate suppositionis Iudaeorum nullum iudicium fecisse. Haec assertio evidenter falsa est. Nam Christus in isto loco inter personam et scripta Moysis distinguit, personam Moysis de se scripsisse asserit atque determinata et Iudaeis nota scripta sic *illius* esse affirmat uti verba scriptis opposita erant verba personae Christi, i. e. in realitate obiectiva (cf. pag. XXXIII). Similiter de aliis effatis Christi parallelis pag. XXXIVs. citatis iudicandum est. Hoc postulat principium hermeneuticum usus loquendi istius aetatis, quem Christus sequi debuit (cf. pag. XXXVII); hoc postulat etiam *logica.* — Propositiones *Moyses dixit, Moyses praecepit, Moyses scripsit* secundum principia logica sunt iudicia affirmativa, et quidem categorica et assertoria. Categorica nominantur iudicia, in quibus praedicatum de subiecto absolute (non hypothetice) affirmatur aut negatur; assertoria appellantur, in quibus realitas (non possibilitas vel necessitas) enuntiatur, ut logici docent (cf. Hagemann, Logik 40ss.; Stöckl, Grundzüge 78ss.). Haec iudicia semper obiectivitatem respiciunt, nisi explicite contrarium notetur: sunt vera, si cum obiectivitate conveniunt; falsa, si cum ea non conveniunt (cf. logicam materialem). Si ergo Christus hoc dumtaxat dicere voluisset, Moysen iuxta opinionem vel suppositionem Iudaeorum, non autem in obiectivitate Pentateuchum scripsisse, secundum praecepta logicae dicere debuisset: *Moyses dixit, praecepit, scripsit,* ut vos opinamini vel supponitis vel traditis. Cum hae clausulae desint, iudicia Christi de obiectivitate intelligenda sunt, quemadmodum Iudaei et Christiani, omnes antiquiores catholici et acatholici, recentiores ac recentissimi tam conservantes quam radicales ea intelligunt, solis criticis conciliantibus exceptis. Itaque si Moyses Pentateuchum in opinione et suppositione Iudaeorum tantum, non autem in obiectivitate scripsisset, iudicia Christi obiective falsa essent; at Verbum caro factum iudicium obiective falsum enuntiare nequit (cf. pag. XXXVII): ergo Moyses Pentateuchum reapse seu de facto conscripsit.

Vim huius demonstrationis critici conciliantes, catholici et acatholici, optime perceperunt quidem, sed diluere voluerunt. Peters (ibidem, pag. 64) adducit verba catholici archiepiscopi Mignot scribentis: „Volebant eum (Dominum) lapidare, cum in Nazareth celebrem locum Isaiae 61, 1s. sibi applicaret; quid tandem fecissent, si negasset Moysen esse auctorem Pentateuchi . . . Modus loquendi Domini igitur, quomodo erat, pro argumento nostro nullam decidentem auctoritatem doctrinalem habet, et magister nobis potestatem dat, quaestionem litterariam compositionis Pentateuchi adiumentis scientiae modernae investigandi.“ Adhuc clarius loquitur protestans Strack (Einleitung 23): „Auctoritas Domini et quodammodo etiam Apostolorum eius pro omnibus quaestionibus, in quibus citatur, absolute sufficiens et decidens habenda est. Quaelibet adiectio aliorum argumentorum esset obtrectatio (Herab-

setzung) incomparabilis huius auctoritatis. Quis autem, qui de difficultate et implicatione quaestionum per criticam motarum (der durch die Kritik vorhandenen Probleme) ideam mediocriter claram possidet, serio credere potest, istas quaestiones ratione qua Nov. Test. Pentateuchum citat, reapse et definitive solutas esse? Inde sequitur, nos in quaestionibus criticae litterariae nequaquam ad citationes in Nov. Test. appellare debere. Supposito etiam, Salvatorem (cuius scientia dum in terra peregrinabatur, non absoluta fuit, Marc. 13, 32) accurate cognovisse, quomodo singuli quique libri Vet. Test. orti sint, tamen non dicere potuisset: ‚In lege, quam merito quidem a Deo intentam (gewolltes), sed immerito in praesenti suo textu (Wortlaut) a Mose scriptam consideratis, scriptum est . . .‘, quin attentionem de re principali abstraheret itaque gravissimum finem magisterii sui in magnum discrimen vocaret.“ — Omnia haec verba huc redeunt denique: Christus ob rationes practicas falsis Iudaeorum opinionibus se accommodavit, errorem eorum permisit eoque in demonstratione usus est (cf. pag. XXXVI). Respondeo in genere: si Pentateuchus non revera a Moyse scriptus est, Christus effatis suis (cf. pag. XXXIII ss.) errorem Iudaeorum non solum permisit, sed positive approbavit, immo etiam Christianos per plurima saecula positive in errorum induxit (cf. pag. XX), quod propter divinitatem suam nulla ratione facere potuit (cf. pag. XXXVII). Ergo Pentateuchus revera a Moyse scriptus sit, necesse est. Respondeo in specie. Scientiam Christi humanam fuisse limitatam, finitam concedimus; simul tamen retinemus, divinam Christi personam nullum iudicium obiective falsum enuntiare potuisse: aliud est, iudicium suspendere vel dicere se quandam rem nescire, atque aliud, iudicium obiective falsum enuntiare. Auctoritatem Domini et hagiographorum esse absolute sufficientem et quaestiones decidentem, etiam nos asserimus; eapropter citationes Pentateuchi in Vet. et Nov. Test. occurrentes quam maxime attendendae sunt. Mignot et Strack falso asserunt, modum loquendi Domini nullam decidentem auctoritatem doctrinalem habere; nam verba Domini ab Ioanne 5, 45—47 relata profecto clarissima sunt (cf. pag. XXXIII). Quod si iidem putant, Dominum falsas de origine Pentateuchi opiniones corrigere nequivisse, quin gravissimum finem magisterii sui in magnum discrimen vocaret; nos e contrario respondemus, Dominum opiniones Iudaeorum de origine Pentateuchi, si falsae fuissent, necessario corrigere debuisse, et quidem propter finem magisterii sui. Nam si lex et gravissima praecepta eius non a Deo data neque per Moysen promulgata, sed ab hominibus inventa et per fraudem populo Israel obtrusa essent; si sanctio praeceptorum non divina, sed humana esset: creberrima illa testimonia Pentateuchi, quibus Deus per Moysen populo legem dedisse atque sanxisse scribitur (vide n. 6, infra) totidem mendacia essent, eaque impudentissima et iniuriosissima, quae „propheta et magister fratrum suorum“ ex officio patefacere et confutare debuisset (cf. Ez. 13, 6—9).

Haec mendacia enim et errores inde germinantes saluti spirituali totius populi Israel valde noxii fuissent. Nam transgressio praeceptorum, quae homo per errorem vere divina iudicat, multo magis culpabilis ac punienda est, quam transgressio praeceptorum pure humanorum, licet a Deo providentia communi intentorum (gewollt).

Asserunt denique: si Christus vel scriptores inspirati hoc factum litterarium-historicum, et quidem hoc ipsum asserere voluisset, certo quilibet error excluderetur; at neque Christus neque hagiographi hoc factum *directe docere,* eo minus *quaestionem* criticam *decidere* voluerunt: ergo. — In hac assertione inerrantia Christi et hagiographorum inspiratorum cum infallibilitate Ecclesiae confunditur. Si Ecclesia quaestionem quandam non decidere vult; eo magis, si sententiam quandam non directe docere vult, sed ut explicationem vel demonstrationem doctrinae definitae eam adhibet: tales enuntiationes eius non infallibiles sunt (cf. Simar, Dogmatik, 44 s.; Egger, Dogm. gen., 640; Hetzenauer, Bibelkritik, 32 ss.). Aliter res se habet quoad inerrantiam Christi et hagiographorum inspiratorum. Horum iudicia semper cum obiectivitate conveniunt, etiam si non directe doceantur, sed indirecte tantum enuntientur ut expositio vel illustratio vel demonstratio doctrinae traditae: nam Deus per hagiographos et in Christo loquens ne minimum quidem errorem obiectivum enuntiare potest (cf. pag. XXXVII). — Opponunt quidem: si Deus per hagiographos loquens in rebus physicis iuxta apparentiam seu speciem externam, non iuxta constitutionem seu naturam internam loqui potuit; etiam in rebus, quas non directe docere vult sed indirecte vel „incidenter", ut dicunt, enuntiat, iuxta falsas hominum opiniones loqui potest. Nego paritatem. Nam apparentia seu species externa rerum physicarum, qua talis, etiam obiective vera est; illae opiniones autem hominum obiective falsae sunt, uti supponunt (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 12 s.).

Sensus igitur effatorum Christi est, Moysen populo Israel legem dedisse atque Pentateuchum scripsisse (cf. pag. XXXIII). Hoc iudicium Domini non opinionem Iudaeorum subiectivam, sed realitatem obiectivam enuntiat (cf. pag. XXXVII) atque necessario verum esse debet (cf. pag. XXXVII). Quapropter omnes Christiani, qui divinitatem et inerrantiam Christi credunt, ac verba eius non contra principia hermeneutica (cf. pag. XXXVI) et logica (cf. pag. XXXVIII) explicant, genuinitatem Pentateuchi sensu pag. XX s. declarato asserere debent eumque Moysi denegare nequeunt. Concludo cum Göttsberger (Biblische Zeitschrift, 1907, pag. 118), qui criticis conciliantibus favet: „Si testimonium Christi de lege Mosis Io. 5, 46 s. simpliciter iuxta obvium sensum litteralem obiective accipi debet et non per accommodationem declarari potest,

iterum criticae Pentateuchi catholicae nervus vitae dissectus est." Atqui per accommodationem declarari nequit (cf. pag. XXXIX). Ergo nervus vitae reapse dissectus est.

b) Legati Christi easdem sententias tradiderunt, quas magister eorum docuerat. Ioannes (1, 17) legem per Moysen datam asserit (cf. pag. XXXV); etiam Paulus de lege Moysi loquitur (1 Cor. 9, 9; Hebr. 10, 28), quae teste Iacobo (Act. 15, 21; cf. et 2 Cor. 3, 15) in synagogis per omne sabbatum legebatur; idem Paulus citat Deut. 32, 21 et Lev. 18, 5 affirmans: *Moyses dicit, λέγει* (Rom. 10, 19), *Moyses scripsit* vel scribit, *γράφει* (Rom. 10, 5). Si hae phrases iuxta usum loquendi illius temporis accipiuntur (cf. pag. XXXVII), genuinitatem Pentateuchi testantur, ut Holzinger (Genesis VIII) quoque affirmat, atque propter inerrantiam legatorum inspiratorum verae esse debent (cf. pag. XL).

5. *Testimonium librorum Veteris Testamenti postmosaicorum.*

a) In libris post exilium Babylonicum scriptis legem ac Pentateuchum Moysi adiudicari, critici conservantes et radicales necnon plerique conciliantes admittunt. — Verba fratrum Machabaeorum et matris eorum, quibus Deut. 32 Moysi tribuerunt (2 Mach. 7, 6), praetereuntes audiamus scriptorem libri Ecclesiastici, qui 45, 1—6 enarrat, quomodo Deus Moysen magnificaverit, inter alia referens (45, 6): *Et dedit illi coram praecepta, et legem vitae et disciplinae, docere Iacob testamentum suum, et iudicia sua Israel.* Textus Hebraicus (cf. Peters, Ecclesiasticus, 117) adhuc clarior est: „Et dedit in manum eius praeceptum, legem vitae et intellectus, docere in Iacob statuta sua et testimonia sua et iudicia sua Israel." Apud Malachiam (4, 4; Hebr. 3, 22) Dominus exercituum dicit: *Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel praecepta, et iudicia.*

Sicut in his locis lex et praecepta eius a Deo data et per Moysen populo promulgata dicuntur, ita etiam in libro 1. et 2. Esdrae, quem iuxta constantem traditionem Iudaeorum Esdras ipse e monumentis variis composuit, et forsitan scriptor aetatis posterioris additamentis quibusdam auxit (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 341). Auctoritas libri eadem maneret, si cum aliis affirmaremus, eum a scriptore posteriore e monumen-

tis genuinis Esdrae et Nehemiae compilatum esse. Legimus 2 Esdr. 8, 1s.: *dixerunt Esdrae scribae ut afferret Librum legis Moysi, quam praeceperat Dominus Israeli. Attulit ergo Esdras sacerdos legem.* Deinde 8, 14: *Et invenerunt scriptum in Lege praecepisse Dominum in manu Moysi ut habitent filii Israel in tabernaculis, in die solemni, mense septimo.* Significantius in Hebraico (cf. et Graecum): „Et invenerunt scriptum in Lege, quam Dominus in manu Moysi praeceperat, ut habitent etc.“ Item 10, 29: *veniebant ad pollicendum, et iurandum ut ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moysi servi Dei.* Conferas 1 Esdr. 3, 1; 7, 6. *Liber* seu *volumen Moysi* in 1 Esdr. 6, 18 et 2 Esdr. 13, 1 commemoratur.

Separatim tractandus est liber Paralipomenon, qui certo post exilium et valde probabiliter ab Esdra scriptus est, uti catholici Kaulen, Seisenberger etc. ac protestantes Hävernick, Keil, Rupprecht etc. cum traditione Iudaeorum sentiunt. In 2 Par. 34, 14—19 habetur locus celeberrimus: *Cumque efferrent pecuniam, quae illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias Sacerdos Librum legis Domini per manum Moysi,* אֶת־סֵפֶר תּוֹרַת־יְהוָה בְּיַד־מֹשֶׁה. *Et ait ad Saphan scribam: Librum legis inveni in domo Domini: Et tradidit ei. At ille intulit volumen,* אֶת־הַסֵּפֶר, *ad regem, et nunciavit ei dicens: . . . Praeterea tradidit mihi Helcias sacerdos hunc librum. Quem cum rege praesente recitasset,* LXX *καὶ ἀνέγνω αὐτὸ Σαφὰν ἐναντίον τοῦ βασιλέως,* at in Hebraico וַיִּקְרָא־בוֹ i. e. et legit in eo etc. — Qualis liber regnante Iosia ca. 621 a. Chr. n. iuxta textum libri Paralipomenon inventus est? Iuxta hunc textum „totus Pentateuchus“ inventus est (*Benzinger, Könige, 190s., et Chronik, 131; *Cornill, Einleitung, 145; Hoberg, Moses und der Pentateuch, 7ss.: Vetter, Biblische Zeitschrift, 1906, pag. 66s; catholici et acatholici conservantes) et quidem „codex originalis“ (*Ieremias, Das Alte Testament², 548). „Chronistae hic liber utique idem est ac scripta lex Mosis, totus Pentateuchus“, ait Vetter (l. c.). „De hac re verba a Chronista electa nullum dubium relinquunt.“ Etiam Cornill (l. c.) asserit, Chronistam persuasissimum habuisse, legem scriptam authenticam esse. „Chronistae, inquit, naturaliter authentia *torae* super omne dubium elevata erat.“ Verbis *Librum legis Domini per manum Moysi* hagiographus ad Deut.

31, 24—26 respexit, ubi narratur: *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine,* הַתּוֹרָה־הַזֹּאת עַל־סֵפֶר, *atque complevit: praecepit Levitis . . . Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimonium.* — Quod si auctor libri Paralipomenon (2 Par. 17, 9) narrat Iosaphat, quartum regem regni Iuda, viros emisisse qui docerent populum in Iuda *habentes librum legis Domini,* סֵפֶר תּוֹרַת יְהוָה, iuxta usum loquendi libri Paralipomenon iam regnante Iosaphat totus Pentateuchus aderat.

Iuxta eundem usum loquendi post exilium Babylonicum communem et pervagatum verba Danielis (9, 11. 13) intelligenda sunt: *Et omnis Israel praevaricati sunt legem tuam, et declinaverunt ne audirent vocem tuam, et stillavit super eos maledictio, et detestatio, quae scripta est in libro Moysi servi Dei . . . Sicut scriptum est in lege Moysi, omne malum hoc venit super nos.*

b) Etiam in libris, qui primis annis exilii Babylonici scripti sunt, lex ac Pentateuchus Moysi adiudicantur. — Baruch, notarius Ieremiae prophetae, anno V. post destructionem urbis Ierusalem in Babylonia librum conscripsit, qui *Prophetia Baruch* inscribitur, eumque regi Iechoniae et populo Iudaico praelegit (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 295—298). In quo praeter alia affirmat (2, 27—29): *Et fecisti in nobis Domine Deus noster . . . sicut locutus es in manu pueri tui Moysi in die, qua praecepisti ei scribere legem tuam coram filiis Israel, dicens: Si non audieritis vocem meam, multitudo haec magna convertetur in minimam inter Gentes, quo ego eos dispergam.* „Legem scribere coram Israel breviter dicitur pro: legem scribere et scriptam populo proponere", ait Knabenbauer (h. l.).

Eodem quasi tempore 3. et 4. liber Regum compositus est. Utrum Ieremias propheta, ut Iudaei tradunt et comparatio libri cum *Prophetia Ieremiae* suadet, an alius scriptor istius temporis librum composuerit, pro axiopistia eius indifferens est. Nam auctor tricies ter ad documenta publica appellat, quae nominat (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 214. 301). — In 4 Reg. 22, 8—10 auctor narrat: *Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan scribam: Librum legis,* סֵפֶר הַתּוֹרָה, *reperi in domo Domini: deditque Helcias volumen,* אֶת־הַסֵּפֶר, *Saphan, qui et legit*

illud, וַיִּקְרָאֵהוּ. *Venit quoque Saphan scriba ad regem . . . Narravit quoque Saphan scriba regi, dicens: Librum,* סֵפֶר, *dedit mihi Helcias sacerdos. Quem cum legisset Saphan coram rege,* וַיִּקְרָאֵהוּ i. e. et legit eum etc. — Qualis liber iuxta hunc textum regnante Iosia ca. 621 a. Chr. n. inventus est? Respondeo: istis verbis totus Pentateuchus inventus significari potest ac debet. Significari potest. Opponunt quidem, in hoc loco parvum dumtaxat librum notari, cum Saphan eodem die bis eum legerit, scil. quando ab Helcia eum recepit et postquam ad regem intravit. At, verba וַיִּקְרָאֵהוּ *et legit eum* non necessario indicant, Saphan totum librum eodem die bis legisse, ut Vetter (Biblische Zeitschrift, 1906, pag. 67) quoque confitetur. Nam verba Iacobi Apostoli in concilio Apostolorum pronuntiata *Moyses . . . in synagogis . . . per omne sabbatum legitur* (Act. 15, 21) nullus interpres de lectione totius Pentateuchi sabbato facta explicat, sed omnes in eis totum pro parte positum esse consentiunt. Simili autem modo etiam phrasis *Saphan legit librum* de partibus libri intelligi potest. Ergo auctor libri Paralipomenon sensum recte expressit scribens וַיִּקְרָא־בוֹ *et legit in eo* (cf. pag. XLII): quod si priorem lectionem tacuit, iuxta praecepta logica eam non negavit. Instat vero Vetter (l. c.) citans 4 Reg. 23, 2: *Ascenditque rex templum Domini, et omnes viri Iuda, universique qui habitabant in Ierusalem cum eo sacerdotes et prophetae, et omnis populus a parvo usque ad magnum: legitque cunctis audientibus omnia verba libri foederis, qui inventus est in domo Domini;* verumtamen, etiam 2 Par. 34, 30 eaedem sententiae leguntur: *ascendit in domum Domini, unaque omnes viri Iuda et habitatores Ierusalem, Sacerdotes et Levitae, et cunctus populus a minimo usque ad maximum. Quibus audientibus in domo Domini, legit rex omnia verba voluminis.* Si igitur Vetter in narratione Paralipomenon totum Pentateuchum intelligit (cf. pag. XLII), licet 2 Par. 34, 30 contrarium videatur; quomodo asserere potest, in libro Regum propter 4 Reg. 23, 2 non totum Pentateuchum intelligi posse? Forsitan 2 Par. 34, 30 non legit. Ceterum difficultas in 4 Reg. 23, 2 et 2 Par. 34, 30 apparens facile solvitur. Rex utique omnia verba libri inventi populo congregato praelegit; nullum autem vocabulum textus innuit, populum

unico tantum die congregatum fuisse regemque unico tantum die ei verba libri inventi praelegisse.

Istis verbis totus Pentateuchus significari debet. Nam liber Regum illo tempore, quo liber Paralipomenon scriptus est, populo Israel iam notus erat et ab eo fide dignus habebatur, quod antiquiores ac recentiores interpretes admittunt. Quare, si populus relationem libri Regum non de inventione totius Pentateuchi, sed parvi cuiusdam libri intellexisset, narrationem scriptoris libri Paralipomenon, qui totum Pentateuchum inventum affirmat (cf. pag. XLII), falsam repudiasset. Atqui populus Israel narrationem libri Paralipomenon non repudiavit, sed veram accepit, ut omnes concedunt. Ergo etiam relationem libri Regum de inventione totius Pentateuchi intellexit. Vetter (l. c.) vim huius argumentationis minuere vult asserens, regnante Iosia neminem quidem putasse librum inventum esse Pentateuchum vel Deuteronomium, licet illo tempore Pentateuchus iam adesset; ab inventione istius libri autem usque ad compositionem libri Paralipomenon pedetentim in populo traditionem formatam esse, qua totus Pentateuchus inventus diceretur. Itaque, si populus Israel narrationem libri Paralipomenon veram accepit, non sequitur relationem libri Regum reapse eundem sensum habere, sed ab Israelitis recentioribus ita per errorem intellectam fuisse. Verumtamen, talis traditio falsa nequaquam formari potuit, si usus loquendi et contextus libri Regum reapse non Pentateuchum, sed librum parvum indicat. Nam auctor libri Regum iuxta traditionem Iudaeorum ipse Ieremias est (cf. pag. XLIII), qui tempore inventionis libri iam per quinque annos munere prophetico fungebatur (cf. Ier. 1, 2 coll. 4 Reg. 22, 3), ideoque factum optime scire potuit, atque tempore exilii Babylonici librum conscripsit (cf. pag. XLIII). Quomodo Iudaei, qui Ieremiam summe venerabantur eiusque librum fide dignum habebant, contra testimonium eius illam traditionem formare ac retinere potuerunt? Neque ante neque post mortem prophetae hoc possibile fuit. Ergo effugium docti Vetter vanum est neque vim demonstrationis nostrae minuere potest. Insuper tam auctor libri Regum quam scriptor libri Paralipomenon monumenta publica populo nota citant. Legimus 4 Reg. 23, 28: *Reliqua autem sermonum*

Iosiae, et universa quae fecit, nonne haec scripta sunt in Libro verborum dierum Iuda? item 2 Par. 35, 26 s.: *Reliqua autem sermonum Iosiae et misericordiarum eius: quae lege praecepta sunt Domini: opera quoque illius prima et novissima, scripta sunt in Libro regum Iuda et Israel.* Monumenta publica sibi contraria fuisse, improbabilissimum est; quapropter relatio libri Regum eundem sensum habeat necesse est ac narratio libri Paralipomenon. Denique, si regnante Iosia non totus Pentateuchus, sed alius liber inventus fuisset, assertio inspirati auctoris libri Paralipomenon obiective falsa esset; atqui auctores inspirati proprio nomine loquentes obiective falsa asserere nequeunt (cf. pag. XL): ergo narratio libri Paralipomenon obiective vera esse debet. Quo concesso etiam relatio inspirati libri Regum inventionem totius Pentateuchi significare debet, quia alioquin narrationi libri Paralipomenon obiective verae contradiceret, ideoque obiective falsa esset, quod impossibile est, uti mox diximus. Contra hanc argumentationem Vetter (l. c.) opponit, inspiratum auctorem libri Paralipomenon non iuxta realitatem obiectivam, sed iuxta opinionem seu traditionem tempore suo iam formatam scribere, et idcirco testimonium eius verum esse, quamvis cum obiectivitate pugnet, quia cum opinione aequalium convenit. Tacentes suppositam formationem traditionis impossibilem esse (cf. pag. XLV), sequentia notamus: iam supra (pag. XL) breviter ostendimus et infra § 7 diffusius demonstrabimus, iudicia hagiographorum inspiratorum categorica et assertoria de realitate obiectiva, non autem de opinione quam aequales eorum de realitate obiectiva habebant, intelligenda esse, nisi hagiographi explicite dicant, se non realitatem obiectivam sed persuasionem subiectivam aequalium suorum respicere. Auctor libri Paralipomenon autem nullo vocabulo indicat, se opinionem aequalium suorum dumtaxat testari velle. Ergo iudicia eius de realitate obiectiva intelligamus oportet (cf. pag. XXXVIII).

Auctor libri Regum igitur testatur, totum Pentateuchum regnante Iosia affuisse; testatur quoque, eum iam ante deletionem regni Israel, immo ante divisionem regni exstitisse. Etenim 4 Reg. 14, 6 narrat Amasiam, nonum regem Iuda ca. 100 annis ante deletionem regni Israel regnantem (cf. Theol.

bibl. Vet. Test., pag. 291), non occidisse filios eorum qui patrem suum interfecerant, *iuxta quod scriptum est in libro legis Moysi*, atque 3 Reg. 2, 3 refert Davidem Salomoni mandasse, ut ambularet *sicut scriptum est in lege Moysi.* Verba *lex Moysi* necnon *liber legis Moysi* secundum principia hermeneutica ex 4 Reg. 22, 8—10 pag. XLIV ss. explicato intelligenda sunt, ideoque Pentateuchum significant.

c) Quod ad libros ante exilium Babylonicum scriptos attinet, in libro Tobiae (7, 14) quidem legimus Saram a Raguele Tobiae traditam fuisse *secundum legem Moysi;* in reliquis tamen libris, i. e. in libris Prophetarum, Samuelis et Iudicum, in libris didacticis explicita testimonia pro exsistentia Pentateuchi Mosaici non inveniuntur. Ex hoc facto autem iuxta praecepta logica non sequitur, auctores horum librorum Pentateuchum nesciisse, quia demonstrari nequit, eos Pentateuchum explicite nominare debuisse (cf. Hetzenauer, Exegetica, 120 s). Eos e contrario Pentateuchum cognovisse, plurimae allusiones ostendunt, quas Hoberg (Moses und der Pentateuch) et adhuc melius Rupprecht (Des Rätsels Lösung) recenset. Nos eas hic omittimus, quia hoc argumento in se aliquantum infirmo non indigemus. Argumentum autem a quibusdam propositum: leges Pentateuchi per plura saecula generatim non observabantur, ergo illis saeculis ignota erant, prorsus ridiculum est. Eodem enim iure concludere possemus: praecepta quaedam decalogi et Ecclesiae hodie generatim non observantur, ergo ignota sunt; cuius conclusionis falsitas patet.

d) Testimonia librorum Veteris Testamenti postmosaicorum supra allata ut humana vel ut divina considerare possumus. Si ea ut humana consideramus, nobis commonstrant totum Pentateuchum non solum post exilium Babylonicum (cf. pag. XLI ss.), sed iam regnante Iosia (cf. pag. XLII ss.), immo iam ante deletionem regni Israel et ante divisionem regni affuisse (cf. pag. XLVI). Ergo ea omnia confutant, quae critici acatholici de origine monumentorum I E D P dictitant (cf. pag. XXIII). Si autem ea ut divina seu inspirata consideramus et catholicam inspirationis notionem retinemus (videas § 7), nobis evincunt Pentateuchum hodiernum a Moyse compositum esse, sensu pag. XXI declarato. Hoc praecipue de testimonio

libri Paralipomenon valet. „Si Chronista“, scribit Göttsberger (Biblische Zeitschrift, 1907, pag. 117 s.), „eius sententiae fuit totum Pentateuchum tempore regis Iosiae (623 a. Ch.) iam affuisse, et si testimonium eius, utpote inspiratum, absolute obligans est, criticae Pentateuchi in re principali fundamentum subductum est. Si Chronista praeterea persuasum habuit Pentateuchum, quomodo praeiacet, ex tempore et manu Mosis esse, pro harmonista viro critica Pentateuchi omne fundamentum perdidit, et sententia traditionalis norma decretoria proposita est.“ Conditiones a Göttsberger postulatae reapse adsunt (cf. pag. XLII et XLVI); ergo sententia traditionalis pro omnibus viris doctis catholicam (vide § 7) inspirationis notionem retinentibus norma decretoria proponitur.

6. *Testimonium ipsius Pentateuchi et libri Iosue.*

Liber Iosue ex sententia criticorum conservantium ad libros postmosaicos quidem pertinet; quia tamen a plerisque criticis recentioribus cum Pentateucho coniungitur, etiam nos testimonium eius cum testimonio ipsius Pentateuchi tractamus.

a) Pentateuchus testatur, Moysen legem a Deo accepisse et populo promulgasse. In libris Exodi, Levitici, Numeri saepissime asseritur *Dixit Dominus ad Moysen: Haec dices filiis Israel* vel similiter, simulque notatur Moysen *omnia verba et iudicia Domini* populo narrasse, e. g. Ex. 12, 1 ss. coll. 12, 21 ss.; 13, 1 ss.; 19, 3 ss. coll. 19, 7 ss.; 20, 18 ss. coll. 20, 22—24, 3; 25, 1 ss. coll. 35, 1 ss. etc.

In Lev. 1, 1 s. narratur: *Vocavit autem Moysen, et locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii, dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos.* Deinde sequuntur a 1, 2 usque 25, 55 praecepta varia cum sanctione (26, 1—45), quae formula consueta *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos* introducuntur atque 26, 45[b] sic concluduntur: *Haec sunt iudicia atque praecepta et leges, quas dedit Dominus inter se et filios Israel in monte Sinai per manum Moysi.* Denique post appendicem (27, 1—33) vota ordinantem iterum asseritur: *Haec sunt praecepta, quae mandavit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai* (27, 34).

Similia in libro Numeri legimus. In 1, 1 refertur: *Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai in tabernaculo foederis . . . dicens.* Deinde mandata varia sequuntur, quae etiam formula consueta introducuntur, e. g. 5, 1 ss.; 6, 1 ss.; 8, 1 ss.; 9, 1 ss.; 15, 1 ss.; 18, 1 ss. 19, 1 ss. Demum enumeratis praeceptis, quae in campestribus Moab data sunt (27, 1 ss.), concluditur 36, 13: *Haec sunt mandata atque iudicia, quae mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israel, in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho.*

In Deuteronomio sequentia affirmantur: *Haec sunt verba, quae locutus est Moyses ad omnem Israel trans Iordanem in solitudine campestri . . . Quadragesimo anno, undecimo mense, prima die mensis locutus est Moyses ad filios Israel omnia quae praeceperat illi Dominus ut diceret eis . . . Coepitque Moyses explanare legem, et dicere* (1, 1—5). Deinde Moyses in prima persona loquens historiam itineris ab Horeb usque in terram Moab narrat (1, 6—3, 29) adiungens exhortationem congruentem (4, 1—40), in qua praeter alia asserit: *Scitis quod docuerim vos praecepta atque iustitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus* (4, 5). Repetitioni legis (5, 6—26, 19) introductio historica praemittitur, in qua legimus: *Ista est lex, quam proposuit Moyses coram filiis Israel, et haec testimonia et ceremoniae atque iudicia, quae locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Aegypto, trans Iordanem* (4, 44—46). *Vocavitque Moyses omnem Israelem, et dixit ad eum: Audi Israel ceremonias atque iudicia, quae ego loquor in auribus vestris hodie . . . Dominus Deus noster pepigit nobiscum foedus in Horeb . . . Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo, ut annunciarem vobis verba eius* (5, 1—5). Post inculcationem legis (27, 1—30, 20) additur: *Abiit itaque Moyses, et locutus est omnia verba haec ad universum Israel* (31, 1) atque narratur, Moysen iussu Domini canticum composuisse et coram populo recitasse (31, 19. 30; 32, 44). *Complevitque omnes sermones istos, loquens ad universum Israel* (32, 45).

Hi textus Pentateuchi evidenter enuntiant, Moysen legem a Deo accepisse et populo promulgasse, et hanc enuntiationem populus Israel post exilium Babylonicum consensu unanimi pro vera habuit, quemadmodum critici cuius-

libet generis profitentur. Ex qua persuasione communissima populi deducimus, istam enuntiationem reapse et obiective veram esse.

Dicunt quidem critici, non tantum acatholici sed etiam catholici quidam, illos textus esse „pias fictiones“ sacerdotum tempore Manassis et Iosiae (cf. pag. XLII) necnon in exilio Babylonico (cf. pag. XXIII) viventium. Quibus tamen opponimus primo: iuxta principia logica critici, qui res scientifice tractare volunt, non solum aliquid asserere verum etiam asserta sua argumentis confirmare debent; alioquin valet principium logicum: „Quod gratis asseritur, gratis negatur.“ Critici autem, qui illos textus fictiones sacerdotum declarant, pro assertione sua ne umbram quidem argumenti logice validi afferunt: ergo etiam sine argumento ut non scientifice tractantes seponi ac negligi possunt. Secundo: moraliter impossibile est, omnes sacerdotes fuisse tam impudentes falsarios ac deceptores, ut leges et sanctiones pure humanas (licet a providentia divina permissas vel etiam intentas) ita populo imponerent ac si essent leges et sanctiones positive divinae. Talis enim ratio agendi iniustissima fuisset, quatenus inter transgressionem legis pure humanae et transgressionem legis positive divinae immensa differentia est, et idcirco sacerdotes effecissent ut populus, obiective leges pure humanas transgrediens, propter conscientiam erroneam subiective leges positive divinas transgrederetur ideoque gravius peccaret atque severiorem poenam mereretur. Bona intentio legibus pure humanis maiorem auctoritatem et stabilitatem conciliandi talem fraudem non excusat, quod omnes viri in ethica naturali versati confitentur. Propterea repeto: omnes sacerdotes in fraudem tam iniustam conspirasse, quae nullatenus „pia (!) fictio“ appellari potest, moraliter impossibile est. Tertio: etiamsi omnes sacerdotes voluissent, tamen non potuissent totum populum decipere. Nam lex praecepta continet observatu difficillima; praecepta, quae secundum istos criticos pedetentim formata et evoluta atque tempore Iosiae et post exilium promulgata sunt; praecepta, quae populus Israel iuxta eosdem criticos ante Iosiam (cf. pag. XLII) et exilium Babylonicum (cf. pag. XXIII) numquam a

Deo data et a Moyse promulgata audierat. Quomodo sacerdotes tempore Iosiae et in exilio Babylonico viventes efficere potuerunt, ut omnes Israelitae in terris diversis commorantes difficillima ista praecepta unanimiter reciperent, quin prius originem et auctoritatem eorum diligenter examinarent? quomodo efficere potuerunt, ut post exilium omnes Israelitae ea a Moyse promulgata crederent, licet illo tempore adhuc viverent qui iam ante exilium vixerunt (cf. Agg. 2, 4), quando praecepta in exilio determinata nondum Moysi ascribebantur (cf. supra); quomodo efficere potuerunt, ut Israelitae praecepta, quorum humanam originem et evolutionem notam habebant, utpote tempore Manassis et exilii determinata atque consignata (pag. XXIII), subito positive divina agnoscerent? Haec omnia iuxta praecepta psychologiae et testimonia historiae efficere nequiverunt. Si res ita se haberent, ut critici eas supponunt, populus Israel sexcenties legens et audiens, Dominum in determinatis locis et temporibus et circumstantiis per Moysen populo illa praecepta dedisse, quae longe post mortem Moysis lata et sancita sciebat, mendacium tam crassum, quod „piam(!) fictionem“ vocant, derisisset et cum iusta indignatione repudiasset.

Istis textibus Pentateuchi decretoria vis probandi inest, si ad inspirationem eorum attendimus: Hagiographus inspiratus enim proprio nomine loquitur atque iudicia categorica et assertoria pronuntiat, quae realitatem obiectivam significant, quia hagiographus nullibi insinuat, se iuxta opinionem hominum dumtaxat scribere (cf. pag. XXXVIII). Haec iudicia autem falsa esse nequeunt (cf. pag. XL): ergo lex re vera a Deo data et a Moyse promulgata est.

b) Pentateuchus testatur, Moysen plures, immo plurimas eius partes scripsisse. In Ex. 17, 14 legimus, Dominum Moysi mandasse, ut victoriam de Amalecitis reportatam (17, 8—13) in libro *scriberet,* nec dubium est quin Moyses mandatum Domini observaverit (cf. Deut. 31, 19. 22 infra). — In Ex. 20, 1 refertur: *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos* i. e. qui 20, 2—23, 33 consignantur. Deinde additur: *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini* (24, 4). *Assumensque volumen foederis, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia*

quae locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes (24, 7). — In Ex. 34, 11—26 Dominus praecepta quaedam populo inculcat, in quibus viri nonnulli falso tertiam decalogi relationem invenerunt (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 634). Postea Moysi praecipit (℣. 27): *Scribe tibi verba haec, quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus,* quod praeceptum Moyses certo implevit (cf. Deut. 31, 19. 22 infra).

In libro Numeri descriptio mansionum Israelitarum (33, 3—49) sic introducitur: *Hae sunt mansiones filiorum Israel . . . quas descripsit Moyses iuxta castrorum loca, quae Domini iussione mutabant* (33, 1 s.).

Deuteronomium testimonia sequentia exhibet: *Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam foederis Domini, et cunctis senioribus Israel* (31, 9). — *Nunc itaque scribite* (Moyses et Iosue) *vobis canticum istud, et docete filios Israel* (31, 19). *Scripsit ergo Moyses canticum, et docuit filios Israel* (31, 22). — *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque complevit: praecepit Levitis, qui portabant arcam foederis Domini, dicens: Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimonium . . . Novi enim quod post mortem meam inique agetis, et declinabitis cito de via, quam praecepi vobis: et occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum* (31, 24—29).

Qualem legem Moyses scripserit, dubium est, si Deut. 31, 9. 24 ss. dumtaxat legimus. Si autem hos locos cum 2 Par. 34, 14—19 comparamus, non amplius dubium est, librum a Moyse Levitis traditum esse eundem ac librum in templo inventum (cf. pag. XLIII). Ergo Moyses totum Pentateuchum (cf. pag. XLII), sensu pag. XXI declarato, scripsit atque complevit. Ad ultima verba *Novi enim* etc. Iosias rex allusit dicens: *magnus enim furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba Domini ut facerent omnia, quae scripta sunt in isto volumine* (2 Par. 34, 21; 4 Reg. 22, 13).

Insuper Moyses in Deuteronomio populum admonens iam locutus est de praeceptis et ceremoniis, de maledictionibus et

afflictionibus quae *scripta sunt in Libro legis huius et foederis* (28, 58. 61; 29, 20s.; 30, 10). Quod si vivente Moyse, duce populi Israel, istae partes iam scriptae aderant, merito concludimus, eas ab ipso Moyse immediate aut saltem mediate (cf. pag. XXI) scriptas fuisse.

Cornill (Einleitung 22) et Strack (Einleitung 23) cum plurimis criticis acatholicis asserunt, Pentateuchum nullatenus testari, se a Moyse scriptum esse. Nikel autem catholicus (Die Glaubwürdigkeit des Alten Testamentes, Münster 1908, pag. 41) asseverat, locos Pentateuchi supra citatos „naturaliter nondum testimonium S. Scripturae esse, Moysen Pentateuchum quomodo nobis praeiacet composuisse". Quibus respondeo: Pentateuchum reapse testari, plures immo plurimas eius partes a Moyse scriptas fuisse, pag. LIs. ostendimus. Sensus obvius vero istorum testimoniorum est, Pentateuchum praesentem substantialiter saltem Mosaicum esse, quem sensum sententia Iudaeorum (cf. pag. XXIX s.), traditio Samaritanorum (cf. pag. XXXII), testimonium Christi Domini (cf. pag. XXXIII ss.) rectum commonstrant.

c) Pentateuchus testatur, se decurrentibus illis annis scriptum esse, quibus populus Israel in deserto Sinai et in terra Moab commorabatur. Etenim Aegyptus et desertum Sinai loca populo nota, Palaestina vero terra adhuc incognita in eo supponitur. Auctor de castris et populo ambulante loquitur. Notat accuratissime, in quo loco deserti vel terrae Moab, quo tempore, in quibus circumstantiis eventus acciderint ac leges latae sint. Leges singulas non systematice sed chronologice ordinat, mox eventus mox leges referens, immo eandem legem in variis locis et libris proponens atque determinans. Hoberg (Die Genesis [2], pag. XIX) exemplum bene electum affert observans, praeceptum Paschatis celebrandi in septem locis proponi, videlicet: Ex. 12, 1—28 institutio festi narratur; Ex. 23, 14—19 mandatur, ut in Paschate omne masculinum coram Domino appareat; Ex. 34, 18—26 celebratio festi inculcatur; Lev. 23, 4—14 Pascha iterum commemoratur, quia in hoc capite omnia festa enumerantur; Num. 9, 1—14 decernitur, quando immundi Pascha celebrare debeant; Num. 28, 16—25 sacrificia in Paschate offerenda determinantur; Deut. 16, 1—8 praecipitur, ut Phase non in qualibet urbium terrae promissae, sed in loco a Domino eligendo immoletur.

Cornill (Einleitung 24) citat Peyrerium scribentem: „Tam multa in illis legibus obscura, confusa, inordinata, trunca et mutila, saepius repetita, omissa plurima, extra locum et seriem posita... confusa et turbata passim pleraque: immo quaedam invicem repugnantia." Deplorat etiam cum Goethe „summe tristem, incomprehensibilem redactionem" totius operis atque inde hypothesim monumentorum recentiorem (cf. pag. XXII s.) plausibilem reddere conatur. Immerito. Nam si redactor quidam e monumentis antiquioribus Pentateuchum composuit, „redactio" eius re vera „incomprehensibilis" est, quia „redactor" aliquantum prudens partes historicas et legales non sic miscet, ut in Pentateucho mixtae sunt, neque varias eiusdem legis dispositiones in diversis locis, eo minus in diversis libris collocat. Ordo legum non systematicus et mixtio earum cum narrationibus historicis tamdiu „incomprehensibilis" manet, quamdiu non concedamus, partes singulas Pentateuchi mox post singulos eventus historicos et leges promulgatas litteris consignatas, ergo totum opus in itinere populi, in deserto Sinai et in terra Moab conscriptum esse.

d) Liber Iosue testatur, legem Mosaicam esse et iam ante occupationem terrae Chanaan in volumine scriptam fuisse. Post mortem Moysi Dominus ad Iosue dixit (1, 1): *Confortare igitur, et esto robustus valde: ut custodias, et facias omnem legem, quam praecepit tibi Moyses servus meus . . . Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quae scripta sunt in eo* (1, 7 s.). In 8, 30—32 narratur, quomodo Iosue in monte Hebal Domino Deo Israel altare aedificaverit, *sicut praeceperat Moyses famulus Domini filiis Israel, et scriptum est in volumine legis Moysi,* atque super lapides scripserit *Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel.* Secundum 23, 6 Iosue populum exhortatus est: *confortamini, et estote soliciti, ut custodiatis cuncta quae scripta sunt in volumine legis Moysi* et secundum 24, 26 *Scripsit quoque omnia verba haec in volumine legis Domini.*

In his textibus *lex Moysi, volumen legis Moysi, volumen legis Domini* nominatur. Quae verba in libro Iosue eundem sensum habeant oportet, quem in Pentateucho habent, quia

liber Iosue cum Pentateucho intime cohaeret, quemadmodum comparatio librorum manifestat et critici omnis generis concedunt. Ergo verba *lex Domini, lex Moysi* indicant, legem a Deo datam et a Moyse promulgatam fuisse (cf. pag. XLVIII ss.); verba autem *volumen legis* librum a Moyse scriptum et completum (cf pag. LI s.) significant. — Cum liber Iosue iuxta traditionem Iudaeorum atque Ecclesiae occidentalis ab ipso Iosue scriptus atque filio Aaronis Eleazaro et huius filio Phinees additamentis quibusdam auctum sit (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 135 s. 151), testimonium huius libri maximi ponderis est, etiamsi ad inspirationem eius non respiciamus. Quid ex inspiratione scriptoris sequatur, iam pag. LI diximus. — Opponunt quidem, istos locos esse fictiones illorum auctorum, qui alibi quoque legem ac Pentateuchum Moysi ascribunt. Attamen, pag. L s. monstravimus, quid de suppositis his fictionibus tenendum sit; argumenta vero quibus probare conantur, Hexateuchum (cf. pag. XXII) longe post mortem Moysis et Iosue e variis monumentis compositum fuisse, in foro logicae valde infirma inveniuntur, uti mox videbimus.

7. Sensus Ecclesiae catholicae.

Ecclesia catholica tam in decreto Concilii Tridentini (cf. pag. XXV) quam in responso Commissionis biblicae (cf. pag. XXVI s.) sensum suum manifestavit. Quamquam hae declarationes non infallibiles sunt, tamen a criticis catholicis cum reverentia suscipi atque in conscientia observari debent (cf. pag. XXVIII), eo magis quod cum aliis sex argumentis coniunctae magnam vim probandi habent.

II. Argumenta contra authentiam allata.

Argumenta externa adversarii nostri neque afferunt neque afferre possunt. Ipsi confitentur, omnia testimonia historica: traditionem Iudaeorum et Samaritanorum et Christianorum, testimonia librorum Veteris et Novi Testamenti, testimonium Christi Domini et Ecclesiae catholicae contra asserta sua stare, quas nihilominus sustinent. In hoc autem contra principia sanae criticae historicae gravissime

peccant. Facta historica enim, qualia sunt origo et conservatio librorum, ante omnia e testimoniis historicis diiudicanda sunt et in critica profana reapse diiudicantur. Evidens namque est, homines qui factis historicis propinquiores fuerunt, veritatem melius scire quam homines saeculo XX. vel XXX. post ista facta viventes.

Interna argumenta utique plura afferunt, sed talia quae neque doctissimos Iudaeorum et Christianorum neque Christum Dominum (cf. pag. XXXIII) moverunt, quaeque in foro logicae valde levia inveniuntur. Distinguimus argumenta secundaria quibus probare volunt Pentateuchum scriptum esse non a Moyse neque ante occupationem terrae Chanaan, sed a pluribus auctoribus iisque inter se contrariis ac longe post Moysen viventibus, atque argumentum primarium seu fundamentale, quo genuinitatem Pentateuchi impugnant.

1. *Pentateuchus non a Moyse scriptus est.*

Hanc thesim argumentis sequentibus confirmant: *a*) auctor Pentateuchi de Moyse in tertia persona loquitur, idcirco Moyses non est auctor Pentateuchi. Miror, quod adhuc Cornill (Einleitung 22) miserabile hoc argumentum adducat, cuius inanitas iam sexcenties monstrata est. Alii quoque auctores profani et sacri, e. g. Caesar et Oseas propheta, necnon autobiographi recentiores de semetipsis in tertia persona scripserunt, quin ipse Cornill genuinitatem librorum eorum addubitet.

b) Num. 12, 3 de Moyse dicitur: *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Strack (Einleitung 26) asseverat, Moysen hanc laudem nullo pacto scribere potuisse. Haec assertio falsa est. Non appellamus ad verba Christi: *discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris* (Matth. 11, 29), quia inter Moysen et Christum grandis differentia est (cf. Hebr. 3, 1—6); appellamus autem ad phrases similes aliorum auctorum. S. Paulus in 2 Cor. 11, 22—28 semetipsum sic laudat: „Hebraei sunt, et ego: Israelitae sunt, et ego: Semen Abrahae sunt, et ego: Ministri Christi sunt, (ut minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudaeis quinquies, quadragenas, una

minus, accepi. Ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui, in itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore, et aerumna, in vigiliis multis, in fame, et siti, in ieiuniis multis, in frigore, et nuditate, praeter illa, quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum." Hae laudes laudem in Num. 12, 3 scriptam longe superant, et nihilominus S. Paulo auctori adiudicantur. Etiam recentissimi viri docti semetipsos ad astra tollunt, quin idcirco libelli vel „articuli" ephemeridum ipsis denegentur. Videas e. g. Wahrmund, Universität und Kirche (Frankfurt am Main 1902, pag. 6), autobiographias quasdam recentissimas, recensiones operum ab ipsis auctoribus scriptas. — Ceterum vocabulum עָנָו non solum *mitis* verum etiam *afflictus* significat (cf. lexica), qua significatione recepta omne scandalum evanescit. Demum si quis insistere et contendere vellet, Moysen istam laudem nullo pacto scribere potuisse, quid iuxta praecepta logica inde sequeretur? Sequeretur, solum 3. istum versum capitis 12. libri Numeri a posteriore scriptore inspirato adiectum esse; nequaquam vero sequeretur, totum Pentateuchum Moysi denegari debere: quia „a particulari ad universale non valet consequentia vel conclusio", ut logici docent. Reapse ℣. 3. omitti potest, quin contextus interrumpatur. et in Vulgata officiali inter uncinos positus est.

c) Si Moyses auctor Pentateuchi esset, res quasdam quae in eo desunt, retulisset et narrationes quasdam aliter composuisset. Strack (Einleitung 26) sequentia enumerat: forma nominis מֹשֶׁה non pure Aegytiaca sed Hebraizata est (Ex. 2, 10): tacetur nomen filiae Pharaonis, quae Moysen servavit, necnon nomen Pharaonis qui populum Israel opprimebat, et Pharaonis qui eum dimisit; contra socer Moysis in Ex. 2, 18 et Num. 10, 29 *Raguel*, in Ex. 3, 1 et 18, 1 *Iethro*, in Ex. 4, 18 *Iether* appellatur: Moyses verisimiliter suam et fratris genealogiam non ita conclusisset, ut Ex. 6, 26s. legimus; offendit, quod Num. 12, 1 uxor Moysis Aethiopissa commemoratur et mors Sephorae non narratur; ea quae Ex. 2, 21s.; 4, 20. 24—26; 18, 1ss. de Sephora et

filiis eius referuntur, „impressionem faciunt, quod in forma praesenti non a marito et patre descendant"; enumeratio mansionum (Num. 33, 1—49) in hac forma non a Moyse esse potest, quia incompleta et pro nobis non perspicua est.

Respondeo in genere: ex eo quod in libro quodam res nonnullas nullo modo aut alio modo reperiamus atque nos ab auctore exspectamus, iuxta praecepta logica non sequitur, relationes in libro reapse consignatas auctori abiudicandas esse. Viri opera recensentes hodie saepe iudicant, auctores pro sua eruditione plura addere vel alio modo proponere debuisse, quominus inde concludamus, istos libros non esse genuinos. Respondeo in specie: nomen Aegytium $\mu\omega$ = aqua et $\nu\sigma\eta$ = salvatus (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 94) Hebraice redditum est, quantum possibile fuit; quomodo hanc „hebraizationem" contra Moysen auctorem invocare possunt? Nomina Pharaonum et filiae Pharaonis tacentur utique; at nostris quoque diebus nomina propria dignitatum omnibus notarum tacentur: dicimus et scribimus simpliciter, Papam vel Cardinalem Vicarium vel Episcopum dioecesanum vel Rectorem instituti hoc aut illud ordinasse, non addentes nomen proprium, quod auditoribus vel lectoribus iam notum est. Praeterea e monumentis Aegyptiorum constat, nomen Pharaonis ante annum 1000. a. Ch. n. semper nude, i. e. sine nomine proprio, adhibitum fuisse, qui usus in Pentateucho quoque observatur (cf. pag. 229, notam). Quod autem ad nomina soceri Moysis attinet, Hummelauer (Exodus 42) putat, *Iethro* vel *Iether* fuisse nomen proprium istius sacerdotis, *Raguel* (= amicus Dei, Gesenius) vero nomen officii omnium sacerdotum Madianitarum; alii cum Iosepho Flavio istum sacerdotem binominem dicunt: in utroque casu socer Moysis tam Raguel quam Iethro nominari potuit, neque inde contra Moysen auctorem argumentum deduci potest. Moysen suam et fratris genealogiam non ita concludere potuisse, ut Ex. 6, 26 s. legimus, ipsi Strack non certum sed verisimile tantum apparet: iuxta praecepta logica conclusio Mosaica esse potest; et si duo isti versus non Mosaici essent, ab his particularibus ad universalem Pentateuchum non valeret conclusio (cf. pag. LVII). Offensio commemoratione uxoris Aethiopissae et omissione mortis Sephorae parta omnino vana est:

nam Aethiopissam auctor commemorare debuit, quia propter eam Maria et Aaron contra Moysen surrexerunt; mortem autem Sephorae tacere potuit, quia ad rem non pertinebat. „Impressioni“ subiectivae interpretis Strack, quod relationes de Sephora et filiis eius in forma praesenti non a marito et patre descendere possint, „impressionem“ subiectivam aliorum interpretum opponimus, iuxta quam a marito et patre descendere possunt. Insuper nihil nos impediret, quominus concederemus „formam praesentem“ relationum Moysaicarum ad aetatem recentiorum spectare (cf. pag. XXI). Quis denique serio affirmare audeat, enumerationem mansionum quae nobis „incompleta et non perspicua“ apparet, etiam pro primis lectoribus Pentateuchi incompletam et non perspicuam fuisse? Ergo contra Moysen auctorem produci nequit.

d) Ex eo quod explicite notatur, Moysen quasdam partes Pentateuchi scripsisse (Ex. 17, 14; 24 4; 34, 27; Num. 33, 2; Deut. 31, 9. 22. 24; cf. pag. LI ss.), concludere possumus eum reliquas partes non scripsisse (Cornill, Einleitung 22 s.). Inventor huius argumenti distinctionem in logica obviam nescire videtur. Distinguuntur enim propositiones excludentes et non excludentes. Propositiones excludentes vocantur, quibus adiectivum *solus* vel adverbia *dumtaxat, tantum, solummodo, tantummodo* adduntur: hae propositiones utique ea omnia, quae ipsis non continentur, excludunt; minime vero propositiones non excludentes sed simpliciter affirmantes. Si igitur diceretur, Moysen *solummodo* partes pag. LI s. enumeratas scripsisse, reliquae partes Pentateuchi ab eo scriptae esse nequirent. Quia autem propositiones a Cornill citatae non excludentes sed simpliciter affirmantes sunt, conclusio eius logice falsa est.

2. Pentateuchus non ante occupationem terrae Chanaan scriptus est.

Demonstratio adversariorum nostrorum sequens est: in Pentateucho nonnullae phrases occurrunt, quae certo post occupationem terrae Chanaan scriptae sunt; ergo totus Pentateuchus post occupationem terrae Chanaan scriptus est. Haec demonstratio logice falsa est, quia „a particulari ad universale

non valet consequentia vel conclusio“ (cf. pag. LVII). In „Litaniis Lauretanis“ circa medium et circa finem occurrunt invocationes, quae certo a Leone XIII. sunt, videlicet: „Mater boni consilii, ora pro nobis“ atque „Regina sacratissimi rosarii, ora pro nobis“. Qui autem concluderet: hae duae invocationes certo a Leone XIII. sunt, ergo totae Litaniae Lauretanae a Leone XIII. compositae sunt, ab omnibus derideretur. Non minus ridicule adversarii nostri a nonnullis phrasibus ad totum Pentateuchum concludunt. — At videamus, utrum omnes phrases a Cornill (Einleitung 23) et Strack (Einleitung 24 s.) citatae certo post occupationem terrae Chanaan scriptae sint necne.

Iuxta Gen. 12, 6 et 13, 7 *Chananaeus tunc* i. e. tempore Abrahae *erat in terra* (cf. pag. 225 s. 234 s). Ex verbis *tunc erat in terra* colligunt, duos istos versus Genesis (12, 6 et 13, 7) post deletionem Chananaeorum scriptos fuisse. Hic sensus re vera obvius est et a nobis ultro admitti potest (cf. pag. LVII), licet verba etiam significare possint, Chananaeos iam tunc in terra fuisse uti tempore scriptionis Genesis. — Gen. 14, 14 et Deut. 34, 1 urbs quaedam *Dan* appellatur, quod nomen post occupationem terrae Chanaan accepit, nam antea *Lais* vel *Lesem* vocabatur (cf. Iud. 18, 29). De hac re pag. 245 in nota locuti sumus. — De nomine urbis *Hebron* (Gen. 23, 2; Num. 13, 23), quod antiquiores adversarii nostri invocarunt, videas pag. 333—335. — Gen. 40, 15 Ioseph ad praepositum pincernarum dixisse narratur: *furto sublatus sum de terra Hebraeorum.* Haec verba multi critici scripta asserunt, postquam Israelitae iam possessores terrae Chanaan facti sunt. Videas tamen quae pag. 563 s. in nota scripsimus.

Ex. 16, 35: *Filii autem Israel comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terrae Chanaan.* Atqui secundum Ios. 5, 12 manna defecit, postquam filii Israel Iordanem transgressi et in Galgalis de frugibus terrae Chanaan comederunt. Ergo Ex. 16, 35 post mortem Moysis scriptus est (cf. Cornill). Nequaquam. Etenim coniunctio *donec* vel *usquequo* potest significare: aut aliquid usque ad terminum quendam sed non ultra perdurare (e. g. 2 Reg. 23, 10) aut aliquid usque ad

terminum a t q u e e t i a m u l t r a e u m permanere (e. g. Gen. 26, 13). Videas lexica Hebraica vel Theol. bibl. Vet. Test., pag. 578. Itaque Ex. 16, 35 iuxta usum loquendi Scripturae hunc sensum habere p o t e s t: filii Israel comederunt manna, donec venirent in terram habitabilem, i. e. donec tangerent fines terrae Chanaan, quominus negetur eos e t i a m u l t r a manna comedisse, videlicet usque ad celebrationem Paschatis in Galgalis, quando de frugibus terrae Chanaan comederunt (Ios. 5, 10—12). Sic intellectus Ex. 16, 35 a Moyse scriptus esse p o t e s t, qui populum Israel in terram habitabilem, i. e. usque ad fines Chanaan perduxit (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 122 ss.). — Ex. 27, 12; Num. 2, 18; 3, 23 plaga occidentalis יָם *mare* appellatur; eo autem tempore quo populus Israel in deserto Sinai commorabatur, m a r e non ad occidentem sed ad austrum habebant: ergo isti loci post occupationem terrae Chanaan scripti sunt, quando mare ad occidentem Israelitarum situm erat. Hoc argumentum obsoletum, quod Strack adhuc repetit, nihil omnino valet. Nam in Scriptura etiam s i n u s H e r o o p o l i t i c u s maris rubri, quem Israelitae ex Aegypto exeuntes transgressi sunt (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 106 s.), *mare* יָם vocatur; hunc sinum vero, qui antiquitus usque ad urbem Heroopoleos excurrebat (cf. ibidem, pag. 104), Israelitae in deserto Sinai commorantes reapse ad occidentem habebant, quare iam tunc plaga occidentalis *mare* appellari potuit.

Lev. 18, 24—27 et Deut. 2, 12 exstirpatio Chananaeorum describitur, ergo hi loci post occupationem Chanaan scripti sunt. Deut. 2, 12c *sicut fecit Israel in terra possessionis suae, quam dedit illi Dominus* reapse glossa serius adiecta esse videtur (cf. pag. LVII); in Lev. 18, 24—27 exstirpatio Chananaeorum f u t u r a praedicitur, ergo hi versus ante occupationem terrae scripti sunt.

Secundum Num. 14, 45 Amalecites et Chananaeus Israelitas inobedientes persecutus est *usque Horma.* At vero urbs *Sephaat* post occupationem Chanaan *Horma* nominata est (Iud. 1, 17): ergo. Respondeo, iam ante occupationem terrae, scilicet post devictum Arad, regem Chananaeum, illum locum *Horma* nominatum fuisse (Num. 21, 3). — Num. 15, 32 *Factum est autem, cum essent filii Israel in solitudine, et invenissent*

hominem colligentem ligna in die Sabbati etc. ante occupationem Chanaan, postquam Israelitae solitudinem reliquerunt, scriptus esse potest.

Deut. 1, 1. 5; 3, 8; 4, 41—49 terra ad orientem Iordanis sita בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן *trans Iordanem* vocatur, ergo scriptor in occidente Iordanis versabatur. Hanc conclusionem falsam esse, Num. 32, 19 demonstrat. Namque filii Ruben et Gad ad orientem Iordanis consistentes tam occidentalem quam orientalem plagam Iordanis eodem vocabulo עֵבֶר (cf. textum Hebraicum) designarunt. Ergo etiam textus supra citati ab auctore ad orientem Iordanis conversante scripti esse possunt. — Alias phrases infra n. 5 examinabimus.

3. *Pentateuchus a pluribus auctoribus scriptus est.*

Hanc assertionem, prout hic proponitur, libenter admittimus, si argumentis sufficientibus probatur. Concedimus, librum Genesis e monumentis antiquioribus plurium auctorum compositum esse posse (cf. infra § 3); immo probabile ducimus libros Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii quoque ab auctoribus variis, i. e. a librariis Moysis scriptos esse (cf. pag. XXI). Notamus autem, argumenta quaedam pro ista assertione allata parum valere. Videamus.

Dixerunt, unum virum non in omnibus generibus scribendi, i. e. in genere historico, iuridico, rhetorico, poetico versatum esse potuisse. Sed Moyses, qui *eruditus est omni sapientia Aegyptiorum* tempore ca. *quadraginta annorum* (Act. 7, 22s.), in istis generibus scribendi aetate sua notissimis, ut e monumentis antiquis elucet, reapse versatus esse potuit.

Etiam diversitas stili non multum probat, quia ex argumento diverso et praecipue ex eo declarari potest, quod Moyses vir ca. 80 annorum (Ex. 7, 7) scriptionem Pentateuchi inchoavit et senex ca. 120 annorum (Deut. 34, 7) eam finivit (cf. infra § 4). Est enim factum experientiae, unum eundemque auctorem decurrentibus 40 annis in libris suis stilum mutare, quemadmodum e. g. in scriptis Ciceronis et S. Chrysostomi videmus. Immo in eodem libro, cui auctor per plures annos insudavit, diversitatem quandam stili deprehendimus.

In inscriptionibus et conclusionibus quoque, quae in Pentateucho recurrunt, immerito indicia plurium auctorum se invenisse putarunt, quia unus auctor operi suo varias inscriptiones et conclusiones inserere potest, ut experientia testatur.

Aliud argumentum, de quo diffusius loqui debemus, e nominibus Dei, usu loquendi et ratione proponendi desumunt. Totum Pentateuchum e monumentis quinque auctorum i. e. I E D S P (cf. pag. XXII s.), librum Genesis autem e monumentis trium auctorum i. e. I E P compositum asserunt.

In determinandis partibus, quae in Genesi ab I E P scriptae sint, critici acatholici non perfecte concordes sunt. Appono sententiam, quam Cornill (Einleitung 27 s.) defendit. Stellula retractationem significat; crux vero innuit, partem substantialiter ad auctorem indicatum pertinere.

Ad I pertinent: **2**, 4^{b}—**4**, 26; **5**, 29; **6**, 1—8; **7**, 1—2. 3^{b}. 4—5. 7*. 10. 12. 16^{b}. 17^{b}. 22*. 23*; **8**, 2^{b}—3^{a}. 6—12. 13^{b}. 20—22; **9**, 18—27; **10**, 1^{b}. 8—19. 21*. 25—30; **11**, 1—9. 28—30; **12**†; **13**†; **15**, 1*. 2^{a}. 3^{b}. 4. 6. 9—10. 17—18; **16**†; **18**; **19**†; **21**, 1^{a}. 2^{a}. 6^{b}. 7. 25—26. 28—30. 32—34; **22**, 20—24; **24**; **25—27**†; **28**, 10. 13—16. 19^{a}; **29—30**†; **31**, 1. 3. 19^{a}. 21—22. 23^{b}. 25^{b}. 27. 31^{b}. 36^{a}. 38—40. 44. 46*. 48*. 51—53^{a}; **32—33**†; **34**, 1—2^{a}? 2$^{b\alpha\gamma}$. 3*. 5*. 7*. 11—12. 13*. 19. 25*. 26. 29^{b}—31; **35**, 21*. 22^{a}. **36**†? **37**, 3—4. 12—13^{a}. 14^{b}. 18^{b}. 20^{a}. 21*. 23^{a}. 25—27. 28$^{a\beta}$. 32. 33*. 34^{b}. 35^{a}; **38**; **39**†; **40**, 1*. 3$^{a\beta b}$. 5^{b}. 15^{b}; **41**, 30^{b}. 31. 34^{a}. 35—36. 38. 42^{a}. 45^{b}. 48. 49$^{a\beta}$. 53—57; **42**, 2. 4^{b}—5. 9$^{b\beta}$—11^{a}. 12. 27*. 28^{a}. 38; **43**†; **44**; **45**; 1. 4^{b}. 5^{a}*. 10*. 12^{b}. 13—14. 19*. 21*. 27$^{a\beta}$. 28; **46**, 1$^{a\alpha}$. 5^{b}. 28—34; **47**, 1—5^{a}. 6^{b}. 13—26. 27^{a}*. 29—31; **48**, 2^{b}. 9^{b}—10^{a}. 13—14. 17—19; **49**, 33$^{a\beta}$; **50**, 1—11†. 14. 26$^{b\alpha}$.

Ad E pertinent **15**, 1*. 2^{b}—3^{a}. 5. 11. 12$^{a\beta}$. 13—14. 16; **20—22**†; **27**, 1^{b}. 4^{b}. 11—13. 16. 18^{b}—19. 21—23. 28. 29$^{a\beta}$. 30$^{a\beta}$. 31^{b}. 33^{b}—34. 39 et 45^{b} certo: **28**, 11—12. 17—22†; **29**, 1 et 15—18 certo; **30**, 1$^{a\beta}$—3$^{b\alpha}$. 6. 8. 17—20^{a}. 22$^{b\alpha}$. 23^{b}. 26 et 28 certo; **31**†; **32**, 1—3. 14^{b}—22. 23^{b}. 24^{b}; **33**, 5^{b}. 10^{b}. 11^{a}. 18^{b}—20; **34**, 1—2^{a}? 2$^{b\beta}$. 3$^{b\beta}$—4. 6. 8*. 9—10$^{b\beta}$. 13*. 14*. 15*. 16—18^{a}. 20—21. 22*. 23*. 24*. 25*. 27^{a}. 28—29^{a}; **35**, 1—5. 6^{b}—8. 14*. 16—19†. 20; **37**, 5—11. 13^{b}—14^{a}. 15—18^{a}. 19. 20^{b}. 22. 24. 28*. 29—31. 34^{a}. 35^{b}. 36; **39**, 2$^{a\beta}$. 4$^{a\beta}$; **40—42**†; **43**, 14*. 23^{b}; **45**†; **46**, 1^{b}—5^{a}; **47**, 12; **48**, 1—2^{a}. 7*? 8^{b}—9^{a}. 10^{b}—12. 15—16. 20—22; **50**, 3^{b}. 4$^{a\alpha}$. 7^{b}. 10^{a}*. 15—26.

Ad P pertinent: **1**, 1—**2**, 4^{a}; **5**, 1—21. 22*. 23. 24*. 25—27. 28*. 30—32; **6**, 9—22; **7**, 6. 11. 13—16^{a}. 17^{a}*. 18—21. 23^{b}? 24; **8**, 1—2^{a}. 3^{b}—5. 13^{a}. 14—19; **9**, 1—17. 28—29; **10**, 1^{a}. 2—7. 20. 22—23. 31—32; **11**, 10—27. 31—32; **12**, 4^{b}—5; **13**, 6. 11^{b}—12$^{b\alpha}$; **16**, 1^{a}. 3. 15—16; **17**; **19**, 29; **21**, 1^{b}. 2^{b}—5; **23**; **25**, 7—11^{a}. 12—17. 19—20. 26^{b}; **26**, 34—35; **28**, 1—9; **29**, 24. 28^{b}—29; **30**, 4^{a}. 9^{b}. 22^{a}; **31**, 18*; **33**, 18^{a}*; **35**, 6^{a}. 9—13^{a}. 15. 22^{b}—29; **36**, 1^{a}. 2^{a}. 5^{b}—8; 40—43; **37**, 1—2; **41**, 46^{a}; **46**, 6—7, 8—27?; **47**, 5—6^{a} LXX. 7—11. 27^{b}—28; **48**, 3—6; **49**, 1^{a}. 28^{b}—32. 33†; **50**, 12—13.

Auctor I credebat, affirmant, Iahven iam ab Enos cultum fuisse (cf. pag. 112 s.), ideoque iam in Genesi Deum *Iahve* appellat. Amat theophanias et anthropomorphias, proponit res perspicue sed ieiune. — Auctor E vero sciebat, Iahven Moysi primo se revelasse (quod Ex. 3 refert), quare in Genesi Deum non Iahven sed *Elohim* nominat. Ipsum non in theophaniis sed in somniis ac per Angelos hominibus locutum esse narrat, ut ens mundum transcendens, miracula patrans et historiam providentia sua gubernans proponit. — Principale signum distinctivum Iahvistae et Elohistae est diversum nomen Dei ab eis adhibitum; quoad usum loquendi et rationem proponendi difficile distingui possunt.

Auctor P cultum Israelis enarrare vult, de locis et temporibus sanctis, de sacerdotibus et sacrificiis etc. necnon puris et impuris leges ferens. Historiam populi breviter, schematice atque chronologice refert, nomina et numeros saepe aride congerens. Eius ratio scribendi ab I et E discrepat: est iuridice accurata, repetitiones non respuens, et idcirco monotona. Religio eius externa est, rigorose monotheistica. Vocat Deum usque Ex. 3 *Elohim*.

E partibus, in quibus certa Iahvistae vel Elohistae vel Presbyteri vestigia se reperisse putant, usum loquendi et rationem proponendi singulorum deducunt, ut inde partes certa vestigia non exhibentes diiudicare ac distribuere possint.

Ad has assertiones sequentia respondemus: *a)* mutatio nominum Dei signum distinctivum auctorum esse nequit. Etenim primo textus incertus est. LXX in Genesi 49 vicibus (cf. Eerdmans, Alttest. Studien, I, pag. 34 s.) et in toto Pentateucho ca. 180 vicibus (cf. Dahse, Textkritische Bedenken gegen den Ausgangspunkt der heutigen Pentateuchkritik, Arch. Rel., VI, 1903, pag. 305 ss.; Köberle, Die alttestamentliche Offenbarung, Wismar i. M. 1908, pag. 26 s.) a textu Masorethico discrepat. In partibus Iahvistae ascriptis (cf. pag. LXIII) e. g. Gen. 4, 1. 4. 6. 9. 13. 15. 16. 26; 5, 29; 6, 3. 5. 6. 7. 8; 7, 1. 5. 16b; 8, 20. 21, ubi textus Masorethicus *Iahve* exhibet, LXX *Elohim* vel *Iahve Elohim* reddunt. — Secundo, hodiernus textus Masorethicus Pentateuchi in exilio Babylonico vel post illud definitus est, ut critici radicales asserunt (cf. pag. XXIII) et nos quoad accidentalia concedere possumus (cf. pag. XXI). Illo autem tempore nomina *Elohim* et *Iahve* omnino promiscue adhibebatur. Hoc patet e libro Paralipomenon, cuius fontes saltem 15 citatos (cf. Strack, Einleitung 162 s.) nullus criticus iuxta nomina Dei *Elohim* et *Iahve* distinguere ausus est (cf. Eerdmans, l. c. pag. 53). Si quis ergo Pentateuchum iuxta

nomina Dei distribuit, non monumenta originalia invenit, sed pericopas tempore exilii (probabiliter ad usum liturgicum) quoad linguam similiter formatas (cf. Köberle, l. c. pag. 26 s.). — Tertio, in hodierno textu Hebraico partes Iahvistae ascriptae non semper *Iahve* neque partes Elohistae tributae semper *Elohim* continent. E. g. partes Elohisticae Gen. 20, 18; 22, 11. 14; 28, 21 *Iahve;* contra partes Iahvisticae Gen. 9, 26. 27; 27, 28; 33 *Elohim* habent: in Gen. 43 et 44 autem, etiam Iahvistae adiudicatis, nomen *Iahve* ne semel quidem occurrit. Ut ex hac difficultate se expediant, gratis supponunt opus Iahvisticum necnon opus Elohisticum retractatum vel in secunda editione vulgatum fuisse, antequam ambo a redactore in IE (cf. pag. XXIII) coniuncta sint. Verumtamen, si vir opus Iahvisticum retractans vel redigens in locis quibusdam nomen *Elohim* ponere, in reliquis autem Iahve retinere; et si vir opus Elohisticum retractans vel redigens in locis quibusdam nomen *Iahve* ponere, in reliquis autem Elohim retinere potuit: etiam unus idemque auctor partes tam Iahvisticas quam Elohisticas scribere potuit, promiscue nomen Iahve et Elohim adhibens. — Quarto, Elohistam putasse, Iahven Moysi primo se revelasse, falsum est. Nam ex Ex. 3, 13 ss. elucet, populum Israel nomen *Iahve* iam ante adventum Moysis notum habuisse, et quidem ut nomen Dei patrum suorum, Dei Abraham et Isaac et Iacob, quemadmodum pag. 92 s. et adhuc diffusius in Theologia biblica Vet. Test., pag. 376 ss. demonstravi. Ergo ratio, ob quam Elohistam in Genesi nomen *Elohim* adhibuisse dicunt (cf. pag. LXIV, nota), vana est. Ut in libro Paralipomenon (cf. pag. LXIV), ita iam in Genesi duo nomina Dei promiscue adhiberi potuerunt, quia ambo populo iam nota erant.

Hoberg (Genesis² XXIV ss.) affirmat, formam et significationem nominis *Iahve* Israelitis iam ante Moysen notam, sed vocabulum ut nomen Dei Moysi primo revelatum fuisse. Inde concludit, in omnibus locis Genesis, ubi nunc *Iahve* legitur, originaliter *Elohim* scriptum fuisse, pro quo aetate postmosaica, probabiliter aetate Prophetarum nomen *Iahve* in nonnullis locis positum sit. Secundum hanc suam sententiam Hoberg textum Masorethicum Genesis mutat, ubique *Elohim* scribens. At haec sententia sustineri nequit, quia iuxta Ex. 3, 13 ss. vocabulum *Iahve* populo Israel ut nomen Dei patrum suorum iam notum erat.

Quinto, quod Deus in partibus Elohisticis ut ens mundum transcendens eumque providentia sua gubernans atque miracula patrans, sed in somniis et per Angelos hominibus loquens proponatur; in partibus Iahvisticis vero per theophanias se revelans et anthropomorphice describatur (cf. pag. LXIV), ex significatione nominum declarari debet. *Elohim* enim idem sonat ac potentiae Deumque numen colendum et tremendum innuit (cf. pag. 1 et Theol. bibl. Vet. Test., pag. 372 ss.); quare recte mundum creans et gubernans necnon miracula patrans, sed hominibus mediate tantum loquens nuntiatur. *Iahve* autem Deum hominibus se revelantem indicat (cf. pag. 45 et Theol. bibl. Vet. Test., pag. 374 ss.); quare recte theophaniae et anthropomorphiae ei tribuuntur. Secundum praecepta logica unus idemque auctor sub diverso hoc respectu Deum considerare ac litteris proponere potuit. — Denique repetimus (cf. pag. XXX), in traditione populi Israel nullum vestigium reperiri, Iahvistam et Elohistam sic compositum ac retractatum fuisse, ut supponunt. Dilaceratio textus a Cornill aliisque propugnata (cf. pag. LXIII) quasi ridicula est. Nam quomodo homines saec. XX. p. Ch. n. viventes tam accuratam analysim criticam capitum et versuum, immo particularum versuum scire possunt, quam doctissimi Iudaei longe a. Ch. n. viventes, ergo origini sacrorum librorum Vet. Test. propinquiores, plane nesciebant?

Hac de causa non mirum est, quod critici acatholici in multis rebus dissentiant. Unum dumtaxat exemplum affero. Quomodo Cornill caput 15 Genesis dilaceret, pag. LXIII videre potes. Iuxta Wellhausen (Composition) vero ℣℣. 1—6 Elohistici retractati; ℣℣. 7—12 Iahvistici, sed ℣. 7 retractus; ℣℣. 13—16 et 19—21 additamenta sunt. Secundum Budde (Urgeschichte, pag. 417) ℣℣. 1—11 Iahvistici sunt, exceptis Elohisticis ℣℣. 2ᵇ. 3ᵃ. 5; ℣℣. 12—16 et 19—21 vero additamenta. Alii (cf. Holzinger et Dillmann) ℣℣. 1—6 mixtum textum Iahvisticum et Elohisticum, ℣℣. 7—21 partem Iahvisticam a redactore retractatam declarant. Alii aliter.

Consideratis his omnibus cum Dahse l. c., Eerdmans, l. c. pag. 82. 94, Köberle l. c. aliisque catholicis et acatholicis concludimus, mutationem nominum Dei prorsus ineptum signum distinctivum fontium Pentateuchi esse. — Si quis quaerat, quomodo mutatio nominum Dei declarari possit,

respondemus: ubi auctor de Deo hominibus se revelanti loquitur, generatim eum *Iahve* vocat; ubi autem eum creatorem et gubernatorem mundi omnipotentem proponit, generatim nomine *Elohim* utitur, ita tamen ut in utrisque partibus nomina permutet quoque, quin rationem internam indicare possimus, ob quam id fecerit. Hoc ultimum etiam de libro Paralipomenon valet. Similiter nos loquentes de creatione vel gubernatione mundi *Deum Patrem,* loquentes de redemptione generis humani *Christum Iesum,* loquentes de sanctificatione nostra *Spiritum Sanctum* generatim nominamus. Quia tamen omnes operationes ad extra tribus personis unius essentiae divinae communes sunt (cf. pag. 5, notam), saepius ista nomina permutamus, et quidem solius variationis gratia. Nemo iudicat, in opere quodam theologico locos cum nomine *Dei Patris* ad auctorem A, locos cum nomine *Christi Iesu* ad auctorem B, locos cum nomine *Spiritus Sancti* ad auctorem C pertinere: quia experientia edocti scimus, unum eundemque auctorem promiscue haec nomina adhibere.

Ad istas assertiones respondemus *b)* etiam signa, quibus auctorem P ab aliis distinguunt, omnino inepta esse. Primum signum in eo vident, quod P legibus ad cultum pertinentibus delectetur easque diffuse proponat et quidem ratione scribendi a partibus Iahvisticis et Elohisticis diversa. Sed haec non cogunt nos, ut alium scriptorem partium legalium statuamus atque illum, qui partes Iahvisticas et Elohisticas scripsit. Sufficit, ut auctor legum sit diversus. Atqui leges a *Deo* datae itaque a Moyse promulgatae (cf. pag. XLIX) et postea a quodam litteris consignatae sunt (cf. pag. LXII). Ergo diversitas partium legalium Pentateuchi quoad materiam et formam optime declarari potest, etiamsi retineamus eas a scriptore partium Iahvisticarum et Elohisticarum litteris consignatas esse. Loci et partes, quas scriptor quidam ab alio auctore sumit, quoad formam et materiam a reliquis partibus libri scriptoris saepe secerni possunt, quominus unitatem scriptoris libri negare debeamus. — Secundum, dicunt, scriptorem P historiam breviter, schematice atque chronologice referre, aliter ac scriptores I et E. Attamen, idem scriptor facta historica mox breviter, mox diffuse, mox schematice, mox non schema-

tice, mox chronologice, mox non chronologice narrare potest, quemadmodum in recentioribus quoque operibus historicis videmus. Reapse in Gen. 17 et 23, quae scriptori P tribuunt (cf. pag. LXIII), narratio valde diffusa adest. — Tertium religionem scriptoris P externam dictitant, quod falsum est. Nam Ex. 20, 1—17 quoque ad P pertinent (cf. Cornill 63): in hoc decalogo autem omnes actus hominis, non solum externi sed etiam interni ordinantur. — Quartum signum enumerant, quod notio Dei scriptoris P monotheistica sit. Sed etiam partes Iahvisticae et Elohisticae eandem notionem exhibent; argumenta, quibus critici acatholici contrarium probare voluerunt, logice nihil valent, ut in variis locis Commentarii subsequentis ostendimus. — Quare in partibus legalibus repetitiones plures recurrant, pag. LIII exposuimus.

Rationes, ob quas scriptorem P a scriptore I distinguunt, logice et hermeneutice insufficientes esse, iam in initio Genesis observamus. Quare sectionem 1, 1—2, 4ª scriptori P tribuunt? Primo, quia opus creationis in 6 vel 7 dies distributum est, scriptor P autem tales distributiones vel divisiones amat. At, ex eo quod scriptor quidam divisiones magis amat quam alius, logice non sequitur alium scriptorem talibus divisionibus uti nequire, praesertim si divisio veritate obiectiva nitatur, quod heic accidit (cf. pag. 41 s.). — Secundo, quia 1, 29 s. et 2, 3 leges dantur, quibus scriptor P delectatur. Sed in 2, 3 praeceptum sabbati celebrandi implicite tantum continetur; explicite institutio sabbati narratur (cf. pag. 24 s.). In 1, 29 s. autem brevissime dumtaxat designatur, quibus rebus homines et bruta ante diluvium vesci potuerint (cf. pag. 21 s.), quare scriptor P, quem leges diffuse proponere dicunt (cf. pag. LXVII), non supponendus est; quilibet scriptor alius ista verba Domini referre potuit. — Tertio, quia phrasis in 2, 4ª *Istae sunt generationes* in reliquis locis (cf. pag. 43) ad scriptorem P pertinet. Verumtamen, phrasis *Istae sunt generationes* in reliquis locis non subscriptio sed inscriptio est (cf. pag. 43 s.): ergo iuxta principia hermeneutica etiam in 2, 4ª inscriptio sequentis sectionis Iahvisticae (2, 4ᵇ—4, 26), non subscriptio antecedentis sectionis Presbyteris ascriptae (1, 1—2, 3) sit oportet. Insuper *toledoth* seu *generationes* numquam ortum vel originem sed semper historiam alicuius significat (cf. pag. 44): ergo non cum 1, 1—2, 3, in quibus versibus ortus caeli et terrae describitur, sed cum 2, 4ᵇ—4, 26 coniungi debet, in quibus reapse historia eorum narratur (cf. pag. 43). Si autem phrasis in 2, 4ª ad Iahvistam pertinet, etiam in locis ceteris ad eum pertinere potest neque amplius signum distinctivum scriptorum est. Assertiones interpretum nonnullorum, quibus hanc conclusionem effugere volebant, suppositiones sunt, nullo argumento confirmatae (cf. pag. 44).

c) Neque proprietates Deuteronomii scriptorem diversum efflagitant; ipse Pentateuchus enim declarationem earum nobis praebet. Nam primo Deuteronomium non in variis locis et circumstantiis et annis ut libri Exodi, Levitici, Numeri, sed circa finem vitae Moysis in terra Moab scriptum est (cf. pag. XLIX). Deinde Deuteronomium non primam promulgationem legum magna ex parte adhuc incognitarum, sed repetitionem, declarationem, inculcationem legum iam notarum continet. Denique Deuteronomium testamentum morientis est, quo Moyses filios Israel sibi commissos hortabatur, ut legem fideliter custodirent itaque ad felicitatem pervenirent. Novissima verba patris saepe a reliquis quoad materiam et formam differre, experientia edocti plerique sciunt. Vera contradictio (vide n. 4) autem inter Deuteronomium et libros praecedentes Pentateuchi non exsistit: ergo eundem eorum auctorem retinere possumus. Revera doctissimi Iudaei, qui thesaurum, spiritum et proprietates linguae Hebraicae adhuc vivae melius intelligebant atque origini librorum Veteris Testamenti propinquiores erant quam homines saeculo XX. p. Ch. n. viventes, constanter et unanimiter docuerunt, unum eundemque auctorem Pentateuchum scripsisse (cf. pag. XXIX).

Aliam distinctionem fontium Eerdmans (Alttest. Stud., I: Die Kompos. d. Genesis, pag. 83 ss.) proponit. Ipse distinguit relationem, in qua nomen *Iacob*, et relationem, in qua nomen *Israel* recurrit. In Gen. 32, 28 legimus, Deum ad Iacobum dixisse: *Nequaquam Iacob appellabitur* amplius *nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis?* vel potius ex Hebraico: quoniam contendisti cum Deo et cum hominibus et superasti (cf. pag. 472). Qua sententia Deus Iacobo agnomen *Israelis* addidit (cf. pag. 474). Nihilominus Patriarcha usque ad Gen. 35, 9 *Iacob* nominatur. In Gen. 35, 9. 10 narratur, Deum Iacobo iterum dixisse: „Nomen tuum est Iacob, non vocabitur nomen tuum ultra Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellavit nomen eius Israel“ (ita ex Hebraico, cf. pag. 499). His verbis agnomen confirmatum est (cf. pag. 500). Sed in sequentibus non solum nomen Israel, verum etiam nomen Iacob invenitur. In textu Hebraico nomen *Israel* invenimus: 35, 21; 37, 3. 13; 42, 5; 43, 6. 8. 11; 45, 21. 28; 46, 1. 29; 47, 27. 29. 31; 48, 8. 10. 11. 13. 21; 50, 2; nomen *Iacob* autem: 35, 20. 27. 29; 37, 1; 42, 1. 29. 36; 45, 25; 46, 6. 15. 18. 19. 22. 25. 26. 27; 47, 7. 8. 9. 10. 28; 48, 2. 3; 49, 1. 33. Quibus consideratis in historia Iacobi duae relationes mixtae videntur, quas Eerdmans ad totam Genesim extendit. Res tamen parum probabilis est, quia duae relationes in historia Iacobi, praesertim

autem Iosephi suppositae reapse non exsistunt, quemadmodum in Commentario ad locos singulos notavi.

Nomen *Iacobi* et agnomen *Israelis* in Genesi sic promiscue adhibentur ut nomen et agnomen principis Apostolorum in Novo Testamento. Inspiciamus scripta S. Lucae. In Evangelio 4, 38; 5, 4 s. 10 vocat eum *Simonem;* 6, 14 notat eum cognominatum esse *Petrum;* 8, 45 ss. nominat eum *Petrum,* sed 22, 31 iterum *Simonem;* 22, 34 ss. *Petrum,* sed 24, 34 *Simonem;* 5, 8 iam *Simonem Petrum.* In Actibus generatim *Petrum* eum appellat, sed 15, 14 *Simonem.* Similia in Evangelio S. Ioannis observantur. Eadem ratione Patriarcha in Genesi mox *Iacob* mox *Israel* nominatur, et quidem ita ut in eodem contextu hebr. (Gen. 35, 22; 46, 2. 5. 8; 49, 2) ambo nomina adhibeantur.

Ultimum argumentum sunt relationes duplices (Doppelberichte) eiusdem facti, quas in Pentateucho se reperisse contendunt. Si relationes inter se non pugnantes, sed invicem perficientes et complentes intelligerent, taceremus, quia in Evangelio quoque duas, tres, immo quattuor eiusdem facti relationes se complentes et perficientes habemus. Supponunt autem relationes inter se pugnantes, quas non adesse n. 4. demonstrabimus.

Concludimus: Pentateuchum a pluribus auctoribus scriptum esse, libenter admitteremus, si haec sententia argumentis sufficientibus confirmaretur (cf. pag. LXII). Sed argumenta a criticis acatholicis allata valde debilia sunt, uti vidimus. Propterea unitatem auctoris retinemus, quae argumentis potentissimis (cf. pag. XXIX ss.) comprobatur.

4. Pentateuchus ab auctoribus inter se contrariis scriptus est.

Adversarii nostri multum de contradictionibus in Pentateucho exsistentibus loquuntur, sed plures eorum nondum percepisse videntur, quid sit contradictio, quare ante omnia genuinam notionem philosophicam contradictionis exponere debemus. Contradictio est „oppositio affirmationis et negationis“, ideoque in eo consistit quod idem de eodem simul et sub eodem respectu affirmetur ac negetur. Ad veram contradictionem igitur requiritur *a)* idem subiectum et praedicatum non tantum quoad vocem sed etiam quoad rem; si subiectum vel praedicatum est diversum, vera contradictio deest. Requiritur *b)* ut idem praedicatum de eodem subiecto simul et sub eodem respectu affirmetur ac negetur, alioquin vera contra-

dictio iterum deest. Si e. g. res quaedam in uno loco affirmatur et in altero simul et sub eodem respectu negatur vel vice versa, vera contradictio adest; si autem res quaedam in uno loco affirmatur aut negatur, in altero autem neque affirmatur neque negatur, sed simpliciter tacetur, vera contradictio deest. Saepius in Commentariis quoque sic concluditur: auctor rem quandam tacet, ergo eam nescivit. Haec conclusio logice falsa est. Nam ex silentio testis in unico tantum casu argumentum positivum deduci potest: quando videlicet demonstratum est, auctorem voluisse atque debuisse istam rem narrare. Quod si probari posset, auctorem quendam rem ab alio auctore affirmatam reapse nesciisse, non adesset vera contradictio, nisi demonstratum esset, istam rem in notitiam huius auctoris venire debuisse (cf. Hetzenauer, Epitome, pag. 114. 116. 120 s., ubi opera philosophica citantur). — Etiam distinctio inter propositiones exclusivas et non exclusivas semper observanda est. Si auctor quidam exclusive loquitur, i. e. si praedicatum de unico tantum subiecto affirmat, reliquis autem explicite denegat (cf. pag. LIX); alius vero auctor nihilominus idem praedicatum de alio quoque subiecto affirmaret, contradictio adesset. Si vero auctor quidam non exclusive loquitur, i. e. si praedicatum de uno subiecto affirmat, quin aliis subiectis id deneget, et alius auctor idem praedicatum de alio quoque subiecto affirmaret, nulla adesset contradictio, quae veritas logica in Commentariis saepius non observatur. — Demum, si usus loquendi et contextus duplicem locorum explicationem admittunt: unam, qua loci sibi contradicunt, et aliam, qua sibi non contradicunt, contradictio asseri non debet, quia in hoc casu sensus unius vel alterius loci dubius est.

His praemissis iam examinemus relationes duplices sibi contradicentes. Necessariae brevitatis causa Genesim dumtaxat consideramus, in qua contradictiones celeberrimas se invenisse putant. — Contendunt Dillmann, Gunkel, Holzinger (cf. pag. 59) aliique acatholici necnon catholici eos sequentes Zapletal (Der Schöpfungsbericht der Genesis, Freiburg 1902, pag. 1 ss.), Peters (Glauben und Wissen im ersten biblischen Schöpfungsbericht, Paderborn 1907, pag. 1 ss.), Minocchi (La Ge-

nesi, Firenze 1908, pag. 43 ss.) cum patrono suo Lagrange, Schulz (Doppelberichte im Pentateuch, Freiburg 1908, pag. 12) aliique interpretes „scholae progredientis", in Gen. 1, 1—2, 4^a atque 2, 4^b—25 adesse duas easque contrarias relationes creationis, quae diversos auctores postulent. Verumtamen, non adsunt duae relationes creationis. Nam in 2, 4^b—25 non narratur creatio caeli et terrae (cf. pag. 44 s.), non narratur creatio lucis, non narratur creatio firmamenti, non narratur divisio maris et continentis, non narratur creatio herbarum et plantarum (cf. pag. 11 coll. 50), non narratur creatio luminarium, non narratur creatio aquatilium; narratur tantum creatio arborum (cf. pag. 50), creatio animalium in terra et aere commorantium, creatio Adae et Evae. Narratio autem, in qua creatio tam multarum ac principalium rerum tacetur, non altera relatio creationis, ut *Oehler (Theologie des Alten Testaments, Stuttgart 1891, pag. 75 s.) recte notat, sed repetitio et amplificatio creationis arborum, animalium et hominum iam in hexaemero narratae nominanda est. — Non adsunt relationes contrariae, quod pag. 98 demonstravi. Peters (Glauben und Wissen, pag. 2) quidem confidenter asserit, imperfecta consecutiva וַיִּטַּע in 2, 8 et וַיִּצֶר in 2, 19 non ut plusquamperfecta verti posse; etiam Schulz (Doppelberichte, pag. 16 ss.) necnon Nikel (Die biblische Urgeschichte, pag. 21) ista imperfecta consecutiva ut perfecta historica vertunt itaque inter caput I. et II. contradictionem statuunt, quatenus in cap. II. arbores et animalia post Adamum, in cap. I. autem ante eum creata affirmentur. Verumtamen, iuxta optimos grammaticos Gesenius-Kautzsch (Grammatik 312 ss. 329) et Strack (h. l.) imperfectum consecutivum ut plusquamperfectum verti potest, quando contextus id suadet, quod Holzinger (h. l.) ultro concedit atque S. Hieronymus sua versione *plantaverat* (2, 8) et *formatis* (2, 19) comprobat. Si autem 2, 8. 19 ut plusquamperfecta intelligimus, etiam in cap. II. arbores et animalia ante Adamum creata affirmantur, ut in cap. I, et contradictio evanescit (cf. pag. LXXI). — Schulz (l. c. 20 et 22). inter cap. I. et II. novas invenit contradictiones; scribit enim, Deum volucres iuxta 1, 21 ex nihilo creasse sed iuxta 2, 19 ex humo formasse; iuxta cap. I. singula opera bona vidisse, iuxta 2, 18 vero dixisse: *Non est*

bonum esse hominem solum. At verbum בָּרָא in 1, 21 nequaquam indicat, Deum volucres ex nihilo creasse, quia in kal et niphʿal saepius actionem Dei significat, qua ex materia praeexsistente aliquid facit (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 489, ubi loci biblici citantur): haec materia in 1, 21 tacetur, in 2, 19 nominatur; ergo nulla contradictio adest (cf. pag. LXXI). Verba *Non est bonum esse hominem solum* ante formationem Evae, contra *Viditque Deus cuncta quae fecerat: et erant valde bona* (1, 31) post eam (cf. 1, 27ss.) a Deo pronuntiata sunt; ubi igitur contradictio? (cf. pag. LXX s.).

Contradictiones a Gunkel aliisque in capite IV. repertas in veritate nullas esse, pag. 114 ostendimus. — De contradictione, quam plerique interpretes recentiores protestantium in capite V. statuunt, in quo eandem tabulam ab uno scriptore ut genealogiam Cainitarum, ab alio autem ut genealogiam Sethitarum proferri dicunt, pag. 126 locuti sumus.

„Omnes critici (die gesamte Kritik) in hoc consentiunt, scribit Schulz (l. c. 23), narrationem biblicam de diluvio e duobus fontibus compilatam esse"; et pag. 35 adiungit: „Etiamsi non quodlibet allatorum argumentorum in se sumptum distinctionem fontium accipiendam esse probat, tamen simul sumpta stringentia fuerint." Omnes criticos recentiores acatholicorum necnon catholicorum eos exscribentes in hac re consentire, verum est (cf. pag. 182); at omnes criticos absolute loquendo consentire, falsum est: nam Hummelauer et Hoberg, qui hanc causam independentes ab acatholicis diiudicarunt, contrarium docent (cf. pag. 183). Schulz melius distinguere et accuratius scribere debuerat. Sed examinemus iuxta praecepta philologica ac logica ista argumenta „stringentia". — Primo quidem dicunt, adesse duas relationes sibi contrarias quoad initium diluvii. Noe secundum 7, 1ss. iam per 7 dies in arca erat, quando diluvium venit; secundum 7, 13ss. autem ipso die quo diluvium venit, cum familia sua atque animalibus a Deo designatis in arcam ingressus est. Attamen, iuxta praecepta grammaticalia (cf. Gesenius-Kautzsch de perf. et imperf. cons.) verba versuum 13. 15. 16. ut plusquamperfecta verti possunt; immo iuxta contextum (7, 13—16) verti debent, quia sine miraculo impossibile erat (cf. pag. 144).

unico die ca. 40.000 animalia (cf. pag. 169) in arcam intrasse. Quodsi 7, 13. 15. 16 ut plusquamperfecta vertimus, cum 7, 1ss. omnino conveniunt. Ubi ergo contradictio? (cf. pag. LXXI). — Secundo, quoad tempus diluvii quoque duas relationes sibi contrarias adesse contendunt. Secundum 7, 4. 12. 17 diluvium factum est *40* diebus, secundum 7, 24; 8, 3 atque 7, 11; 8, 4 (cf. pag. 151 s.) vero *150* diebus. Respondeo: 7, 4. 12. 17 utique indicant, aquas per 40 dies de caelo et ex abysso venisse illisque elapsis prohibitas fuisse (cf. pag. 146, nota ad ℣. 2); verum 7, 24; 8, 3 necnon 7, 11; 8, 4 non necessario indicant, aquas per 150 dies venisse ac crevisse, sed etiam hunc sensum habere possunt, aquas per 150 dies (comprehensis illis 40 diebus) terram cooperuisse vel obtinuisse, ut S. Hieronymus vertit (cf. pag. 146, ℣. 24). Verbum וַיִּגְבְּרוּ hunc sensum in Vulgata expressum habere posse, ne Schulz (l. c. 27) quidem negare ausus est. Quo concesso contradictio evanescit (cf. pag. LXXI). — Tertio, quoad finem diluvii has relationes sibi contrarias asserunt. In 8, 6—12 legimus, Noe decursis 40 diebus postquam cacumina montium apparuerunt (℣. 5) corvum, post 7 dies (cf. pag. 149) primo columbam, iterum post 7 dies secundo, iterum post 7 dies tertio eam emisisse, quae non amplius reversa est. Ergo ab apparitione cacuminum usque ad egressum Noe ex arca 40 + 7 + 7 + 7 = *61* dies transierunt. Longe aliter in 8, 5. 13. 14 legimus. Die I. mensis X. cacumina apparuerunt (8, 5), die I. mensis I. terra sicca (8, 13), die XXVII. mensis II. perfecte arida (8, 14) erat (cf. pag. 151); tunc Noe iussu Dei ex arca egressus est (8, 15—19). Ergo ab apparitione cacuminum usque ad egressum Noe ex arca 90 + 5 + 57 = *152* dies transierunt (cf. pag. 151 s.). Repono: si in 8, 6—12 Noe statim ex arca egressus assereretur, postquam columba tertio emissa non rediit, inter 8, 6—12 atque 8, 5. 13—19 reapse contradictio adesset. At in 8, 6—12 ne unum quidem vocabulum innuit, Noe post 61 dies ex arca egressum esse. Ea quae in 8, 5. 13—19 asseruntur, in 8, 6—12 nec asseruntur nec negantur sed simpliciter tacentur (cf. pag. 151); quare hae sectiones inter se non pugnant (cf. pag. LXXII). — Quarto, interpretes quidam etiam quoad numerum animalium duas relationes sibi contrarias existere dixerunt. Putarunt, iuxta 6, 19 s. e quolibet

genere 2 tantum individua, iuxta 7, 2 s. autem e quolibet genere mundorum 14 et e quolibet genere immundorum 2 individua in arcam assumenda fuisse (cf. pag. 139 s.). Sed in 6, 19 s. שְׁנַיִם idem esse potest (cf. lexica) ac *bina*, in coppia, paarweise, quin determinetur, quot paria inducenda fuerint (cf. pag. 138); qua significatione admissa iterum evanescit contradictio. — Quoad causas diluvii contradictionem deesse, pag. 182 scripsimus. — Repetitionibus quibusdam in narratione revera occurrentibus non insistunt, ob rationem pag. 183 in nota expositam. — Ex his apparet, argumenta allata nihil minus esse quam „stringentia", si iuxta praecepta philologica et logica examinantur.

De contradictionibus, quas Dillmann, Gunkel, Holzinger inter 9, 18 ss. atque 5, 31; 6, 9 ss. necnon in 9, 18–27 exsistere opinantur, pag. 187 videas; de duplici fonte tabulae gentium pag. 203 conferas; in 11, 1—9 neque contradictiones neque duplicem fontem adesse, pag. 206. 209 s. demonstravimus.

Quid de assertione illorum interpretum sentiendum sit, qui in 12, 10—20; 20, 1—18; 26, 6—11 tres variantes inter se pugnantes unius eiusdemque facti vident, iam pag. 231 ss. sat diffuse scripsimus. Quare hic duas tantum notas adiicimus. Primo, in textibus citatis tria facta diversa narrari, ex diversis circumstantiis elucet, et interpretes communiter concedunt. Quod si supponunt, unum factum in traditione populari triplicem formam diversam induisse, iuxta praecepta logica hanc suppositionem suam serio demonstrare atque nostra argumenta (cf. pag. 232 s.) confutare debent. Sed in operibus virorum pag. 231 enumeratorum ne umbram quidem demonstrationis vel confutationis logicae invenies. Secundo, in hac controversia levitatem admirari debemus, qua critici quidam sacrum textum tractant. Eerdmans (Komposition 10 s.) acatholicus affirmat, Saram 90 annorum (17, 17) propter pulchritudinem iuvenilem ab Abimelech raptam, et Peters (Die grundsätzliche Stellung der katholischen Kirche zur Bibelforschung, Paderborn 1905, pag. 60) catholicus asserit, Rebeccam in domum eiusdem Abimelech introductam fuisse. Utraque assertio falsa est. Nam pulchritudo Sarae, quae 12, 11. 15 diserte notatur (cf. pag. 228 s.), 20, 2 non amplius

commemoratur (cf. pag. 307); et iuxta 26, 6—11 Rebecca in domum regis Abimelech non introducta est (cf. pag. 387 s.).

In 15, 1—21 Dillmann et Gunkel relationes contrarias statuunt, eo quod ℣. 5. stellae lucentes, ℣. 12. sol occidens, ℣. 17. tenebrae describantur. At ℣. 1. haec *per visionem* facta nuntiat, non in naturali rerum ordine (cf. pag. 254 s.) — Quoad aetatem Ismaelis Dillmann, Gunkel, Holzinger, et post eos etiam Schulz (l. c. 45 ss.) inter cc. 17 et 21 contradictionem invenerunt, quam pag. 314 s. vanam ostendimus. — De contradictionibus, quas in cc. 18 et 19 acatholici et catholici eos sequentes proclamant, pag. 288. 293 s. 296. 298. 300 conferas. — De diversis nominibus uxorum Esau (26, 34; 28, 9 et 36, 2 s.) pag. 508 s. videas. — „Nidum contradictionum" a Gunkel in 24, 1—67 detectum pag. 360 s. destruximus. — Contradictiones a Gunkel et Holzinger in 25, 7—11ª repertas pag. 366 inanes monstravimus. — De recensionibus contrariis, quas in 21, 22—31 et 26, 26—33 necnon in 27, 15—27ª statuunt, pag. 395 et 405 s. diximus.

Protestantes, quos Schulz (l. c. 58 ss. 62 ss.) ex parte sequitur, etiam in historia Iacobi et Iosephi plures contradictiones adesse affirmant, quas singulas in Commentario notavimus atque ob praecepta philologica et logica fictas reiecimus. Perlegas pag. 410—414. 417 s. 441. 478. 493 s. 498. 500 ss. 506 s. 527 s. 530 s. 535—538. 566 s. 583. 587. 597 ss. 600. 603. 616. 623 ss. 631—636. 639. 645 s. 650 s. 655. 658 s. 681 s. 684. 686.

Si in Pentateucho duae vel tres relationes inter se pugnantes exsisterent, iuxta principia philosophica recte duo vel tres auctores supponerentur, quia unus auctor prudens sibi non contrarius est. At, qui eas veritates philosophicas, quas pag. LXX s. proposuimus, semper respicit atque textum iuxta praecepta philologica et logica diiudicat, in toto Pentateucho ne unam quidem contradictionem veram inveniet, quod de Genesi demonstravimus.

5. Pentateuchus ab auctoribus longe post Moysen viventibus scriptus est.

Cornill (Einleitung 23) et Strack (Einleitung 25) hanc sententiam criticorum acatholicorum argumentis sequentibus

confirmare volunt. Gen. 22, 14 ad templum in monte Moria exsistens alludit (Cornill); Gen. 36, 31 reges Israel commemorantur; Ex. 16, 36 declaratur, quid sit *gomor*, עֹמֶר; Ex. 30, 13. 24; 38, 24 ss.; Lev. 5, 15 siclus sanctuarii (templi) nominatur (Strack); Num. 21, 13ᵇ notat, Arnon esse terminum Moabitarum et Amorrhaeorum, et ℣. 14 *liber bellorum Domini* pro facto omnibus aequalibus Moysis noto citatur; Deut. 3, 11 scriptum est, lectum vel potius sarcophagum (cf. pag. 131, in fine) regis Og monstrari (Strack); Deut. 3, 14 phrasis *usque in praesentem diem* recurrit. Ex his locis simul sumptis colligunt, Pentateuchum longe post Moysen scriptum esse. Quae conclusio falsa est. Nam in genere iuxta praecepta logica summum concludi potest, versus istos enumeratos, non totum Pentateuchum, longe post Moysen scriptos esse: quia „a particulari ad universale non valet conclusio" (cf. pag. LVII). In specie Gen. 22, 14 nulla voce ad templum alludit (cf. pag. 326 s.); Gen. 36, 31—43 tempore regum Israel adiectos esse, nos quoque admittimus (cf. pag. 514); etiam Ex. 16, 36 serius additus esse potest; sed Ex. 30, 13. 24; 38, 24 ss.; Lev. 5, 15 Moyse vivente scripti esse possunt, quia קֹדֶשׁ non tantum templum, verum etiam tentorium sacrum significat; etiam Num. 21, 13ᵇ. 14 tempore Mosaico scripti esse possunt, quia in libris et ephemeridibus recentissimis quoque res omnibus notae breviter commemorantur, et aliorum libri, praesertim poetici, citantur; idem de Deut. 3, 11 observandum est; phrasim *usque in praesentem diem* (Deut. 3, 14) nequaquam longum intervallum innuere, Gesenius (Thesaurus) docet.

Alii e lingua Pentateuchi linguae librorum recentiorum simili deducunt, eum tempore recentiore scriptum esse. Sed hoc argumentum valde infirmum est, quia in Pentateucho omnibus criticis concedentibus archaismi habentur, et plures constructiones vocesque serius mutatae fuerint (cf. pag. XXI). Secundum praecepta logica summum concludere licet, praesentem formam linguisticam Pentateuchi non Mosaicam esse.

Etiam leges, quae in Pentateucho continentur, critici acatholici contra nos invocant. Hae leges, inquiunt, populum iam in terra propria habitantem et agros colentem respiciunt; immo plures earum per saecula neque citabantur in libris sacris

neque observabantur a populo: ergo longe post Moysen latae et sancitae sunt. Respondeo: leges a Deo datae et a Moyse promulgatae sunt (cf. pag. XLIX) pro populo qui mox terram promissam possidere et colere debuerat (cf. Num. 10, 11 ss.; 14, 33 s.; 15, 1 ss.; 20—36), quare non mirum est, quod populum in terra propria habitantem ibique agros colentem respiciant. Ex eo autem, quod leges per saecula in libris sacris tacebantur (cf. pag. XLVII) neque a populo observabantur, non sequitur eas illo tempore non exstitisse: etiam nunc leges quaedam non citantur neque observantur, quin idcirco exsistentia earum negari possit. Hoc argumento negativo potentissima argumenta positiva (cf. pag. XXIX ss.) infirmari nequeunt. Ceterum in libris historicis Vet. Test. plures allusiones ad leges Pentateuchi leguntur, ut Hoberg et Rupprecht (cf. pag. XLVII) et ipse Strack (Einleitung 59 s.) monstravit.

Denique ortum populi Israel contra nos producunt. Populi non multiplicatione et divisione unius familiae, affirmant, sed congregatione et consociatione familiarum ac tribuum oriuntur; atqui in Pentateucho populus Israel ex una familia ortus scribitur: ergo Pentateuchus longe post ortum populi Israel scriptus est, quia tempore Mosaico, quo verus ortus populi adhuc notus erat, nemo talem ortum falsum asseruisset vel credidisset. Respondeo: omnes populos historicos, nullo excepto, mixtione familiarum et tribuum ortos esse, nullumque ab unica familia prodiisse, affirmant quidem, sed demonstrare nequeunt (cf. pag. 372). „Quod autem gratis asseritur, gratis negatur“, et conclusio ex gratuita assertione deducta iuxta praecepta logica nihil valet.

6. Argumentum primarium seu fundamentale criticorum genuinitatem Pentateuchi impugnantium.

Fundamentum „recentioris scholae criticae“ acatholicae (a Vatke-Graf-Wellhausen vocatae) est Hegelianismus seu systema evolutionis, ut acatholici Oehler et Smend sincere profitentur (cf. pag. 371). Etiam „schola modernistica“ idem fundamentum habet. Ephemeris modernistarum Germanorum (Das Neue Jahrhundert. Organ der deutschen Modernisten, Augsburg 1909) in fasciculo 35, die 29. Augusti, pag. 415 declarat: „Modernistica i. e. scientifica schola (Richtung)

theologiae catholicae (!) principium evolutionis ut principium fundamentale habet. Sicut omnis ortus (Werden) in universitate rerum lege evolutionis dirigitur, ita etiam ortus et mutatio religiosarum idearum et consuetudinum."

Iuxta systema evolutionis non exsistit Deus personalis et mundum transcendens (cf. pag. 371. 420), quare hominibus supernaturaliter se revelare vel miracula patrare vel prophetias sensu stricto edere nequit. Consequenter leges populi Israel non a Deo supernaturaliter datae esse possunt, sed continua evolutione naturali formatae esse debent, quatenus Israelitae e simplicioribus et rudioribus ad perfectiora et excultiora progrediebantur. Etiam in religione et cultu continua evolutio statuenda est (cf. pag. 420 s.). Primo Israelitae quoque inanimata, deinde animata colebant, denique ad pantheismum, immo ad purum monotheismum se elevarunt. Antiquioribus temporibus omnes sacerdotes erant: immediate cum Deo conversabantur, omnibus in locis et quibuslibet modis eum colebant; posterioribus vero temporibus cultus quoad personas et loca et modos magis determinabatur ac restringebatur.

Si systema evolutionis verum esset, contra genuinitatem Pentateuchi argumentum potentissimum, immo peremptorium exsisteret. Nam in Pentateucho Deus ut ens personale et mundum transcendens, eum creans et conservans et gubernans; ut Deus hominibus supernaturaliter se revelans, miracula patrans et prophetias edens; populo suo electo positive leges ferens, religionem et cultum eius iam antiquitus ordinans atque accurate determinans repraesentatur. In Pentateucho cultura civilis ac religiosa populi Isreal in ipso principio valde exculta depingitur. Cum haec omnia systemati evolutionis omnino contraria sint, asseclae Hegelianismi necessaria consequentia logica inferunt, Pentateuchum non a testibus aequalibus eventuum narratorum ideoque fide dignis (cf. logicam de testimonio) sed a viris temporum posteriorum scriptum esse, qui per fraudem ideas et conditiones aetatis suae in tempus antiquum populi Israel proiecerint, institutiones naturales revelationi supernaturali Dei ascripserint, miracula in traditione populari formata necnon prophetias post eventum fictas narraverint.

Cui argumento fundamentali recentioris scholae acatholicae ac modernisticae sequentia opponimus: *a)* Hegelianismus est systema philosophicum undequaque falsum, quod philosophi demonstrant (cf. pag. 371. 421): quare omnia corruunt, quae interpretes in systemate evolutionis aedificant. — *b*) Interpretes Hegeliani duo miracula stupenda astruunt, systemati suo quam maxime contraria. Primum est, quod omnes sacerdotes in re gravissima (cf. pag. L) populum suum decipere voluerint ac potuerint (cf. pag. L), nullusque e populo fraudem eorum detexerit (cf. pag. LI) non obstante evolutione continua. Secundum est, quod Israelitae soli inter omnes populos naturali evolutione ad monotheismum purum se elevarint. Nam iuxta leges evolutionis populi magis exculti ad puriorem notionem et cultum Dei pervenire debuerunt quam minus culti: in veritate tamen soli Israelitae minus exculti ad monotheismum se elevarunt, reliqui autem populi, etiam maxime exculti, crasso polytheismo immersi manebant (cf. pag. 28s. 95). Nullus interpres Hegelianus stupendum hoc miraculum secundum leges evolutionis hucusque explicare potuit. — *c)* Interpretes Hegeliani peremptorium argumentum nostrum, e testimonio Christi *Dei* sumptum (cf. pag. XXXIII ss.), infirmare nequeunt. Negant quidem unanimes divinitatem Christi sensu catholico intellectam; sed argumenta, quae eam comprobant (cf. Theol. bibl. Novi Test., de divinitate Christi), conatibus et artificiis suis extenuare nequeunt (cf. ibidem). Ergo „nervus vitae" criticae Pentateuchi dissectus est (cf. pag. XLI).

Critici acatholici et catholici pronuntiant, nostris diebus constare, Pentateuchum neque a Moyse neque tempore Mosaico scriptum esse. „Labore mox delineato unius et dimidii saeculi, scribit Cornill (Einleitung 26) acatholicus, litterarium problema in genere solutum et ad certum exitum (Resultat) perductum considerari potest." Et scriptor quidam catholicus, forsitan Minocchi (cf. Boni, Il Responso della Commissione Pontificia, Siena 1907, pag. 8), in „La Rassegna Nazionale" (Firenze. Settembre 1906) affirmat: „Chi non sia digiuno di studi biblici. e certamente chi abbia certa famigliarità con la letteratura tedesca, inglese e francese su tale argumento, sa che la critica

oggi non ha più bisogno di cercare col lumicino argomenti contrari all' autenticità mosaica del Pentateuco; essi abbondano per ogni lato e sono in tal numero e di tale peso da far nascere nel critico la convinzione o la certezza morale non essere Mosè l' autore del Pentateuco, ma essere questo un prodotto di almeno quattro secoli di storia ebraica." — Verumtamen, qui argumenta contra authentiam Mosaicam allata (cf. pag. LV—LXXX) cum argumentis pro ea adductis (cf. pag. XXIX—LV) comparaverit atque iuxta principia philologica et logica scientifice diiudicaverit, argumenta contraria valde debilia, argumenta favorabilia vero potentissima inveniet, „nervum vitae criticae Pentateuchi" dissecantia.

In mala conditione, i. e. inter duas molas, critici conciliantes (cf. pag. XXIII s.) versantur, quatenus tum a conservantibus tum a radicalibus et modernisticis criticis impugnantur. A conservantibus, quia catholicam inspirationis notionem non retinent (videas § 7) ac testimonium Christi contra usum loquendi et contextum explicant (cf. pag. XXXVI ss.); a radicalibus et modernisticis, quia argumentum fundamentale eorum i. e. principium evolutionis repudiant (cf. pag. XXIII s.) et auctorem P ante auctores I E D collocant (cf. pag. XXIV). Contritionem eorum tranquilli exspectare possumus. Legas quae § 7. dicuntur.

§ 3. De fontibus et compositione Genesis.

a) Moysen narrationes in libro Genesis scriptas e fontibus variis hausisse, certum est, cum non immediatus testis eventuum narratorum fuerit. Quales autem erant fontes eius?

Valde probabile est, Iosephum ea omnia litteris consignasse, quae ipse expertus est et quae a patre fratribusque de familia necnon de avo suo audierat (cf. pag. 688), quia in Aegypto, cuius praefectus erat, minima quaeque describi consueverunt (cf. pag. 584). Ultima Iosephi a fratribus eius scripta esse possunt. Immo probabile est, iam Abrahamum et Isaacum res familiae suae litteris consignasse, quia aetate eorum scriptura tam Babyloniis quam Aegyptiis iam nota erat (cf. pag. 27. 28. 186. 240; Hoberg XX). His ergo monumentis Moyses uti potuit.

Quae a 2, 4 usque 11, 9 narrantur, e traditione populorum hausta fuerint; quae autem a 1, 1 usque 2, 3 referuntur,

e revelatione divina tantum, per traditionem propagata, sumpta esse possunt, quia creationem mundi Deus solus scire potest.

b) Quod ad compositionem attinet, divisio libri in duas partes (cf. pag. XVII) necnon in decem *toledoth, generationes* (cf. pag. XVIIs.) Moysi tribuenda est, qui e fontibus sibi praeiacentibus alia brevius alia diffusius, alia ad litteram alia ad sensum retulerit. Generatim ordinem chronologicum servavit, e. g. prius historiam Ismael senioris et postea Isaaci iunioris, prius historiam Esau senioris et postea Iacobi iunioris narrans; nonnumquam tamen ordine psychologico res composuit, e. g. in hexaemero (cf. pag. 41) et in narratione mortis Isaaci (cf. pag. 507). Plura de ordine et chronologia in Commentario notantur.

§ 4. De tempore, occasione et fine scriptionis Genesis.

Tempus, occasionem et finem scriptionis Genesis ex Ex. 19—24 eruere possumus. Mense tertio egressionis Israel de Aegypto (19, 1) Dominus in deserto Sinai ad Moysen et populum loquens inter alia dixit: *Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta* (19, 5s.), promisitque populo possessionem terrae Chanaan (23, 20—33). Hos sermones Domini Moyses in volumine foederis conscripsit (24, 4. 7).

Quo facto consultum fuit, ut Moyses enarraret, quomodo Deus creatione mundi (Gen. 1, 1—2, 4) dominus seu possessor caeli et terrae sit (cf. pag. 249. 251); quam ob rem et e quibus gentibus populus Israel electus sit (Gen. 2, 4—11, 9); a quibus maioribus descendat et quare in terram Chanaan introducatur (Gen. 11, 10—50, 25). — Putamus igitur librum Genesis hac occasione et hoc tempore scriptum fuisse.

Finis totius Pentateuchi est etiam finis libri Genesis. Moyses hanc ideam declarare et illustrare, confirmare atque inculcare vult: Deus e gentibus universis unam familiam sibi elegit atque erudivit, inter reliquos populos habitare fecit et nihilominus ab eis seiunxit, ut per eam notitia et cultus veri

Dei conservaretur ad felicitatem huius familiae indeque nati populi atque omnium omnino gentium (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 130).

§ 5. De textu libri Genesis.

Si in libris Novi Testamenti tam multae lectiones variantes exsistunt (cf. pag. XXI), iam a priore concludere debemus, etiam in libro Genesis, multo antiquiore, plurimas lectiones variantes exsistere. Examen capitum et versuum singulorum hanc suppositionem veram esse probat.

Inter textum Masorethicum et Samaritanum, versionem Graecam, Latinam et Syriacam plurimae discrepantiae inveniuntur: saepius difficile dictu est, qualis lectio praeferenda sit. Nulla tamen harum variantium substantiam rei, multo minus fidem vel bonos mores tangit. — Versionem *S. Hieronymi* in specie minus accuratam esse, praesertim in parte altera, iam in praefatione scripsi.

Cum in Commentario magna cum diligentia lectiones variantes notaverim atque examinaverim, heic plura addere superfluum duco.

§ 6. De auctoritate historica Genesis.

Textus genuinus libri Genesis, qualis ab hagiographo editus est, plene axiopistos seu fide dignus est. Nam Moyses, qui ca. 1500 a. Ch. n. Genesim composuit (cf. pag. XXI), valde probabiliter monumentis usus est, quae Ioseph et fratres eius, forsitan etiam Isaac et Abraham adornarunt (cf. pag. LXXXI). Si quis autem supponere maluerit, Moysen e traditione dumtaxat historiam Abrahae, Isaaci et Iacobi filiorumque eius sumpsisse, axiopistia narrationis ob rationem pag. 688 allatam non minuitur.

Traditiones quoque, quas Moyses in parte priore adhibere debuit, omnino fide dignae sunt. Ex Gen. 47, 9 enim concludere debemus, maiores Iacobi saltem plus quam 130 annos vixisse, ita ut ab Adamo usque ad Abrahamum continua series testium per multos annos simul viventium exsistat. Nihil officit, quod in Genesi membra quaedam intermedia

probabiliter omissa sint (cf. pag. 181. 216), quia membra in Genesi omissa, in veritate nihilominus exstiterunt, uti per se patet. Propter continuam hanc seriem testium per multos annos simul viventium facta in 1, 1—11, 9 narrata pure conservari et tradi potuerunt. Etenim sunt pauca et publica, extraordinaria et maximi momenti pro toto genere humano: e. g. habitatio protoparentum in paradiso, tentatio, peccatum et poena eorum; diluvium, confusio linguae ac dispersio gentium. — Etiam genealogiae et tabula gentium a talibus testibus viva voce incorrupte tradi potuerunt. Nostris quoque diebus homines quidam nomina maiorum suorum, uxores et filios eorum necnon divisionem familiarum stupenda prorsus tenacitate memoriae retinent atque recitant.

Conclusionem nostram rectam esse testimoniis Christi et hagiographorum inspiratorum demonstramus, quae argumenta peremptoria sunt, quemadmodum pag. XLs. et XLVIII declaravimus. — Christus auctoritate sua confirmat, Deum *qui fecit hominem ab initio, masculum, et feminam* fecisse *eos* (Matth. 19, 4; cf. Gen. 1, 27); confirmat, Adamum a Deo inspiratum post formationem mulieris dixisse: *Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* (Matth. 19, 5; cf. Gen. 2, 24 et pag. 64s.); confirmat, personam Abel exstitisse, iustam fuisse, sanguinem dedisse (Matth. 23, 35; cf. Gen. 4, 8); confirmat historiam Noe ac diluvii anthropologice universalis, historiam Lot et uxoris eius dicens: „Et sicut factum est in diebus *Noe*, ita erit et in diebus Filii hominis. Edebant, et bibebant: uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem, *qua intravit Noe in arcam: et venit diluvium, et perdidit omnes.* Similiter sicut factum est in diebus *Lot:* Edebant, et bibebant: emebant, et vendebant: plantabant, et aedificabant: *qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem, et sulphur de caelo, et omnes perdidit:* secundum haec erit qua die Filius hominis revelabitur . . . In illa hora qui fuerit . . . *in agro, similiter non redeat retro. Memores estote uxoris Lot*“ (Luc. 17, 26—32). Confirmat exsistentiam Abrahae, Isaaci et Iacobi auctorum populi Israel (cf. pag. 370. 687).

S. Paulus testatur, Deum fecisse mundum et omnia quae in eo sunt, ipsum esse dominum caeli et terrae (Act. 17, 24;

cf. Gen. 1, 1; 14, 22); prius Adamum, deinde Evam formatam esse (1 Tim. 2, 13); primum hominem de terra terrenum factum esse in animam viventem (1 Cor. 15, 45—47; cf. Gen. 2, 7); non virum ex muliere, sed mulierem ex viro esse, et virum non propter mulierem, sed mulierem propter virum creatam esse (1 Cor. 11, 8—13; cf. Gen. 2, 21—23 et pag. 61—64); Evam a serpente seductam esse (2 Cor. 11, 3) non vero Adamum (1 Tim. 2, 14; cf. Gen. 3, 6 et pag. 70); Adamum peccato suo etiam propagini nocuisse (Rom. 5, 12—19); Abel meliorem hostiam obtulisse quam Cain (Hebr. 11, 4; cf. pag. 101 s.), Henoch Deo placentem translatum (Hebr. 11, 5; cf. pag. 118 s. 124 s.), Noe cum familia sua in arca servatum esse (Hebr. 11, 7). Testatur, Abrahamum in terram promissionis exiisse, cum Isaac et Iacob in casulis habitasse (Hebr. 11, 8 s.), promissionem benedictionis gentium accepisse (Gal. 3, 8; cf. Gen. 12, 3); Melchisedechum Abrahamo a caede regum revertenti benedixisse et ab eo decimas recepisse (Hebr. 7, 1 ss.; cf. Gen. 14, 18 ss.); Abrahamum fide iustificatum esse (Rom. 4, 3; Gal. 3, 6; cf. Gen. 15, 6); eum duos filios habuisse, unum de ancilla et unum de libera (Gal. 4, 22—30; cf. Gen. 16, 1 ss.; 21, 1 ss.); Saram virtute supernaturali matrem populi copiosi evenisse (Hebr. 11, 12; cf. Gen. 17, 15—21; 18, 9—14); Abrahamum patrem multarum gentium constitutum esse (Rom. 4, 16 ss.; cf. Gen. 17, 1—8) et signum circumcisionis accepisse (Rom. 4, 11; cf. Gen. 17, 9—14); a quibusdam angelos susceptos fuisse (Hebr. 13, 2; cf. Gen. 18 et 19); Deum Abrahamo propter oblationem Isaaci (Hebr. 11, 17 s.) iuramento benedictionem gentium promissam confirmasse (Hebr. 6, 13 s; cf. Gen. 22, 1—18). Testatur, Isaacum filium promissionis e Rebecca duos filios habuisse et maiorem minori serviisse (Rom. 9, 7—13; cf. pag. 377 s.); Esavum propter unam escam primitiva sua vendidisse et postea cum lacrimis benedictionem requisisse (Hebr. 12, 16 s.); Isaacum Iacobo et Esavo benedixisse (Hebr. 11, 20); Iacobum morientem singulis filiis benedixisse et fastigium virgae adorasse (Hebr. 11, 21; cf. pag. 648. 655 ss.); Iosephum morientem profectionem filiorum Israel praedixisse et de ossibus suis mandasse (Hebr. 11, 22).

S. Petrus historiam Noe et diluvii (1. ep. 3, 19s.; 2. ep. 2, 5; 3, 5—7; cf. pag. 172—174), historiam Lot et eversionem Sodomorum ac Gomorrhaeorum (2. ep. 2, 6—8), benedictionem gentium Abrahae promissam (Act. 3, 25; cf. Gen. 12, 3), verbum Sarae in Gen. 18, 12 relatum (1. ep. 3, 6) facta historica agnoscit. — S. Ioannes Abel iustum a Cain fratre maligno occisum (1. ep. 3, 12) et S. Iacobus Abrahamum ex fide et operibus iustificatum fuisse atque Isaacum obtulisse (2, 21—23) dicit; S. Iudas viam Cain, septimum ob Adamo Enochum, eversionem Sodomorum et Gomorrhaeorum commemorat (℣℣. 7. 11. 14). — Scriptor libri Sapientiae (10, 1—14) creationem mundi, peccatum ac poenitentiam Adae, historiam diluvii et eversionis pentapoleos, fugam et benedictionem Iacobi, venditionem et elevationem Iosephi; auctor libri Ecclesiastici (44, 16—27) historiam Henoch, Noe, Abraham et Isaac confirmat.

Istae sententiae Christi et hagiographorum sunt iudicia categorica et assertoria (cf. pag. XXXVIII), quae propter divinitatem Christi (cf. pag. LXXX), et inspirationem hagiographorum (cf. § 7) auctoritatem definitivam habent. Cumque in eis historiae variae Genesis non solum quoad substantiales, verum etiam quoad accidentales partes facta vere historica supponantur, ut usus loquendi et contextus comprobant, conclusionem nostram (cf. pag. LXXIV) rectam esse ostendunt.

Interpretes, qui supponerent Genesim ab auctoribus saec. IX.—V. a. Ch. n. quidem viventibus (cf. pag. XXIII) sed monumenta ab Iosepho, Abrahamo et Isaaco adornata (cf. pag. LXXXIII) adhibentibus compositam esse, auctoritatem Genesis adhuc sustinere possent, uti patet. Qui tamen supponunt, istos auctores non monumentis sed traditionibus populi dumtaxat usos esse, auctoritatem historicam libri vix defendere possunt, quia homines post Moysen generatim 70 vel 80 annos tantum vivebant (cf. Ps. 89, 10), ergo traditionem non tam pure conservare potuerunt quam homines generatim saltem plus 130 annos viventes (cf. pag. LXXXIII). Reapse hi interpretes narrationes Genesis fabulas declarant, quibus forsitan memoriae quaedam antiquae conserventur, quas exegeta ex involucris fabulosis eruere debeat. Quomodo recentiores interpretes acatholici, systemati evolutionis addicti, id peragant, ad locos celebriores Genesis in Commentario notavi.

Interpretes catholici quoque, qui asserunt, compilatorem inspiratum Genesis traditiones populares longe post Moysen conscriptas et nonnumquam inter se pugnantes religiose conservare dumtaxat,

non vero approbare vel suas facere voluisse: auctoritatem historicam ne quoad „nucleum narrationis“ quidem sufficienter demonstrare possunt, quia nemo serio affirmaverit istas traditiones, quae ante Moysen pure conservari potuerunt (cf. pag. LXXXIII s.) etiam post eum pure conservatas (cf. pag. LXXXVI) fuisse; quoad „corticem narrationis“ consequenter auctoritatem historicam Genesis iam reiecerunt, uti § 7. videbimus, ideoque sententias Christi et hagiographorum pag. XXXIII ss. citatas falso interpretantur (cf. pag. XXXVI ss.). Peters in libello „Die grundsätzliche Stellung der katholischen Kirche zur Bibelforschung“ pag. 68 s. affirmat quidem: „Auctoritas nuclei historici nihilominus demonstrari potest, analogice videlicet. Sequitur enim ex ratione formationis nominum propriorum, quam ex aliis fontibus pro aetate Abrahae probare possumus; sequitur ex propositione conditionum legalium, quas pro eadem aetate hodie demonstrare valemus; sequitur ex eo, quod pro cap. 14 (Amraphel = Chammurabi) hodie e fontibus Babyloniis scimus. Haec indirecta demonstratio characteris historici Genesis in *essentialibus* — facta historica in populari traditione popularem formam assumpsisse, non negandum est — apologetice ad iustificationem rationabilitatis fidei religiosae et factorum Genesis ad historiam salutis pertinentibus (heilsgeschichtlichen Tatsachen) perfecte sufficit.“ Attamen, Amraphel eundem esse atque Ḫammurabi, si non falsum, saltem incertum est (cf. pag. 240); argumenta analogica autem pro aetate Abrahae adducta, valde debilia sunt, utpote analogica (videas logicam de argumentatione analogica); denique pro plurimis narrationibus Genesis, quae aetatem Abrahae non attingunt, Peters ne analogica quidem argumenta affert. Quomodo talis demonstratio pro apologetica „perfecte“ sufficiat, secundum principia logica comprehendi nequit; experientia contrarium testatur.

§ 7. De explicatione libri Genesis.

In ultima hac paragrapho introductionis in Genesim prius principia interpretationis Pentateuchi proponemus, deinde celebriores commentarios in librum Genesis enumerabimus.

I. Principia interpretationis Pentateuchi.

Quaelibet schola interpretum lemmata seu sumptiones habet, iuxta quas textus biblici diiudicantur atque explicantur. Si exegetae quidam profitentur, se sine sumptionibus vel suppositionibus (voraussetzungslos) Sacram Scripturam explicare, professio eorum cum obiectivitate non convenit.

1. *Recentior schola critica acatholica necnon modernistica* systema evolutionis pro fundamento habet (cf. pag. XXIII

et LXXVIIIs.) et consequenter libros sacros ut libros pure humanos considerat, in quibus errores varii occurrere possint et reapse occurrant. Ea quae cum evolutione naturali culturae ac religionis ab ipsis supposita conveniunt, genuina et vera; quae autem cum ea pugnant, adulterina et falsa declarat. — Si systema evolutionis verum esset, principia critica (cf. pag. XXIII) et hermeneutica huius scholae ad textus diiudicandos et ad rectum sensum inveniendum optima essent; at systema evolutionis philosophice falsum est (cf. pag. LXXX): ergo omnes interpretationes, quae ex evolutionismo logica consequentia deducuntur, etiam scientifice falsae sunt, quemadmodum in Commentario sequenti necnon in Theol. bibl. Vet. Test. saepe notavi. Dixi, illas interpretationes, quae „logica consequentia ex evolutionismo" deducantur, scientifice falsas esse. Nam sectatores huius scholae saepius etiam interpretationes proponunt, quae cum evolutionismo logice non cohaerent, ideoque scientifice verae esse possunt. In Commentario non tantum falsas et absurdas, sed etiam veras et bellas explicationes a Gunkel et Holzinger propositas afferre potui.

Sectatores huius scholae interpretationes suas frequenter scientificas appellant easque explicationibus interpretum catholicorum tam conservantium quam liberalium seu progredientium opponunt, quibus characterem scientificum denegant. At, cum ironia de semetipsis loqui videntur. Vera scientia enim non in asserendo, sed praecipue in demonstrando consistit: iuxta praecepta logica assertum proprium argumentis et rationibus confirmare, argumenta et rationes pro asserto contrario allatas confutare debet, qui vere scientificus esse vult. Hanc vero rationem tractandi in ista schola non invenies. Fortiter asserunt, sed pro assertis argumenta logice valida saepissime non afferunt neque argumenta ipsis contraria confutare conantur. Mortale hoc peccatum logicum in Commentario saepe vituperavi. — In aliis locis operum eorum una demonstratio sententiae propriae et una confutatio contrariae invenitur, scilicet: sententia propria cum systemate evolutionis congruit, contraria cum eo pugnat. Quid autem de methodo scientifica sentiendum sit, in qua systema philosophice falsum tamquam obrussa veritatis adhibetur, evidens est: talem characterem scientificum non aucupamur.

2. *Catholica schola conservans* inspirationem et inerrantiam sacrorum librorum sensu catholico intellectam supponit eamque semper respicit. Essentia sicut exsistentia inspirationis et inerrantiae sacrorum librorum plane ac perfecte

non ex ipsa Scriptura sed e traditione divina hauriri potest ac debet. Quid autem traditio divina in hac causa doceat, Leo XIII. authentice declaravit. „Libri omnes atque integri, ait (Providentissimus 59. 61), quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; *tantum vero abest* ut divinae inspirationi *error ullus* subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo *errorem excludat omnem,* sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, *summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse* . . . Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed *scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit.* Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, *ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent:* secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae. . . . Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum *quidpiam falsi* contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab *omni omnino errore esse immunes,* ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, Libros eos et integros et per partes a divino *aeque* esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum *nihil admodum a veritate alienum* ponere potuisse.“

a) Ex authentica hac declaratione Summi Pontificis, quae traditione divina innititur, effectus in hagiographis a Deo inspirante productos eruere possumus. Deus hagiographos non solum ad scribendum excitavit et movit verum etiam positiva sua assistentia effecit, ut recte mente conciperent quae ipse scribenda iuberet; ut ea omnia eaque sola fideliter con-

scribere vellent; denique ut reapse ea omnia eaque sola quae ipse iuberet apte infallibili veritate exprimerent. In locis authenticis hagiographorum igitur *ea omnia eaque sola apte infallibili veritate expressa sunt,* quae *Deus* litteris consignare *voluit,* ita ut in eis revera Deus ipse loquatur, asserat aut neget.

Nikel de inspiratione sequentia affirmat: „Quaestio, qualem influxum inspiratio in scientiam generalem biblici auctoris habuerit, nequaquam decisa est. Ex iis dumtaxat, quae Sacra Scriptura continet, concludi potest. Non nostrum ius est, a priori, i. e. innixi generum universis deliberationibus (auf Grund allgemeiner prinzipieller Erwägungen) definire, quid Deus cum auctore, quem inspiravit, proprie fecerit. Quantum influxum in eum habuerit, a posteriori tumtaxat, i. e. e scriptis ab auctore compositis concludi potest.“ . . . „Quaestio, quantum influxum inspiratio in auctorem habeat, obiectum controversiae est.“ . . . „Quaedam, quae prius de essentia et vi inspirationis dicta sunt, in aliam formam redigenda erunt. Notio inspirationis in ultimis suis consequentiis nulla definitione ecclesiastica decisive determinata est“ (Alte und neue Angriffe, pag. 36 s. et 46; conferas etiam Die Glaubwürdigkeit des Alten Testamentes, pag. 6. 9).

In his sententiis vera cum falsis miscentur. Verum est, quaestionem de essentia et vi inspirationis necnon quaestionem, qualem influxum in scientiam generalem biblici auctoris habuerit, nondum sententia definitiva decisam esse; verumtamen, Leo XIII. magisterio authentico essentiam et vim et influxum inspirationis etiam quoad consequentias clare proposuit, quam propositionem Nikel tacet, quia opiniones eius redarguit. — Verum est, non nostrum ius esse, a priori definire, quid Deus cum auctore inspirato proprie fecerit; at ius Dei et magisterii authentici a Deo instituti est, quod reapse declaravit, quid Deus cum auctore inspirato fecerit (cf. pag. LXXXIX). — Falsum est, e scriptis auctorum biblicorum dumtaxat concludi posse, quantum influxum Deus in hagiographum habuerit: hoc in traditione divina plane ac perfecte Deus nobis revelavit. — Falsum est, quaedam hucusque de essentia et vi inspirationis dicta abhinc in aliam formam, scilicet in formam interpretibus „progredientibus“ placitam, redigenda esse. Nam secundum traditionem divinam Deus est *„auctor sacrae Scripturae universae“* (cf. pag. LXXXIX); ex hac phrasi autem ea, quae Leo XIII. docet, necessaria consequentia logica deducta sunt: ergo, si haec mutarentur, consequenter Deus non amplius esset auctor Scripturae, qualem Deus ipse in traditione divina nobis se revelavit. Videas quae infra n. 3 dicuntur.

Hagiographi igitur a Deo supernaturaliter illustrati *recte mente conceperunt,* quae Deus per eos scribere vellet (cf.

pag. LXXXIX). Non est autem necessarium, ut etiam verum sensum conscribendorum perceperint; immo concedere possumus, eos mere subiective sententiis quibusdam sensum subiecisse, qui iuxta intentionem Dei obiective in iis non expressus est. „Nihil interest, quid hagiographus privatim cogitaverit; quid iubente Spiritu sancto re vera expresserit, attendendum est" (Hetzenauer, Epitome, pag. 6, nota 3). E. g. sensum locorum Vet. Test., in quibus mysterium Trinitatis, incarnatio Verbi, immaculata conceptio Mariae Virginis, praedestinatio hominum continentur, hagiographi Vet.Test. probabiliter non perceperunt, saltem non perfecte; inspiratus scriptor sententiae *Stetit itaque Sol in medio caeli, et non festinavit occumbere spatio unius diei* (Ios. 10, 13), probabilissime privatim cogitavit, solem reapse in caelo ambulare et illo die per exceptionem stetisse: sed haec persuasio eius subiectiva in isto loco non expressa est, quia verba textus de apparenti motu et statione solis intelligi possunt. — Etiam librarius seu secretarius, a viro magis docto ad scriptum quoddam conficiendum adhibitus, recte mente concipere potest quid iuxta voluntatem illius viri scribere debeat, quin tamen sensum conscribendorum ab eo intentum percipiat; immo sententiis a se conscriptis alium sensum subiicere potest atque auctor magis doctus cum eis coniunxit.

Ea omnia eaque sola, quae Deus iuberet, hagiographi *„apte infallibili veritate"* expresserunt. Leo XIII. non affirmat, quemlibet hagiographum aptissime vel perfectissime scripsisse; genus scribendi ac proponendi variorum hagiographorum perfectionem variam manifestat: omnes tamen *apte* et quidem *infallibili veritate* ea expresserunt, quae Deus expressa voluit (cf. pag. XC).

b) Patres et Doctores Ecclesiae unanimes professi sunt, „Libros eos et integros et per partes a divino *aeque* esse afflatu" (cf. pag. LXXXIX), quatenus de singulis partibus ea valent, quae supra dicta sunt: in omnibus et singulis locis Scripturae ea omnia eaque sola apte infallibili veritate expressa sunt, quae Deus voluit. Hac ratione e. g. tres relationes de morte Antiochi Epiphanis (1 Mach. 6, 1—16; 2 Mach. 1, 10b—17 atque 9, 1—29) a divino *aeque* afflatu sunt, quia in

tribus istis locis hagiographus ea tantum expressit, quae Deus voluit: in 1 Mach. 6, 1—16 et 2 Mach. 9, 1—29 suam ipsius relationem, in 2 Mach. 1, 10b—17 vero relationem Iudaeorum Ierosolymitanorum, quam neque approbavit neque suam fecit.

Hoc exemplo gravissima quaedam distinctio innuitur. Distinguendum est videlicet, utrum auctor inspiratus, *qua talis,* proprio nomine loquatur an sententias aliorum referat. Si auctor inspiratus, qua talis, proprio nomine loquitur, ea quae obiective asserit, necessario vera; et ea quae obiective negat, necessario falsa sunt, quia Deus per hagiographos loquens, asserens aut negans (cf. pag. XC), „nihil admodum a veritate alienum ponere“ potest (cf. pag. LXXXIX). — Si autem auctor inspiratus sententias aliorum refert, veritas citationis a veritate rei citatae secernenda est. In his casibus enim propter auctoritatem Dei per hagiographos loquentis semper quidem credere debemus, personas quarum sententias hagiographi referunt, re vera istas sententias pronuntiasse *(veritas citationis);* at non semper credere debemus, sententias citatas obiective veras esse (*veritas rei citatae*). Veritas rei citatae vel ab auctoritate personae per hagiographos inductae vel ab approbatione Dei seu hagiographi dependet. Valde clara sunt notissima illa S. Augustini (ad Oros. contra Priscill., c. 9): „Sicut in Evangelio, quamvis verum sit omnino, quod dicta sint, non tamen omnia quae dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a Iudaeis falsa et impia dicta esse verax Evangelii Scriptura testatur; sic in hoc libro (Iob), ubi multae personae locutae esse narrantur, non solum quid dicatur, sed a quo etiam dicatur, considerandum est.“

Si persona per hagiographos inducta est persona divina, sententiae seu iudicia eius obiective vera sunt, quia Deus, veritas et veracitas essentialis, neque falli neque fallere potest. Si est angelus a Deo ad homines legatus, sententiae eius etiam obiective verae sunt, quatenus legatus divinus nomine ipsius Dei loquitur, qui errare nequit. Si est propheta, i. e. homo a Deo excitatus et illustratus et ad homines legatus, sententiae eius quas ut legatus divinus profert, etiam propter eamdem rationem obiective verae sunt; iudicia autem,

quae ut persona privata enuntiat, vera aut falsa esse possunt. Si apostolus loquens inducitur, sic distinguamus oportet: ea quae ante adventum Spiritus Sancti dixit, vera aut falsa esse possunt, quod iam S. Augustinus (l. c.) insinuavit; ea quae post adventum Spiritus Sancti „in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium" docuit, obiective vera sunt, quia apostoli in his rebus infallibiles erant, ut in Theolog. fundam. demonstratur; ea autem quae apostolus etiam post adventum Spiritus Sancti in rebus ad fidem et mores non pertinentibus dixit, vera aut falsa esse possunt, quia apostoli in his rebus non infallibiles erant. — Si alii homines loquentes inducuntur, quin hagiographus (seu Deus) sententias eorum suas faciat vel approbet aut e contrario reprobet: tales sententiae aut verae aut falsae esse possunt; si vero hagiographus (seu Deus) sententias eorum *in Spiritu Sancto* prolatas dicit vel eas approbat vel suas facit, necessario verae, et si eas reprobat, necessario falsae sunt. — Si usu loquendi et contextu demonstrare possumus, scriptorem inspiratum iubente Deo privatam suam opinionem litteris consignasse: haec privata opinio hagiographi falsa esse potest, si Deus eam non approbavit.

Quae supra dixi exemplis quibusdam, iam antiquitus notis, illustrabo, quia de his rebus multae ideae confusae circumferuntur. — Ex. 20, 1. 8—11 scriptor inspiratus affirmat: *„Locutusque est Dominus cunctos sermones hos:* . . . Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est . . . *Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt, et requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum."* Propter auctoritatem scriptoris inspirati credere debemus, Dominum reapse dixisse: *Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram . . . et requievit in die septimo* etc. atque propterea praecepisse, ut homo sex diebus operaretur et septimo die requiesceret (veritas citationis); propter auctoritatem loquentis personae divinae credere debemus, Deum revera sex diebus mundum fecisse (cf. pag. 39 ss.) et ad exemplar hebdomadae divinae hebdomadam humanam instituisse (veritas rei citatae).

Secundum 2 Reg. 7, 1—17 Nathan propheta consilium Davidis, quo templum aedificare volebat, prius approbavit (℣. 3), sed postea reprobavit (℣. 5 ss.). Propter auctoritatem scriptoris inspirati credendum est, prophetam reapse consilium regis prius approbasse sed postea reprobasse, ita ut sententia una necessario falsa sit. Iuxta ℣. 4 s. consilium

reprobavit ut legatus Dei, ergo illud approbaverat ut persona privata, quae errare potuit (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 194).

S. Paulus apostolus in pulcherrima illa oratione, quam Mileti apud Maiores natu Ecclesiae habuit (Act. 20, 17—35), inter alia dixit: *Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi praedicans regnum Dei* (℣. 25). In veritate tamen S. Paulus post captivitatem priorem iterum in Asiam minorem venit, ita ut plures eorum, quibus valedixerat, faciem eius iterum viderent (cf. Bisping et Knabenbauer in h. l.). Propter auctoritatem inspirati scriptoris Actuum credere debemus, Paulum reapse istam persuasionem suam pronuntiasse, quae tamen falsa esse potuit, quia apostoli in rebus ad fidem et mores non pertinentibus non infallibiles erant.

In libro Iob orationes amicorum Iob et in Evangeliis asserta Iudaeorum referuntur; libris Machabaeorum epistolae variae inseruntur. Tam orationes et asserta quam epistolae inspiratae sunt, non ac si isti homines a Deo moti et illustrati dixissent vel scripsissent, sed quatenus Deus hagiographos excitavit, ut illas orationes epistolasque humanas transcriberent, atque etiam positiva sua assistentia effecit, ut apte infallibili veritate id facerent. Idcirco credere debemus, illas personas reapse ita locutas esse vel scripsisse, uti legimus *(veritas citationis)*: utrum autem orationes et asserta et epistolae earum obiective verae an falsae sint *(veritas rei citatae)*, iuxta alia principia diiudicandum est.

Verae sunt assertiones personarum per hagiographos inductarum, si Deus seu hagiographus testatur, eas *in Spiritu sancto* locutas esse, e. g. Luc. 1, 67: *Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto: et prophetavit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel* etc.; vel Matth. 22, 43 s.: *Ait illis (Iesus): Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo* etc. Verae sunt, si hagiographus seu Deus eas approbat, e. g. S. Paulus ad Titum scribit (1, 12 s.): *Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta* (i. e. Epimenides poeta): *Cretenses semper mendaces, malae bestiae ventres pigri. Testimonium hoc verum est.* — Si auctor inspiratus explicite vel implicite fontes citat simulque usu loquendi et contextu indicat, se citata explicita vel implicita approbare vel sua facere: haec citata propter auctoritatem auctoris inspirati (cf. pag. XC) obiective vera iudicemus oportet. In libris Regum et Paralipomenon e. g. hagiographi saepe explicite fontes citant (cf. pag. XLIII et LXIV) et quidem ita ut appareat, hagiographos ea quae in fontibus narrantur, approbare: in aliis libris, e. g. in libro Genesis et in libro Iudicum hagiographi fontes certo adhibitos non nominant, sed narrationes eorum transcribunt atque suas faciunt, quemadmodum usus loquendi et contextus ostendunt. Utroque modo agendi hagiographi manifestant, se relata fontium pro veris habere. Si vero hagiographi aliquo modo innuunt, se narrationes fontium simpliciter referre et litteris consignare velle (forsitan, ne iniquitate temporum perire possint), de veritate obiectiva narrationum autem non iudicare sed eam auctoritati fontium

relinquere: narrationes obiective falsae esse possunt, uti per se patet. E. g. hagiographus inspiratus in praefatione ad secundum librum Machabaeorum inter alia scribit (2, 24. 29): „Itemque ab Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare ... Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes.“ Si hagiographus his verbis illud tantum dicere vellet, se simpliciter breviarium quinque librorum Iasonis conficere, veritatem obiectivam narratorum autem nequaquam asserere sed auctoritati Iasonis relinquere, ut Peters (Grundsätzliche Stellung 58; cf. et Nikel, Alte und neue Angriffe 44) verba interpretatur: axiopistiam narratorum, e. g. miraculosae apparationis quinque equitum (2 Mach. 10, 29 s.; Peters ibi), negare possemus. Sed versio Vulgata parum accurata est. Iuxta textum originalem hagiographus Iasoni historiographo, *συγγραφεῖ*, non veritatem obiectivam, sed accuratam rerum singularum expositionem, *τὸ μὲν διακριβοῦν περὶ ἑκάστων*, relinquit, quem sensum contextus praefationis etiam in versione Vulgata commendat (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 357). — Dignum et iustum est, ut hic notemus, Franciscum Schmid in opere suo classico „De Inspirationis Bibliorum vi et ratione“ (Brixinae, 1885, Weger) iam eo tempore, quo magisterium authenticum nondum tam clare essentiam inspirationis et inerrantiam Scripturae docuerat, de his rebus valde bene scripsisse.

Duo loci in Novo Testamento inveniuntur, iam antiquioribus exegetis noti, quorum contextus ostendit, scriptorem inspiratum iubente Deo privatam suam opinionem litteris consignasse (cf. pag. XLIII), videlicet 1 Thess. 4, 15 atque 1 Cor. 1, 14—16. In priore loco S. Paulus sequentia asserit: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus, ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι, in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt.* His verbis apostolus, *verbo Domini* seu revelationi divinae innixus, Thessalonicensibus directe annuntiat, homines pios tempore adventus Domini iam mortuos *simul* cum hominibus piis illo tempore adhuc viventibus Christo obviam ituros esse; indirecte autem etiam sententiam exprimit, semetipsum quoque tum inter viventes fore: verba *nos, qui vivimus, qui residui sumus,* quae in ℣. 17 repetit, vix aliam explicationem admittunt (cf. catholicum Bisping et acatholicos Bornemann, Zöckler in h. l.). Eadem opinio vel spes etiam 1 Cor. 15, 51 s. et Hebr. 10, 25 (cf. Bisping in h. l.) expressa est. Hanc opinionem autem fuisse privatam dumtaxat, contextu demonstrare possumus. Nam Christus ante passionem suam apostolis dixit: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater . . . nescitis enim quando tempus sit* (Marc. 13, 32 s.). Communior explicatio horum verborum est, Christum diem iudicii novissimi nesciisse „scientia communicabili“, ut dicunt. Quam explicationem ea confirmant, quae Christus post resurrectionem suam apostolis sciscitantibus respondit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate* (Act. 1, 7), quibus clare pronuntiavit, Patrem diem iudicii novissimi et consumma-

tionis saeculi non revelare velle. Ergo ista sententia, quam Paulus indirecte expressit, non e revelatione divina hausta, sed coniectura vel opinio privata tantum erat. Propterea non mirandum est, quod idem Paulus in Phil. 1, 21—24 et praesertim in 2 Tim. 4, 5—8 contrariam opinionem privatam expresserit, scil. sibi iam ante adventum Domini et consummationem saeculi moriendum esse. — „Si apostoli, ut quibusdam placet, putaverunt secundum Christi adventum proxime instare, et si quaedam eorum loquendi formulae hanc opinionem innuere videntur, inquit Pesch (De Inspiratione Sacrae Scripturae, pag. 459, nota), hoc non pertinet ad inspirationem, quia de hac re nihil affirmant nisi tempus secundi adventus non esse a Deo revelatum ideoque occultum. Potuerunt de hac re coniecturas facere, immo potuissent etiam ex inspiratione dicere se habere tales opiniones, si utile fuisset hoc manifestare; sed neque dixerunt neque potuerunt dicere has suas opiniones esse veras et omnibus admittendas."

Adhuc clarior est 1 Cor. 1, 14—16. „Gratias ago Deo, ait Paulus, quod *neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum, et Caium:* [15]nequis dicat quod in nomine meo baptizati estis. [16]*Baptizavi autem et Stephanae domum: ceterum nescio si quem alium baptizaverim.*" Paulum a Deo motum et illustratum opinionem suam privatam effatum esse, versus 16[b] clarissime manifestat: *nescio si quem alium baptizaverim.* Paulus haec scribens affirmat, personas antea nominatas a se baptizatas esse; utrum alias quoque baptizaverit an non, neque affirmare neque negare audet, quia hoc memoriam eius fugit: *nescio*, inquit. In ℣. 16[b] igitur evidenter sententia personalis Pauli exprimitur. Etiam in ℣. 16[a] Paulus persuasionem suam personalem litteris consignavit, asserens non solum Caium et Crispum verum etiam Stephanae domum a se baptizatam fuisse. Idem de ℣. 14 dicendum est. Quando Paulus eum scripsit, personalem opinionem habebat, Crispum et Caium dumtaxat a se baptizatum fuisse, et personalem hanc opinionem Deo inspirante manifestavit. Debemus igitur credere, Paulum reapse ita putasse; utrum autem haec opinio eius vera sit necne, e contextu eruamus oportet, qui ostendit eam falsam fuisse. Ergo Schulz (Biblische Zeitschrift, Freiburg i. Br. 1909, pag. 151 s.) fores apertas effringere vult contendens, Paulum inspiratum in ℣. 14. aliquid affirmasse, quod obiective falsum erat; hoc etiam nos lubentissime admittimus, sensu tamen supra declarato. — Repeto quod iam dixi: scriptorem inspiratum personalem tantum opinionem expressisse, contextu stricte demonstrari debet. Quotiescumque hoc fieri nequit, scriptor inspiratus *qua talis* (cf. pag. XCII) locutus est, ideoque non privatam suam opinionem descripsit.

c) Inspirationem et inerrantiam sacrorum librorum sensu catholico intellectam catholica schola conservans in explicatione Scripturae semper respicit et propterea non solum a protestantibus et modernistis verum etiam a catho-

licis exegetis liberalibus seu progredientibus (vide n. 3) vituperata est. Die 4. Iulii 1907 Pius X. hanc 12. modernistarum damnavit sententiam: „Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, in primis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae Sacrae seponere debet, eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana.“ Etiam progredientes viri catholici dicunt ac repetunt, in exegesi non semper ad inspirationem appellandum, sed methodum historico-criticam sequendam esse. Nihilominus conservans schola catholica semper ad inspirationem respicit, et quidem duabus de causis. Primo, quia explicantes librum aliquem evidenter multo magis ad auctorem principalem quam ad secundarium attendere debent. Atqui auctor principalis Scripturae Deus est; auctores secundarii ea omnia *eaque sola* apte infallibili veritate expresserunt, quae auctor principalis iussit. Ergo logice consequens est, ut investigantes sensum biblicum semper auctorem principalem ante oculos habeamus vel semper ad catholicam inspirationis notionem respiciamus.

Interpretes „scholae progredientis“ cum Hummelauer (Exegetisches 99 s.) sequentes S. Gregorii M. et S. Thomae Aquinatis locos citant: „Quis haec scripserit valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator exstitit et per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit. Si magni cuiusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo fuissent scripta quaereremus, ridiculum profecto esset epistolarum auctorum scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint indagare. Cum ergo rem cognoscimus eiusque rei Spiritum Sanctum auctorem tenemus, quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus nisi legentes litteras de calamo percontamur?“ (S. Gregorius M., Praef. in Iob.) — „De causa vero instrumentali non sit nobis curae, quia eiusmodi causae habentur respectu doctrinae sicut instrumenta, sicut penna scribentis iuxta illud Ps. 44, 2: Lingua mea calamus scribae velociter scribentis. Sicut ergo superstitiosum est, cum quaeritur de auctore alicuius libri, quaerere cum qua penna scriptus fuisset liber, ita quodammodo superstitiosum videtur, quod aliquis sit multum sollicitus inquirere causas instrumentales Scripturae Sacrae. Nam si constat de veritate, quod liber sit a Spiritu Sancto, non est magna cura adhibenda ad inveniendum auctorem alium“ (S. Thomas Aq., Prooem. in Cant.). — His

tamen non obstantibus interpretes „progredientes“ magis ad auctores instrumentales, ad calamum vel pennam, quam ad auctorem principalem attendunt, uti statim videbimus; conservantes vero ex istis locis logice concludunt, semper ad Deum inspirantem respiciendum esse.

Secundo conservans schola catholica semper ad inspirationem respicit, quia axiopistia quorundam locorum biblicorum ab illo tantum plene ac perfecte seu stricte demonstrari potest, qui ad inspirationem appellat. Interpretes conservantes e libris Novi Test., historice consideratis, peremptorie comprobant, Christum esse verum Deum et instituisse Ecclesiam infallibilem; magisterium ecclesiasticum autem, traditioni divinae innixum, docere hagiographos fuisse divinitus inspiratos (cf. pag. XXV) ideoque nequivisse errare (cf. pag. LXXXIX ss.): unde evidenti consequentia logica deducunt, omnes locos genuinos, axiopistos seu fide dignos esse, utique sensu pag. XCII ss. declarato.

3. *Catholica schola liberalis moderata* systema evolutionis quidem repudiat, sed explicationes acatholicorum cum isto systemate coniunctas adoptat; cum catholicis conservantibus revelationem supernaturalem, miracula et vaticinia, inspirationem et inerrantiam Scripturae necnon infallibilitatem Ecclesiae retinet quidem, sed inspirationem Scripturae cum infallibilitate Ecclesiae confundit ideoque inerrantiam Scripturae restringit: ut autem inter scholam criticam acatholicam atque scholam conservantem catholicam incedere possit, locos plures contra usum loquendi et contextum explicat. — Haec omnia sententiis ex operibus eorum desumptis stricte demonstrabo.

Viris, qui ad catholicam scholam liberalem moderatam pertinent, neque bonam intentionem neque amorem Ecclesiae neque mentem ecclesiasticam (kirchliche Gesinnung, „Kirchlichkeit“) denego. In „Theologia biblica Vet. Test.“, pag. 503, consulto scripsi: „Lubenter ac sincere credimus, viros quosdam pro Ecclesia Romana laborare, scientiam catholicam promovere, obiectiones infidelium cura radicali auferre velle: Peters e. g. in opusculis suis amorem Ecclesiae sic manifestat, ut nemo eum addubitare possit.“ Insuper tam in Theologia biblica (pag. 2) quam in hac Introductione

in Genesim (supra) scholam istam liberalem diserte „*catholicam*“ nominavi. Si Peters haec verba mea iuxta usum loquendi et contextum intellexisset, in „Theologie und Glaube“ (Paderborn 1909, pag. 68) non scripsisset, personam suam a me „scholae non catholicae (unkatholische Richtung)“ atque „modernistis in sensu Encyclicae *Pascendi dominici gregis*“ annumeratam esse (cf. notam seq.). — Illis viris nullo modo cognitiones linguarum et rei criticae et litteraturae biblicae vel habitus pietatis variarumque virtutum denego; e contrario lubenter concedo, nonnullos eorum, de quibus audivi, scientia vel pietate vel urbanitate eminere. — Unum dumtaxat assero, scilicet: *systema et principia hermeneutica* catholicae scholae liberalis moderatae *scientifice falsa sunt,* quapropter explicationes cum his principiis logice cohaerentes etiam scientifice falsae sunt. Quam assertionem argumentis logice validissimis confirmabo.

Quidam viri docti nomen „catholicae scholae liberalis moderatae“ vituperarunt et pro eo appellationem „progredientis scholae, der fortschrittlichen Richtung“ (Nikel, Die Glaubwürdigkeit des Alten Testamentes, pag. 37) vel „progredientis exegesis catholicae“ (Göttsberger in „Biblische Zeitschrift“, 1907, pag. 69) vel „criticae scholae catholicae“ (Dausch in „Lit. Rundschau“, 1906, pag. 50) elegerunt. Respondeo: nova schola catholica scholae conservanti opposita est, ut omnes sciunt, quare eam liberalem appellavi, quatenus adiectivum *liberalis* adiectivo *conservantis* oppositum est. Ne autem nomen falso accipi possit, in Theologia biblica Vet. Test., pag. 2, clare dixi, quomodo appellationem intelligam. „Liberales moderati vero, scripsi, non tantum hac conditione (quando scil. rationes gravissimae suadent, ut a traditionali intelligentia recedamus), sed etiam tum recedunt, cum intelligentiae traditionali difficultates quaedam obstant, retinent tamen et observant certas doctrinas Ecclesiae catholicae; contra rigidi etiam a dogmatibus Ecclesiae eorumque intelligentia ecclesiastica recedunt.“ Liberales rigidos utique *modernistas* voco, non autem liberales moderatos. Quod si moderati res quasdam affirmant (e. g. de authentia Pentateuchi vel de charactere historico priorum capitum Genesis), quae in scriptis modernistarum quoque leguntur, non est culpa mea. Ceterum de nomine certare nolo, cum res eadem maneat. Nam „progrediens exegesis catholica“ ob difficultates quasdam, uti mox videbimus, ab intelligentia traditionali conservantium recedit et ad explicationes acatholicorum progreditur: omnes explicationes quibuscum interpretes progredientes explicationes traditionales commutarunt, in operibus acatholicorum inveni, quod infra probabo.

Qui sunt viri, qui ad „progredientem exegesim catholicam" pertinent? Nikel, qui huic scholae manifeste favet, in libello suo „Die Glaubwürdigkeit des alten Testamentes", pag. 18ss. 21. 23. 28. 30. 32, sequentes enumerat: *Lagrange,* Prat, *Hummelauer,* Holzhey, Peters, Höpfl, Schanz, Vetter, Engelkemper, Happel; Zanecchia, Bonaccorsi; Poels, Léon Sanders, Dufour. His nominibus a Nikel enumeratis plura alia addere possem, si vellem. Immo Peters (Bibel und Naturwissenschaft, pag. 59) affirmat, principia a se in isto libello exposita „pene communissime (fast ganz allgemein) a scientifica theologia catholica recepta esse". Si haec affirmatio vera esset, de catholica scientia biblica actum esset, quia ista principia scientifice falsa sunt, ut videbimus. Vivunt tamen adhuc multi viri docti catholici, qui ista principia non agnoscunt; e quibus nomino: Billot, Brucker, Cellini, Cereseto, Coubé, Delattre, Döller, Dorsch, Egger, Flunk, Fonck, Hoberg, Janssens, Knabenbauer, Kortleitner, Maas, Mac Donald, Mangenot, Murillo, Pelt, Pesch, Scholz, Seisenberger, Selbst, Vigouroux, Zschokke.

Interpretes liberales seu progredientes de conservantibus pessime loquuntur eosque acerrime impugnant; si autem conservantes se suaque principia strenue defendunt et iniurias illatas propulsant, statim lamentantur atque auctoritatem ecclesiasticam contra eos invocant: vellent conservantibus silentium imponere, ut ipsi quieti in clero ac populo ideas suas falsas diffundere possent. Episcopus Egger (Absolute oder relative Wahrheit, pag. 109) recte scribit: „Dum pro propriis suis sententiis libertatem latissimam sibi assumunt et contra scholam antiquam eiusque defensores publice contemptionem maximam prae se ferunt, tanto molliores (empfindlicher) sunt, cum hi quoque publice causam suam defendere audent (ein offenes Wort sich erlauben)." — Audiamus defensorem praecipuum „exegesis progredientis" Peters. In libello „Glauben und Wissen", pag. 14, asserit: „*Pars maior* interpretum textus *a falsis principiis hermeneuticis* proficiscitur". In libello „Bibel und Naturwissenschaft", pag. 60, de „gyris et maeandris scholae prostratae (Irrgängen einer überwundenen Richtung)" loquitur. In libello „Die grundsätzliche Stellung", pag. 70, pronuntiat, in schola progredienti maiorem mentem ecclesiasticam (größere Kirchlichkeit) inveniri quam in schola conservanti(!). In libello eodem, pag. 80s. scribit: Studium biblicum „ad volatum novum se parat, sublimius sursum versus solem, veritatem — *crocito nigri pessimismi invito (dem Gekrächze des schwarzen Pessimismus zum Trotz).* . . . Utinam praesertim hae auctoritates (i. e. Summi Pontifices et Episcopi) illud protegant *contra istos circulos intra muros sanctae civitatis, qui zelo non illuminato* quamlibet declinationem a veteri tradito (Althergebrachten), quae in fundo laboris serii enata est, ut frivolam condemnare solent; qui contra quemlibet censuram et indicem invocant, qui sententias scholae offendere (zu nahe treten) audet, quas ipsi semper ut solas genuine ‚ecclesiasticas' rationes (Anschauungen) perhibuerunt, quia ipsi eas semper tradiderunt." Pag. 81s. custodibus in Sion non vocatis seu non delegatis insultat

ac si „quamlibet libertatem, quemlibet profectum, *quamlibet veram scientiam*“ *suffocare vellent,* ac denique concludit: „Huic scholae ignave victoriam concedere (das Feld überlassen) *esset impietas, esset clientelae perfidia (wäre Pflichtvergessenheit, wäre Felonie).*“ Contra talia Egger episcopus (l. c. pag. 110) verissime notat: „Qui sectatores scholae antiquae tam infense accusat, sine causa irritatur, si isti constanter et fortiter (mit aller Entschiedenheit) principia sua defendunt et vitia methodi novae sine clementia retegunt. *Non agitur de bona intentione,* quae quidem non addubitatur, *sed de veritate causae.*“ Qui aliis tales inferunt ictus, non debent lamentari, si ab eis plagas mortiferas accipiunt. Etiam pii et docti homines errare possunt, quorum errores ob bonum commune non tegendi, sed necessario retegendi sunt, utpote clero populoque periculosiores. Ephemeris officialis modernistarum Germanorum „Das Neue Jahrhundert“ (Augsburg, 6. Juni 1909), pag. 267, asserit: „Germania cryptomodernismo (modernismo serpenti, felis simili, caeco) penitus vitiata est.“ Hanc assertionem hucusque nemo confutavit. De schola „progredienti“ autem viri, qui multas terras Occidentis peragrarunt, affirmant, plurimos laicos atque etiam sacerdotes ideis interpretum „progredientium“ fascinari, eo quod ut scientificae venditentur, et quidem a viris alioquin doctis ac piis.

Systema et principia hermeneutica catholicae scholae liberalis moderatae necnon explicationes cum his principiis logice cohaerentes pag. XCIX scientifice falsas diximus, quam assertionem nunc demonstramus, tam principia quam explicationes examinantes.

Uti pag. XCVIII dixi, interpretes „progredientes“ inspirationem Scripturae cum infallibilitate Ecclesiae confundunt, quare ante omnia hic ea notare debeo, quae in quolibet enchiridio scientifico Theologiae fundamentalis de inspiratione et infallibilitate traduntur. — Scripta inspirata et scripta infallibilia in sequentibus inter se differunt: auctor librorum inspiratorum est Deus: auctores decretorum infallibilium sunt homines. Hagiographis inspiratis Deus positive astitit, ita ut ea sola apte infallibili veritate exprimerent, quae ipse iuberet; subiecto infallibilitatis Deus negative tantum assistit, quatenus prohibet quominus in definitione sua errare possit. Assistentia Dei positiva ad omnes res, assistentia eius negativa ad res fidei et morum dumtaxat se extendit. Hagiographis inspiratis Deus toties positive astitit, quoties in scriptis suis inspiratis de obiectivitate aliquid asseruerunt aut negarunt; subiectum infallibilitatis

autem tum negative ab errore servat, cum doctrinam de fide vel moribus directe docet atque definit. — „Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus, ait Vaticanum (sess. IV, cap. IV): Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit." Quid Ecclesia de inspiratione doceat, pag. LXXXIX ss. exposuimus.

His praemissis *principia* scholae liberalis moderatae seu progredientis examinemus. Cito opuscula professorum Peters et Nikel, quia hi praesertim in Germania ideas Patris Hummelauer divulgant atque defendunt. — *a)* Interpretes „progredientes" in inspiratione Scripturae momentum humanum a momento divino acriter secernunt (cf. Peters, Die grundsätzliche Stellung, pag. 82; Bibel und Naturwissenschaft, pag. 31. 35) illudque perpetuo producunt itaque urgent, ut inerrantia Scripturae practice (cf. infra) ad doctrinam fidei et morum necnon ad substantiam historiae salutis (Heilsgeschichte) restringatur. — Iam ex his confusio inspirationis Scripturae cum infallibilitate Ecclesiae perlucet. In infallibilitate adest quidem momentum divinum, scilicet negativa assistentia divina (cf. pag. CI s.), sed momentum humanum, i. e. actio subiecti infallibilitatis, tantum praeponderat, ut auctor decreti infallibilis non Deus, sed homines sint (cf. pag. CI); in inspiratione autem momentum divinum, i. e. positiva assistentia divina, iuxta doctrinam Ecclesiae tantum praeponderat, ut auctor Scripturae universae non homines, sed ipse Deus sit (cf. pag. CI). Lubenter concedimus, hagiographos viva, rationabiliter et libere cooperantia instrumenta Spiritus inspirantis, homines imbecillos et imperfectos fuisse (Peters, Bibel und Naturwissenschaft, pag. 29); simul tamen cum Leone XIII. firmiter retinemus, illos ea omnia eaque sola apte infallibili veritate expressisse, quae Deus iuberet

(cf. pag. LXXXIX), ideoque assertiones eorum necessario obiective veras esse (cf. pag. XCI ss.).

b) In thesibus seu assertionibus categoricis, quas scriptores inspirati docere volunt seu intendunt, errores contineri nequeunt; in sententiis vero, quas docere non intendunt, errores contineri possunt. Videas Peters (Bibel und Naturwissenschaft, pag. 38—41; Glauben und Wissen, pag. V s. et 18—21), qui hoc principium ex Lagrange (La Méthode historique, pag. 89 ss.) hausit. — Adest confusio inspirationis Scripturae cum infallibilitate Ecclesiae. Est dogma revelatum, Ecclesiam vel Romanum Pontificem, cum „doctoris munere fungens" thesim seu assertionem categoricam de fide vel moribus ab omnibus fidelibus „tenendam definit", infallibilem, ideoque talem thesim seu assertionem categoricam obiective veram esse (cf. pag. CII); si autem Ecclesia vel Romanus Pontifex rem quandam de fide et moribus asserit quidem, sed eam definire non vult, eam docere non intendit, non infallibilis est, ideoque talis assertio simplex obiective falsa esse potest, quia Ecclesia vel Romanus Pontifex tum infallibilitate pollet, cum „doctoris munere fungens" doctrinam de fide vel moribus ab omnibus „tenendam definit": in hoc casu tantum Deus assistentia sua negativa auctores humanos decretorum (cf. pag. CI) ab errore servat, quemadmodum dogmate revelato instituimur (cf. pag. CII); in aliis casibus auctores humani absolute loquendo errare possunt (cf. pag. XXV). Longe aliter res se habent in inspiratione. Scriptores inspirati non solum tum errare nequeunt, cum doctrinam de fide vel moribus directe docere volunt vel eam definire seu decidere intendunt, sed quotiescumque de re qualicumque ut inspirati iudicant: eam asserunt aut negant. Iudicia, assertiones aut negationes, auctorum inspiratorum *qua talium* (cf. pag. XCII) semper cum obiectivitate conveniunt, nisi manifeste indicent, se de obiectivitate non loqui (cf. pag. XXXVIII). Ratio est, quod auctores inspirati qua tales propter positivam assistentiam divinam ea omnia *eaque sola* apte infallibili veritate expresserunt, asseruerunt aut negarunt, quae *Deus* iuberet: Deus autem „nullius omnino erroris" auctor esse potest (cf.

pag. XL et LXXXIX). Sive directe rem quandam nos docere vult, sive indirecte (cf. pag. XL) de re quacumque iudicat: iudicium Dei semper verum, semper decisivum et irreformabile est.

Interpretes „progredientes“ concedunt, assertiones categoricas seu iudicia categorica auctorum inspiratorum cum obiectivitate convenire vel obiective vera esse. Si adiectivum *categorici* sensu philosophico acciperent, ita ut iudicia categorica sint talia, in quibus praedicatum de subiecto absolute (non hypothetice) affirmatur aut negatur, omnino concordes essemus (cf. pag. XXXVIII). Sed iuxta „progredientes“ assertiones categoricae idem sunt ac theses seu doctrinae, quas auctor directe docere vult seu intendit.

c) Distinguendum est inter veritatem absolutam et relativam necnon inter errorem formalem et materialem. Quaelibet sententia hagiographorum si non absolute, saltem relative vera est; errores materiales in sententiis hagiographorum contineri possunt, non vero formales. — Quid logici de veritate et errore docent? Veritas logica est „adaequatio (conformitas) intellectus et rei, secundum quam intellectus dicit esse quod est, et non esse quod non est“ (cf. Grimmich, Lehrbuch 154). Error autem est „assensus falsae propositioni adhibitus vel dissensus a propositione vera“ (Egger, Propaedeutica philosophica-theologica, Brixinae 1902, pag. 103). Error est formalis, si homo sciens falso iudicio assentit; materialis, si insciens id facit (cf. Grimmich, l. c. 160). — Quid autem interpretes „progredientes“ de veritate et errore docent? Veritas absoluta est conformitas sententiae cum ipsa obiectivitate; veritas relativa autem est conformitas cum opinionibus aetatis cuiusdam (cf. Peters, Die grundsätzliche Stellung, pag. 42. 65; Höpfl, Das Buch der Bücher, pag. 150 s.; vide et pag. XXXVI supra) vel cum intentione scriptoris (cf. Nikel, Alte und neue Angriffe, pag. 41; Die Glaubwürdigkeit, pag. 23 ss.). Errorem Höpfl (l. c. pag. 150) definit scribens: „De errore ibi tantum loqui possumus, ubi vera institutio (wirkliche Belehrung) intenditur. . . . Si sententia Bibliorum scientias profanas spectans (eine profanwissenschaftliche Angabe der Bibel) non accurate cum veritate convenit, error non formalis, sed materialis tantum est.“

Quid ad assertiones „progredientium“ dicendum est? Logice falsum est, nos ibi tantum de errore loqui posse, ubi vera institutio intenditur. Secundum logicos error est „assensus falsae propositioni adhibitus“ (cf. pag. CIV); utrum institutio intendatur an non, utrum quis coram aliis publice an in occultis pectoris sui falso iudicio adhaereat, omnino indifferens est: quotiescumque quis falso iudicio adhaeret, errat. Item logice falsa sunt, quae Höpfl (l. c.) de distinctione erroris tradit. Iuxta ipsum error formalis adesset, si scriptor institutionem intendens aliquid assereret, quod cum obiectivitate non convenit; quia autem Deus et hagiographi in rebus profanis institutionem non intendunt, asserta hagiographorum cum obiectivitate non convenientia errores materiales dumtaxat nominari possent. At fundamentum divisionis erroris formalis et materialis non est institutio intenta aut non intenta, sed scientia falsi iudicii habita aut non habita (cf. pag. CIV). — Quod ad distinctionem veritatis absolutae et relativae attinet, repeto quod iam pag. XXXVIII cum logicis dixi. Iudicia categorica assertoria semper obiectivitatem respiciunt, nisi explicite contrarium notetur: sunt vera, si cum obiectivitate conveniunt; sunt falsa, si cum ea non conveniunt.

Si scriptor inspiratus manifestat, se non de obiectivitate iudicare, sed ea tantum referre velle, quae opiniones aetatis cuiusdam (traditiones vel monumenta) de obiectivitate exhibeant, quin ea sua faciat vel approbet; vel si manifestat, se non *facta* sed *ficta* narrare velle, ut veritatem quandam illustret; vel si facta aut doctrinas non oratione soluta sed poetica proponit: quaedam sententiae eius absolute loquendo falsae esse seu cum obiectivitate pugnare possunt; nihilominus relative verae dici possunt, si opiniones aetatis (traditiones vel monumenta) accurate referunt aut cum intentione scriptoris inspirati conveniunt, quatenus veritatem vel factum, quod exponere voluit, apte exprimunt. Iam antiqui distinxerunt: historiam sensu stricto, qua *fa*cta narrantur; fabulam et parabolam, quibus *fi*cta referuntur (cf. Hetzenauer, Epitome 10); poema, quo facta vel doctrinae licentia poetica proponuntur.

E. g. hagiographus in 1 Mach. 8, 1—16 narrat, quae Iudas de Romanis *audierit,* quin ea sua faciat vel approbet: in versibus 4. 6. 7. 8. 15. 16 nonnulla continentur, quae obiective seu absolute falsa sunt; nihilominus relative vera dici possunt, quia cum fama conveniunt, quam Iudas *audivit* et hagiographus litteris consignavit. Lucas 18, 1 scribens: *Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare et non deficere,* et referens, quid Iesus de iudice iniquo narraverit, vocabulo *parabolae* manifestat hanc narrationem non facta sed ficta continere, quibus Christus efficaciam orationis assiduae illustrare voluit. Auctor libri Iob, qui 38, 4—11 Deum de creatione poetice loquentem inducit, hac ipsa forma scribendi ostendit, se licentia poetica uti, quare singulae phrases non nimis premendae sunt: sufficit, si factum vel doctrina, quam hagiographus illustrare intendebat, istis versibus apte exprimitur. — Acatholici critici conciliantes historiam primitivam statuunt, quae in substantialibus pro vera haberi debeat, in particularibus tamen fabulosa esse possit (cf. pag. XXIII s.). Hoc genus historiae catholici critici conciliantes ab acatholicis adoptarunt (cf. pag. XXIV), sed male fecerunt. Acatholici inspirationem Bibliorum negant (cf. pag. XXIV) ideoque in Scriptura fabulosa, falsa admittere possunt. Catholici autem, qui inspirationem sensu ecclesiastico intellectam (cf. pag. LXXXIX ss.) retinent, sic distinguere debent: si hagiographi manifestarent, se in substantialibus tantum, non vero in particularibus *facta* narrare voluisse, in particularibus *ficta* admittere possemus; reapse autem hagiographi id non manifestant, ergo ne in particularibus quidem quae qua tales et proprio nomine loquentes asserunt, falsa contineri possunt (cf. pag. XCII).

Secundum acatholicos criticos conciliantes adest igitur in Scriptura genus scribendi, quo vera cum falsis miscentur. Hummelauer (Exegetisches, pag. 8 ss.; vide et Peters, Die grundsätzliche Stellung, pag. 52 ss. 73, necnon Nikel, Die Glaubwürdigkeit, pag. 24 ss., sententias eius repetentes) varias species huius generis distinguit, scilicet: *a)* carmen epicum historicum, quo non solum facta poetice narrantur, verum etiam additamenta quaedam ab auctore finguntur, e. g. in Sap. 16 et 17. Sed Hummelauer ante omnia demonstrare debuerat, hagiographum ista addidamenta non e fontibus historicis hausisse sed reapse finxisse, quam

demonstrationem vero sequens vestigia acatholicorum (cf. pag. LXXXVIII) omittere voluit. Quae de Ps. 135, 15 dicit, nullius pretii sunt, ut in Theolog. bibl. Vet. Test., pag. 108, ostendimus. *b)* Historia religiosa quae aedificationem intendit et iuxta hunc finem materias eligit et sermones conficit. Hummelauer probabilissime ad libros Paralipomenon respicit eosque cum acatholicis minus axiopistos iudicat quam libros Regum. Verumtamen, ex eo quod in libris Paralipomenon bona narrantur et mala tacentur, non sequitur narrationem non veram esse: esset falsa, si mala negarentur (cf. pag. LXXI). *c)* Historia antiqua. Opinatur, hagiographos historiam criticam, etiam in particularibus veram, scribere nequivisse, eo quod fontes historicos neque conquirere neque diiudicare potuerint: uno nomine methodum historico-criticam adhibere nequiverint. Hummelauer non attendit, hagiographos plus habuisse quam methodum historico-criticam, videlicet positivam assistentiam divinam, qua ea omnia eaque sola apte infallibili veritate expresserunt quae Deus ipse iuberet. *d)* Traditio popularis et familiaris. Nucleus eius historicus est, sed involucrum huius nuclei phantasia popularis creavit. Talem traditionem popularem Hummelauer in Genesi vocabulo *toledoth, generationum* (cf. pag. XVII s.) insinuatam vidit, utique contra usum loquendi. Nam *toledoth, generationes* iuxta lexicographos celeberrimos (Gesenius-Roediger, Fürst, Gesenius-Buhl) non traditionem popularem, sed historiam significat. *e)* Narratio libera, ita nominata, quia quoad formam atque etiam materiam libera est: in substantialibus vera, in particularibus autem ficta est. In hoc genus libros Ruth, Iudith, Esther, Tobias contribuere videtur. Sed in textu horum librorum critice tractato et rite explicato nihil invenitur, quod fictum dici debeat. Legas ea quae in Theol. bibl. Vet. Test. de istis libris scripsimus. *f)* Midraš, et quidem haggadicus est libera retractatio narrationis biblicae, qua veritas quaedam religiosa inculcetur. Fundamentum midraši plus minusve historicum, expolitio autem inculcationi veritatis accommodata est. Ut demonstret, tale genus scribendi in Bibliis occurrere, Hummelauer ad 2 Par. 13, 22 et 24, 27 appellat. In loco priore *midraš prophetae Addo,* in altero *midraš libri Regum* commemoratur. Licet LXX (et Vulgata) in 13, 22 *ἐπὶ βιβλίῳ τοῦ προφήτου Ἀδώ,* in 24, 27 *ἐπὶ τὴν γραφὴν τῶν βασιλέων* reddant, concedimus nomen מִדְרָשׁ commentarium significare (ergo midraš halachicus = commentarius legum): negamus vero, commentarios ab hagiographo citatos falsa continuisse: nam e modo citandi sequitur, hagiographum narrationes istorum commentariorum pro veris habuisse. In aliis libris midraš non commemoratur. *g)* Narratio prophetica, apocalyptica, qua eventus futuri praenuntiantur; haec vera est, si eventibus futuris conformis sit, quamvis cum praeteritis forsitan pugnet. E. g. Scholz catholicus tam historiam Tobiae quam historiam Iudith allegorias messianas-propheticas declaravit, sed verbis sensum subiecit, quem usu loquendi et contextu demonstrare nequit. Cuius explicationem libri Iudith protestans Zöckler (Die Apokryphen des Alten Testaments, München 1891.

pag. 187) hypothesim parum idoneam (unhaltbar), conatum vanum, interpretationem coactam appellat; explicationem libri Tobiae vero pag. 164 „mysticas ineptias (mystische Spielereien)“ nominat. Protestantem acerbe quidem sed recte iudicasse, in Theol. bibl. Vet. Test., pag. 261 et 286, videre poteris. Quomodo Peters (Die grundsätzliche Stellung, pag. 72—77) tales ineptias mysticas adhuc defendere audeat, utique pavide et timide, comprehendi nequit. — Hagiographi itaque non manifestant, se in substantialibus tantum non vero in particularibus facta narrare; ergo ne in particularibus quidem errores admitti possunt, si proprio nomine et qua tales loquuntur (cf. pag. XCII).

Scripsimus pag. CV, sententias quasdam biblicas absolute falsas esse posse, si hagiographi indicant, se ea dumtaxat referre velle quae fontes exhibeant, quin iudicium suum manifestent. Secundum interpretes „progredientes“ autem haec conditio toties impletur, quoties hagiographi aut explicite ad fontes provocant aut plures relationes eiusdem facti discrepantes referunt, quominus eas inter se concilient. Nikel (Die Glaubwürdigkeit, pag. 17) asserit: „Scriptor etiam tum sine dubio iudicium facere non vult, cum explicite ad fontem suum provocat.“ Verumtamen in hac re diligenter distinguendum est. Si scriptor usu loquendi indicat, se narrationes fontium pro veris habere et hoc consilio fontes citare, ut sententias suas veras comprobet: sine dubio iudicium facit. Etiam auctores pure humani communiter idcirco fontes citant, quod narrationes eorum vera iudicant eisque asserta sua demonstrare volunt. Si autem scriptor usu loquendi manifestat, se relata tantum referre velle, quin ea approbet: sine dubio iudicium facere non vult. E. g. scriptores libri 3. et 4. Regum atque libri 1. et 2. Paralipomenon ita fontes citant, ut iam pag. XCIV notavimus, ut videamus eos narrationes eorum pro veris habuisse. Scriptor libri 1. Machabaeorum (12, 19 ss.) autem rescriptum Spartiatarum, in quo ipsi de genere Abraham esse celebrantur, ita refert ut nullum iudicium faciat. Ergo assertum Nikeli aliorumque, sine distinctione enuntiatum, cum obiectivitate non convenit.

Idem Nikel affirmat: „Ubicumque scriptor plures fontes de uno eventu loquentes inducit, ipse de illa re iudicare non intendit“ (Alte und neue Angriffe, pag. 28). „Id ibi saltem non accidit, ubi auctor plures, circa singula discrepantes

relationes coniungere vult, quin differentias plane componat (Die Glaubwürdigkeit, pag. 17). „Hic manifeste citationes implicitae adsunt, i. e. auctor nihil asserit, sed refert iuxta fontes, quin eos nominet; periculum (Verantwortung) pro veritate relationum suarum fontibus suis relinquit, quia differentias componere non conatur“ (Alte und neue Angriffe, pag. 27). Respondeo: si in Sacra Scriptura reapse plures relationes de eodem eventu inter se pugnantes invenirentur, conclusio „progredientium“ recta esset. Nam evidens est, e duabus vel pluribus relationibus eiusdem eventus sibi contradicentibus unam dumtaxat veram esse posse, reliquas autem falsas esse debere (cf. Nikel, Alte und neue Angriffe, pag. 24. 38). Attamen, in textu critice probabiliore Sacrae Scripturae relationes reapse (cf. pag. LXX s.) sibi contradicentes nullibi inveni, quamquam septies et quidem attentissime totam Scripturam perlegi. Nikel (Das Alte Testament, pag. 23) quidem factum non refutandum dicit, adesse tales relationes inter se pugnantes, sed exempla quae exegetae „progredientes“ afferunt, in foro logicae non valent. Praeter exempla pag. LXX—LXXVI examinata et refutata iterum iterumque tres relationes de morte Antiochi Epiphanis afferunt, de quibus Nikel (Alte und neue Angriffe, pag. 27) confidenter asserit, eas inter se conciliari nequire, quam assertionem in Theol. bibl. Vet. Test., pag. 355 s., diffuse examinavi atque falsam monstravi. Auctorem libri 2. Machabaeorum periculum (Verantwortung) pro veritate relationum suarum fontibus suis relinquere, quemadmodum „progredientes“ unanimiter conclamant, non verum esse pag. XCV diximus.

d) Distinguendum est in Sacra Scriptura inter nucleum religiosum (elementum primarium vel formale) et corticem profanum (elementum secundarium vel materiale). Nucleus sunt res seu doctrinae fidei et morum a Deo revelatae ideoque obiective seu absolute verae; cortex sunt res seu doctrinae profanae (physicae et historicae), quibus veritates religiosae involvuntur ac proponuntur: hae doctrinae profanae ab hominibus traduntur, ideoque relative tantum verae sunt, obiective falsae esse possunt. Deus enim in Sacra Scriptura res ad salutem necessarias, non autem res profanas pro

salute aeterna indifferentes docere vult. „In consideratione sit primum, monet Leo XIII. (Providentissimus 55), scriptores sacros, seu verius ‚Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines nulli saluti profutura' (S. Aug., De Gen. ad litt., II, 9. 20)." Videas Peters (Die grundsätzliche Stellung, pag. 41 s. 44. 50; Bibel und Naturwissenschaft, pag. 24. 34. 39; Glauben und Wissen, pag. 24 s.; Papst Pius X. und das Bibelstudium, pag. 58 s.) necnon Schulz (Doppelberichte, pag. 21), qui sententias Patris Hummelauer et Patris Lagrange repetunt.

Audiamus professorem Peters, qui sequentia tradit: „Inter revelationem et inspirationem acriter distinguitur. . . . Quod a Deo est, super omnem errorem elevatum est. Nam Deus errare nequit neque auctor erroris esse potest. Quod autem ab hominibus est, humanum est, et hic humanum adhaere potest, error. Et hoc nonnumquam accidit in rebus ad scientias physicas pertinentibus. Auctores enim sacrorum librorum in his rebus alumni aetatum suarum (Kinder ihrer Zeit) erant. . . . In his veritatibus religiosis, in nucleo Sacrarum Scripturarum, utique gratiâ inspirationis a potentia errandi remoti erant. Heic igitur inerrantia Sacrae Scripturae absoluta est. In illa materia autem — est cortex sacrorum librorum — eorum sententia et propositio est aequalium suorum, ideoque inerrantia librorum eorum conditionalis est" (Die grundsätzliche Stellung, pag. 41 s.). — „Utrum terra circa solem feratur, an sol circa terram; utrum sol ante lucem, an lux ante solem creata sit; utrum lepus ruminans sit an non . . . hae sunt quaestiones, ad quas scientia physica, non fides respondet" (ibi, pag. 42 s.). — Utrum canticum Annae (1 Reg. 2, 1—10) a matre Samuelis sic dictum sit, ut in Bibliis legitur, an a scriptore inspirato compositum et Annae attributum sit, pro finibus salutis indifferens est neque axiopistiam essentialem historiae Samuelis tangit. Idem de *Magnificat,* de oratione Salomonis (3 Reg. 8, 23—53), de oratione montana (Matth. 5, 3 ss.) valet. Utrum Antiochus Epiphanes prae tristitia magna mortuus sit (1 Mach. 6, 13) an de curru cadens et gravi corporis collisione vexatus obierit (2 Mach. 9, 1—28) an in templo Naneae a sacerdotibus lapidatus sit (2 Mach. 1, 10b—17), pro finibus salutis indifferens est neque axiopistiam essentialem historiae illius periodi tangit. Ob rationes fidei religiosae axiopistia essentialis tantum „fundamenti historici historiae salutis" postulanda est, non inerrantia absoluta in accidentalibus (ibi, pag. 56—59).

Iterum adest confusio inspirationis Scripturae cum infallibilitate Ecclesiae. Deus per Ecclesiam homines res fidei et morum necnon res cum eis insolubiliter connexas docere vult

et in hisce dumtaxat negativa sua assistentia auctores humanos decretorum ab errore servat (cf. pag. CI); res profanas, physicas vel historicas, cum rebus fidei et morum non insolubiliter connexas, per Ecclesiam homines docere non vult, neque pro his negativam suam assistentiam promisit, quare auctores humani decretorum in rebus profanis errores proponere possunt. Aliter res se habet in inspiratione. Lubentissime concedimus, Deum in Sacra Scriptura homines „intimam adspectabilium rerum constitutionem" docere noluisse, ut Leo XIII. cum S. Augustino affirmat; simul tamen cum eodem Leone XIII. firmiter retinemus et constanter repetimus, quod catholici critici conciliantes constanter tacent, scilicet Deum positiva sua assistentia esse auctorem Scripturae universae ideoque hagiographos „ea omnia eaque sola quae ipse iuberet" apte infallibili veritate expressisse (cf. pag. LXXXIX): quare assertiones scriptorum inspiratorum qua talium (cf. pag. XCII) etiam in rebus profanis, physicis et historicis, obiective falsae esse nequeunt, quia non „ab hominibus" sed a Deo sunt, qui nullius erroris auctor esse potest. Essentialis differentia haec est: si Ecclesia de rebus pure profanis loquitur, puri homines loquuntur, qui in his rebus ne negativa quidem assistentia divina gaudent, ergo errare possunt; si vero hagiographi qua tales de istis rebus loquuntur, ipse Deus per eos loquitur (cf. pag. XC), qui errare nequit.

Sed videamus, quales sint rationes quibus „progredientes" probare volunt, hagiographos in rebus profanis errores enuntiare potuisse, quamvis Deus sit auctor Scripturae universae. Sunt sequentes: *a)* Imbecillitas seu imperfectio scriptorum in genere, quae inspiratione non ablata sed Sacrae Scripturae sic impressa est (Peters, Die grundsätzliche Stellung, pag. 44. 58), ut locus serratim scissus (Scharte) securis fabri aedium in tigno vestigium relinquit (Peters, Glauben und Wissen, pag. 18). — Repono: Deus hagiographos inspirans imbecillitates seu imperfectiones eorum utique non abstulit, sed positiva sua assistentia effecit, ut non obstantibus imbecillitatibus seu imperfectionibus ea omnia eaqua sola apte infallibili veritate exprimerent quae ipse iuberet, ut Leo XIII. docet (cf. pag. LXXXIX): Deus autem iubere nequivit, ut hagio-

graphi qua tales (cf. pag. XCII) in rebus profanis errorem enuntiarent. Comparatio a Peters facta non pro eo, sed pro nobis loquitur. Nam securis locum serratim scissum (Scharte) habens a fabro aedium adhibita relinquit quidem in tigno vestigium imperfectionis suae, sed nihilominus tam apte illud edolat, ut tignum cum voluntate fabri conveniat et in domo collocetur. Ita etiam hagiographi a Deo adhibiti reliquerunt quidem in Scriptura vestigia imperfectionis suae (cf. pag. XLI), sed nihilominus apte infallibili veritate ea expresserunt, quae Deus voluit, qui nullius erroris auctor esse potest. Instat autem Peters aliam comparationem assumens (Die grundsätzliche Stellung, pag. 49), scilicet: Sicut peccata fiunt, licet Deus non sit auctor peccati; ita in Bibliis errores sunt, licet Deus auctor erroris esse nequeat. Si Peters notionem inspirationis a Leone XIII. traditam observasset, infelicem hanc comparationem omisisset. Peccata utique patrari possunt, licet Deus non sit auctor peccati, quia auctor peccati sola voluntas creaturae est; in assertionibus autem imbecillorum scriptorum inspiratorum qua talium (cf. pag. XCII) errores adesse nequeunt, quia auctor horum errorum non imbecillitas humana, ut Peters supponit, sed voluntas Dei esset, quatenus hagiographi imbecilli ea sola apte infallibili veritate expresserunt quae ipse iuberet. — Neque felicius alii comparatione sequenti usi sunt: quamquam Deus est auctor mundi, paradisi, caeli, angelorum et hominum, tamen peccata in iis inventa sunt: ita quamquam Deus est auctor Scripturae, tamen errores in ea inveniri possunt. Respondeo: sicut in origine *cuncta, quae Deus fecerat, erant valde bona* (Gen. 1, 31); ita etiam Scripturae in origine apte infallibili veritate confectae erant. Et sicut postea in mundum, paradisum, caelum, angelos et homines peccatum intravit, cuius Deus non auctor sed permissor erat; ita postea in Scripturas errores irrepere potuerunt, quorum Deus non auctor sed permissor est. In origine Scripturae Deus hagiographis positive astitit; in conservatione eius Ecclesiae negative tantum assistit. His simul ad obiectionem quandam „progredientium“ respondimus, qui nobis opponunt: absoluta innerrantia Scripturae originalis in rebus profanis supervacanea erat, quia postea errores in eam irrepse-

runt, ut omnes concedunt (cf. Peters, Die grundsätzliche Stellung, pag. 57). Refutatio huius obiectionis in antecedentibus continetur: absoluta inerrantia Scripturae originalis non supervacanea sed omnino necessaria erat, ne Deus auctor errorum fieret.

β) Imperfectae cognitiones hagiographorum in specie. In rebus profanis (physicis et historicis) hagiographi nullam revelationem supernaturalem acceperunt; proinde erant alumni aetatis suae (Kinder ihrer Zeit), stabant in fastigio (Niveau) temporis sui, sustinebant sententias et opiniones hominum quibuscum conversabantur (Milieu social), atque in Scriptura quoque eas expresserunt: in rebus physicis iuxta apparentiam externam, in rebus historicis iuxta fontes scribebant. Ita Peters (Die grundsätzliche Stellung, pag. 54—58; Bibel und Naturwissenschaft, pag. 9—11. 18. 24; Glauben und Wissen, pag. 15—18); cf. et Höpfl (Das Buch der Bücher, pag. 149 s.) — Examinemus assertiones singulas. Ultro concedimus hagiographos, utpote alumnos aetatis suae, sententias et opiniones aequalium suorum habuisse; concedimus eos veras sententias eorum suas facere et in Scriptura exprimere potuisse; concedimus eos etiam falsas opiniones eorum ut opiniones alienas referre potuisse, quin eas approbarent vel suas facerent: negamus vero hagiographos *qua tales* (cf. pag. XCII) opiniones falsas aequalium suorum approbasse vel suas fecisse et in Scriptura expressisse, quia ea sola apte infallibili veritate expresserunt quae Deus iuberet, Deus autem assertionem erroris (cf. lit. γ) iubere nequit (cf. pag. LXXXIX).

Attamen: hagiographi in rebus physicis iuxta apparentiam seu speciem externam, non iuxta intimam constitutionem rerum scripserunt (cf. pag. CX); ergo aliquid obiective falsum asseruerunt. Nequaquam. Etenim obiectiva est rerum intima constitutio, sed obiectiva quoque est earum apparentia seu species externa. Secundum constitutionem rerum internam Deus loqui noluit: voluit loqui secundum apparentiam earum externam (Leo XIII., Providentissimus, pag. 55): talis locutio autem etiam cum obiectivitate convenit, ergo logice vera est. Instant: hagiographi, utpote alumni aetatis suae, subiective putarunt, apparentiam externam semper cum

interna constitutione rerum convenire, ideoque errorem enuntiarunt. Respondeo: hagiographi ea sola expresserunt, quae Deus iuberet; Deus autem non iuxta internam rerum constitutionem, sed iuxta apparentiam earum externam loqui voluit: ergo hagiographi externam dumtaxat apparentiam expresserunt. Quid ipsi scribentes subiective cogitaverint vel qualem sensum sententiis subiecerint, ad rem non pertinet (cf. pag. XCI). — Instant. In rebus physicis *apparentia externa* cum constitutione interna mox convenit mox non convenit; in rebus historicis *fontes* cum rebus reapse gestis mox conveniunt mox non conveniunt. Atqui hagiographi in physicis iuxta apparentiam externam etiam tum scribere potuerunt cum a constitutione interna discreparet, quia apparentia externa aliquid obiectivum est, ideoque locutio apparentiae accommodata cum obiectivitate congruit et vera dici debet. Ergo consequenter hagiographi in historicis iuxta fontes etiam tum scribere potuerunt cum a rebus reapse gestis discreparent, quia fontes quoque aliquid obiectivum sunt, ideoque locutio fontibus accommodata cum obiectivitate congruit et vera dici debet. Haec argumentatio certo splendida est et splendore suo oculos multorum virorum catholicorum praestringit, in foro durae ac ferreae logicae autem concidit atque exstinguitur. Internam rerum physicarum constitutionem Deus *non* vult docere (cf. lit. γ); e contrario vult loqui iuxta apparentiam earum externam: idcirco locutiones eius, quae obiectivitatem apparitionis externae, non autem obiectivitatem constitutionis internae respiciunt, reapse cum *obiectivitate a Deo intenta* conveniunt seu verae sunt. In historicis autem Deus generatim, ut usus loquendi et contextus commonstrant, *ipsas res gestas docere*, non solum iuxta fontes referre *vult*, et idcirco locutiones cum obiectivitate rerum gestarum non convenientes logice falsae essent, *utpote cum obiectivitate a Deo intenta pugnantes*, quamvis cum fontibus obiective praeiacentibus congruerent. Si usu loquendi et contextu demonstrari potest, Deum per hagiographos loquentem in quibusdam locis narrationes fontium tantum referre, iuxta fontes dumtaxat loqui, non autem de obiectivitate ipsarum rerum gestarum iudicare velle: sententiae hagiographorum respectu obiectivitatis rerum

gestarum falsae esse possunt, ut pag. XCIVs. iam diximus. — Sed fontes hagiographorum (monumenta et traditiones) certo falsa quaedam continere potuerunt; hagiographis autem methodus historico-critica, qua vera a falsis secernuntur, omnino ignota erat: ergo e fontibus nonnulla falsa in scripta sua transferre potuerunt. Respondeo: methodus historico-critica hagiographis utique ignota erat; gaudebant tamen supernaturali illustratione divina, qua verum a falso multo melius secernere potuerunt, quam qualibet methodo historico-critica humana.

Interpretes „progredientes" confidenter negant, hagiographos in rebus profanis (physicis et historicis) revelationem supernaturalem accepisse. Nikel (Alte und neue Angriffe, pag. 26) scribit: „Praeterea semper hoc retineri debet, auctores biblicos in rebus physicis revelationem specialem non recepisse, quae eos super aequales suos elevasset." Rationem huius affirmationis Peters (Bibel und Naturwissenschaft, pag. 11; Glauben und Wissen, pag. 16—18), a quo Nikel omnino dependet, affert: revelatio rerum profanarum non necessaria, immo fini salutis contraria fuisset. Repono: generatim loquendo revelatio supernaturalis non necessaria fuit, praesertim in rebus physicis, ubi hagiographi iuxta apparentiam externam scribebant; etiam in rebus historicis illustratio supernaturalis generatim sufficiebat. In singulis autem istis casibus, in quibus hagiographi *sine speciali revelatione supernaturali verum scribere nequibant*, revelatio supernaturalis prorsus necessaria fuit. Nam hagiographi ea omnia eaque sola apte infallibili veritate scripserunt, quae Deus iuberet; quod si haec naturali modo scire non poterant, Deus supernaturali modo eis revelare debuit: *qui enim finem vult, etiam media ad finem consequendum necessaria velle debet*, docent philosophi. E. g. modum creationis mundi nullus homo naturali ratione scire potest; historiam temporum *antiquissimorum* homo ca. 1500 a. Chr. n. naturali ratione valde difficile scire potuit, quemadmodum omnes consentiunt: si nihilo secius usu loquendi et contextu demonstrare possumus, Deum per hagiographos modum creationis mundi atque res antiquissimis temporibus gestas nos docere *voluisse*, revelatio supernaturalis necessaria erat. Quomodo Peters talem revela-

tionem, a veracitate Dei per hagiographos loquentis postulatam, fini salutis contrariam nominare possit, percipere nequeo. Nam verba Ecclesiastae (3, 11) *et mundum tradidit disputationi eorum* a Peters allegata nihil probant, quia in textu originali sic legimus: „etiam aeternitatem posuit in corde eorum“ (vide Commentarios in h. l.).

γ) Finis Sacrae Scripturae, quae institutionem rerum religiosarum dumtaxat tradere vult seu intendit, non vero institutionem rerum profanarum. Sententiae hagiographorum de rebus profanis sunt media ad finem religiosum consequendum; sunt formulae, quibus res religiosae proponuntur: possunt obiective falsae esse, sufficit quod res religiosas apte exprimant. Sicut stilus minus accuratus vel orthographia falsa pretium doctrinarum libri scientifici non tangit; sicut nos in concionibus vel catechesibus ad proponendas et illustrandas veritates religiosas doctrinis atque opinionibus physicorum necnon historicorum uti possumus, quae forsitan obiective falsae sunt: ita etiam hagiographi ad proponendas veritates religiosas formulis et opinionibus uti potuerunt, quae illo tempore verae habebantur sed nunc falsae agnitae sunt, quia pretium veritatum religiosarum non tangunt. Videas Peters (Die grundsätzliche Stellung, pag. 54; Bibel und Naturwissenschaft, pag. 24. 38s. 41; Glauben und Wissen, pag. 18—21. 25. 34) et Höpfl (Das Buch der Bücher, pag. 149—151).

Distinguo quoad singula. Puri homines in concionibus et catechesibus utique doctrinas atque opiniones physicorum necnon historicorum adoptare et suas enuntiare possunt, quae obiective falsae sunt; hagiographi inspirati qua tales autem opiniones falsas numquam suas facere et ut tales enuntiare possunt (cf. pag. XC). — Stilum minus accuratum et orthographiam falsam pretium doctrinarum libri scientifici non tangere concedimus, si auctor libri stilum non accuratum et orthographiam non veram iudicat et declarat; at sententiae hagiographorum de rebus physicis et historicis enuntiatae cum stilo et orthographia comparari nequeunt, quia iudicia categorica assertoria obiectivitatem respicientia sunt, quod de stilo et orthographia sub conditione supra nominata dici nequit. — Quod Sacra Scriptura institutionem rerum

profanarum non intendat, ultro concedimus. Libenter subscribimus sententiam S. Augustini (De act. cum Fel. Man. 1, 9) a Peters et Höpfl allegatam: „Non legitur in Evangelio Dominum dixisse: mitto vobis Paracletum, qui doceat vos de cursu solis et lunae. Christianos enim facere volebat, non mathematicos", necnon sententiam Galilei ab Hasert (Antworten der Natur, pag. 14) citatam: „Sacra Scriptura docet, quomodo in caelum eamus, non autem quomodo caelum eat." Ex his tamen non sequitur, hagiographos in rebus profanis errores enuntiare potuisse, quia inspiratio cum infallibilitate non confundi debet (cf. pag. CI s.). Si vero Peters (Glauben und Wissen, pag. 19; Die grundsätzliche Stellung, pag. 41) versum 7. capitis 4. epistolae *2.* (non *1.* ut Peters in utroque libello scribit) ad Corinthios invocat: *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus*, respondemus hunc versum opiniones eius nequaquam probare. S. Paulus enim non de inspiratione, sed de luce Evangelii vel de munere apostolico (cf. pag. XCIII) loquitur, quod in corpore fragili habebat (cf. Bisping et Cornely in h. l.); ergo locus quaestionem nostram non tangit.

δ) Factum, quod Sacra Scriptura in rebus profanis reapse errores contineat. Ita Peters (Bibel und Naturwissenschaft, pag. 21 ss. 39 ss.), Nikel (Alte und neue Angriffe, pag. 35; Die Glaubwürdigkeit, pag. 14 s.), Höpfl (Das Buch der Bücher, pag. 149 ss.). E contrario ego in textu probabiliore Scripturae ne unum quidem errorem verum detexi, licet toties attentissime totam Sacram Scripturam perlegerim (cf. pag. CIX). At, non statuamus assertiones contra assertiones, sed examinemus errores ab adversariis nostris inventos. Quinque tantum, sed maxime patentes nominabo.

In Gen. 1, 3—31 hagiographus narrat, quomodo mundus sex diebus formatus sit. In qua narratione Peters (Glauben und Wissen, pag. 1—3 et 7—11) duplicem errorem reperit affirmans, iuxta scientias naturales mundum neque sex diebus 24 horarum neque ordine in hexaemero notato formatum esse posse. Ut hos errores sustinere ac defendere queat, contendit vocabulum *diei* sine dubio spatium 24 horarum, non autem periodum longiorem significare (l. c. pag. 8 s.), et ordinem in

hexaemero notatum sine dubio chronologicum esse (l. c. pag. 9). Utraque assertio falsa est. Tam in Theol. bibl. Vet. Test., pag. 496 ss., quam in Comment., pag. 39 ss., demonstravi, ordinem in hexaemero notatum non chronologicum sed psychologicum esse, ut in Evangelio S. Matthaei; vocabulum *diei* autem non necessario spatium 24 horarum significare, verum etiam periodum longiorem indicare posse. Quam alteram affirmationem, a multis criticis Gallis, Germanis, Italis reprobatam, Commissio biblica die 30. Iunii 1909 defendit, declarans vocem *iom, diei* etiam „sensu improprio pro quodam temporis spatio“ sumi posse: quo sensu in Catechismo a Pio X. praescripto sumitur (cf. pag. 40 s.). — In Gen. 2, 10—14 refertur: „Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quattuor capita. Nomen uni *Phison*. . . . Et nomen fluvii secundi *Gehon*. . . . Nomen vero fluminis tertii, *Tygris* (Chiddekel) . . . Fluvius autem quartus, ipse est *Euphrates*.“ In his sententiis iuxta Engelkemper (Die Paradiesesflüsse, pag. 47) hagiographus horrendum errorem geographicum enuntiavit, asserens Tigrim et Euphraten, *Indum* (vel *Gangem*) et *Nilum* ex uno eodemque fonte excurrisse, ante ingressum in hortum fluvium unicum constituisse, at post egressum ex eo in quattuor fluvios divisum esse. Verumtamen, ubi hagiographus dicit, Indum (vel Gangem) et Nilum cum Tigri et Euphrate eundum fontem habuisse et cum eis unum fluvium constituisse? Hagiographum *Phisone* Indum (vel Gangem) et *Gehone* Nilum significare, Engelkemper affirmat quidem, sed nullo principio hermeneutico demonstrare potest (cf. Comment., pag. 52 ss., et Theol. bibl. Vet. Test., pag. 24 s.). Non in sententiis hagiographi, sed in explicatione arbitraria Engelkemperi horrendus error geographicus patet. — Apud Ios. 3, 16 scriptum est: „steterunt aquae descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes apparebant . . . quae autem inferiores erant, in Mare solitudinis . . . descenderunt“. Ergo si Psalmista (113, 3) asserit: *Iordanis conversus est retrorsum*, errorem obiectivum enuntiat. Ita quidam progredientes cum protestante Duhm (in Psalmum citatum). Attamen, si rivo agger obiicitur, ut in montanis ob fines varios fieri solebat et solet, reapse aquae infra aggerem defluunt, aquae ante aggerem

vero intumescunt instar montis seu collis et in alveo convertuntur retrorsum, quod saepius propriis oculis meis observabam.

Evidenter Marcus et Matthaeus quoad verba Christi apostolos mittentis sibi contradicunt, ita ut unus amborum necessario erraverit. Haec assertio progredientium valde plausibilis videtur. Nam Marcus (6, 8s.) narrat: „Et praecepit eis ne quid *tollerent, αἴρωσιν,* in via, *nisi virgam tantum:* non peram, non panem, neque in zona aes, sed *calceatos sandaliis, ὑποδεδεμένους σανδάλια,* et ne induerentur duabus tunicis." E contrario Matthaeus (10, 9s.) refert: *„Nolite possidere, μὴ κτήσησθε,* aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, *neque calceamenta, ὑποδήματα, neque virgam."* Dicunt, evangelistas sibi contradicere non quoad tegmina pedum, cum Marcus de sandaliis, Matthaeus autem de calceis loquatur, sed quoad virgam seu baculum: secundum Marcum baculus apostolis licitus, secundum Matthaeum vero prohibitus erat. In veritate tamen evangelistae sibi non contradicunt, quia diversa verba vel praedicata adhibuerunt. Dominus apostolis secundum Marcum permisit, ut baculum *tollerent, αἴρωσιν·* secundum Matthaeum vero prohibuit, quominus baculum *acquirerent et possiderent, μὴ κτήσησθε.* Similiter S. Lucas verba Domini retulit: *Μηδὲν αἴρετε εἰς τὴν ὁδὸν μήτε ῥάβδον . . . ἔχειν* i. e. Nihil tuleritis in viam neque baculum . . . *ut habeatis* seu possideatis (cf. *Wahl, Clavis Novi Testamenti philologica, et Passow ad ἔχω). Quod si praedicatum diversum est, contradictio abest (cf. pag. LXXs.). — Apud Matth. 27, 5—7 legimus: „Et proiectis argenteis in templo, recessit: et abiens laqueo se suspendit. . . . Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem." In Act. 1, 18s. autem S. Petrus dicit: „Et hic (Iudas) quidem possedit (vel emit, ἐκτήσατο) agrum de mercede iniquitatis, et suspensus (vel potius *et praeceps factus, καὶ πρηνὴς γενόμενος*) crepuit medius: et diffusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama,

hoc est, ager sanguinis." Schulz (Biblische Zeitschrift, 1909, pag. 153 s.) hic duas relationes inter se pugnantes detexit vel potius ex *Holtzmann (Die Apostelgeschichte, Tübingen 1901, pag. 27 s.) et *Wendt (Die Apostelgeschichte, Göttingen 1899, pag. 71 s.) exscripsit. Ager iuxta Matth. 27 propter sanguinem Christi, iuxta Act. 1 propter sanguinem Iudae fusum Haceldama nominatus est, et quilibet scriptor inspiratus relationem sibi notam suam fecit; atqui ex duabus relationibus contrariis una tantum vera esse potest: ergo unus scriptor inspiratus falsum quid asseruit. Ita Schulz. Respondeo: in Matth. 27 utique asseritur, agrum propter mercedem mortis (Blutgeld) Christi, qua sacerdotes eum emerant, Haceldama vocatum esse; sed idem in Act. 1 quoque affirmatur. Notum enim factum est omnibus habitantibus Ierusalem, Iudam *de mercede iniquitatis* agrum possedisse vel emisse, non quidem immediate sed mediate, quatenus „emendi agri auctor exstitit" (cf. *Wahl, Clavis Novi Testamenti philologica, Lipsiae 1843, pag. 282); notum factum est eis etiam, Iudam crepuisse medium (forsitan in eodem agro): et propter utramque hanc causam, propter effusum sanguinem Christi et propter effusum sanguinem proditoris, ager Haceldama vocatus est (cf. Bisping in h. l.; cf. et Knabenbauer in h. l.). S. Petrus vel S. Lucas (cf. Commentarios) alteram causam nominis adiungens, priorem non negat. Si cui haec explicatio non arriserit, verba *ita ut apellaretur* cum verbis *mercede iniquitatis* coniungere, atque verba *suspensus crepuit* usque *habitantibus Ierusalem* inter uncinos legere potest. Sive hoc sive illo modo textum explicaveris, relationes inter se non pugnant, neque scriptores inspirati sibi contradicunt (cf. et *Zöckler, Die Apostelgeschichte, München 1894): ergo neuter errorem enuntiavit. Num forsitan de genere mortis Iudae sibi contradicunt, et unus eorum errat? Nequaquam. Communissima enim est antiquiorum et recentiorum conservantium explicatio: Iudas *laqueo se suspendit* (Matth.), deinde rupto fune vel ramo arboris *praeceps factus* est (cf. Bisping et Knabenbauer in h. l.). — Si quinque hi maxime patentes errores non in textu biblico, sed in phantasia quorundam interpretum dumtaxat exsistunt, concludere possumus, quid de erroribus minus horrendis sentiendum sit (cf. pag. LXXI ss.).

ε) Doctrina Leonis XIII. Peters (Bibel und Naturwissenschaft, pag. 44) affirmat, Leonem XIII. sine dubio in Bibliis „elementa formalia obiective falsa" supponere, et pag. 59 concludit, sua aliorumque principia per Leonem XIII. in litteris Encyclicis *Providentissimus Deus* sollemniter „urbi et orbi" pronuntiata esse (nimirum ut recta, non ut falsa). Qui litteras Encyclicas vel saltem sententias pag. LXXXIX ss. citatas perlegerit easque cum principiis professoris Peters aliorumque „progredientium" comparaverit, obstupefactus et admiratus interrogabit, quomodo Peters asserere possit, principia sua a Leone XIII. „urbi et orbi" ut recta pronuntiata esse. In libello „Die grundsätzliche Stellung", pag. 48 s., nobis respondet, famosam sententiam Leonis XIII. allegans: „Haec ipsa *principia* deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri."

Verumtamen, Peters textum non accurate citat: in textu enim originali Latino (etiam in editione Friburgensi, pag. 57, quam citat) vocabulum *principia* deest. Quo omisso sensus verborum Leonis XIII. constat. Verba *Haec ipsa* iuxta grammaticam (e. g. Schultz) et lexicon (e. g. Georges) linguae Latinae, quam Leo XIII. optime callebat, ad immediate antecedentia referenda sunt, in quibus Summus Pontifex exponit, certa quaedam a speculatoribus naturae tradita postea repudiata esse, et scriptores physicorum quandoque terminos disciplinae suae transgredi atque in provinciam philosophorum invadere. *Haec ipsa* deinde ad historiam praesertim iuvabit transferri, ait Leo XIII. Quare? Quia etiam historici terminos disciplinae suae transgrediuntur et nonnulla tradunt, quae postea repudiabuntur. Papa verbo *transferri* immediate adiungit: „Dolendum *enim*", multos antiquitatis monumenta etc. nimis infesto animo nec satis aequo iudicio sed saepius eo consilio perscrutari, ut erroris labes in sacris Libris deprehendant; eos libris profanis nimium fidere, sacris autem ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe discussa fidem abnuere. Demum Leo XIII. concludit: „*nefas* omnino fuerit . . . concedere sacrum ipsum *errasse* auctorem", atque negat: „scriptoribus inspiratis *quidpiam falsi elabi*" potuisse. Ergo famosa illa sententia Leonis XIII., iuxta usum

loquendi et contextum explicata, principia „progredientium“ minime approbat.

Illam sententiam non ad ea respicere, quae Papa antea (in editione Friburgensi, pag. 55) de assertionibus hagiographorum in rebus physicis docuerat, ex iis quoque elucet quae pag. CXIV scripsimus. Nam sensus: sicut hagiographi in rebus physicis iuxta apparentiam, non iuxta constitutionem internam scripserunt, ita in historicis iuxta fontes, non iuxta ipsas res gestas scribere potuerunt, cum veritate pugnaret, quemadmodum loco citato monstravimus.

Leo XIII. in litteris Encyclicis *Providentissimus Deus* principia interpretum liberalium seu progredientium non approbavit, sed e contrario reprobavit. Engert, propter liberales suas sententias excommunicatus, in libello „Die Urzeit der Bibel“, pag. 5, profitetur, in istis litteris „damnationis sententiam“ dici in „école large“, et in omnes qui in rebus profanis errores admittunt.

ζ) Sententia S. Hieronymi, Doctoris maximi in exponendis Sacris Scripturis. Duo praesertim loci sunt, quos interpretes „progredientes“ ad confirmanda sua principia adducunt. In Ier. 28, 10 ss. scribit: „Septuaginta prophetam non dixere Hananiam, ne scilicet viderentur dicere, qui non erat, quasi non multa in Scripturis Sanctis dicantur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat. Denique et Ioseph in Evangelio pater Domini vocatur, et ipsa Maria, quae sciebat se de Spiritu Sancto concepisse . . . loquitur ad Filium: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce, ego et pater tuus dolentes quaerebamus te. . . . Et hic in Septuaginta Hananias propheta non dicitur, cum secundum Hebraicum Scriptura Sancta prophetam vocet. . . . Sed historiae veritas et ordo servatur, sicut praediximus, non iuxta id quod erat, sed iuxta id quod illo tempore putabatur.“ In Matth. 14, 9 quoque scribit: „Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Ioseph ab ipsa quoque Maria appellabatur pater Iesu, ita et nunc Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant. Dissi-

mulator enim mentis suae et artifex homicidii tristitiam praeseferebat in facie, cum laetitiam haberet in mente."

Assertio S. Hieronymi, multa in Scripturis non iuxta rei veritatem sed iuxta opinionem temporis dici, principia interpretum progredientium confirmare videtur, si extra contextum legitur, minime vero si in contextu consideratur. Hagiographus nominat quidem Hananiam prophetam, sed in eodem capite addit, eum falsum prophetam fuisse; Evangelistae vocant quidem Iesum filium Iosephi, sed diserte notant, eum putativum filium fuisse; Matthaeus narrat, Herodem contristatum esse: hoc verum fuit quoad apparentiam externam et probabilius etiam quoad affectum internum (cf. Bisping et Pölzl in h. l.). In talibus casibus hagiographos iuxta opinionem temporis loqui posse, nos quoque admittimus (cf. pag. XXXVIII). — S. Hieronymum nobiscum consentire, Commentarius eius in epistolam ad Philemonem ostendit, in quo praeter alia legimus: „Credit quispiam in conditorem Deum; non potest credere, nisi prius crediderit de sanctis eius vera esse quae scripta sunt: *Adam a Deo plasmatum, Evam ex costa illius et latere fabricatam, Enoch translatum, Noe naufrago solum orbe servatum;* quod primus Abraham . . . quod Isaac oblatus victima sit . . . quod Moyses et Aaron decem plagis Aegyptum afflixerint; quod ad vocem filii Nave precesque steterit sol in Gabaon et luna in valle Aialon. . . . Haec et cetera, quae de sanctis scripta sunt, nisi quis universa crediderit, in Deum sanctorum credere non valebit nec adduci ad fidem Veteris Testamenti, nisi quaecumque de Patriarchis et Prophetis et aliis insignibus viris narrat historia, comprobarit."

Recentiore tempore plures interpretes catholici pronuntiarunt, „absolutam inerrantiam ad essentiam inspirationis pertinere non posse". Vide Nikel (Die Glaubwürdigkeit, pag. 9), qui pag. 37 affirmat: „Reverentia Sacrae Scripturae et studium conservandae dignitatis eius ad liberaliorem perceptionem essentiae inspirationis deduxit." Interpretes isti catholici certe bonam intentionem habuerunt, sed falsam omnino viam elegerunt. Negantes absolutam Scripturae inerrantiam, sensu pag. XCII ss. declarato, non solum Traditioni Ecclesiae

quae semper plenam inerrantiam retinuit (Engert, Die Urzeit, pag. 4) evidenter contrarii sunt, verum etiam infeliciter inter duas molas devenerunt. Nam postquam Leo XIII. de sententiis hagiographorum res physicas vel historicas continentibus locutus est et „scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi" potuisse negavit, praeter alia adiungit: „Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum *quidpiam falsi* contineri posse existiment, ii profecto aut *catholicam* divinae inspirationis *notionem pervertant,* aut Deum ipsum erroris faciant auctorem." Interpretes ad catholicam „scholam liberalem vel progredientem" pertinentes inter haec duo *aut* stare, examen principiorum eorum nobis monstravit. —

Examinemus iam *explicationes* locorum quorundam Genesis cum principiis „progredientium" logica consequentia coniunctas. Videbimus, interpretes „progredientes" summam investigationum protestantium adoptare atque saepius locos biblicos contra usum loquendi et contextum explicare, ut istam summam cum dogmatibus catholicis conciliare possint. In paginis sequentibus etiam ad libros professoris Minocchi et Patris Bonaccorsi respiciam, qui in Italia principia et placita Patris Lagrange divulgarunt.

De creatione mundi. In Gen. 1, 1—2, 3 refertur, quomodo Deus caelum et terram creaverit, mundum sex diebus formaverit, septimo die quieverit. In Gen. 2, 4—25 creatio Adae, plantatio paradisi et plantarum eius, translatio Adae in paradisum, creatio animalium in terra et in aere conversantium, creatio Evae et adductio eius ad Adam narratur.

Protestantes radicales haec asserunt: adsunt duae relationes creationis inter se pugnantes; auctores duarum relationum non solum factum creationis, sed etiam modum vel historiam scribere voluerunt; ambo ad finem suum consequendum mythis gentium purgatis usi sunt; duae relationes pro nobis nullum pretium scientificum habent. Videas Gunkel et Holzinger.

Catholici conservantes moderati sequentia affirmant: duae relationes inter se non pugnant, sed altera relatio est repetitio et amplificatio creationis arborum, animalium et hominum (cf. pag. LXXII); tam in priore quam in posteriore

auctor non solum factum creationis sed etiam modum vel historiam eius scribere voluit, ut Patres et Doctores Ecclesiae sentiebant, quare concludere debemus Deum talem scriptionem iusisse, quia hagiographi ea sola scribere voluerunt, quae Deus iussit (cf. pag. XC); modum vel historiam creationis homo non e ratione naturali, sed e revelatione supernaturali dumtaxat scire potest, uti patet, quare Deus ea revelare debuit, quia scriptionem eorum iussit; utrum iam Adae modum vel historiam creationis revelaverit (quod probabilius est) an posteris eius, pro explicatione istorum capitum Genesis parum refert; non solum veritates religiosas, sed etiam modum vel historiam creationis pro veris habere debemus, quia hagiographi iussu Dei modum vel historiam creationis scribere volentes, errare nequibant (cf. pag. XC s.); hagiographi non iuxta internam constitutionem rerum, sed iuxta apparentiam loquuntur (cf. pag. CX), quo sensu e. g. *firmamentum, aquae super firmamentum, luminare maius et minus* intelligenda sunt; iuxta notissimum principium hermeneuticum, a Leone XIII. iterum inculcatum, litteralis sensus proprius relinquendus et improprius accipiendus est, quoties ratio proprium tenere prohibet (cf. Hetzenauer, Epitome, pag. 103), quare e. g. *diem* non sensu proprio spatium 24 horarum sed sensu improprio spatium longius seu periodum accipiunt et phrases *requievit ab universo opere, formavit de limo terrae, plantavit paradisum, adduxit animalia, aedificavit costam in mulierem* etc. non sensu proprio et crasso sumunt ac si Deus lassus, figulus, hortulanus, pastor, anatomicus fuisset (ut quidam conservantibus maligne supposuerunt), sed sensu litterali improprio declarant, quem in Commentario invenies; ordo *dierum* seu periodorum non chronologicus sed psychologicus est, ut in Evangelio S. Matthaei (cf. pag. 40 s.); instar hebdomadae divinae hebdomada humana instituta est (cf. pag. XCIII).

Catholici liberales moderati seu „progredientes“ docent: adsunt duae relationes creationis inter se pugnantes (cf. pag. LXXI s.); contrariae sunt inter se non quoad veritates religiosas sed quoad modum vel historiam creationis, quare concludere debemus hagiographos inspiratos nucleum religiosum quidem, non autem corticem profanum docere

voluisse (cf. pag. CIX); nucleus religiosus seu veritates religiosae sunt sequentes: Deus unus est dominus mundi non pars mundi, mundus initium habet, Deus unus in tempore eum creavit, plene eum creavit, bene eum creavit ut totum bene ordinatum et harmonicum, homo iuxta imaginem Dei creatus est, omnia in mundo pro homine destinata sunt, ipsi Deus dominium creaturarum tradidit, homo a Deo dependet et cultui creatoris septimum quemlibet diem consecrare debet (Peters, Glauben und Wissen, pag. 31 s.); reliquae sententiae relationum cortex profanus sunt et cum opinionibus Semitarum aetatis illius conveniunt (ibi pag. 33 ss.), iuxta quas hagiographi locuti sunt et scripserunt (cf. pag. CIX); veritates religiosae, utpote a Deo revelatae, absolute verae sunt; reliquae sententiae, utpote ab hominibus traditae, relative tantum verae sunt (cf. pag. CIV), si obiective erroneae sunt, nihil interest, quia hagiographi eas docere noluerunt (cf. pag. CIII); phrases *firmamentum, aquae super firmamentum* etc. iuxta ea intelligenda sunt, quae antiqui Semitae de rerum natura statuerunt (nach der altsemitischen Weltanschauung); *dies* sensu proprio accipiendi et ordo chronologicus retinendus est (cf. pag. CXVII s.); hebdomada humana non ideo instituta est quod Deus revera sex diebus mundum formaverit et septimo quieverit, sed hebdomadam divinam instar hebdomadae humanae hagiographus finxit, ut praeceptum sabbati sanctificandi inculcaret (Peters, ibi pag. 38); de modo creationis hominis nihil enuntiat (ibi pag. 61), idea evolutionistica (Entwicklungsgedanke) ad corpus hominis extendi poterit (ibi pag. 57 s.); narratio creationis Evae symbolum est (ibi pag. 62).

Hanc explicationem relationum creationis omnes interpretes *catholicae* scholae liberalis moderatae seu „progredientis" vere scientificam habent atque in libris, libellis et periodicis celebrant, quare non mirandum est, quod plurimi viri saeculares quoque eam ut scientificam et veram adoptaverint. In rebus quibusdam accidentalibus dissentiunt varii interpretes, in substantialibus autem omnes consentiunt. Non obstante hoc unanimi consensu „progredientium" exegetarum explicatio scientifice falsa est, quam assertionem statim demonstro.

Ante omnia philologice et logice et hermeneutice falsum est, adesse duas relationes inter se pugnantes, ut „progredientes" cum protestantibus contendunt. Hoc iam pag. LXXII demonstravi. Propterea etiam conclusio, quam ex contrarietate relationum deducunt, hagiographos modum vel historiam creationis docere noluisse, falsa est. Reapse usus loquendi et contextus ostendunt, hagiographos non solum factum sed etiam modum vel historiam creationis enarrare voluisse, quomodo interpretes antiquiores, recentiores ac recentissimi, tam catholici et acatholici conservantes quam acatholici radicales, (e. g. Wellhausen, Holzinger, Gunkel) consensu unanimi docent. Audiamus Gunkel scribentem: „Auctorem non solum id intendere, ut ideam religiosam creationis illustret, sed etiam realem eventum originis mundi narrare velle, numquam negandum erat" (Genesis, pag. 119). „Nemo umquam negare debuerat, nostram narrationem veram historiam esse velle . . . Apud theologos adhuc omne possibile est" (Genesis, pag. 36). Audiamus Wellhausen: „Vult sine dubio realem eventum originis mundi ad verum exprimere, vult theoriam cosmogonicam tradere" (Prolegomena zur Geschichte Israels, Berlin 1905, pag. 296). Eadem Holzinger asserit. Et hoc est *ulcus mortiferum systematis* „progredientium", quod nonnulla capita Scripturae *contra evidentem* et ab exegetis, alioquin inter se valde contrariis, agnitum *usum loquendi et contextum* explicare non verentur (cf. et pag. XXXVss.). Si autem hagiographus modum vel historiam creationis enarrare, theoriam cosmogonicam tradere voluit (Wellhausen), iuxta ipsa principia „progredientium" errare non potuit (cf. pag. XXXVI). Ceterum, etiamsi hagiographus non docere, non instituere voluisset vel intendisset, nihilominus sententiae eius obiective falsae esse nequirent, quia iudicia categorica assertoria sunt, quin significetur ea non obiectivitatem respicere (cf. pag. XL).

Dies non sensu proprio accipi debere, pag. CXVIII monstravi. Minocchi (La Genesi, sez. II, pag. 23) concedit quidem, quod „la parola *giorno* in italiano come in ebraico e in tantissime altre lingue si adoperi talvolta come espressione di tempo indeterminato", negat autem hanc significationem

impropriam in priore relatione creationis admitti posse. Sed iuxta principium hermeneuticum iam a S. Augustino traditum propria significatio vocabuli dimitti et impropria admitti debet, quando ratio propriam retinere prohibet. Atqui ratio seu scientia physicorum hodie nos prohibet, quominus significationem propriam vocabuli retineamus (pag. 39 s.). Ergo impropriam sumere possumus, immo debemus. — Assertio, hebdomadam divinam instar hebdomadis humanae ab hagiographo fictam esse, evidenter assertioni ipsius Dei (cf. pag. XCIII) opposita, ergo necessario falsa est. — De creatione Adae et praesertim Evae in Commentario scripsimus. — Interpretes „progredientes“ cum catholicis conservantibus contra protestantes radicales inspirationem Scripturae retinent; at cum protestantibus radicalibus contra catholicos conservantes docent, modum vel historiam creationis obiective veram in relationibus Genesis non contineri; ut hanc assertionem cum inspiratione Scripturae conciliare possint, contra catholicos conservantes atque contra protestantes radicales affirmant, hagiographum modum vel historiam creationis enarrare seu docere noluisse: itaque inter catholicos ac protestantes eos impugnantes seu inter duas molas eos conterentes devenerunt (cf. pag. XXIV).

De paradiso terrestri. In Gen. 2, 8—14 situs paradisi, arbores eius, praesertim arbor vitae necnon arbor scientiae boni et mali, fluvius paradisum irrigans describuntur; in Gen. 2, 16. 17 praeceptum non comedendi de arbore scientiae boni et mali promulgatur; in Gen. 3, 1—24 tentatio serpentis loquentis, peccatum Evae et Adae, sequelae peccati, deambulatio Domini Dei in paradiso ad auram post meridiem, inquisitio et sententia iudicis contra serpentem, Evam et Adam pronuntiata, promissio redemptoris, appellatio Hevae, vestes protoparentum, eiectio eorum de paradiso, Cherubim paradisum custodientes commemorantur.

Protestantes radicales omnes, ut Minocchi (La Genesi, sez. II, pag. XVIII) scit et confitetur, asseverant scriptorem capitum 2. et 3. Genesis res reapse gestas narrare velle; Holzinger (Genesis, pag. 37) diserte notat, narrationem horum capitum neque „in genere“ neque „in singulis“

allegoriam esse velle. Asseverant, scriptorem mythis gentium purgatis usum esse. Asseverant, narrationem scriptoris, qua ipse utique obiectivitatem depingere voluit, nihilominus cum obiectivitate non convenire, sed mythum esse quo quaestio solvatur, quare homo nunc pati debeat (cf. pag. 96).

Catholici conservantes moderati cum Patribus et Doctoribus Ecclesiae consentiunt: hagiographus inspiratus in Gen. 2 et 3 veram i. e. cum obiectivitate congruentem historiam tradere voluit, quod usus loquendi et contextus comprobant; quaedam phrases narrationis sensu improprio accipi possunt, si ratio seu scientia id postulat (cf. pag. 96); quia hagiographus obiectivitatem depingere voluit narratio eius reapse cum obiectivitate congruit seu absolute vera est (cf. pag. CVIII).

Catholici liberales moderati seu „progredientes" dicunt, scriptorem capitum 2. et 3. Genesis mythis gentium purgatis usum esse, ut factum peccati originalis doceret (Minocchi, La Genesi, sez. II, pag. 112). Veritates religiosae, quae in narratione continentur, hae sunt: Deus unus hominem in statu felicissimo creavit; praesens status infelix generis humani est effectus positivae culpae hominis, quae in eo consistebat, quod homo dominio Dei se subtrahere voluit; ista prima culpa ex parte seducenti actioni potentiae Mali ascribenda est, quae mysteriose in scientiam humanam agebat; Deus generi humano statim redemptionem promisit (cf. Minocchi, l. c. pag. 117 s.). Hae veritates religiosae absolute verae sunt (cf. pag. CIX); involucrum tamen harum veritatum non absolute seu obiective, sed relative tantum verum est (cf. pag. CIX). Obiectivam veritatem sequentibus abiudicant: quod hortus a Deo plantatus et homo in eo collocatus fuerit; quod arbor vitae necnon arbor scientiae boni et mali in eo fuerint; quod fluvius per istum hortum fluxerit et post egressum in quattuor fluvios divisus sit; quod Adae et Evae de arbore scientiae boni et mali edere non licuerit; quod serpens loquens Evam ad peccatum induxerit; quod Dominus Deus visibiliter in horto deambulaverit atque cum serpente, Adam et Eva sensibiliter locutus sit; quod verbis illis formali-

bus redemptor promissus sit; quod Deus protoparentibus vestes fecerit eosque e horto eiecerit; quod ante portam Cherubim cum gladio custodes collocaverit (cf. Minocchi, l. c. pag. 66ss., praes. 75. 81—84). Ut hanc negationem veritatis obiectivae cum inspiratione hagiographi conciliare possint, affirmant hagiographum res mox enumeratas docere noluisse, earum veritatem obiectivam asserere noluisse (cf. Minocchi, l. c. pag. 81).

At haec affirmatio est evidenter contra usum loquendi et contextum qui commonstrant, scriptorem reapse de obiectivitate loqui atque veram historiam narrare velle, quemadmodum interpretes catholici et acatholici unanimiter docent, exegetis „progredientibus“ solis exceptis. Holzinger diserte et consulto notat, scriptorem neque „in genere“ neque „in singulis“ allegoriam dare velle. Si autem hagiographus historiam obiective veram narrare voluit, si iudicia eius ipsam obiectivitatem respiciunt, sententiae eius reapse absolute, non tantum relative verae esse debent (cf. pag. XL).

Interpretes „progredientes“ explicationem conservantium moderatorum ut ridiculam et antiscientificam diffamarunt. Sed quaero: num ridiculum est, quod Deus voluntate seu iussione (non manibus corporalibus, ut patet) hortum deliciarum plantavit et homini habitationem designavit? num ridiculum est, quod Deus fructibus arboris virtutem naturalem vel supernaturalem contulerit, qua corpori humano vitam conservare posset? etiam explicatio de arbore scientiae boni et mali a conservantibus proposita nullatenus ridicula est (cf. pag. 51): num ridiculum est, quod fluvius de Eden egrediens et hortum irrigans post egressum ex horto in quattuor fluvios divisus sit? num ridiculum est, quod Deus comestionem fructuum unius arboris prohibuit, ut obedientiam protoparentum probaret? (cf. pag. 56s.); num ridiculum est, diabolum per serpentem naturalem ad Evam locutum esse? (cf. pag. 66ss. 78ss.): serpentem iuxta textum biblicum ante punitionem non in terra serpere debuisse, ut Minocchi (l. c. pag. 75) cum Gunkel, Holzinger et Ieremias asserit, falsum est (cf. Comment., pag. 75): num ridiculum est, quod Dominus Deus forma visibili in horto

apparuit, cum hominibus familiariter conversatus est, ad eos atque ad diabolum sensibiliter locutus est? etiam Christus, verus Deus, in terris apparuit, cum hominibus conversatus est, ad eos atque ad diabolum sensibiliter locutus est; num ridiculum est, quod Deus iustus et misericors protoparentes inobedientes ex horto deliciarum eiecit, sed vestes necessarias eis providit? Deum iuxta interpretes conservantes munere sartoris functum esse, maligna suppositio est (cf. pag. 86 s.). Quid de gladio custodientium Cherubim sentiendum sit, etiam conservantes interpretes incertum dicunt et probabiles tantum explicationes proferunt (cf. pag. 88 ss.).

Si Minocchi (l. c. pag. 82) nos docet, paradisum ab itinerantibus et investigantibus viris in tota terra non inventum fuisse, respondemus paradisum iuxta sententiam conservantium probabiliter usque ad diluvium dumtaxat permansisse (cf. pag. 50). Si vero idem Minocchi pag. 83 s. adiungit, iuxta caput 2. Genesis, si historicum esset, Adamum iam lingua Hebraica locutum fuisse, reponimus nullam vocem capitis hanc assertionem confirmare. Quod in libro Hebraice scripto verba Adami Hebraice citantur, non magis probat Adamum linguam Hebraicam calluisse, quam verba agricolae Germani in Latino opere Latine citata probant, hunc agricolam Germanum linguam Latinam callere. Neque annominatio in 2, 23 *'iš išša* aliquid probat, quia sic imitatio annominationis linguae originalis esse potest uti *vir vira*, *Mann Männin* imitationes annominationis linguae Hebraicae sunt (cf. pag. 64).

Interpretes „progredientes“ contra protestantes cum conservantibus inspirationem retinentes, sed contra conservantes cum protestantibus obiectivam veritatem historicam capitis 2. et 3. Genesis negantes, ideoque contra conservantes catholicos atque contra protestantes radicales affirmantes, hagiographum partes pag. CXXIX enumeratas docere noluisse, iterum infeliciter inter duas molas devenerunt (cf. pag. CXXVIII).

Propter explicationes trium priorum capitum Genesis, quas in Commentario et in Theologia biblica Vet. Test., pag. 488—512, typis descripsi, plures viri conviciis me consectabantur, etiam tales qui numquam in studia exegetica incubuerunt. Inter haec convicia responsa

Commissionis biblicae „De charactere historico trium priorum capitum Geneseos", die 30. Iunii 1909 a Summo Pontifice approbata iusto gaudio me affecerunt. Quaesita et responsa sunt sequentia:

„I. Utrum varia systemata exegetica, quae ad excludendum sensum litteralem historicum trium priorum capitum libri Geneseos excogitata et scientiae fuco propugnata sunt, solido fundamento fulciantur? Resp. *Negative.*

„II. Utrum non obstantibus indole et forma historica libri Geneseos, peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu, multiplici testimonio Scripturarum tum Veteris tum Novi Testamenti, unanimi fere sanctorum Patrum sententia ac traditionali sensu, quem, ab israelitico etiam populo transmissum, semper tenuit Ecclesia, doceri possit, praedicta tria capita Geneseos continere non rerum vere gestarum narrationes, quae scilicet obiectivae realitati et historicae veritati respondeant; sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticae accommodata; vel allegorias et symbola, fundamento obiectivae realitatis destituta, sub historiae specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte fictitias ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas? Resp. *Negative* ad utramque partem.

„III. Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt: uti sunt, inter caetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis; peculiaris creatio hominis; formatio primae mulieris ex primo homine; generis humani unitas; originalis protoparentum felicitas in statu iustitiae, integritatis et immortalitatis; praeceptum a Deo homini datum ad eius obedientiam probandam; divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio; protoparentum deiectio ab illo primaevo innocentiae statu; nec non Reparatoris futuri promissio? Resp. *Negative.*

„IV. Utrum in interpretandis illis horum capitum locis, quos Patres et Doctores diverso modo intellexerunt, quin certi quippiam definitique tradiderint, liceat, salvo Ecclesiae iudicio servataque fidei analogia, eam quam quisque prudenter probaverit, sequi tuerique sententiam? Resp. *Affirmative.*

„V. Utrum omnia et singula, verba videlicet et phrases, quae in praedictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipienda sint sensu proprio, ita ut ab eo discedere numquam liceat, etiam cum locutiones ipsae manifesto appareant improprie, seu metaphorice vel anthropomorphice, usurpatae, et sensum proprium vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere? Resp. *Negative.*

„VI. Utrum, praesupposito litterali et historico sensu, nonnullorum locorum eorumdem capitum interpretatio allegorica et prophetica, prae-

fulgente sanctorum Patrum et Ecclesiae ipsius exemplo, adhiberi sapienter et utiliter possit? Resp. *Affirmative.*

„VII. Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico more docere; sed potius suae genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, sit in horum interpretatione adamussim semperque investiganda scientifici sermonis proprietas? Resp. *Negative.*

„VIII. Utrum in illa sex dierum denominatione atque distinctione, de quibus in Geneseos capite primo, sumi possit vox *Yôm* (dies), sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio, deque huiusmodi quaestione libere inter exegetas disceptare liceat? Resp. *Affirmative.*“

De charactere historico capitum IV—XI necnon XII—L. Nikel (Alte und neue Angriffe), pag. 16, narrationibus de Patriarchis antediluvianis, de diluvio, de aedificatione turris Babylonicae, de confusione linguarum sicuti narrationibus de paradiso et peccato protoparentum nucleum dumtaxat historicum adiudicat; pag. 42 autem narrationes de Patriarchis *„fabulas locales (Lokalsagen)“* cum nucleo historico nominat. Premit vestigia Patris Lagrange et Patris Hummelauer.

Sed qualia sunt argumenta, quae pro assertionibus suis afferunt? Omnes „progredientes“ interpretes in narrationibus Genesis nimia miracula conspiciunt. Verissime Badino (Della questione biblica, Siena e Montefalco 1907, pag. 18) scribit: „Sono i miracoli, sempre i miracoli, unicamente i miracoli, che fanno ombra e paura ai nostri neocritici.“ Protestantes systemati evolutionismi addicti miracula impossibilia dicere et consequenter characterem narrationum miraculosarum negare debent. In veritate tamen miracula possibilia sunt, ut philosophi demonstrant, quare narratio miraculosa etiam vera esse potest (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 7s. 11). — Hummelauer e nomine *toledoth,* decies occurrente (cf. pag. XVIIs.), deducit, hagiographum traditiones familiares referre non vero approbare velle (cf. pag. CVIss.). At *toledoth* iuxta doctissimos lexicographos non traditiones familiares, sed historias rerum gestarum significat, quare omnes catholici conservantes omnesque protestantes radicales asserunt, hagiographum veras

rerum gestarum narrationes scribere velle. „La persuasione che quei capitoli come proprio storici fossero dati al momento in cui divennero Scrittura inspirata . . . è pur quella in generale dei critici protestanti, i quali, riconoscendo quei capitoli come simbolici, nondimeno affermano che i sacri scrittori intesero darceli come storia“ (Minocchi, La Genesi, sez. II, pag. XVIII). — Lagrange inter eventus narratos (praesertim ab Adam usque Abraham) et narratorem inspiratum spatium nimis longum videt atque iudicat, facta historica per tot saecula non pure conservari ac tradi potuisse. At relegas ea, quae pag. LXXXIII et praesertim CXV de hac causa scripsimus.

Minocchi (l. c. pag. 148 s.) contra characterem historicum narrationum vitae Patriarcharum producit: quod tardissime primogenitum genuerint, quod longissime vixerint, quod chronologia eorum verae aetati generis humani contraria sit. Repono: filii primo loco nominati non sunt primo loco geniti, sed maiores Abrahae et Christi. Ita Hummelauer contra Dillmann (cf. pag. 116). De longaevitate Patriarcharum pag. 123 s. locuti sumus. — Quod ad chronologiam attinet, inter genuinam chronologiam Scripturae et veras investigationes historicorum contradictio esse nequit. Sed plures numeri in Scriptura corrupti sunt, ut in Theol. bibl. Vet. Test. saepius notavi, ac discrepantia textus Hebraici hodierni et Samaritani confirmat (cf. pag. 121). Quam facile et quam notabiliter a librariis et typographis numeri aut permutatione aut translatione litterarum corrumpantur, quilibet corrector pagellarum testari potest. In Commentario et in Theol. bibl. saepe numeris praepositionem *circa* praeposui, quia eos dubios iudico. Deinde ad chronologiam historicae profanae „iuvabit transferri“, quod „certa quaedam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata“ (Leo XIII., Providentissimus, 57). Videas pag. 181, ubi variae variorum sententiae enumerantur. Denique in genealogiis biblicis membra intermedia omissa esse possunt (cf. pag. 180 s.). — Plura in ipso Commentario invenies.

Finem huius paragraphi faciens repeto quae iam in principio dixi: neque negavi neque nego, catholicos interpretes liberales moderatos seu „progredientes“ esse doctos, esse

pios; eos habere mentem ecclesiasticam, habere bonam intentionem: hoc unum tantum dico, eos viam non rectam ingressos esse, systema et principia eorum scientifice falsa esse. Pro qua assertione argumenta plura supra prolata, alia in promptu sunt. Videbimus, utrum conservans an liberalis schola catholica victoriam reportet. Pater Lagrange in periodico „Theologisch-praktische Quartalschrift“ (Linz 1908, pag. 25) *caput spirituale scholae modernae* nominatur. Unus ex fidelissimis discipulis et admiratoribus eius est Minocchi, qui propter defensionem principiorum et explicationum magistri sui spiritualis per auctoritatem ecclesiasticam a divinis suspensus est (cf. La Genesi, sez. I, pag. IV. VII. IX) et in consequentia ad protestantes transiit (cf. Das neue Jahrhundert, Augsburg, 13. Juni 1909, pag. 279). Hic ipse in ephemeride „La Voce“ (Firenze, 10 Giugno 1909, pag. 106) scribit: „E il P. Lagrange, l'unico vero scienziato, con i suoi scolari, fra gli esegeti catholici odierni, *è oggi definitivamente sconfitto,* e se le cose non mutano radicalmente — e dove sono i motivi a sperarlo? — si può dire anche purtroppo *un uomo finito.*“ Ergo Pater Lagrange cum schola sua iam definitive devictus et homo desperatus est. Revera, schola quae contra usum loquendi et contextum, prima principia hermeneuticae generalis, locos biblicos explicat, scientifice desperata est.

II. Celebriores commentarii catholici in Genesim.

Tempore sanctorum Patrum (a I. usque ad VIII. saeculum). *S. Hippolyti* Fragmenta in hexaemeron. *Origenis* Fragmenta in omnes libros et homiliae in quattuor priores. *S. Ephremi* Commentarii in Pentateuchum. *S. Basilii* Homiliae in hexaemeron. *Diodori Tarsensis* Fragmenta in Genesim. *S. Gregorii Nysseni* Explicatio apologetica in hexaemeron; De hominis opificio. *S. Chrysostomi* Homiliae et sermones in Genesim. *S. Hieronymi* Quaestiones Hebraicae in Genesim; De situ et nominibus locorum Hebraicorum. *Theodori Mopsuesteni* Fragmenta in Genesim. *S. Augustini* De Genesi contra Manichaeos libri duo; De Genesi ad litteram imperfectus liber; De Genesi ad litteram libri duodecim; Locutionum libri septem; Quae-

stiones in Heptateuchum; Confessionum libri XI. XII. XIII. *Theodoreti Cyrensis* Quaestiones in Genesim. *S. Bedae Venerabilis* Hexaemeron sive libri quattuor in principium Genesis; Commentarii in Pentateuchum.

Tempore medio (a saeculo IX. usque ad 1517). *Rabani Mauri* Commentarii in Genesim. *Brunonis Astiensis* Expositio in Pentateuchum. *Ruperti Tuitiensis* Commentarii in Genesim. *Nicolai Lyrani* Postilla. *Alphonsi Tostati* Commentaria in Genesim. *Dionysii Carthusiani* Enarrationes in Genesim.

Tempore recentiore (a 1517 usque ad 1909) *Pererii* Commentarii in Genesim. *Cornelii a Lapide* Commentaria in Genesim. *Cornelii Iansenii Iprensis* Pentateuchus sive Commentarius in quinque libros Moysis. *Bonfrerii* Pentateuchus Moysis commentario illustratus. *Calmeti* Commentarius in Genesim. *Lamy* Commentarium in librum Geneseos (Mechliniae 1883). *Tappehorn,* Erklärung der Genesis (Paderborn 1888). *Crellier,* La Genèse (Paris 1895).

Alia opera exegetica, catholica et acatholica, pag. XI ss. enumerata sunt. Quoties in Commentario Nikel citatur, primus liber eius intelligitur.

Commentarius in Genesim.

Exordium, 1, 1—2, 3.

Hoc exordio hagiographus creationem primam, i. e. originem materiae elementariae (1, 1. 2); creationem secundam, i. e. formationem rerum ex materia elementaria (1, 3—31); requietem Dei et sanctificationem diei septimi (2, 1—3) describit.

℣. 1. **In principio creavit Deus.** *Deus,* אֱלֹהִים idem est ac potentia vel finis aut numen colendum et tremendum ideoque in exordio, ortum et finem mundi atque officium hominum referente, convenienter adhibetur.

אֱלֹהִים, sing. אֱלוֹהַּ (Deut. 32, 15. 17 et alibi, cf. Mandelkern) aut ab אֵל potentia (Buhl, Fürst, Gesenius, Siegfried-Stade) vel אֵל, אֶל ad, finis (Delitzsch, Babel und Bibel, I, 45 s. 71 ss.) aut ab אָלַה coluit, adoravit, tremuit (Einführung 300), derivatur. Hoc verbum אָלַה in Hebraeo non usitatum occurrit quidem in Arabo, at „colendi et pavendi notio a potestate numinis, quae nomini inest, potius ducta videtur" (Gesenius, Buhl, Fürst); אֵל autem probabilius potentiam, ergo אֱלֹהִים potentias sonat. — Similiter incertum est, unde *θεός, deus* derivandum sit: a radice *θες* orare, supplicare (Benseler-Kaegi) vel a *dhwes* spirare (Menge) vel a *div, dyu* splendere (cf. Passow et Benseler-Kaegi 345) vel a *θέω* currere (Passow). — Nominantur vero אֱלֹהִים non tantum Deus verus, sed etiam deus falsus (1 Reg. 5, 7), dea (3 Reg. 11, 5), dii falsi (Ex. 12, 12), imagines deorum (Ex. 32, 1; 34, 17), necnon vicarii Dei, et quidem Angeli (Ps. 96, 7 coll. Hebr. 1, 6), principes et iudices (Ps. 81, 6 coll. Ioan. 10, 34; Ex. 21, 6). — Si אֱלֹהִים Deum verum significat, tam cum plurali verbi (Gen. 20, 13) et adiectivi (Ios. 24, 19) quam cum singulari verbi et adiectivi construitur, quae coniunctio consueta est (Mandelkern, Buhl). Quare Deus plerumque plurali אֱלֹהִים nominetur, quamvis etiam formae singulares יְהוָֹה, אֱלוֹהַּ, אֵל praesto fuerint, et pluralis cum singulari construatur, vario modo declaratur. Nonnulli antiquiores ac recentiores, quibus Gesenius favere videtur, affirmarunt, hunc pluralem esse reliquias polytheismi. Attamen, non solum catholici (Nikel 78, Schöpfer 227, Selbst, Zapletal aliique), verum etiam

Kautzsch-Guthe 224 hanc opinionem merito reiiciunt, quia illi quoque hagiographi, qui polytheismum impugnarunt, hunc pluralem sine ulla haesitatione adhibebant (cf. Mandelkern), atque unus deus falsus vel una dea falsa etiam אֱלֹהִים vocabatur, ut supra diximus. Alii (e. gr. Einführung, Fürst, Hoberg XXI) bene explicant, pluralem significare cumulum potentiarum. Alii denique (e. gr. Einführung, Holzammer, Schöpfer, Selbst, Zschokke) putant, isto plurali non solum summam perfectionum, verum etiam mysterium Trinitatis obscure doceri, quam sententiam Gen. 1, 26; 3, 22; 11, 7 et loci clari N. T. (videas Dogmaticam specialem) confirmant.

Deus igitur *creavit*, בָּרָא. Hoc verbum Hebraicum in kal numquam actionem hominis, sed semper operationem Dei denotat; attamen non tantum operationem, qua ex nihilo aliquid producit, sed etiam actionem, qua ex materia iam exsistente aliquid format (Mandelkern, Buhl, Fürst, Gesenius, Siegfried-Stade). Quapropter usus loquendi solus non indicat, utrum hic productio ex nihilo an formatio materiae iam exsistentis doceatur; contextus respiciendus est. *In principio* Deus creavit, בְּרֵאשִׁית. Nomen רֵאשִׁית hic primum momentum et punctum temporis absolute sumptum significat, ante quod solus Deus, nulla autem creatura erat (Selbst). Nam Ioannes, qui in prologo suo ad initium Genesis, *Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεός*, manifesto respicit (Belser, Bisping, Weiss), רֵאשִׁית etiam absolute accipit scribens: *In principio erat verbum, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος . . . omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est* (1, 1—3 coll. 1, 10; 17, 24). Concilium quoque Vaticanum cum Lateranensi IV. docet (Denzinger, n. 355 et n. 1632): „Hic solus verus Deus . . . simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.“ Ergo ante principium, ante initium solus Deus erat, nulla vero creatura: principium absolute intelligitur.

Alii (Holzinger, Hummelauer, Hoberg) רֵאשִׁית declarant primum temporis momentum relative ad sequentia sumptum, ita ut Deus antea Angelos aliasque res creare potuerit. Quae sententia ob rationes supra prolatas minus probabilis videtur. Alii cum S. Theophilo Ant. et Origene putarunt, *principium* esse Filium, qui Iudaeis interrogantibus *Tu quis es?* respondit: *Principium, qui et loquor vobis* (Ioan. 8, 25); de quo etiam Paulus testatur: *in ipso condita sunt universa in caelis, et in terra, visibilia,*

et invisibilia ... omnia per ipsum, et in ipso (εἰς αὐτόν) creata sunt (Col. 1, 16). At, quamvis verum sit, Deum omnia in Filio seu per Verbum creasse, tamen haec veritas voce *principii* Gen. 1, 1 et Ioan. 8, 25 non exprimitur, uti contextus et usus loquendi demonstrat. Ioannes (1, 1—3) enim alludens ad Gen. 1, 1 Verbum a principio distinguit: *In principio erat verbum ... omnia per ipsum facta sunt.* Sensus autem probabilior verborum τὴν ἀρχὴν ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν (Ioan. 8, 25) talis est: a principio ego sum id quod et loquor vobis (Belser, Bisping). Alias explicationes improbabiles vocis *principii* Lapide enumerat.

Caelum, et terram creavit. Verba הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ ex usu linguae Hebraeae mundum universum significant (Mandelkern, Buhl, Fürst, Gesenius, Siegfried-Stade); qua significatione hic quoque accipienda sunt propter Gen. 2, 1: *Igitur perfecti sunt caeli et terra, et omnis ornatus* seu exercitus *eorum:* omnia quae in eis sunt (Ex. 20, 11). Attamen caelum et terra a Deo creata nondum erant formata et evoluta, ut contextus monstrat. Terra primitus erat chaos (℣. 2); caelum et terra, quae nunc sunt, sex diebus formata describuntur (℣℣. 3—31): ergo verba *caelum et terra* informem materiam elementariam hoc loco prorsus singulari signare (res effecta pro materia ex qua) videntur, ut Corluy, Selbst, Wellhausen (Prolegomena 313) quoque cum S. Augustino putant. Congruit Sap. 11, 18: *omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa,* vel potius informi, ἐξ ἀμόρφου ὕλης.

Alii (Dillmann, Gunkel, Holzinger) caelum et terram intelligunt iam formata, ita ut hic generaliter enuntietur quod infra per partes explanatur. Huic tamen opinioni contextus minus favere videtur. Aliae explicationes veterum apud Lapide habentur. — Tres caelos sacrae litterae commemorant (2 Cor. 12, 2 cf. Bisping et Heinrici ad hunc locum; insuper Büchner, Buhl, Fürst, Gesenius, Siegfried-Stade, Zeller) videlicet: aereum, ubi aer, nubes, volucres (Marc. 14, 62; Matth. 6, 26); sidereum, ubi astra (Gen. 22, 17; Hebr. 11, 12); empyreum, ubi Deus cum bonis habitat (Matth. 6, 9; 25, 34. 46). Exercitus caeli siderei dicuntur sidera (Deut. 17, 3), aerei autem venti et fulgura (Ps. 102, 21; 103, 4), exercitus caeli empyrei vero Angeli (3 Reg. 22, 19), de quibus hagiographus explicite quidem in hoc exordio non loquitur. Quod si tamen asserit, Deum caelos et terram et omnia, quae in eis sunt, creasse (Gen. 2, 1; Ex. 20, 11), implicite etiam exercitus caeli empyrei comprehendit. Quapropter Vaticanum cum Lateranensi IV. declaravit, Deum ab initio temporis spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam creaturam condidisse (vide pag. 2), quin hanc quaestionem de tempore creationis Angelorum definiendo decidere vellet (Egger, Hurter, Simar).

Si nunc contextum inspicimus, invenimus בָּרָא productionem ex nihilo significare. Deus enim caelum et terram et omnia, quae in eis sunt, creavit; immo in principio, primo temporis momento absolute sumpto, ante quod solus Deus erat, creavit: ergo ex nihilo produxit. Quo sensu mater septem fratrum, repleta sapientia, dixit: *Peto, nate, ut aspicias ad caelum et terram, et ad omnia quae in eis sunt: et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus* (2 Mach. 7, 1. 21. 28). Vide ℣. sequentem.

℣. 2. **Terra autem erat inanis et vacua.** Hagiographus in sequentibus de habitatione hominum praecipue disserit, de caelo aereo et sidereo autem ea tantum ratione, qua ad terram spectant. *Terra* igitur a Deo creata *erat,* הָיְתָה, quod iuxta Strack et Hoberg idem significat ac facta est; Dillmann et Holzinger autem negant. Erat *inanis,* תֹהוּ, i. e. vastitas seu vasta, carens ordine, *et vacua,* בֹהוּ, i. e. vacuitas, vacua, sine illis rebus quibus postea repleta est. *et tenebrae erant super faciem abyssi:* terra erat aquis circumdata et luce privata. Abyssus, תְהוֹם aquas copiosas ac profundas sonat (Buhl, Fürst, Gesenius, Siegfried-Stade), super quibus seu in quarum superficie, עַל־פְּנֵי erant tenebrae, quia Deus lucem et corpora lucis nondum creaverat (℣℣. 3. et 14 ss.), tenebrae enim defectus lucis sunt (Büchner, Sanders).

Periti rerum naturalium opinantur, unicam esse materiam fundamentalem, cuius partes vario numero ac modo compositae elementa 75 constituant (Hasert 8); quae materia in principio a Deo creata est (Hasert 53 ss.; Stöckl 259 ss.). Varia attractione et condensatione partium istius materiae subtilissimae globi fiebant, quorum unus terra erat. Si periti ad hoc millia millium annorum postulant, Scripturae contrariae non sunt: inter ℣℣. 1. et 2. spatium sufficiens relinquitur. — Ex sententia eorundem peritorum terra erat aliquando globus ex spiritibus naturalibus constans et quidem ardens propter condensationem. Decrescente ardore elementa coniungebantur: graviora (platina, aurum, ferrum etc.) in medio manserunt, leviora (acida etc.) in peripheria. Acida condensata ut pluvia in globum ardentem cadebant, ut vapores ascendebant, iterum cadebant etc. Quo modo globus terrae adhuc liquidus refrigerabatur, solidae partes altitudinis inaequalis efficiebantur, super quas pluviae veniebant et aquae manebant eas involventes; refrigerato globo ardenti tenebrae erant super aquas 2520 *m* vel 3400 *m* altas (Hasert 16 ss.; Selbst 67 ss.; Stöckl 268 s.). Has evolutiones terrae Scriptura non negat; describit quidem conditionem terrae ante diem primum, non vero modum, quo talis facta est.

et Spiritus Dei, רוּחַ אֱלֹהִים. Idem ens summum appellatur Elohim, quatenus principium ac finis est omnium, et Spiritus, quatenus omnia conservat, evolvit et animat, disponit ac dirigit. *Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum: et hoc, quod* (recte *et hic, qui) continet omnia, scientiam habet vocis* (Sap. 1, 7). *Emittes spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terrae* (Ps. 103, 30). Hic Spiritus super terram *ferebatur,* מְרַחֶפֶת i. e. incubabat terrae sicut avis incubat ovis fovens, evolvens, perficiens. Ferebatur *super aquas,* עַל־פְּנֵי הַמָּיִם, quae supra abyssus nominantur et globum terrae circumdabant.

Traditionali exegesi catholica (cf. Lapide), quam Holzammer, Selbst, Zschokke retinent, Spiritus Dei declaratur tertia Trinitatis persona, quae in sacris litteris N. T. ita vocatur (cf. Bruder et Dogmaticam specialem) et Iesu baptizato descendit corporali specie sicut columba in ipsum (Luc. 3, 22). Haec declaratio lucente N. T. utique probabilissima est, ab hominibus V. T. autem vix intelligebatur nec primam explicationem mutat, sed tantum magis determinat. Nam iuxta doctrinam catholicam omnes operationes ad extra tribus personis communes sunt, quia trium personarum una est essentia et natura, ideoque unum principium operandi quo, creans mundum universum, fovens terram et verbo formans. Cum autem calore vitali omnia foveantur, evolvantur, animentur, nutriantur; tertia vero Trinitatis persona sit fons vivus, ignis, caritas: ideo ipsi magis quam ceteris personis evolutio terrae ascribitur (cf. Dogm. spec. de appropriatione). — Alii putarunt, Spiritum Dei significare ventum vehementem, quae explicatio contra usum loquendi et contextum proximum est. Etenim רוּחַ solum denotat quidem ventum, numquam tamen locutio composita רוּחַ אֱלֹהִים (Buhl, Fürst, Gesenius, Siegfried-Stade, Selbst). Neque ventus vehemens cum notione verbi רָחַף bene coniungi potest, quae lene et molle quid indicat (Dillmann, Kaulen).

Quod ad constructionem grammaticalem attinet, ℣℣. 1—3 tres propositiones principales et coordinatas intelleximus itaque explanavimus. Contra Gunkel, Holzinger, Delitzsch (Babel und Bibel, I, 65) ℣. 1. propositionem antecedentem, ℣. 3. propositionem subsequentem, ℣. 2. interpositionem seu parenthesim declarant atque sic vertunt: „In principio cum Deus crearet caelum et terram — terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas — tunc dixit Deus: Fiat lux.“ Sensus huius versionis est: cum Deus inciperet mundum formare, eduxit lucem: chaos autem tunc iam erat. Quamvis haec constructio absolute

loquendo sine ulla mutatione textus Hebraei admitti possit (Gesenius-Kautzsch, Holzinger, Hummelauer), tamen improbabilissima est. Invenitur enim valde insulsa (verzweifelt geschmacklos iuxta Wellhausen, Prolegomena 411), contorta et contracta, quae ad sequentes ℣℣. simplices et planos non bene quadrat; videtur contraria prologo Ioannis necnon decretis Lateranensis IV. et Vaticani (vide pag. 2); neque approbatur versionibus antiquis, quare ab Hoberg et Nikel 107, Kaulen et Zapletal quoque reiicitur.

℣. 3. **Dixitque Deus.** Versibus 3—31 opificium sex dierum (hexaemeron) describitur, et quidem opus distinctionis (3—13) atque opus ornatus (14—31). Idem Deus, qui mundum creavit et super aquas ferebatur, *dixitque,* וַיֹּאמֶר. Verbum אָמַר idem significat ac dixit, cogitavit, iussit (Buhl, Fürst, Gesenius, Siegfried-Stade). In hoc exordio proxime voluntatem seu iussum notat, quo Deus omnia fecit (Apoc. 4, 11); remote etiam verbum internum seu ideam, iuxta quam Deus operatus est (Ps. 103, 24; 135, 5; Prov. 3, 19; Ier. 10, 12).

Zapletal 72 productionem regionum et exercituum distinguit. — Nonnulli defensores theoriae visionariae (vide excursum II. post 2, 3), e. gr. Hoberg, verbum externum quoque intelligunt, quatenus Adam in visione tale senserit; sed ista theoria parum probabilis est. — Licet haec locutio tribus personis divinis sit communis (cf. pag. 5), tamen secundae Trinitatis personae appropriatur (Lapide), quia ipsa est verbum Dei substantiale (Ioan. 1, 1), splendor gloriae et figura seu character, i. e. species expressa substantiae divinae (Hebr. 1, 3), per quam omnia facta sunt (Ioan. 1, 3). Bisping affirmat (ad Ioan. 1, 1), locutionem Dei creantis esse ultimam radicem doctrinae τοῦ λόγου, obscuram utique et velatam.

Fiat lux, יְהִי־אוֹר. Contextus monstrat, Moysen de luce diei (℣. 4) vel solis (℣. 14 ss.) loqui. Quare autem lucem ante solem, a quo venit et dependet, creatam dicat, in theoria periodistica-ideali bene explicatur (cf. excursum II. post 2, 3). *Et facta est lux,* significantius in Hebraeo: יְהִי־אוֹר וַיְהִי־אוֹר; simplex iussum Dei statim effectus secutus est. Etiam in sequentibus post verbum Dei enuntiatum legimus: *Et factum est ita.* Qui scribendi modus facilitatem et celeritatem exprimit, qua Deus omnia nullo resistente formavit, dum in cosmogoniis Gentilium, Israelitis non incognitis, figura mundi pugnis ac praeliis orta narratur (cf. excursum I). *Verbo Domini*

caeli firmati sunt: et spiritu oris eius omnis virtus eorum . . . Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt (Ps. 32, 6. 9; cf. Iudith 16, 17).

Recentiores periti naturalium putant, lucem vibrationibus aetheris fieri (Hasert 9), atque per millia annorum iam in terra affuisse, antequam sol perfecte evolutus esset, eiusque radii vapores nebulosos terram involventes penetrare possent (Hasert 63 s.). Hanc autem sententiam Moyses vix praesagivit, quia Deus per scriptores sacros intimam aspectabilium rerum constitutionem docere noluit (Leo XIII., Providentissimus 55).

℣. 4. **Et vidit Deus.** Sicut locutio Dei non materialis, sed spiritualis fuit, ita visio quoque; *lucem quod esset bona,* i. e. vidit, quod lux esset bona. Bonum vocatur id quod sic est, ut Deus voluit (vide Ontologiam). Si circumstantias historicas (Exegetica 47 ss.) spectamus, patet, quare Moyses res singulas a Deo creatas atque bonas praedicet. Antiquissimo enim errore orientali nonnullae res a principio malo productae ideoque malae dicebantur; contra quem errorem omnes creaturae cum voluntate Dei congruere pronuntiantur (Selbst). *et divisit lucem a tenebris,* וַיַּבְדֵּל אֱלֹהִים בֵּין הָאוֹר וּבֵין הַחֹשֶׁךְ, et distinxit Deus inter lucem et inter tenebras, i. e. ordinavit, ut lucem tenebrae ac tenebras lux sequeretur, quam interpretationem ℣. 5. veram probat.

Putant aliqui (cf. Lapide), hoc die etiam Angelos lucis (2 Cor. 11, 14) et Angelos tenebrarum (Eph. 6, 12) divisos esse. Angeli peccantes in tartarum utique detracti sunt (2 Petr. 2, 4); quando autem peccatum ac poena eorum acciderint, nescimus; saltem ante tentationem protoparentum (vide 3, 1 ss.).

℣. 5. **Appellavitque,** וַיִּקְרָא אֱלֹהִים, item ℣℣. 8. et 10. Ex opinione quorundam (e gr. Gunkel) hagiographus affirmat, Deum immediate luci et tenebris, firmamento, aridae congregationique aquarum nomina indidisse; probabilius vero est, Deum separando lucem et tenebras, formando firmamentum, dividendo aridam et aquas causam fuisse, cur istae res ab hominibus dies et nox, caelum, terra et mare nominentur, itaque mediate tantum res creatas appellasse (similiter S. Augustinus, Selbst). Hummelauer et Zapletal cum S. Chrysostomo nomina in signum dominii imposita esse dicunt. Haec appellatio in opere distinctionis, non autem in opere ornatus notatur. Appellavit igitur

lucem Diem, et tenebras Noctem: hic dies, יוֹם significat spatium temporis nocti, לַיְלָה oppositum (dies naturalis); in sequentibus vero spatium lucem ac tenebras comprehendens (dies civilis); in aliis denique locis יוֹם, *ἡμέρα,* dies longius quoque spatium temporis significat (Siegfried-Stade, Benseler-Kaegi, Georges).

Factumque est vespere et mane: quando Deus dixit de tenebris lucem splendescere (2 Cor. 4, 6), factum est *mane* et incepit dies naturalis, quo decurso factum est *vespere* et incepit nox; hac circumacta factum est iterum *mane* et completur civilis *dies unus.* Ita in sequentibus quoque. Hinc tempore antiquo Iudaei et Babylonii dies a mane ad vesperum numerabant (Beer-Guthe). Nota, numeros diebus appositos non habere articulum, si sextum excipias (cf. excursum II).

℣. 6. **Dixit quoque Deus:** vide ℣. 3; in Hebraeo semper וַיֹּאמֶר repetitur, quod interpres *dixitque, dixit quoque, dixit vero, dixit autem, dixit etiam* reddidit. *Fiat firmamentum,* רָקִיעַ, i. e. expansum (Fürst, Gesenius), quod aspicientibus firmum apparet: *qui extendit velut nihilum* (Hebraice: pannum subtilem) *caelos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum,* inquit Isaias (40, 22); *extendens caelum sicut pellem,* ait Psalmista (103, 2); ab Eliu autem (Iob 37, 18) caeli *solidissimi quasi aere fusi* describuntur. Significat vero firmamentum convexionem seu orbem, in quo sidera posita videntur (℣. 17), ergo caelum sidereum (vide pag. 3). Fiat firmamentum *in medio aquarum,* בְּתוֹךְ הַמָּיִם, i. e. inter aquas, quae adhuc indivisae erant (℣. 2), *et dividat aquas ab aquis,* וִיהִי מַבְדִּיל בֵּין מַיִם לָמָיִם, i. e. et sit dividens inter aquas (vide lexicon et grammaticam). Quomodo haec intelligenda sint, ad ℣. sequentem dicetur.

Phrasis *Et factum est ita,* quae in fine ℣. 7. a plerisque testibus exhibetur, cum LXX ad finem ℣. 6. collocanda videtur (Kittel, Gunkel, Holzinger, Strack), quia in ℣℣. 11. 15. 24. quoque inter iussum et effectum inseritur. Sensus formulae ad ℣. 3. explanatur.

℣. 7. **Et fecit Deus firmamentum,** orbem caeruleum, *divisitque aquas, quae erant* (vel potius sunt) *sub firmamento,* i. e. aquas in forma liquidi exsistentes, mare et flumina et fontes, *ab his, quae erant* (vel potius sunt) *super firmamentum,* i. e. ab aquis in forma vaporis super terram elevatis. Iuxta

apparentiam externam aquae de caelo veniunt (Gen. 7, 11), ideoque Moyses eas super firmamentum diffusas dicit; iuxta intimam rerum constitutionem etiam aquae in forma vaporis exsistentes utique sub caelo sidereo sunt, at istam Spiritus sanctus homines docere noluit (Leo XIII., Providentissimus 55). Similiter Hummelauer explicat.

Corluy et Zschokke aquas superiores intelligunt nubes, quae aere quodammodo sustentantur; attamen nubes neque sunt neque apparent super, מֵעַל, sed conspiciuntur infra, מִתַּחַת, firmamentum atque aliis in locis (Ps. 148, 4ss.; Dan. 3, 59ss.) ab aquis superioribus secernuntur. Nubes ad caelum aereum pertinent, aquae superiores infra caelum empyreum et sidereum (cf. pag. 3) ab hagiographis collocantur: quapropter sententia Hoberg, Schöpfer, Selbst, qui vapores atque nubes significatas asserunt, non verisimilis videtur. — Plures Patres et interpretes antiquiores putarunt, super firmamentum esse reapse oceanum caelestem, aquas veras et naturales (cf. Lapide), quae explicatio a peritis naturalium hodie non approbatur. Valet hic illud Leonis XIII. (Providentissimus 55): „Quod vero defensio Scripturae sanctae agenda strenue est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint: qui, prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur.“ — ***Et factum est ita:*** vide ad ℣. 6. et 8. dicta.

℣. 8. **Vocavitque Deus firmamentum,** vide ℣. 5; Deus firmamentum formans effecit, ut illud propter qualitates suas apparentes ab hominibus vocaretur *Caelum, οὐρανός*, שָׁמַיִם, i. e. tectum altum et cavum, dans pluviam.

Hebraicum שָׁמַיִם vel altum (Fürst, Gesenius) vel splendens (Fürst) vel tectum (cf. Buhl) vel dans pluviam (cum מַיִם cohaerens, cf. Buhl) significat. *Οὐρανός* vel a radice *wer,* tegere, circumdare, complecti (sanscr. varaṇám, involucrum; várunas, deus aquae, cf. Benseler-Kaegi. Menge) vel ab *αἴρω* (Passow) derivatur. *Caelum,* coelum idem est ac *κοῖλον,* cavum (Georges).

Hic LXX addunt: *καὶ εἶδεν ὁ θεὸς ὅτι καλόν.* Kittel putat, formulam consuetam וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־טוֹב in fine ℣. 7. loco וַיְהִי־כֵן collocandam esse; videtur genuina. Qua suscepta habemus septem approbationes speciales (℣℣. 4. 7 vel 8. 10. 12. 18. 21. 25) et unam generalem (℣. 31). Plures tamen interpretes sentiunt, istam approbationem hic forsitan a scriptore consulto omissam esse, cum aquae inferiores die secundo nondum divisae fuerint

(Gunkel, Hummelauer aliique), vel ut septem tantum approbationes numerentur (Dillmann), vel quod functio firmamenti in terra non percipiatur neque tam manifestum sit, illud cum fine congruere (Holzinger). Ultima ratio minus arridet propter ℣. 31: *Viditque Deus cuncta quae fecerat: et erant valde bona,* qua sententia firmamentum quoque cum fine congruere nuntiatur. — *et factum est vespere et mane, dies secundus.* Vide ℣. 5.

℣. 9. **Dixit vero Deus:** vide ℣℣. 3. et 6. *Congregentur aquae, quae sub caelo sunt, in locum unum.* Aquae sub firmamento seu caelo exsistentes (℣. 7) totam continentem circumdederunt: *Abyssus, sicut vestimentum, amictus eius: super montes stabunt* (recte stabant) *aquae* (Ps. 103, 6; cf. pag. 4). Nunc iussu Dei compelluntur in *locum unum,* i. e. in locum pro ipsis constitutum, ut in alio continens emergere possit, quod depressionibus et levationibus in globo factis perficitur: *Ab increpatione tua fugient* (recte fugerunt scil. aquae): *a voce tonitrui tui formidabunt* (recte formidarunt) — *Ascendunt* (recte ascenderunt) *montes: et descendunt* (recte descenderunt) *campi* — *in locum, quem fundasti* (constituisti) *eis,* scil. fugerunt aquae, inquit Psalmista (103, 7 s.). *et appareat arida,* וְתֵרָאֶה הַיַּבָּשָׁה i. e. conspiciendum se praebeat siccum vel aridum, quod plantis (℣. 11 s.), bestiis (℣. 24 s.), hominibus (℣. 26 ss.) repleri possit. *Et factum est ita.* Vide ℣. 3. Addunt LXX: *καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν, καὶ ὤφθη ἡ ξηρά.* Videtur tamen haec lectio ad ℣℣. sequentes conformata, ideoque non recipienda (Kittel, Gunkel, Holzinger, Hummelauer).

Quomodo aquae *in locum unum* congregatae dicuntur? Veteres plerique sensu stricto intellexerunt, eo quod maria omnia uniantur vel unita fuerint (cf. Lapide, Hummelauer, Holzammer); iuxta Hummelauer et Hoberg locus dicitur unus, quod in visione reapse unicus se oceanus videntis oculis obtulerit, quae opinio una cum theoria visionaria minus probabilis est (vide excursum II); probabilius singulari collectivo unus dicitur locus, qui singula loca pro receptione aquarum destinata comprehendit (similiter Selbst). — Pro voce *locum,* מָקוֹם, legerunt LXX *συναγωγήν,* מִקְוֶה, quae a Kittel et Gunkel probatur; videtur tamen ad ℣. sequentem conformata. — Arida seu continens paulo plus quam quartam partem globi totius obtinet atque in altitudinem mediam 308 *m* eminet, mare autem 14.000 *m* et 20.000 *m* altum est (cf. Holzammer).

℣. **10. Et vocavit Deus** (vide ℣. 5) *aridam, Terram,* i. e. actione sua fecit, ut continens ex aquis emergens ab hominibus solidum vel siccum appellaretur; *congregationesque aquarum appellavit Maria,* i. e. causa fuit, ut aquae terminis suis coercitae (Ps. 103, 9) ab hominibus frementes nominarentur. *Et vidit Deus quod esset bonum.* Vide ℣. 4.

Nomen אֶרֶץ, ab אָרַץ durum, firmum, solidum fuit (Fürst), in hoc loco secus ac ℣. 1. opponitur nomini יָם quod ab יָמַם fremuit, strepuit (Gesenius) derivatur. — Pluralis יַמִּים aut numericus (LXX et Vulgata) aut melius intensivus, copiam notans (plerique) accipi potest, et vertendum est: *congregationemque aquarum,* וּלְמִקְוֵה הַמַּיִם, *appellavit Mare.* — Lacus, fontes et fluvii tacentur, quia sunt continentis terrae interstitia (Corluy), vel quia in visione non obiiciebantur oculis (Hummelauer, Hoberg), vel quia *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant* (Eccl. 1, 7).

℣. **11. Et ait:** *Deus* adde, quod sola Vulgata omittit; vide et ℣. 3. *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram.* Textus vero Hebraicus sic verti debet: Germinet terra h e r b a m, דֶּשֶׁא, p l a n t a m gignentem semen, עֵשֶׂב מַזְרִיעַ זֶרַע, et a r b o r e m fructiferam, וְעֵץ פְּרִי, facientem fructum iuxta genus suum, in quo semen eius, אֲשֶׁר זַרְעוֹ־בוֹ, super terram. *Deus* igitur iubet, et iussu suo facultatem quoque dat, ut *terra germinet* seu proferat דֶּשֶׁא, *herbam* teneram vel gramen tenerum, quae vox secundum contextum (℣℣. 29. et 30) notionem generalem significat, cuius species duae statim nominantur (Hummelauer, Holzinger, Gunkel, Strack): planta et arbor vel sata et arbusta, nam singularis est collectivus. P l a n t a, עֵשֶׂב, omnia gramina, olera, cerealia comprehendit, quae semen nudum gignunt; a r b o r f r u c t i f e r a, עֵץ פְּרִי talia arbusta, quae fructum faciunt, in quo semen reconditum est, et quidem fructum et semen diversum iuxta diversas species arborum, לְמִינוֹ, *iuxta genus suum* (℣. 12). Ultima verba *super terram* cum primis versiculi *Germinet terra* connectenda videntur (Delitzsch, Strack): תַּדְשֵׁא הָאָרֶץ ... עַל־הָאָרֶץ: ubique herbae tales producantur (Selbst). Seminis atque fructus mentio fit, ut modus propagandi et finis germinum manifestentur. Qua de causa non omnes fructus terrae enumerantur.

sed ii dumtaxat, qui pro hominibus et bestiis utiliores sunt (℣℣. 29. et 30); distinguuntur vero secundum externam apparentiam, non secundum constitutionem internam. *Et factum est ita.* Vide ℣. 3.

In textu Hebraico pro עֵץ legendum est cum Samaritano et versionibus וְעֵץ, ut in ℣. 12. habetur (Kittel, Gunkel, Holzinger). — Vulgata cum LXX duo nomina דֶּשֶׁא עֵשֶׂב coniungit *(herbam virentem)* ac postea *et* addit, quod in LXX atque Hebraico deest; LXX autem post *facientem semen*, *σπεῖρον σπέρμα* soli adiiciunt *κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα*. — Hoberg, Holzammer, Selbst triplicem speciem germinum indicatam putant: דֶּשֶׁא i. e. herbas minores; עֵשֶׂב i. e. olera, cerealia, frutices; עֵץ פְּרִי i. e. arbores fructiferas. Attamen ℣℣. 29. et 30. minime huic opinioni favent. — Verba עַל־הָאָרֶץ etiam cum עֹשֶׂה פְּרִי לְמִינוֹ vel cum אֲשֶׁר זַרְעוֹ־בוֹ coniunguntur. — Hoc die herbae venenatae, spinae et tribuli quoque creati sunt (cf. Lapide, Holzammer, Selbst).

℣. 12. **Et protulit terra herbam,** דֶּשֶׁא, et quidem *virentem*, עֵשֶׂב i. e. plantam, *et* (quod iuxta Hebraicum omittatur) *facientem semen*, gignentem semen *iuxta genus suum* (quod in ℣. 11. deest), *lignumque*, וְעֵץ i. e. arbustum, *faciens fructum*, עֹשֶׂה־פְּרִי, *et habens unumquodque sementem*, אֲשֶׁר זַרְעוֹ־בוֹ i. e. in quo semen eius, *secundum speciem suam*, ut ℣. antecedente. *Et vidit Deus quod esset bonum.* Vide ℣. 4.

Si quaeratur, quare cum narratione distinctionis maris et continentis simul procreatio plantarum narretur, cum S. Thoma Aquinate ac Selbst responderi potest, plantas ad consummationem et perfectionem terrae pertinere ideoque earum generationem cum apparitione continentis unum Dei opus efficere.

℣. 13. **Et factum est** *vespere et mane, dies tertius.* Vide ℣. 5. Tertio hoc die plantas super terram emersisse, crevisse, maturuisse, ex textu antecedente elucet. Quod si dies proprie intelligatur, miraculo tantum illud evenire potuit (Hummelauer); evanescit autem portentum, si cum Hummelauer dies visionarius accipiatur; denique si dies improprie seu spatium longius intelligatur (cf. excursum II.), plantae naturaliter emergere, crescere, maturescere potuerunt (S. Augustinus). Quod plantae ante solem creatae dicantur, utique mirum videtur. Gunkel putat, creationem plantarum, originaliter post creationem astrorum narratam, ab homine litterato intra biblio-

thecam suam clauso (Stubengelehrter) transpositam fuisse, cum quilibet agricola sciat, plantas sine astris exsistere non posse. Contra quem bene notat Boehmer, etiam hominem in umbraculis (Studierstube) degentem cognovisse, plantas sine radiis solis vivere nequire, et hunc ordinem alio quoque modo declarari posse, ut in excursu II. exponetur. — Hoc die Deus paradisum plantavit, de quo ad 2, 8ss. tractandum est.

℣. **14. Dixit autem Deus:** vide ℣℣. 3. et 6. *Fiant,* יְהִי: de singulari cum plurali coniuncto videas grammaticam; hic quoque propter contextum eadem verbi significatio retinenda est, quae in ℣℣. 3. et 6. exigitur. Fiant *luminaria,* מְאֹרֹת i. e. lumina seu corpora lucentia (Buhl, Fürst) *in firmamento caeli* (vide ℣℣. 6ss. — *εἰς φαῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς* addunt LXX) *et dividant diem ac noctem,* לְהַבְדִּיל בֵּין הַיּוֹם וּבֵין הַלָּיְלָה, *τοῦ διαχωρίζειν ἀνὰ μέσον τῆς ἡμέρας καὶ ἀνὰ μέσον τῆς νυκτός·* efficiant, ut diem nox ac noctem dies sequatur (vide ℣℣. 4s.). *et sint in signa,* וְהָיוּ לְאֹתֹת i. e. indicent res varias, e. gr. tempestates (Gunkel, Hoberg, Selbst, Strack), plagas caeli (Dillmann, Gunkel, Strack), cursum tenendum (Hoberg); *et tempora,* וּלְמוֹעֲדִים i. e. et sint in tempora statuta (Buhl, Fürst, Siegfried-Stade), efficiant et manifestent tempora anni, menses, hebdomadas, tempora sementis et messis aliorumque negotiorum, tempora festorum (Dillmann, Selbst); *et dies et annos,* וּלְיָמִים וְשָׁנִים i. e. et sint in dies et annos, quatenus haec spatia cursu suo efficiunt et secernunt (anni solares et lunares).

Explicatio: sint in signa tam temporum quam dierum et annorum (Tuch) vel sint in signa temporum et in dies et annos (Gesenius, Lehrgebäude 854, et alii), repudianda est, quia constructione textus Hebraici, Graeci et Latini, qua membra coordinantur, prohibetur (Dillmann, Hummelauer, Hoberg).

℣. **15. ut luceant,** וְהָיוּ לִמְאוֹרֹת i. e. et sint in lumina seu corpora lucentia, *in firmamento caeli* (vide ℣℣. 6ss.), *et illuminent terram,* לְהָאִיר עַל־הָאָרֶץ i. e. ut luceant super terram, *ὥστε φαίνειν ἐπὶ τῆς γῆς,* ut luce sua terram diu noctuque compleant. Tres igitur fines luminariorum enumerantur: dividant diem ac noctem, luceant noctu et diu, sint in signa et tempora, et dies et annos (Dillmann, Hummelauer, Hoberg). Calor

non commemoratur, quia non omnibus communis est (Dillmann). *Et factum est ita.* Vide ℣. 3.

℣. 16. **Fecitque Deus** *duo luminaria,* quae cum stellis comparata reapse a p p a r e n t *magna : luminare maius,* i. e. solem, *ut praeesset diei : et luminare minus,* i. e. lunam, *ut praeesset nocti:* dies et nox a sole ac luna varie dependent (vide ℣℣. 14. et 18), ideoque his dominium recte ascribitur (Dillmann). *Qui fecit luminaria magna . . . Solem in potestatem diei . . . Lunam, et stellas in potestatem noctis* (Ps. 135, 7 ss.). Praeter luminaria magna fecit Deus *et stellas,* quae parvae hominibus apparent, quamquam plures solem et lunam magnitudine superant; ipsis quoque in versiculo sequenti et Psalmo citato similis ac lunae finis et effectus assignatur.

℣. 17. **Et posuit eas** vel potius e a, scilicet luminaria, *in firmamento caeli* (vide ℣℣. 6 ss.), ubi fixa videntur atque eosdem cursus et orbes constantissime servant et explicant, *ut lucerent super terram* (vide ℣. 15).

Quod ad textum Latinum attinet, „omnino legendum videtur *posuit ea*" atque post *ea* addendum *Deus,* quod in Hebraico et versionibus ceteris necnon in aliquibus codicibus Latinis habetur (Vercellone).

℣. 18. **et praeessent diei ac nocti** (vide ℣. 16), *et dividerent lucem ac tenebras* (vide ℣. 14). Exsecutio operis cum iussu Dei non perfecte convenire videtur. Iussit Deus, ut luminaria dividerent diem ac noctem; ut essent in signa et tempora, et dies et annos (℣. 14); ut lucerent super terram (℣. 15). In firmamento autem collocata sunt, ut lucerent super terram (℣. 17); ut praeessent diei ac nocti; ut dividerent lucem ac tenebras (℣. 18). Si vero dicamus, dominium astrorum in eo potissimum consistere, quod sint in signa et tempora, et dies et annos: omnia optime quadrant. *Et vidit Deus quod esset bonum.* Vide ℣. 4.

Notabile in ℣℣. 14 ss. reperitur, quod creatio ac destinatio astrorum latius et diffusius narretur. Qui tamen circumstantias historicas illius temporis spectat, quo astra loco Dei colebantur, percipiet, quare hagiographus diserte enuntiet, astra a Deo esse creata in hominum ministerium. — Illa solum ratione astra describit, qua ad terram pertinent atque hominibus apparent.

℣. 19. **Et factum est** *vespere et mane, dies quartus.* Vide ℣. 5.

℣. **20. Dixit etiam Deus:** vide ℣℣. 3. et 6. *Producant aquae reptile . . . et volatile,* Ἐξαγαγέτω τὰ ὕδατα ἑρπετὰ . . . καὶ πετεινὰ *πετόμενα,* quae versio indicare videtur, aquatilia atque volatilia ex aqua formata esse, tametsi 2, 19 volatilia caeli de humo formata nuntiantur; sed versio non bona est. In Hebraico legimus: יִשְׁרְצוּ הַמַּיִם שֶׁרֶץ נֶפֶשׁ חַיָּה וְעוֹף יְעוֹפֵף i. e. scateant seu redundent (Buhl, Fürst, Gesenius, Siegfried-Stade) aquae aquatilibus, animantibus vivis, et volatilia volitent. Verbum יְעוֹפֵף, volitet (piʿel) LXX verterunt *πετόμενα*, Vulgata autem omisit. Textus igitur Hebraicus tacet, ex qua materia aquatilia et volatilia formata sint. *Reptile,* שֶׁרֶץ est collectivum *(ἑρπετά)* significans aquatilia non tantum minora (ut Buhl, Fürst, Gesenius exponunt), verum etiam maiora (Dillmann, Hoberg), ut ℣. sequens demonstrat; נֶפֶשׁ חַיָּה probabilius appositio collectiva (Dillmann) est, quam genetivus: *animae viventis, ψυχῶν ζωσῶν. Volatile,* עוֹף collectivum *(πετεινά)* quaelibet animantia volantia (עוּף) comprehendit. Haec volatilia volitent *super terram sub firmamento caeli,* inter terram et firmamentum, in aere. עַל־פְּנֵי רְקִיעַ idem est atque in conspectu, in fronte firmamenti, prae vel sub firmamento. Cum LXX adiiciendum est וַיְהִי־כֵן, *et factum est ita* (Kittel). Iuxta Dillmann aquatilia et volatilia ideo simul creata narrantur, quia inter aquam et aera, inter naturam et propagationem istorum animalium similitudo adest.

℣. **21. Creavitque Deus** aquatilia et quidem maiora, *Cete grandia,* הַתַּנִּינִם הַגְּדֹלִים i. e. beluas marinas, monstra immania *et omnem animam viventem,* כָּל־נֶפֶשׁ הַחַיָּה i. e. omnem animantem vivam *atque motabilem,* הָרֹמֶשֶׂת i. e. se moventem, *quam produxerant* vel potius qua scatebant, שָׁרְצוּ, *aquae.* Quo singulari collectivo omnia aquatilia minora comprehenduntur (Hoberg, Dillmann). Verba *in species suas* vel iuxta genus suum ad *cete,* הַתַּנִּינִם quoque pertinet. *et omne volatile,* כָּל־עוֹף כָּנָף i. e. omne volatile alae seu alatum, *πετεινὸν πτερωτόν*, omnes alites (Fürst), *secundum genus suum.* Vide ℣. 12. *Et vidit Deus quod esset bonum.* Vide ℣. 4.

De constructione textus Hebraici videas grammaticam. — Pro לְמִינֵהֶם = לְמִינֵיהֶם fortasse לְמִינָהֶם legendum est (Dillmann, Kittel). — ***Motabilis*** in hoc solum loco invenitur (Georges), est vox barbara (For-

cellini), pro qua plures veteres *mutabilis* legerunt (Vercellone); at nomen *mutabilis* alium habet intellectum. — Utrum par unicum (Gunkel favet) cuiuslibet speciei an plura (Dillmann favet) creata sint, ex contextu erui nequit (Holzinger).

℣. 22. **Benedixitque eis,** videlicet *Deus,* uti testes reliqui habent. Deus in Scripturis benedicere praedicatur, quatenus bona non solum optat, verum etiam confert; quae beneficia aquatilibus et volatilibus tribuerit, verba sequentia manifestant. *dicens:* plantas Deus non est allocutus; ad animantia vero loquens exhibetur, quia sonum saltem audire potuerunt (Corluy, Dillmann, Hummelauer). *Crescite:* nunc beneficia enumerantur, quae Deus animantibus tribuit; hoc verbo *Crescite,* פְּרוּ i. e. fecunda estote, utrisque dat facultatem propagationis et conservationis specierum; verbis autem proximis: *et multiplicamini, et replete aquas maris: avesque multiplicentur super terram,* tam aquatilibus quam volatilibus virtutem confert numeri individuorum augendi. Explicite animantia aquarum in mari, הַמַּיִם בַּיַּמִּים, nominantur, implicite vero animalia aquarum in terra quoque complectuntur (cf. ℣. 10); *avesque,* וְהָעוֹף i. e. volatilia quaelibet (cf. ℣℣. 20 s.).

℣. 23. **Et factum est** *vespere et mane, dies quintus.* Vide ℣. 5.

℣. 24. **Dixit quoque Deus:** vide ℣℣. 3. et 6. *Producat* (cf. ℣℣. 11 s.) *terra* (cf. ℣. 10) *animam viventem in genere suo* (cf. ℣. 21); quae animalia terrestria non secundum internam constitutionem, sed apparentiam externam distinguuntur in *iumenta,* בְּהֵמָה i. e. pecudem domesticam, *et reptilia,* וָרֶמֶשׂ i. e. reptans aut nullis aut minutis pedibus, *et bestias terrae,* וְחַיְתוֹ־אֶרֶץ i. e. animal ferum: et quidem *secundum species suas* vel in genere suo, nam in principio et fine idem לְמִינָהּ legitur. *Factumque est ita.* Vide ℣. 3.

Cum Dillmann, Gunkel, Hummelauer notamus, hagiographum in hoc versu, ubi Deus loquitur, antiquissimam linguae formam חַיְתוֹ־אֶרֶץ selegisse; in versu autem sequenti, ubi ipse narrat, consuetam חַיַּת הָאָרֶץ adhibuisse.

℣. 25. **Et fecit Deus:** plantas sola terra iussu Dei protulit (℣. 12), animalia terra producit simulque Deus ex humo facit (2, 19), hominem solus Deus format (℣℣. 26 s.), quo scribendi

modo differentia harum creaturarum insinuatur (similiter Dillmann et Gunkel). *bestias terrae iuxta species suas, et iumenta,* (vide Ꝟ. 24) *et omne reptile terrae in genere suo:* hic *reptile,* רֶמֶשׂ, diserte terrestre, הָאֲדָמָה, nominatur, quia Ꝟ. 20 s. reptile marinum commemoratur; utrum in quolibet genere unicum par aut plura creata sint, non liquet (cf. Ꝟ. 21). *Et vidit Deus quod esset bonum,* vide Ꝟ. 4.

Primo quasi aspectu offendit, quod animalia terrestria non benedicantur; si tamen consideramus, creationem eorum cum formatione hominis unum diei sexti opus esse, benedictionem homini impertitam etiam ad animalia terrestria extendere possumus (similiter Hummelauer 112). — Alii aliter. Dillmann opinatur, benedictionem propter Ꝟ. 30. non necessariam esse; Gunkel eam omissam putat, ne opus diei sexti oneretur; Strack, quia scriptor ad principale properat; Holzinger, ne nimis manifestetur, duo opera esse coniuncta: quae opiniones vix probabiles sunt.

Ꝟ. **26. et ait:** *Deus* videlicet, ut testes reliqui habent. Creatio hominis ita describitur, ut dignitas eius, qua ceteris creaturis praestat, legenti statim appareat. Ceteras creaturas Deus formavit simpliciter dicens *Fiat, congregentur, appareat, germinet, producat;* hominem vero formans circumspectione aliqua et consideratione, consilii sui communicatione opus aggreditur: eum ad imaginem et similitudinem suam creat necnon praesidem terrae atque animalium constituit, quo facto cuncta *valde bona* approbat. (Similiter Dillmann, Gunkel, Holzinger.) — *Faciamus Hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ καθ' ὁμοίωσιν*, in Hebraico autem בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ i. e. in imagine nostra ad similitudinem nostram vel ad imaginem nostram ut similitudinem nostram. Heic *Deus,* אֱלֹהִים, in plurali loquens inducitur (*Faciamus* et bis *nostram,* ־ֵנוּ) quemadmodum Gen. 11, 7 *Dominus,* יְהוָה atque Isa. 6, 8 אֲדֹנָי, *Adonaj.* Si Gen. 1, 26 s. in se tantum spectamus, non necessario plures personae distinctae in una essentia divina intelligendae sunt, quia pluralis *Elohim* tam cum plurali (Ꝟ. 26) quam cum singulari (Ꝟ. 27) attributi ac verbi construi potest (cf. pag. 1): licet talis mutatio constructionis in uno textu mira videatur. Si vero ad contextum (Exegetica 37 ss.) et ad consensum Patrum (ibi 61 ss.) respicimus,

clarescit, mysterium Trinitatis, quod in N. T. clare docetur, hic quoque obscure enuntiari. Etenim Gen. 3, 22 Moyses pluralitatem personarum divinarum in una essentia divina certo innuit (videas explicationem loci), quare in hoc quoque loco idem fecisse censendus est. Patres autem Ecclesiae et interpretes antiquiores textum consensu communi de Trinitate intellexerunt (Corluy), quapropter etiam recentissimi exegetae et dogmatici catholici (Hoberg, Holzammer, Hummelauer, Kaulen, Selbst; Egger, Hurter, II, 157, Simar 203) eum eadem ratione interpretantur.

Philo (opific. 24, profug. 13), Frz. Delitzsch aliique dixerunt, Deum ad Angelos loqui. Attamen in Ꝟ. sequenti ter repetit Moyses, Deum, non Angelos, hominem creasse, et quidem ad imaginem suam, ad imaginem Dei, non Angelorum: atque Gen. 2, 7. 21 s.; 5, 1 ss. narrat, Deum immediate Adam et Evam formasse; insuper Angelos nondum nominavit. — Gunkel et Holzinger pluralem ex polytheisticis cosmogoniis Gentilium declarant. Sed cosmogonia biblica a mythis Ethnicorum non dependet (vide excursum I.). — Dillmann pluralem ideo positum iudicat, quod Deus complexus vivus et personalis potentiarum et virtutum sit. At sensus obvius huius loci ac reliquorum citatorum est, unam personam ad alias loqui, ut Gunkel et Holzinger quoque fatentur. Nihilominus interpretationem Patrum reiiciunt, quia propter rationalismum, cui adhaerent, omnia mysteria negare debent (Exegetica 77—82). — Alii denique putarunt, adesse pluralem maiestatis aut pluralem invitationis internae, qua Deus semetipsum excitaverit. Contra dicendum, pluralem invitationis internae in nullo loco alio Scripturae inveniri, et pluralem maiestatis, valde probabiliter a Persis et Graecis introductum (cf. 1 Esdr. 4, 18; 1 Mach. 10, 19; 11, 31; 15, 9), in antiquioribus libris sacris non occurrere (Dillmann); pluralis locorum Genesis et Isaiae supra citatorum invocari nequit, quia de ipso quaeritur, cuius generis sit. — Certum est, homines V. T. pluralem neque polytheistice intellexisse neque claram Trinitatis notitiam habuisse; quod autem in V. T. latet, in N. T. patet.

Faciamus, inquit Deus, *Hominem,* אָדָם. Etymologia huius nominis a Buhl, Dillmann, Kautzsch-Guthe incerta dicitur; iuxta Fürst אָדָם cum אֲדָמָה, humus, terra cohaeret, ita ut Adam idem sit ac terrenus vel ex humo formatus (cf. Gen. 2, 7; 1 Cor. 15, 47); iuxta Gesenium אָדָם atque אֲדָמָה derivandum ab אָדַם, rubuit. Singularis אָדָם, *Hominem* hic collective homines significat, nam in sequentibus optimi testes *praesint* (pluralem) et Ꝟ. 27 omnes testes *creavit eos* exhibent: Gen. 5, 2 primus vir et prima mulier *Adam* nominantur, in

aliis locis primus vir dumtaxat ita vocatur. — *ad imaginem, et similitudinem nostram* i. e. faciamus hominem ita, ut sit imago nostra similis seu bene repraesentans.

Imago atque similitudo voces quidem synonymae, idem significantes sunt, qua de causa Gen. 1, 27 et 9, 6 imago tantum, at 5, 1 similitudo solum scribitur; quaedam autem differentia inveniri potest. Imago, צֶלֶם forte a צָלַם obscurus fuit (Gesenius, Fürst, Buhl) quaelibet effigies seu forma expressa alicuius rei, etiam minus bona et adumbrata dumtaxat appellari meretur; contra similitudo, דְּמוּת a דָּמָה similis fuit, bona imago est, effigies rem originalem bene exprimens: ergo imago et similitudo idem sonat atque effigies eaque respondens. — Hic legimus בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ, Gen. 5, 3 vero בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ, ex quo patet בְּ in, iuxta, כְּ sic, ut, secundum, heic idem denotare, quare 1, 27; 5, 1; 9, 6 solum בְּ legitur. Eum autem, qui iuxta imaginem et similitudinem alicuius creatus asseritur, in veritate esse imaginem et similitudinem eius, clare demonstrat Gen. 5, 3: *et genuit* sc. Adam filium *ad imaginem et similitudinem suam.* Qui locus simul probat, istam phrasim *κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ καθ' ὁμοίωσιν* neque indicare, hominem creatum esse iuxta Verbum aeternum, quod est imago Dei substantialis, neque innuere, hominem esse velut imaginem, quasi similitudinem, i. e. imperfectam Dei effigiem. Nam licet verum sit, Christum solum esse perfectam Dei imaginem atque iuxta hanc hominem creari (cf. pag. 6): tamen hac phrasi non pronuntiatur, uti ex Gen. 5, 3 patet.

et praesit, וְיִרְדּוּ i. e. et praesint, vel potius calcent (Ps. 8, 8s.), subigant, dominentur, *ἀρχέτωσαν* (sola Vulgata singularem exhibet), *piscibus maris,* בִּדְגַת הַיָּם, *et volatilibus caeli* (cf. ℣℣. 20s.; pro aquatilibus hic species piscis nominatur); *et bestiis, universaeque terrae:* hic textus corruptus esse videtur (Dillmann, Gunkel, Hoberg, Hummelauer, Kittel); pro *et bestiis, universaeque terrae,* וּבַבְּהֵמָה וּבְכָל־הָאָרֶץ, cum Syriaca legendum וּבַבְּהֵמָה וּבְכָל־חַיַּת הָאָרֶץ i. e. et domesticis et cunctis feris terrae; *omnique reptili, quod movetur in terra* (cf. ℣℣. 24s.). Quorum omnium homo dominari potest utens eis ad commodum et finem suum (Hummelauer, Hoberg), scientia et prudentia superans, capiens et domans illa (Boehmer, Lapide); hoc dominium, propter peccatum nunc partim extenuatum, in statu innocentiae perfectum fuit (Holzammer, Selbst), quali nonnulli Martyres et Confessores gaudebant (Lapide).

℣. 27. **Et creavit Deus** *hominem* (הָאָדָם cum articulo, quia iam nominatus est) *ad imaginem suam* (quod soli LXX

2*

omittunt): *ad imaginem Dei creavit illum* (singularis propter formam singularem הָאָדָם), *masculum et feminam creavit eos* (pluralis, quia הָאָדָם collectivus est; cf. ℣. 26). Ter repetit Moyses בָּרָא, *creavit*, ut monstret, hominem quoque esse creaturam Dei; parallelismo synonymo bis affirmat eundem hominem esse imaginem divinam, ut dignitatem eius statuat, qua ceteris creaturis praestat (similiter Hoberg); denique adiungit, homines *(eos)* in sexu masculino et feminino formatos esse, ut modum propagationis significet (℣. 28). Hic factum dumtaxat astruitur; Gen. 2, 7. 21 s. modus describitur.

Quatenus homo imago Dei est, in qua re ista similitudo consistit? Cum Deus testante Scriptura purus spiritus sit, similitudo hominis cum Deo principaliter in anima humana invenitur. Anima est spiritualis et immortalis ut Deus, habet intellectum et liberam voluntatem ut Deus, delectatur vero et bono ut Deus: ideoque homo Deo similis est. Ita Patres, Dillmann, Hummelauer, Hoberg; Egger, Hurter, Simar. Secundario autem in corpore quoque humano reperitur. Habitu enim erecto, specie pulchra, facie et lingua spiritum manifestante, motu imperioso divinum quoddam revelatur (Dillmann aliique antiquiores ac recentiores). — Dominium animalium, quo homo gaudet, non est ipsa imago, ut Holzinger putat, sed consequentia eius. Nam hoc dominium ℣. 28. homini ad imaginem Dei creato separatim conceditur (Dillmann) atque etiam in hoc ℣. ab imagine secernitur. — Mulier quoque imago Dei est, quia animam et corpus humanum habet et in hoc ℣. ad imaginem Dei creata dicitur (Dillmann). Non contradicit Paulus (1 Cor. 11, 7), qui illud tantum testatur, magis in viro quam in muliere imaginem Dei elucere, quatenus vir principium et finis et dominus mulieris, sicut Deus principium et finis et dominus mundi est (S. Thomas Aquinas 1, q. 93. a. 4. ad 1, Bisping, alii). — Iuxta sententiam probabiliorem (Hurter, II, 274 s.) Adam cum gratia sanctificante creatus, non tantum in ea postea constitutus est, ergo iam in creatione supernaturalis imago Dei factus est, quia gratia sanctificante et virtutibus simul infusis homo fit consors naturae divinae (videas Dogmaticam); exsecutio vero operis et intentio in Deo semper conveniunt: quapropter Deus dicens, *Faciamus,* hominem etiam supernaturalem imaginem suam facere intendit (ita et Hoberg; negat Hummelauer). Non obstat, quod post peccatum imago divina generatione iis communicetur (Gen. 5, 3), qui in ortu suo filii irae ideoque gratia sanctificante privati sunt (Eph. 2, 3); nam sicut dominium animalium extenuatum (non perfectum) in posteros Adae transit, ita imago Dei naturalis (non supernaturalis) in eos transfunditur. Si autem plures Patres imaginem naturalem voce *imaginis* atque imaginem supernaturalem voce *similitudinis* significatam dixerunt, contra usum loquendi et contextum istam sententiam explanarunt (cf. ℣. 26). — Utrum unicum

par hominum an plura creata sint, ex hoc loco erui nequit, quia verba textus etiam plura paria significare possunt; at Gen. 2, 7. 20ss.; 5, 1s. diserte docent, unicum dumtaxat par creatum esse.

℣. 28. **Benedixitque illis Deus,** *et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram* (cf. ℣. 22, ubi eadem verba occurrunt), *et subiicite eam,* i. e. operamini eam et fructibus eius utimini (Gen. 2, 5. 15; 3, 17ss.), *et dominamini piscibus maris, et volatilibus caeli, et universis animantibus, quae moventur super terram* (vide ℣℣. 20ss.; 24ss.; 26).

In versu 22. simpliciter לֵאמֹר, *dicens,* hic autem וַיֹּאמֶר לָהֶם אֱלֹהִים, *et dixit illis Deus,* exhibet textus Hebraicus, qua formula longiore parallelismus gignitur (Frz. Delitzsch, vide Kittel) et oratio grandior efficitur (Dillmann). Attamen Graecus cum Latino congruit, quapropter Hummelauer lectionem incertam iudicat. In Graeco insuper legimus; *καὶ πάντων τῶν κτηνῶν καὶ πάσης τῆς γῆς καὶ πάντων τῶν ἑρπετῶν τῶν ἑρπόντων ἐπὶ τῆς γῆς.* Idcirco Kittel post הַשָּׁמַיִם inserendum putat וּבַבְּהֵמָה (cf. ℣. 26), sed dubia res invenitur (Holzinger). — Si protoparentes non peccassent, propagatio generis humani eodem modo facta esset ac nunc, quia Deus propterea sexum diversum creavit, exclusis tamen illis indecentibus, quae ex peccato proveniunt (Hoberg). Obiicit quidem Gunkel, Adam et Evam ante peccatum sexum suum non cognovisse, sed textus sacer contrarium docet. Viderunt, se diversi sexus esse, at concupiscentiae pudore et ardore non afficiebantur ante peccatum (Gen. 2, 25 coll. 3, 7). — *Subiicite eam,* וְכִבְשֻׁהָ et *dominamini,* וּרְדוּ proprie significant: calcare, pedibus subiicere, qua expressione forti principatus hominibus datus lectis verborum coloribus depingitur (cf. Ps. 8, 7–9).

℣. 29. **Dixitque Deus: Ecce,** הִנֵּה, quae vox „inservit tum personis, rebus locisque, tum actionibus monstrandis . . . maxime in descriptionibus et in alacriore orationis genere, ubicunque novum quiddam digito quasi monstratur“ (Gesenius). *dedi,* נָתַתִּי, i. e. do (vide grammaticam) *vobis omnem herbam afferentem semen super terram,* כָל־הָאָרֶץ, *πάσης τῆς γῆς, et universa ligna quae habent in semetipsis sementem generis sui,* וְאֶת־כָּל־הָעֵץ אֲשֶׁר־בּוֹ פְרִי־עֵץ זֹרֵעַ זָרַע, i. e. et omnem arborem, in quo fructus arboris spargens semen (cf. ℣℣. 11s.), *ut sint vobis in escam:*

℣. 30. **et cunctis animantibus terrae,** *omnique volucri caeli, et universis quae moventur in terra, et in quibus est anima vivens* (cf. ℣. 26), *ut habeant ad vescendum,* לְאָכְלָה ut in fine ℣. 29.

Hic textus mancus est. Ante *ut* apponas: *dedi* (נָתַתִּי, i. e. do, ex ℣. 29. supplendum) *omne viridum herbae,* אֶת־כָּל־יֶרֶק עֵשֶׂב, quod in sola Vulgata deest. *Et factum est ita.* Vide ℣. 3. — Ergo animalibus herba viridis, hominibus vero grana et poma in escam assignantur; quae regula generalis utique exceptiones admittit, ita ut homines foliis plantarum et animalia seminibus et pomis vesci possint. Contra Gen. 9, 3 legimus: *Et omne, quod movetur et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia,* כְּיֶרֶק עֵשֶׂב, *tradidi vobis.* Si usum loquendi et contextum spectamus, ex his locis sequitur, ante diluvium vegetabilia, postea etiam animalia a Deo hominibus et bestiis in escam data fuisse. Fuit voluntas Dei explicita, ut homines et bruta in statu paradisiaco vegetabilia tantum manducarent; fuit voluntas eius implicita, ut in illo statu carnibus abstinerent: ut omnia animantia in pace placidissima viverent. Per peccatum autem protoparentum pax paradisiaca turbata est (Gen. 3, 14 ss.; 9, 2): animalia mactabantur (3, 21; 4, 4), et homines carnales facti (6, 3. 5; 8, 21) ab esu carnium vix abstinebant, ideoque Deus eis explicite permisit, ut carnes edere possent.

Hunc sensum verbis Gen. 1, 29 s. et 9, 3 subesse, etiam Boehmer, Dillmann, Gunkel, Holzinger, Kaulen et plerique veteres (cf. Hoberg) asserunt; Hoberg, Hummelauer, Selbst, Strack tamen negant, Deum hominibus ac bestiis ante peccatum vegetabilia dumtaxat concessisse, sed rationes eorum facile diluuntur. Nam etsi dominium animalium hominibus traditum iuxta usum loquendi esum carnium in se comprehenderet, versu 29 restringeretur (Dillmann, Boehmer); sacrificia autem cruenta post peccatum commemorantur (3, 21; 4, 4) neque epulas sacrificales necessario coniunctas habent; bestias carnivoras tempore pacis primitivae vegetabilia comedisse, nobis valde mirum quidem videtur (idcirco Kaulen quoque cum S. Thoma 1, q. 96, a. 1. ad 2. non veri simile iudicat), at notare debemus, Isaiam (11, 6—9; 65, 25) eadem de tempore pacis futurae prophetare (Dillmann, Gunkel); distinctio mundorum et immundorum animalium (Gen. 7, 2) esum carnium non necessario supponit. cum Lev. 7, 19 ss. et alibi talis distinctio etiam inter homines statuatur (Kaulen). — Mel, lac, ova et cibum aquatilium textus sacer tacet (Dillmann, Hummelauer). — Homines post peccatum usque ad diluvium carnibus abstinuisse, ut plerique veteres putarunt (cf. Lapide), improbabile est: per peccatum enim omnia mutata sunt.

℣. **31. Viditque Deus** (cf. ℣. 4) *cuncta quae fecerat: et* ecce (הִנֵּה, ἰδού, cf. ℣. 29) *erant valde bona.* In antecedentibus

narratur, quomodo Deus singula opera viderit et bona invenerit; hic affirmatur Deus cuncta opera vidisse et valde bona invenisse. Universitas rerum valde bona pronuntiatur tum propter ordinem consensumque, quo singulae partes inter se congruunt (S. Augustinus, Lapide, Selbst) itaque gloriam Dei internam seu cumulatam perfectionum divinarum complexionem manifestant (Ps. 18, 2 ss.) atque cum voluntate Dei conveniunt (Prov. 16, 4), tum propter hominem, qui complementum, decus et splendor rerum creatarum necnon praeses earum constitutus est (℣℣. 26 ss.). Ipse intellectu perfectiones divinas in creaturis manifestatas cognoscere et voluntate agnoscere, creaturis recte utens Deum verbo et facto rationaliter laudare potest (Ps. 148, 1 ss.; Dan. 3, 57 ss.). Ergo ista approbatio Dei generalis peculiariter ad hominem spectat (Hoberg). *Et factum est vespere et mane, dies sextus,* יוֹם הַשִּׁשִּׁי. Articulus numero appositus significat, hunc diem esse ultimum opificii divini (Dillmann, Kaulen); in LXX tamen deest.

C. **2.** ℣. **1. Igitur perfecti sunt,** *καὶ συνετελέσθησαν,* וַיְכֻלּוּ: cum וְ etiam conclusionem indicet (videas lexicon), bona est versio Latina. His versibus 1—3 requies Dei nobis nuntiatur. — Uti formatio hominis pluribus verbis ac repetitionibus narratur, sic etiam requies Dei exponitur. *Perfecti,* consummati seu absoluti *sunt caeli et terra* (cf. pag. 3), *et omnis ornatus eorum,* וְכָל־צְבָאָם i. e. et omnis exercitus eorum, sc. caelorum et terrae. Ea quae in caelis sunt (Angeli, astra, nubes et fulgura) in aliis quoque locis Scripturae exercitus caelorum vocantur (cf. pag. 3); ea autem, quae in terra sunt (homines, animalia, plantae), zeugmate hic exercitus terrae appellantur. LXX et Vulgata, habentes *πᾶς ὁ κόσμος*, omnis ornatus, non quidem vocem sed sensum bene expresserunt: nam omnia, quae in caelis et in terra sunt (Ex. 20, 11) eaque ornant, hic comprehenduntur, etiamsi in antecedentibus non diserte nominentur (Dillmann). Quatenus perfecti dicantur, in ℣. 2. exponitur (Gunkel).

℣. **2. Complevitque Deus.** Hic ℣. duabus sententiis parallelis constat, quod ex Hebraico melius elucet. Sensus posterioris, *et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat,*

patet. Deus non quasi fessus requievit, וַיִּשְׁבֹּת, seu ex labore se refecit, quia tanta facilitate et celeritate omnia creaverat (1, 3), neque a qualibet actione cessavit, quia Christus testatur: *Pater meus usque modo operatur* (Ioan. 5, 17) res creatas conservans et gubernans (Bisping): requievit potius ab universo opere suo quod patrarat, quatenus nova genera novasque species amplius non formavit (S. Augustinus, Hummelauer, Selbst). Simili modo propter parallelismum synonymum priorem sententiam explicemus oportet, ut sit sensus: *Complevit Deus die septimo opus suum quod fecerat* eo quod generibus et speciebus iam formatis nova amplius non addidit (Kaulen, Strack). Ita etiam ℣. 1. intelligendus est, quia idem verbum (וַיְכַל atque וַיְכֻלּוּ) hic et illic ponitur.

Hoberg bene notat, iuxta parallelismum duo verba analogice explananda, at minus bene cum Dillmann et Holzinger putat, idem verbum כָּלָה aliter ℣. 1. et aliter ℣. 2. accipiendum esse. Hummelauer e contrario bene asserit, unum idemque verbum in tali contextu eandem habere significationem, minus bene tamen iuxta Samaritanum, LXX, Italam, Peschitta legendum iudicat *Complevitque Deus die sexto,* הַשִּׁשִּׁי . . . *et requievit die septimo,* הַשְּׁבִיעִי. Nam lectio ceterorum testium non solum externe, verum etiam interne probabilior est (Kittel, Dillmann, Gunkel, Hoberg, Kaulen, Strack, Vercellone), cum difficilior appareat atque parallelismo commendetur.

℣. 3. **Et benedixit diei septimo,** dona ei contulit vel beneficia in eo collocavit (cf. ℣. 22) pro hominibus nimirum illum celebrantibus, *et sanctificavit illum,* i. e. a numero dierum negotiosorum segregavit et diem feriatum constituit: *quia in ipso cessaverat ab omni opere suo.* Homo imago Dei factus quoad naturam (1, 26 ss.) debet etiam imago Dei fieri quoad operationem suam (Hoberg, Kaulen), ideoque sex diebus operari atque septimo requiescere (Ex. 20, 9 ss.; 31, 13 ss.), ut ita Deum, principium et finem mundi (cf. pag. 1) colat. *quod creavit Deus ut faceret,* אֲשֶׁר־בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת i. e. quod Deus in principio ex nihilo produxit (℣. 1), ut illud sex diebus formaret (℣℣. 3—31). — Deest formula consueta, *Et factum est vespere et mane, dies septimus,* ut nobis hic dies vel haec requies Dei adhuc perdurare innuatur (S. Augustinus, conf. 13, 36, Frz. Delitzsch, Schöpfer, Zschokke), quae expositio cum

contextu omnino congruit: Deus res creatas nunc conservat atque gubernat, sed novas species amplius non producit.

Sanctificare, קָדַשׁ, idem est ac separare aliquid a rebus profanis et pro cultu Dei destinare (vide lexica). — Deum hac agendi ratione iuxta sententiam hagiographi sabbatum (שַׁבָּת, requies a שָׁבַת, requievit) instituisse, etiam Gunkel et Holzinger concedunt. Si non legimus, sabbatum iam ante Moysen celebratum fuisse (Dillmann), non sequitur sabbatum antea non observatum esse; verba legis *Memento ut diem sabbati sanctifices* (Ex. 20, 8) contrarium indicant. — Verba *quod creavit Deus ut faceret* eodem modo quo nos iam Rabbini explanarunt. Alii vertunt: quod Deus creavit et fecit (Gunkel) vel quod Deus faciendo creavit (Dillmann) vel quod Deus creando fecit (Strack). Sententia non tantum ad creationem secundam in hexaemero propositam, verum etiam ad primam respicit. — Sabbatum esse typum felicitatis aeternae Schöpfer cum S. Augustino (l. c.) affirmat. Favet Hebr. 4, 9ss.: *Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem eius: etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem.* — Uti Deus Pater post creationem, sic Christus post redemptionem die sabbati requievit (Selbst).

Excursus I.

De affinitate cosmogoniae biblicae et cosmogoniarum Gentium.

Ortus mundi, *κοσμογονία*, in mythis Gentium quoque describitur. Quos prius breviter proponemus, ut narrationis biblicae et gentilis affinitas patescat; deinde examinabimus, quomodo ista affinitas declarari possit ac debeat.

I. Mythi Gentium et quidem: 1. Aegyptiorum. In initio erant aquae originales tenebris involutae (Nun), quibuscum indissolubiliter coniunctus erat spiritus originalis. Qui effecit, ut ex aquis ovum prodiret; ex hoc ovo exiit deus lucis (Ra), qui deos ceteros creavit, mundum formavit, vitam produxit, hunc ordinem rebellibus devictis stabilivit (Holzinger 19, Nikel 118s.). Homines in rota figuli a deo formantur (Ieremias 62). — 2. Phoenicum. In principio erat chaos tenebrosum et spiritus. Spiritu operante chaos redditur materia continens semina vitalia *(Μώτ)*, quae formam ovi induit; ovum diffinditur, ex una parte caelum, ex altera terra formatur. Caelum corporibus, terra animantibus repletur, ex ista materia productis. Duo animantia *(ἄνεμος Κολπία* et *Βάαυ* vel *Βάαυ)* procreant protoparentes *(Αἰών* et *Πρωτόγονος)*, ex qui-

bus homines reliqui originem ducunt (Holzinger 22, Ieremias 62 ss., Nikel 117 s.). — 3. **Indorum** cosmogoniae haec communia habent. In initio exstat chaos tenebrosum et spiritus originalis, qui luce sua tenebras pellit et deinde aquas cum semine vitali creat. Ex isto semine fit ovum. in ovo oritur Brahma, qui cogitando ovum diffindit atque ex eo caelum et terram resque ceteras format (Dillmann 5). — 4. **Graecorum**. Primum est chaos, oriuntur terra (*γαῖα*) et abyssus (*τάρταρος*) et amor (*ἔρως*). Chaos tenebras ac noctem generat, ex quibus aether atque lux oriuntur: terra caelum astris ornatum, montes, mare, fontes procreat (Dillmann 5). — 5. **Etruscorum** (Tuscorum, Tyrrhenorum). Hi, qui iam antiquissimo tempore ex Asia (Lydia) in Italiam venerunt, docent, demiurgum vel fabricatorem mundi sex spatiis temporis, quorum unumquodque mille annos aequaverit, omnia creasse. Primo caelum et terram, secundo firmamentum, tertio mare et aquas ceteras, quarto solem et lunam et stellas, quinto omnia animalia, sexto hominem. Putant Dillmann 6 et Nikel 120, hanc cosmogoniam ad biblicam conformatam esse. — 6. **Persae** quoque mundum sex periodis productum asserunt (Nikel 120).

7. *Babyloniorum et Assyriorum* cosmogoniam Berossos vel Berosus (sacerdos Belis in Babylonia saec. III. a. Ch. n.), Damaskios vel Damascius (Neoplatonicus saec. VI. p. Ch. n.) atque inscriptiones cuneatae exhibent, inter quas carmen epicum de creatione mundi „Enuma eliš" in septem tabulis fictilibus Assurbanipale regnante (668—626 a. Ch. n.) scriptum atque 1872 a George Smith in palatio Ninive-Kujundschik bibliothecam Assurbanipalis continente inventum eminet; sed neque alia fragmenta spernenda sunt, quae apud Schrader-Zimmern et Winkler, Ieremias et alios collecta habentur. Ex istis fontibus haec colligimus. Cum caelum et terra nondum nominarentur (i. e. exsisterent) neque dii creati essent, erant Apsû (i. e. aquae dulces) et Tiâmat (i. e. aquae salsae). Ex his dii prodierunt, videlicet: Mummu, Laḫmu et Laḫamu, Anšar et Kišar, Anu, Illil (i. e. Bel antiquus), Ea et alii. Ea et uxor eius Damkina procreant Marduk vel Maruduk vel Merodach (Ier. 50, 2), i. e. deum solis vel Bel iuniorem. Apsû cum Mummu et Tiâmat deos reliquos vult perdere, utpote via seu operatione eorum turbatus, attamen ipse et Mummu ab Ea franguntur, ut videtur. Propterea Tiâmat undecim species monstrorum creat et nonnullos deos in suas partes trahit, quorum unum (Ḳingu) ducem exercitus et distributorem sortium constituit (vide Schrader-Zimmern 584 ss., ubi King, The Seven Tablets of Creation. Vol. I. II, London 1902, citatur). Anšar ab Ea de his machinationibus certior factus primum Anu et deinde Nudimmut ad debellandam Tiâmat mittit, qui tamen re infecta redeunt. Idcirco Anšar deum Marduk ad praelium instigat, qui annuit, si victoria parta rex mundi et distributor sortium a diis reliquis constituatur, quam conditionem dii congregati accipiunt. Marduk ad potentiam suam demonstrandam ante oculos deorum verbo efficit, ut vestis dispareat et iterum appareat: deinde armis ornatus curru quadrigarum invehitur in Tiâmat et exercitum eius. Desperantibus

adiutoribus Tiâmat sola ei resistit; obiurgatur, capitur, necatur. Marduk etiam adiutores (deos et monstra) comprehendit, deo Ḳingu distributionem sortium eripit, ac deinde Tiâmat dividit, ex una parte caelum et ex altera terram effingens. In caelo astra ponit et in terra homines ac bestias ex limo format sanguine divino madefacto, hominibus cultum deorum imponens.

II. Affinitas narrationis utriusque, biblicae sc. et gentilis negari nequit. Putarunt quidem aliquot viri docti, quos Nikel 12 ss. enumerat, varias cosmogonias esse absolutas, invicem non dependentes; *αὐτόχθονας*, aborigines, in terra propria natas. Dixerunt, similitudines earum ex communi indole hominum et observatione rerum atque eventuum eorundem; dissimilitudines ex proprietatibus populorum ac terrarum declarari posse. At, quamvis concedendum sit, cosmogonias Aegyptiorum et Indorum a mythis Babyloniorum et Assyriorum non dependere, tamen inter narrationem biblicam et narrationes Gentium tales similitudines reales et verbales conspiciuntur, quales affinitatem quandam cosmogoniarum omnino probant (Bezold, Keilinschriften 38, Döller, Nikel. Selbst); hanc affinitatem varii vario modo declararunt.

1. Plures antiquiores (cf. Nikel 7 ss.) et pauci recentiores (e. gr. Fourrière-Endler, Homers Entlehnungen aus dem Buche Judith, Reichenberg 1891, atque Kröll, Die Beziehungen des klassischen Altertums zu den heiligen Schriften des Alten und Neuen Testamentes, Trier 1901) *mythos Gentium ex S. Scriptura desumptos* esse opinantur. Sed haec opinio hodie generatim loquendo sustineri nequit. Licet enim etiam Dillmann et Nikel sentiant, cosmogoniam Etruscorum a cosmogonia biblica dependere; licet aetas ceterarum non sit certa: tamen cosmogonia Babyloniorum et Assyriorum ex sententia virorum catholicorum et acatholicorum iam 2000 a. Ch. n. (Schrader-Zimmern 490 s. et 497, Nikel 63 s.), ergo ante Genesim (c. 1500) litteris mandata videtur, ideoque ex Scriptura desumpta esse nequit.

2. Plurimi viri docti putant, *narrationem biblicam ex mythis Gentium depromptam* esse, et quidem Babyloniorum et Assyriorum necnon Phoenicum et Aegyptiorum. Probabile dicunt, iam antiquo tempore mythos Babyloniorum et Assyriorum in

notitiam Phoenicum et Chananaeorum venisse atque cum mythis aliorum populorum (praesertim Phoenicum et Aegyptiorum) coniunctos ab Israelitis acceptatos et novo modo dispositos et pedetentim de polytheismo purgatos esse. Hos mythos ab Israelitis traditos scriptorem codicis sacerdotum tempore exilii industrie retractasse, verbis et sententiis de polytheismo purgatis spiritum sacerdotalem atque supernaturalismi Iudaici inspirasse contendunt (Gunkel, Holzinger, Schrader-Winckler-Zimmern).

Auctor Genesis mythos Gentium scire quidem potuit. Nam ab 2200 usque ad 1400 a. Ch. n. cultura Babylonica ab Euphrate usque ad Nilum viguit, quod tabulae fictiles monstrant, quae 1887 in Tell-el-Amarna (inter Thebas et Memphim) inventae sunt atque nunc in Cairo, Berolini, Londini asservantur. Continent enim litteras regum Babyloniae, Assyriae, Mesopotamiae, principum Chanaan (etiam urbis Urusalim, nomine Abdhiba) et praesidum Aegyptiorum in maioribus civitatibus Chanaan ad Amenophim III. (1438—1401) et Amenophim IV. (1401—1389), lingua atque scriptura Babylonica exaratas, unde sequitur, culturam Babylonicam etiam in Chanaan et Aegypto viguisse (cf. Ieremias 200 ss., Frd. Delitzsch, I, 27 s.), ita ut Israelitae in Aegypto vel in Chanaan mythos Babyloniorum aliorumque populorum discere potuerint. Huc accedit, quod Moyses, qui Pentateuchum scripsit (vide Introductionem in Genesim), *eruditus est omni sapientia Aegyptiorum* tempore c. *quadraginta annorum* (Act. 7, 22 s.) ideoque mythos Gentium optime scire potuit. Denique iam Abraham, qui de Ur Chaldaeorum (in Babylonia meridionali) necnon de Haran (in Mesopotamia) ex cognatione polytheistica egressus est (Gen. 11, 31; 12, 1 ss.; Ios. 24, 2), mythos Babyloniorum probabilissime cognitos habuit.

Verumtamen, quamvis Israelitae mythos Gentium cognoverint, narratio biblica ex eis desumpta esse nequit, quam thesim argumenta sequentia confirmant. *a)* In omnibus cosmogoniis Gentium polytheismus docetur, in cosmogonia biblica autem monotheismus: ergo quoad hanc partem ex eis desumpta esse nequit. Neque dici potest, Israelitas istos mythos pedetentim de polytheismo purgasse atque monotheismo conformasse. Nemo enim adhuc declarare potuit, quomodo Israelitae cum polytheistis conversantes naturali evolutione (uti supponunt) ex polytheismo ad monotheismum soli se elevaverint (Nikel 244—261; Selbst). Si teste historia nullus reliquorum populorum naturali evolutione ad monotheismum se elevavit, concludere debemus, populum Iudaicum naturali

modo neque ad monotheismum pervenire neque mythos Gentium de polytheismo purgare potuisse. Quapropter cosmogonia biblica non est desumpta ex cosmogoniis gentilibus naturali evolutione purgatis.

Frd. Delitzsch (I, 45 s., 71 ss.) asserit quidem, c. 2500 a. Ch. n. Hammurabi regnante in Babylonia monotheismum viguisse, et hanc assertionem nomine *ilu* et comparatione quadam inter deos Babylonicos instituta probare conatur. Perperam. Etenim nomen *ilu* (idem ac *El*) iam ante 2500 a. Ch. n. incolae Babyloniae adhibebant, qui concedente Delitzsch polytheistae fuerunt, et Hammurabi quoque in suis legibus (cf. Winckler, Die Gesetze Hammurabis, Leipzig 1903) plures deos nominat: ergo ex nomine *ilu* monotheismus non sequitur (Nikel 250). Quod autem comparationem illam attinet, quae in fragmento Neobabylonico 1895 invento inter deos instituitur, doctissimi Assyriologi Iensen, Oppert, Bezold (Keilinschriften 33 s.) demonstrarunt, eam nullatenus monotheismum Babyloniorum probare. — Gunkel, Holzinger, Delitzsch (I, 63 s.) in Gen. 1, 26 *Faciamus Hominem ad imaginem, et similitudinem nostram* reliquias fontis polytheistici vident, sed falso. Nam ipsi quoque concedunt, scriptorem hexaemeri monotheismo fuisse addictum atque sollicite omnia amovisse, quae polytheismum redolerent: ergo etiam hunc pluralem amovisset, si ex polytheismo veniret. Ne opponatur, scriptorem inconsulte pluralem reliquisse: debuit enim eum animadvertere propter singularem in ℣. 27. quater occurrentem, *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos.* Talis constructio versuum 26 et 27 irregularis scriptorem monotheistam, praecipue Moysen, effugere nequivit.

b) In omnibus cosmogoniis Gentium materia elementaria supponitur aeterna, non creata, in cosmogonia biblica vero pronuntiatur temporalis, a Deo ex nihilo producta: ergo etiam quoad hanc partem ex eis desumpta esse nequit. Sed neque evolutione naturali ex eis transformata esse potest, quia nemo naturali rationis lumine creationem proprie dictam seu productionem ex nihilo assecutus est.

Utrum creatio proprie dicta sine revelatione cognosci ac demonstrari possit necne, disputant docti. Schanz (I, 606) negat, Hurter (II, 205) affirmat: omnes tamen concedunt, reapse nullum philosophum gentilem ratiocinando ad productionem ex nihilo pervenisse. Ex quo concludimus, Israelitas quoque naturali evolutione ad creationem proprie dictam non evolasse. — Gen. 1, 2 non esse parenthesim de materia aeterna et increata loquentem, pag. 5 s. diximus.

c) In cosmogoniis Gentium theogonia, i. e. origo deorum ex materia elementaria describitur; duo principia.

materia et spiritus, semper exsistentia explicite vel implicite statuuntur; caelum et terra, et quae in eis sunt, praeliis formata monstrantur (praesertim in Babylonica); vires naturales loquentes vel agentes (dii et monstra) inducuntur: contra in cosmogonia biblica prosopopoeiae phantasticae desunt atque unicum principium increatum et nulli materiae subiectum docetur, quod omnia sine pugna solo verbo formavit, quare quoad has partes quoque ex eis deprompta esse nequit. Invocata vero evolutio naturalis parum prodest. Quomodo enim declaratur, inter omnes populos solum populum Iudaicum naturaliter ad tam purgatam et a ceteris cosmogoniis essentialiter discrepantem cosmogoniam pervenisse? Nemo sufficientem causam naturalem hucusque indicavit.

Zapletal 9 asserit, in cosmogonia Aegyptiorum mundum solo verbo deorum creatum nuntiari, Ieremias 60 tamen negat. Quod autem Marduk verbo suo vestem iam exsistentem disparere et iterum apparere fecerit, cum verbo *Fiat* exiguam habet similitudinem (Ieremias 68).

d) In nulla cosmogonia Gentium institutio sabbati et implicite hebdomadis septem dierum narratur, quae in biblica cosmogonia legitur: ergo etiam quoad hanc partem ex narrationibus Gentium hausta esse nequit. — Delitzsch (I, 29, 61 s.), Gunkel, Ieremias (90 s.), Schrader-Zimmern (592 ss.) putant quidem, sabbatum Israelitarum ex institutionibus Babyloniorum declarandum esse, cum apud hos nomen šabattu vel šapattu occurrat atque dies 7., 14., 19., 21., 28. cuiuslibet mensis a ceteris diebus secernantur. Sed reponimus: *α)* Apud Babylonios dies 7., 14., 21., 28., insuper 19. cuiuslibet mensis, apud Israelitas quilibet dies 7. anni sine respectu ad initium mensis celebrabatur. *β)* Nullo argumento confirmari potest, diem 7., 14., 19., 21., 28. šabattu nominatum fuisse; probabile est, diem 15. mensis ita vocari (Zeitschrift der D. Morgenländ. Gesellschaft, 1904, 200, 458; cf. Selbst). *γ)* Isti dies notantur nefasti, atri, quibus opera plura (non omnia) omittenda erant, ut infortunia evitarentur; erant dies ieiunii et poenitentiae (Ieremias, Schrader-Zimmern): sabbatum vero Israelitarum erat dies laetitiae, quo homines requiescebant, ut Deum colerent (Isa. 58, 13). *δ)* Babylonii quinque dies hebdomadis numerabant (Ieremias 86), Aegyptii et Graeci decem (Beer-Guthe): Israelitae

autem iuxta dispositionem exordii Genesis septem (Ex. 20, 8 ss.; 31, 13 ss.), quae numeratio neque ex institutionibus Babyloniorum declarari potest (Iensen, cf. Bezold 66), neque ex cosmogoniis Etruscorum et Persarum, quae probabiliter a biblica dependent, ut diximus. — Consideratis his omnibus Barth et Bezold 66, Siegfried-Guthe, Strack quoque profitentur, cosmogoniam biblicam quoad hanc partem ex narrationibus Gentium haustam non esse.

Rationes, quibus Gunkel, Holzinger, Schrader-Zimmern demonstrare conantur, cosmogoniam biblicam ex cosmogoniis Gentium, praesertim Babyloniorum, desumptam esse, sequentes sunt: *a)* Secundum cosmogonias Gentium in principio chaos, aquae profundae et tenebrosae erant, ex quibus reliqua formabantur; eadem in cosmogonia biblica legimus: ergo haec ex illis, quae antiquiores sunt, desumpta apparet. Quibus reponimus, inter chaos cosmogoniarum gentilium et cosmogoniae biblicae adesse differentias essentiales, quae nulla evolutione naturali declarari possunt, uti iam dictum est. Chaos illud est aeternum, hoc temporale; illud est increatum et deos plures procreans, hoc a Deo uno ex nihilo productum; illud est principium diis plerumque infensum, hoc Deo obediens; ex illo pugnis, ex hoc per verbum omnia formantur. Ergo in hac parte cosmogonia biblica ex cosmogoniis Gentium desumpta et transformata esse nequit. — *b)* In cosmogonia biblica chaos eisdem nominibus vocatur, quae in cosmogoniis gentilibus occurrunt; nam תְּהוֹם idem est atque Assyriacum tiâmtu, tâmtu, tâmdu, Tiâmat (cf. Buhl) et בֹּהוּ idem ac Phoenicium *Báαυ* vel *Báoυ* (cf. Buhl): ergo ex eis desumpta apparet. Respondemus, hic quoque differentias intercedere. Etenim Tiâmat significat dumtaxat mare velut personam aut bestiam inductum et *Báoυ* vacuitatem humana specie indutam; e contrario תְּהוֹם semper denotat mare et בֹּהוּ vacuitatem, quatenus obiective exsistunt, sine personarum fictione (vide locos a Mandelkern citatos). Cum autem significatio propria prior sit quam mythologica (Nikel 69), nomina cosmogoniae biblicae ex mythis gentilibus non dependent, eo magis quod vox תֹּהוּ in nulla inveniatur, ut omnes concedunt. Quod si תְּהוֹם hic sine articulo ponitur, non sequitur, esse nomen proprium personae mythologicae, nam Ps. 105, 9 et Isa. 63, 13 cum articulo ponitur et usus articuli in Scriptura generatim non tam constans est, ut ex eo deduci possit, utrum aliquod nomen sit proprium an appelativum (Nikel 70). — *c)* In aliquibus cosmogoniis Gentium spiritus ovum ex aquis produxisse narratur, ex quo cetera formata sunt; in cosmogonia biblica Spiritus Dei aquis incubans describitur: ergo ex illis hausta videtur. Mira consonantia hac in re ultro concedenda tunc tantum probaret, cosmogoniam biblicam ex gentilibus desumptam, si alio modo explicari non posset: potest autem ex communi fonte declarari, quem cosmogoniae variae supponunt. Etenim

cum nemo asserat, cosmogoniam biblicam, Aegyptiorum et Phoenicum hinc atque cosmogoniam Indorum illinc dependere invicem (Nikel 121), et nihilominus in utraque eadem idea occurrat: communis fons innuitur, ex quo omnes haustae sunt (vide num. 3 infra). — *d)* In cosmogonia biblica de effectibus Spiritus incubantis nihil narratur; in Ý. 3. novum principium mundum formans inducitur: ergo inter Ý. 2. et 3. lacuna quaedam reperitur, quae nobis insinuat, cosmogoniam biblicam ex gentilibus desumptam esse, omissa theogonia. Reponimus: *α)* Spiritus Dei materiam creatam cum viribus naturalibus conservabat atque ad varias evolutiones naturales (cf. pag. 4) cooperatione sua concurrebat (videas philosophiam de concursu Dei physico), quae ideo simul effectus Spiritus incubantis (cf. pag. 5) nominari debent. *β)* In Ý. 3. non novum principium inducitur. Nam iuxta contextum remotum in Scriptura idem ens summum et Elohim et Spiritus appellatur (cf. pag. 5). Idem igitur ens summum, quod in principio creavit et postea verbo mundum formavit, super aquas quoque ferebatur seu terram evolvebat. *γ)* Itaque inter Ý. 2. et 3. nulla lacuna reperitur. Si vero affirmetur lacuna, quia in cosmogoniis gentilibus hoc loco theogonia exhibetur, petitio principii adest: supponitur quod demonstrandum est, scilicet cosmogoniam biblicam ab illis dependere (Nikel 77). — *e)* Iuxta fidem Israelitarum lux ac tenebrae a Deo creatae sunt (Isa. 45, 7); iuxta cosmogoniam autem biblicam tenebrae a Deo nec creantur nec bonae pronuntiantur: ergo cosmogonia biblica ex gentilibus deprompta apparet, in quibus tenebrae increatae praesentantur. Attamen, tenebrae etiam in cosmogonia biblica creatae dicuntur. Nam in principio creavit Deus caelum, et terram (1, 1); terra vero creata erat involuta tenebris (1, 2): ergo tenebrae cum terra creatae sunt. Ratio, cur non dicantur bonae, probabiliter haec est, quod tenebrae non sint ens quoddam positivum (Nikel 74), sed potius defectus lucis (cf. pag. 4). — *f)* In cosmogoniis Gentium divisio lucis et tenebrarum (saltem implicite quatenus Ra et Marduk dii lucis sunt) necnon divisio aquarum superiorum et inferiorum (divisio ipsius Tiâmat) narratur; utraque divisio in cosmogonia biblica quoque occurrit: ergo haec ex illis, utpote antiquioribus dependet. Reponimus: *α)* Divisiones istas quotidiana experientia atque apparentia externa hominem quemlibet docet, ita ut summum concludere possimus, singulos scriptores cosmogoniarum secundum quotidianam experientiam atque apparentiam externam similia narrasse, quin invicem dependeant. *β)* Divisiones istae in cosmogonia biblica sine ulla fictione personarum describuntur, quae in Aegyptiaca et Babylonica offendit et contrariam conclusionem suggerit (cf. pag. 31). — *g)* Cosmogonia biblica soli et lunae dominium adiudicat, quod cultum astrorum gentilem redolet, ergo ex narrationibus Gentium petita est. At, solem et lunam diei et noctis dominari, quotidiana experientia quemlibet docet; insuper haec pars cosmogoniae biblicae ita composita est, ut contra cultum astrorum Gentium dirigatur (cf. pag. 14). Ergo ex cosmogoniis earum petita non est (videas num. 3. infra). — *h)* Plurales *Faciamus* atque *Elohim* non esse mutuatos ex cosmogoniis Gentium, explicantes ÝÝ. 1. et 26. iam mon-

stravimus. — *i)* In cosmogonia biblica homo ad imaginem Dei creatus asseritur, qua locutione Deo species corporalis ascribitur, ita ut cosmogonia biblica a mythis Gentium hausta deprehendatur. Verumtamen, ex claris locis Scripturae colligimus, hominem non tam corporalibus quam spiritualibus proprietatibus Deo similem esse (cf. pag. 20), quapropter ista conclusio tota concidit. — *k)* In cosmogonia biblica vegetabilia hominibus et bestiis in escam dantur; in mythis quoque Gentilium antiquissimis pax primi temporis praedicatur: quare cosmogonia biblica ex illis sumpta videtur. At ex consonantia narrationis biblicae et mythorum gentilium tunc tantum logice sequeretur, narrationem biblicam ex his depromptam esse, si alio modo declarari nequiret; bene tamen ex communi fonte explicatur, quem rationes variae demonstrant (vide num. 3. infra): ergo etiam haec conclusio concidit. — *l)* Secundum narrationem biblicam Deus opera singula inspicit et bona videt; quae examinatio et approbatio indicat, opera etiam mala fieri potuisse, atque placitis Gentium conformis invenitur, quapropter cosmogonia biblica ex his dependet. Sed explicatio ista contextui et circumstantiis historicis contraria est. Deo enim, qui solo verbo et nullis resistentibus creasse dicitur (cf. pag. 6), opus aliquod minus feliciter evenire potuisse, ipsumque ob hanc causam opera singula examinasse, absurde affirmatur; propter antiquum errorem orientalem potius res creatae pronuntiantur bonae (cf. pag. 7). Ergo inde mutuatio illa concludi nequit. — *m)* Iuxta fidem Israelitarum Deus semper operatur: iuxta cosmogoniam biblicam autem opere consummato requiescit: ergo haec pars ex cosmogoniis Gentium petita esse debet. Contra quam illationem notamus: Deus semper operatur creaturas conservans, cum ipsis cooperans, eas ad finem suum dirigens; simul tamen requiescit ab omni opere suo quod creavit, quatenus nova genera novasque species amplius non format (cf. pag. 24). Ergo cosmogonia biblica cum fide Israelitarum optime congruit, quare hinc quoque mutuatio illa concludi nequit. — *n)* In aliis libris Scripturae, praesertim poeticis, praelium Dei cum mari vel cum monstris explicite vel implicite (allusione) narratur; antiquior haec narratio mythis Gentium, praecipue Babyloniorum valde similis est: ergo cosmogonia biblica ex cosmogoniis gentilibus desumpta, pedetentim purgata atque transformata et in forma hac recentiore libro Genesis praefixa probatur. Praelium Dei cum m a r i describitur: Ps. 103, 6—9; Iob 7, 12; 26, 12; 38, 10s.; Prov. 8, 29; Isa. 50, 2; 51, 10; Ier. 5, 22; 31, 35; Ps. 32, 7; 64, 8; 73, 13; 88, 10; Eccli. 43, 25; Ps. 45, 4; Isa. 17, 12ss.; Hab. 3, 8; Nah. 1, 4; Ps. 17, 16ss.; 92, 3s.; 76, 17; 105, 9; cf. Isa. 59, 19. Praelium Dei cum m o n s t r i s, et quidem cum r a h a b describitur Isa. 51, 9; Ps. 88, 10ss.; Iob 26, 12s.; 9, 13 (cf. Ps. 86, 4; Isa. 30, 7; Ps. 40, 5); cum l e v i a t h a n vero Ps. 73, 12ss.; Isa. 27, 1; Iob 40s.; cf. 3, 8; Ps. 103, 26; cum b e h e m o t h autem Iob 40 (cf. Isa. 30, 6; Ps. 67, 31); cum d r a c o n e (tannîn) Isa. 27, 1; 51, 9; Iob 7, 12; Ps. 73, 13; Ez. 29, 3ss.; 32, 2ss.; Ier. 51, 34 (cf. 36, 44); cf. 2 Esd. 2, 13; Esth. 10, 4—12; Dan. 14, 22—26; cum s e r p e n t e

(nahaš) Amos 9, 2s.; Iob 26, 13; Isa. 27, 1 (Schrader-Zimmern 507s.). Sed notamus: *α)* Exordium Genesis ante istos libros citatos conscriptum fuit a Moyse (vide introductionem). *β)* In istis libris potentia divina, cui omnia in principio parebant et nunc quoque obedire debent, variis imaginibus poetice describitur. *γ)* Nihil nos impedit, quominus cum Nikel 123 et Selbst 48s. concedamus, hagiographos voces adhibuisse, quae in toto Oriente usurpabantur ideoque ex parte etiam in mythis Gentium occurrunt. In mythis Babyloniorum draco et serpens quidem inveniuntur, rahab, leviathan, behemoth vero desiderantur. *δ)* Quod ad rem attinet, experientia quotidiana docet, aquas divisas coerceri maiore potentia; hoc factum imaginibus variis praelium Dei et aquarum repraesentatur (Nikel 122). *ε)* Talis purgatio et transformatio mythorum Gentium, qualem haec heoria supponit, naturali evolutione fieri non potuit (cf. pag. 28ss.). — His rationibus nixi Gunkel, Holzinger, Schrader-Zimmern et multi alii Protestantes affirmant, cosmogoniam biblicam ex mythis Gentium, praecipue Babyloniorum haustam, pedetentim a polytheismo purgatam et in formam monotheisticam redactam esse. E contrario Wellhausen (Prolegomena 303, cf. Gunkel 109 et Nikel 67) et Dillmann 11 negant, cosmogoniam biblicam a mythis Gentium dependere. Et revera. Rationes, quae pro mutuatione adducuntur, omnino leves sunt, ut vidimus; imagines quasdam Babylonias-Assyrias praelium dii cum bestia repraesentantes, quas Frd. Delitzsch (I, 34ss.) affert, omittere possumus, quia sensus earum concedentibus Nikel 99ss. atque Schrader-Zimmern 502 non constat. — Si cosmogonia biblica ne indirecte quidem ex mythis Gentium petita est, multo minus directe: neque tempore exilii, ut Frd. Delitzsch, Haupt, Goldziher (cf. Holzinger) putant, neque tempore Prophetarum et dominationis Assyriae in Iuda, ut Kuenen, Kosters, Budde (cf. Holzinger) opinantur. Nam spiritus Prophetarum et scriptoris exordii Genesis tantum differt a placitis Babyloniorum et Assyriorum, ut improbabilissimum sit, ab ipsis mythos Babylonios-Assyrios susceptos fuisse (Gunkel, Holzinger).

3. Cosmogonia biblica et cosmogoniae Gentium *ex revelatione primitiva per traditionem propagata* hauriebantur (Döller 16, Kaulen 3, Nikel 10ss. et plurimi alii, fc. Nikel). Etenim *α)* inter narrationes biblicas et gentiles tam multae et mirae conspiciuntur similitudines, ut ex communi fonte tantum declarari possint; nam illae quoque cosmogoniae, quae ab aliis non dependent, istas similitudines habent (cf. pag. 32). Etiam Dillmann commune fundamentum seu principium statuit.

β) Communis iste fons non solum naturalis ratio et experientia, sed etiam revelatio supernaturalis postulari debet. Nam nullus populus, nec maxime excultus, pura ratione

et experientia vel naturali evolutione ad monotheismum atque creationem proprie dictam se elevavit; in cosmogonia vero Iudaici populi, qui minus excultus fuit quam plures alii, monotheismus et creatio proprie dicta clare docentur (cf. pag. 28 s.): quomodo hoc factum, quod negari nequit, declarari potest? Non ex naturali ratione et experientia, alioquin etiam populi magis exculti istas doctrinas invenissent, sed solum ex revelatione supernaturali a Deo hominibus communicata.

γ) Revelationem primitivam traditione propagatam populi varii iuxta suas conditiones, tempora et loca, culturam et statum civilem mutabant, partim augebant partim minuebant: atque sic dissimilitudines clarescunt. Quod iam Berosus notaverat (cf. Schrader-Zimmern 489), etiam Gunkel 115 s., Holzinger 21, Nikel 49 ss., Schrader-Zimmern 500 s. aliique asserunt, videlicet in cosmogonia Babylonia eventus naturales allegorice describi. Statum terrae tempore hiemali et vernali, praelium virium naturae tempestate adorta conspicuum, conditionem suam civilem Babylonii in originem mundi transtulerunt. Communem traditionem aliter apud Babylonios aliter apud Israelitas inveniri, Dillmann quoque dicit.

δ) Ex ista traditione inspiratus auctor puram revelationem primitivam selegit et conscripsit, Deo movente et illustrante. „Nam supernaturali ipse virtute ita eos (scil. scriptores inspiratos) ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, *ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent:* secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae“ (Leo XIII., Providentissimus 61).

ε) Puram hanc revelationem primitivam hagiographus perturbatis traditionibus populorum ceterorum, quibuscum populus Iudaicus vivere debebat, consulto opposuit (Nikel 124), quemadmodum S. Ioannes doctrinam suam evangelicam haeresibus illorum opposuit, inter quos Christiani degebant (cf. Belser et Bisping).

Si Oettli approbante Frd. Delitzsch (I, 55) asserit, sententiam qua primitivam revelationem supernaturalem statuimus, quae in populo Israel pura, apud reliquos populos autem turbata reperitur, esse simplicem hypothesim nulla probabili causa confirmandam: hoc solum ab eo quae-

rimus, quomodo populus minus excultus ad monotheismum et creationem proprie dictam naturaliter se elevare potuerit, dum populi magis exculti omnes polytheismo et mythologica formatione mundi ex chao aeterno insistentes fuerint. Historicum hoc factum postulat et confirmat sententiam nostram.

4. Moderni interpretes catholici similitudines et dissimilitudines inter cosmogoniam biblicam et gentilem exsistentes sic declarant, ut dicant, hagiographum directe vel indirecte usum esse Gentium *mythis, ut ideas revelatas* populo proponeret; his ideis religiosis seu veritatibus aeternis cosmogoniam biblicam a gentili distingui; vestitu autem orationis fabulari ei assimilari.

Lenormant (Les origines de l'histoire d'après la bible et les traditions des peuples orientaux. Paris 1880/82) scripsit, undecim capitibus prioribus Genesis has veritates aeternas contineri: Deum personalem mundum creasse, genus humanum ab unico pari hominum descendere, protoparentes peccasse posterisque suis nocuisse, primum peccatum et sequentia esse voluntaria; hasque veritates aeternas et credendas nobis proponi traditionibus fabulosis, quas hagiographi a polytheismo quidem purgaverint et novo spiritu monotheismi animaverint, ceteroquin fabulosas reliquerint, ita ut historicam veritatem in eis agnoscere non debeamus (cf. Schöpfer 52, Selbst 47 s.). Opus eius 19. Dec. 1887 in indicem librorum prohibitorum relatus est (cf. Index librorum prohibitorum . . . Pii P. X. iussu editus. Romae, Typis Vaticanis, MCMIV). — Loisy (Les mythes babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse. Paris 1901) dicit, Israelitas iam antiquitus mythum Babylonicum cognitum habuisse et pro Marduk simpliciter Iahve substituisse (cf. Nikel 60), quod etiam apud Delitzsch (I, 33 s.) legimus. — Zapletal in cosmogonia biblica sequentes ideas religiosas invenit: mundus a Deo solo creatus est et quidem per solum verbum (67 s.), ideoque cum voluntate Dei convenit (68); homo est finis creationis et sabbatum sanctificandum (68); sidera, plantae, bestiae non adorandae sunt (68). Ad proponendas has veritates hagiographus iuxta Zapletal usus est opinionibus vulgaribus, res naturales respicientibus, ut intelligeretur a vulgo, atque mythologicis, ut eas refutaret (69). Itaque exordium Genesis opiniones populares et falsas continet (69 s.) atque a mythis Babyloniorum (90) aliarumque gentium (92) quoad vestitum orationis dependet. — Holzhey putat, hagiographum virtute inspirationis mythum gentilem a polytheismo purgasse eique novum monotheismi spiritum inspirasse atque hoc purgato et animato mytho ideas theologicas proposuisse (39—41), scilicet: unum Deum exsistere et sabbatum sanctificandum esse (36); omnia a Deo creata et bona esse, hominem praesidem omnium creaturarum et mulierem sociam viri esse, genus humanum ab uno pari descendere (35 s.). Quoad ideas

theologicas errorem excludit, quoad vestitum orationis autem errores concedit (43—75).

Quibus haec opponimus: *a)* Sentententia eorum cum ecclesiastica notione inspirationis et inerrantiae Bibliorum conciliari nequit.

„At nefas omnino fuerit, inquit Leo XIII. (Providentissimus 59 s.), aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit . . . tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse . . . Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute (etc. cf. pag. 35) . . . Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem.“

Si hagiographi opiniones aliorum simpliciter referunt, quin eas approbent vel adoptent, istae opiniones utique falsae esse possunt: hagiographus vel potius Deus testatur dumtaxat, tales fuisse opiniones aliorum. Si vero auctor inspiratus, qua talis, vel ipse loquitur vel aliorum sententias adoptat vel narrationes viva voce aut scripto traditas ut placita sua (viri inspirati) proponit: his propositionibus error subesse nequit, quia viri inspirati ea omnia eaque sola apte infallibili veritate expresserunt, quae Deus iusserat (cf. pag. 35), Deus autem per sacros auctores elocutus „nihil admodum a veritate alienum ponere“ potuit (Leo XIII. ibidem 61). Ne dicant, hagiographum saepius iuxta apparentiam seu speciem externam, non secundum intimam rerum constitutionem scripsisse (cf. pag. 9), atque ideo etiam iuxta opiniones vulgares sui temporis scribere potuisse: comparatio enim claudicat. Opiniones vulgares illius temporis plerumque

falsae erant; apparentia vel species externa autem, quamvis ab interna constitutione rei distinguatur, tamen in se falsa non est, ita ut hagiographus seu potius Deus iuxta apparentiam externam sine ullo errore loqui potuerit, non vero iuxta opiniones temporis vulgares et falsas.

b) Usus loquendi et contextus demonstrant, scriptorem exordii Genesis non tantum quasdam ideas religiosas docere, sed etiam m o d u m c r e a t i o n i s mundi describere voluisse (Gunkel 119, Holzinger 18, ambo Wellhausen citant). Cum autem hagiographi ea sola conscribere vellent atque apte infallibili veritate exprimerent, quae Deus iusserat, ergo Deus per Moysen modum creationis hominibus proponat: ab hac descriptione quoque errorem quemlibet excludamus oportet.

c) Moderna haec sententia ab opinione Protestantium num. 2. iactata omnino dependet, quemadmodum comparatio num. 2. et 4. atque magis opusculorum et operum demonstrat; sed ista opinio ne ipsis Wellhausen et Dillmann quidem probatur. —

Nunc alia quoque quaestio facile solvi potest, qualem scilicet *auctoritatem* habeat et qualem fidem mereatur cosmogonia biblica. *α)* Si ex mythis Gentium hausta, naturali evolutione transformata et tempore exilii Babylonici conscripta esset, parvam haberet auctoritatem historicam et fidem humanam solummodo mereretur, utpote composita ex speculationibus et phantasiis Gentium necnon opinionibus Iudaeorum. *β)* Si autem ideae religiosae a Deo quidem revelatae, at mythis Gentium a polytheismo purgatis vel sententiis vulgaribus et falsis propositae essent: veritates aeternas fide divina credere deberemus, sed involucrum fabularem vel saltem popularem reiicere possemus. *γ)* Si denique scriptor inspiratus veritates religiosas simulque modum creationis mundi tradere voluit, utramque partem propter auctoritatem Dei per hagiographum loquentis pro vero ponere debemus. Et hinc exoritur quaestio subdifficilis, quomodo cosmogonia biblica cum scientiis naturalibus conciliari possit.

Excursus II.

De relatione cosmogoniae biblicae ad scientias naturales.

Usque ad saec. XVIII. Patres et Doctores Ecclesiae, Theologi catholici et protestantes communiter docuerunt, Deum successivis sex spatiis 24 horarum mundum eo ordine formasse, quo formatio in Genesi narratur. Bene fecerunt. Nam iuxta principium generale hermeneuticae „a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere" (Leo XIII. cf. Exegeticam 102 s.); usque ad saec. XVIII. autem certae doctrinae scientiarum naturalium sensui litterali proprio obstantes non erant notae: ergo interpretes bene sensum litteralem proprium retinuerunt (explicatio Patrum litteralis).

Nobis tamen a peritis rerum naturalium graves et certae rationes opponuntur, idque *a)* ex cosmogonia. Etenim *α)* sol est centrum systematis solaris, ad quod terra pertinet, ergo ante terram formari debuit: quapropter spatia succesiva intelligi non possunt. *β)* Lux, de qua Moyses loquitur (1, 3—5), a sole venit et dependet (cf. pag. 6), ergo sol ante lucem formari debuit: quapropter res non eo ordine creatae sunt, quo in Genesi narrantur. Quaestio, utrum lux a sole independens exsistat, quod nonnulli asserunt, vix huc pertinet, quia Moyses de luce solari scribit. *γ)* Lux corporum lucentium spatio plurimorum annorum indigebat, usquedum ad terram pertingeret; Adam vero iam die sexto in luce ambulabat (2, 19—25 coll. 1, 14—18): ergo dies non sunt solares. *δ)* Plantae ante solem radiantem florere et fructus facere non potuerunt (cf. pag. 12 s.): ergo spatia successiva non sunt. *ε)* Astra uno die formari non potuerunt, ad hoc millia annorum necessaria erant: ergo dies non sunt solares.

b) Ex palaeontologia seu scientia fossilium. Viri docti (cf. Hasert 32 aliosque) distinguunt periodum azoicam, in qua strata terrae nec floram nec faunam monstrant: palaeozoicam, in qua herbas aquaticas et filices, pisces et amphibia invenimus; mesozoicam, in qua coniferae, sauriani,

volucres occurrunt; kaenozoicam (tertiariam et quaternariam), in qua praeter floram recentiorem etiam mammalia et corpora humana reperiuntur. Ex quibus breviter dictis sequitur, post creationem plantarum et animalium evolutiones factas esse, quae longissima intervalla postulant, quibus flora et fauna fossilia et petrefacta fieri potuerint. Cum hisce sensus litteralis proprius hexaemeri conciliari nequit.

Quod si nonnulli (e. gr. Keil protestans, Bosizio, Tappehorn, Trissl) facta supra enumerata aut negant aut ad diluvium vel omnipotentiam Dei recurrentes explicant atque ita interpretationem Patrum adhuc sustineri posse opinantur (explicatio litteralis recentior vel theoria diluvialis): respondemus, facta supra enumerata esse certa neque diluvio explicari posse, e. gr. quod centrum systematis solaris post terram formatum dicatur et in diversis stratis terrae flora cum fauna petrefacta inveniatur; ad omnipotentiam autem divinam seu ad miracula sine necessitate recurrendum non esse, philosophi notant. — Si vero alii (e. gr. Buckland, Hengstenberg, Kurtz protestantes; Wiseman, Westermayer, Vosen catholici) putant, in Gen. 1, 3ss. non primariam formationem, sed restitutionem terrae devastatae (forte per Angelos malos, Kurtz et Westermayer) narrari, periodos geologicas ante hexaemeron collocandas, strata et fossilia istis evolutionibus ac devastatione declarandas, hexaemeron autem litteraliter intelligendum esse (theoria restitutionalistica): reponimus, hanc theoriam neque ullo argumento probari neque unicam obiectionum ex cosmogonia petitarum diluere.

Cum igitur certae doctrinae scientiarum naturalium sensui litterali proprio obstent, sensum litteralem improprium amplexare (Exegetica 102 s.): *dies* pro spatiis longioribus seu periodis accipere debemus, quae ab hagiographo non chronologice, sed idealiter ordinatae sunt (theoria periodistica-idealis). Vocem יוֹם iuxta usum loquendi biblicum etiam longius temporis spatium significare, omnes sciunt (cf. pag. 8); ipsam longissimum quoque spatium seu periodum denotare, contextus proximus docet, nam *dies septimus* adhuc perdurat (2, 2 s.): ergo iure sex dies antecedentes pro periodis accipere possumus; et si periodi vocantur *dies*, initium et finis earum formula *factum est vespere et mane* apte exprimitur.

Hanc significationem voci subiicit „Compendio della Dottrina Cristiana prescritto da Sua Santità Pio X alle Diocesi della Provincia di Roma. Roma, Tipografia Vaticana, 1905.“ Pag. 355 declarans: „e

sebbene avesse potuto compiere la grand' opera in un solo istante, volle impiegarvi sei periodi di tempo, che la Scrittura Santa chiama *giorni*", i. e. „et quamvis potuisset complere magnum opus in uno solo instanti, voluit impendere ei sex periodos temporis, quas Scriptura Sancta vocat *dies*".

Periodos autem non chronologice, sed idealiter ordinatas esse, hagiographus ipse non obscure indicat. Loquitur enim prius de luce solari, deinde de corpore solis; prius de divisione lucis et tenebrarum, diei ac noctis, deinde de luminaribus, quae divisionem efficiunt; prius de plantis florentibus et fructificantibus, deinde de radiis solis, sine quibus plantae exsistere nequeunt (1, 3—5. 12. 14—18). Si auctor *eruditus omni sapientia Aegyptiorum* (Act. 7, 22) ita scribit, satis innuit, se non chronologicum sed idealem ordinem servare. Huc accedit, quod articulum numero ultimi diei praefixum ante ceteros numeros omiserit (cf. pag. 8). Denique idea, iuxta quam hagiographus materiam ex traditione sumptam (cf. pag. 35) ordinavit, aperta est. Antea opus distinctionis (productio regionum), postea opus ornatus (productio exercituum); antea generalia, postea particularia; antea imperfectiora, postea perfectiora describuntur. Sicut Matthaeus opera Christi non chronologice, sed historico-dogmatice seu idealiter disposuit (Exegetica 46), ita Moyses creationem mundi narravit.

Alii (e. gr. Cereseto, Hettinger, Pianciani catholici et Frz. Delitzsch, Zöckler protestantes) recte quidem docent, *diem* significare periodum; at docent insuper, periodos Genesis cum periodis geologicis concordare (theoria periodistica-concordistica), quod falsum est. Nam lux solaris, divisio diei ac noctis, plantae fructificantes iuxta cosmogoniam et geologiam ante solem creatum non erant.

Ex sententia plurium interpretum scriptor hexaemeri non docet, Deum istis sex diebus mundum formasse, sed totum opus creationis ob rationem quandam in sex momenta distribuit. Cum igitur factum solum, non vero modus creationis in hexaemero narretur, nulla umquam erit contradictio inter cosmogoniam biblicam et scientias naturales. — Huic tamen sententiae usus loquendi et contextus minus favent. Nam ex usu loquendi et contextu proximo etiam Wellhausen, Gunkel, Holzinger colligunt (cf. pag. 38), scriptorem hexaemeri non tantum factum, sed etiam modum creationis describere velle.

Idem ex contextu remoto eruitur. In libro Exodi enim legimus: *Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: . . . Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt, et requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum* (20, 9—11 cf. 31, 15—17). Quae verba clare enuntiant, Deum sex diebus mundum formasse vel fecisse et septimo die ab opere cessasse, quomodo in hexaemero narratur, ad quod hi textus respiciunt.

S. Augustinus, qui in opere de Genesi contra Manichaeos litteralem explicationem tuebatur, in opere de Genesi ad litteram explicationem allegoricam Philonis, Clementis Alexandrini, Origenis, S. Athanasii adoptavit atque magis excoluit docens: Deus *simul* (Eccli. 18, 1) i. e. eodem tempore omnia mundi elementa creavit, quibus vires et leges et primordia vitae indidit. Ex illis elementis iuxta vires et leges naturales, sine speciali Dei influxu et operatione, omnia formata et evoluta sunt, idque spatiis temporis ad formationem et evolutionem necessariis. Res creatas Angeli simul, eodem tempore, cognoverunt et quidem prius in causa exemplari, i. e. in ipso Verbo Dei, deinde in ipsa creatura: prior cognitio est matutina *(mane)*, quia clarior; altera est vespertina *(vespere)*, quia obscurior. Utraque cognitio sex momentis *(dies)* nobis repraesentatur, ut intellectus noster imbecillis creationem rerum singularum facilius capere possit. At fundamentum huius explicationis solidum non est. Nam Eccli. 18, 1 *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul, κοινῇ*, non significat, Deum omnia eodem temporis momento, sed communiter, i. e. sine ulla exceptione creasse. Obstant etiam loci Exodi supra citati. — Cultores theoriae idealis (e. gr. Michelis, Reusch III. ed., B. Schäfer) opinantur, scriptorem hexaemeri opus Dei in sex dies seu momenta logice divisisse, ut doceret hominem sex dies operari et septimo die requiescere debere. — Defensores theoriae visionariae (e. gr. Ebrard, Lange, Hahn, Kurtz protestantes; Hummelauer, Hoberg, Schöpfer catholici) putant, in hexaemero non referri, Deum sex diebus mundum creasse et septimo requievisse, sed septem visionibus creationem et requiem Adae monstrasse. — Inventor theoriae hymnologicae (Clifford catholicus) dicit, hagiographum carmine liturgico cuilibet diei hebdomadis opus quoddam Dei assignasse itaque singulos dies singulis operibus divinis dedicasse. — Attamen his quoque theoriis loci Exodi (vide supra) obstant, quibus homo sex diebus laborare et septimo quiescere iubetur, quia Deus sex diebus mundum fecit et septimo ab opere cessavit: non quia hagiographus opus Dei in sex momenta divisit vel dies hebdomadis operibus divinis dedicavit nec quia Deus creationem septem visionibus Adae monstravit. — Quid fautores theoriae mythologicae de hac re sentiant, et qualiter sententia eorum diiudi-

canda sit, pag. 27 ss. et 36 ss. exponitur. — Conferre potes Corluy 174 ss., Hoberg 1 ss., Holzhey 21 ss., Hummelauer 49 ss., Hurter, II, 222 ss., Schanz, I, 622 ss., Schöpfer 28 ss., Wetzer und Welte's Kirchenlexikon, V, 1980 ss., Zapletal 53 ss., Zschokke 23 ss., in quibus operibus alia opera antiquiora enumerantur.

I. Historia totius generis humani, 2, 4—11, 26.

Pars prior Genesis ab hagiographo in sectiones quinque dividitur, quarum unaquaeque nomine *generationis* incipit, videlicet in generationes caeli et terrae (2, 4—4, 26), generationes Adam (5, 1—6, 8), generationes Noe (6, 9—9, 29), generationes filiorum Noe (10, 1—11, 9), generationes Sem (11, 10—26).

1. Sectio. Generationes caeli et terrae, 2, 4—4, 26.

Historiam caeli et terrae instituens (2, 4) Moyses describit *a)* statum innocentiae (2, 5—25). Repetit creationem herbarum in genere (2, 5 s.) et exponit formationem Adae (2, 7), plantationem paradisi et translationem Adae (2, 8—17) necnon formationem Evae (2, 18—22) et coniugium amborum (2, 23—25) in specie. Describit *b)* statum peccati (3, 1—4, 26): tentationem et peccatum (3, 1—6), sequelas peccati (3, 7—24), malos et bonos incolas terrae (4, 1—26).

℣. 4. **Istae sunt generationes** *caeli et terrae.* Phrasis, *Istae sunt generationes,* אֵלֶּה תוֹלְדוֹת, in locis ceteris Genesis (5, 1; 6, 9; 10, 1; 11, 10. 27; 25, 12. 19; 36, 1. 9; 37, 2) semper inscriptio, numquam subscriptio invenitur, uti omnes interpretes concedunt: ergo ob contextum hic quoque inscriptio esse debet. Significat autem תוֹלְדוֹת (ab יָלַד, peperit, genuit) *generationes,* posteros vel historiam eius, quocum coniungitur, ideoque in hoc ℣. historiam *caeli et terrae.* Et revera in hac sectione narratur, quomodo diabolus protoparentes seduxerit (3, 1—6); quomodo seductor atque seducti puniti et terra maledicta (3, 7—19) ac paradisus a Cherubim conclusus fuerit (3, 20—24); narratur terra sanguine fratris effuso madefacta (4, 1—16), a Cainitis exculta (4, 17—24) et a bonis Sethitis inhabitata (4, 25. 26). Ut historia ista intelligi posset, hagio-

graphus creationem herbarum et hominum repetere atque amplificare, locum et statum, in quo primi homines versabantur, stilo uberiori describere debuit. Breviores repetitiones rerum iam relatarum 5, 1—3 et 6, 9—11 quoque habentur.

Lectio LXX *αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως*, זֶה סֵפֶר תּוֹלְדֹת (cf. 5, 1) pro אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת probabilis non est (Kittel). — Quae Dillmann, Gunkel, Lagarde aliique de formula אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת in hoc loco scripserunt, ab Holzinger sic proponuntur et diiudicantur. Phrasis ista semper inscriptio, numquam subscriptio est; originalis tamen inscriptio sectionis 2, 4—4, 26 esse nequit, cum sectio indicata ad scriptorem Iahvistam, phrasis vero ad scriptorem codicis sacerdotalis pertineat (vide introductionem in Genesim). Dillmann et alii opinabantur, formulam nunc post 2, 3 collocatam originaliter ante 1, 1 positam, atque initium Genesis forsitan tale fuisse: אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ בְּבָרְאָם אֱלֹהִים (vide 5, 1); verumtamen sententia eorum acceptari non potest, quia תּוֹלְדוֹת numquam ortum, sed semper posteros vel historiam, et nomen sequens non generatum, sed generantem significat. Coniectura vero Lagarde, pro תּוֹלְדוֹת primitus scriptum fuisse תּוֹלֶדֶת, ortus, propter pluralem אֵלֶּה reprobari debet. Ergo relinquitur, ut phrasis illa serius sectioni praefixa dicatur. Ita Holzinger. Contra Strack putat, in originali codicis sacerdotalis primitus post 1, 1—2, 3 non immediate 5, 1 ss. (librum generationis Adam), sed historiam caeli et terrae locum occupasse, a redactore autem cum diffusiore et clariore historia iahvistica permutatam esse, relicta inscriptione originali. Qui putant, sectionem 2, 4—4, 26 ab alio esse conscriptam ac sectionem 1, 1—2, 3 (vide introductionem), aut cum Holzinger aut cum Strack consentire debent. — Si Dillmann asserit, ea quae caelis et terrae post creationem facta sint, a nullo תּוֹלְדוֹת הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ nominari, neque in textu ea narrari, quae caelis et terrae, sed quae hominibus facta sint; cum Hummelauer reponimus: cur historia hominis non inscribi potuit historia caeli et terrae, sicut acta Graecorum historia Graeciae vocantur, maxime cum Rom. 8, 19 ss. totus orbis terrarum lapsu Adae infectus describatur? lapsus primi hominis revera ad historiam caelorum et terrae spectat.

quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus caelum et terram: unus idemque sensus duabus propositionibus synonymis exprimitur, uti saepe fit in Bibliis. *quando creata sunt,* videlicet caelum et terra; בְּהִבָּרְאָם i. e. in creari ea, nequit significare: quando creabantur, cum תּוֹלְדוֹת non originem procreati, sed historiam vel evolutionem procreantis denotet; quapropter vertendum est: quando vel postquam creata

sunt (Hummelauer, Hoberg). Eadem sententia aliis verbis repetitur: *in die quo*, בְּיוֹם i. e. quando vel postquam (vide lexicon) *fecit*, עֲשׂוֹת i. e. formavit vel creavit *Dominus Deus caelum et terram* (cf. 1, 1—2, 3). Hic ens summum primo vocatur *Dominus Deus*, יְהוָה אֱלֹהִים. Quid Elohim significet, pag. 1. diximus; Iahve, יְהוָה autem idem ac qui est vel qui dat esse vel qui se revelat, quare hoc nomen convenienter in illis locis adhibetur, quibus Deus essentiam et proprietates suas hominibus manifestasse narratur, e. gr. Gen. 3, 9—24.

Pro *creata sunt* legendum est cum Latinis codicibus, editionibus et Patribus *creatae sunt* (Vercellone). — Kittel et alii putant, hic et 5. 7 9 etc. usque ad 3, 23 aut יְהוָה aut אֱלֹהִים additamentum redactoris esse. — Quomodo quattuor litterae יהוה (ab הָוָה = הָיָה esse, fieri, vivere) pronuntiari debeant, incertum est. Iuxta Fürst in kal pronuntiari potest יְהוֶה vel יֶהֱוֶה = יִהְיֶה = ὁ ὤν, *qui est* (Ex. 3, 14), ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, *qui est, et qui erat, et qui venturus est* (Apoc. 1, 4); in hiph'il vero יַהְוֶה vel יַהְוָה (S. Epiphanius, Theodoretus, S. Hieronymus, S. Irenaeus, Clemens Alexandrinus) = qui dat esse, qui creat, vel qui promissa efficit (Lagarde): attamen הָיָה in hiph'il non adhibetur. Buhl putat, יהוה esse formam kal et nihilominus pronuntiandam יַהְוֶה (quod Fürst improbat) atque significare Deum viventem, se revelantem. Ab anno 1516 plures יהוה secundum punctationem modernam יְהוָֹה, Iehova pronuntiabant, quod falsum est. Nam Iudaei pro nomine ineffabili יהוה *(τετραγράμματον ἄῤῥητον)* generatim dixerunt אֲדֹנָי, Adonai = *Κύριος*, ideoque quattuor litteris ineffabilibus puncta ָ et ֹ et ְ (pro ֲ) apposuerunt; ubi autem יהוה cum אֲדֹנָי concurrit (Isa. 28, 16), יֱהוִֹה scripserunt, ab אֱלֹהִים puncta mutuantes. Videas praeter Fürst et Buhl etiam Strack ad Ex. 3, 14; pag. 182 s., Siegfried-Stade, Gesenius. — Pro *caelum et terram* textus Hebraicus אֶרֶץ וְשָׁמָיִם i. e. *terram et caelum* exhibet; ordinem tamen Vulgatae etiam Samaritanus, LXX, Syrus habent. — Duas propositiones *quando creata sunt* atque *in die quo fecit Dominus Deus caelum et terram* coniungendas esse, בְּ bis positum (בְּהִבָּרְאָם atque בְּיוֹם) suadet (Nikel 107); idcirco textum in mea editione Vulgatae ita distinxi. Hummelauer vero cum plerisque Protestantibus alteram propositionem *in die quo* etc. cum ℣. 5. coniungit. Videas ℣. sequentem.

℣. 5. Et omne virgultum agri. Versus 5—7 in Vulgata et LXX obscuri sunt; idcirco Hebraicum textum simpliciter vertimus, quae versio intellectum iuvabit. „Et omne virgultum. וְכֹל שִׂיחַ, campi, הַשָּׂדֶה, nondum, טֶרֶם, erat in terra, בָאָרֶץ, et

omnis planta, וְכָל־עֵשֶׂב, campi, הַשָּׂדֶה, nondum, טֶרֶם, germinabat, quia non pluerat Dominus Deus super terram, הָאָרֶץ, et homo non erat, אַיִן, qui operaretur humum, הָאֲדָמָה. [6]Et nebula, וְאֵד, ascendebat e terra, הָאָרֶץ, et irrigavit omnem superficiem humi, הָאֲדָמָה: (suppleas ex ℣℣. 5 et 8ss.: et germinabant plantae et fiebant virgulta). [7]Et formavit, וַיִּיצֶר, Dominus Deus hominem ex pulvere de humo, עָפָר מִן־הָאֲדָמָה, et inspiravit in nares eius, בְּאַפָּיו, spiritum vitae, et factus est homo in animantem vivum.“ Versus 8ss. referunt, Dominum Deum partem humi segregasse et homini assignasse, ut operaretur illam.

Gunkel cum Dillmann putat, alteram partem versus 4. propositionem antecedentem, ℣℣. 5. et 6. parenthesim, ℣. 7. propositionem subsequentem esse, et sic vertit: „Tempore quo Dominus Deus terram et caelum crearet — [5]cum nondum virgulta in terra essent necdum plantae germinarent, quia Dominus Deus nondum pluerat super terram et homines nondum erant, qui agrum colerent; [6]sed amnis egrediebatur e terra et irrigavit omnem superficiem agri — [7]tunc formavit Dominus Deus hominem ex pulvere de agro et inspiravit ei spiritum vitae in nares: ita factus est homo animal vivens.“ Consentit Hummelauer. E contrario Strack ob וְ in initio ℣. 5. et 7. occurrens iam ℣. 5. propositionem subsequentem inchoari opinatur et vertit: „Cum Dominus Deus terram et caelum faceret, [5]tunc omne virgultum campi nondum erat in terra et omnis planta campi nondum germinabat . . . [6]Et nebula ascendebat . . . [7]Tunc formavit Dominus Deus hominem . . . et ita factus est homo animal vivens.“ Versio tamen a nobis data usu loquendi et contextu commendatur. Videas explicationem. — Quod si translatio Gunkel recta esset, nihilominus non sequeretur, hanc periodum ex carmine epico Babyloniorum (cf. pag. 26) dependere. Nam textus quidam Aegyptiorum (cf. Hommel, Theolog. Literaturblatt, XXII, Nr. 47) multo magis initio illius carminis similis est, quin tamen quis ausus fuerit asserere, illum textum a carmine epico Babyloniorum dependere (Nikel 107s.).

Quibus necessario praemissis propositiones coordinatas explicamus. Singularis collectivus *virgultum*, שִׂיחַ, idem significat ac עֵץ i. e. arbusta, arbores (Dillmann); *herba* vero vel potius planta, עֵשֶׂב, omnia gramina (cf. 1, 11); nomen שָׂדֶה, quod in Vulgata mox *agri* mox *regionis* voce redditur, campum notat et loca non circumsaepta, sive culta sive inculta sive montes sive valles, comprehendit: opponitur locis utcumque circumsaeptis, hortis, vineis, urbibus (Gesenius, Buhl, Fürst, Siegfried-Stade). Vocabulum טֶרֶם tum nondum tum *antequam*,

priusquam verti potest (vide lexicon); hic propter contextum prior significatio retineri debet. Sensus autem totius sententiae: „omne virgultum nondum erat, et omnis planta nondum germinabat“, clarius sic exprimitur: „nullum virgultum erat, et nulla planta germinabat“ (Dillmann): *non enim pluerat Dominus Deus super terram.* His verbis hagiographus causam affert, cur nullum virgultum nullaque planta fuerit: terra seu continens erat dura, sicca et arida (cf. Ṽ. 10), pluviam vero Dominus Deus, qui causas secundarias conservat atque eis cooperatur (cf. pag. 33) nondum miserat; deerat humor herbis omnibus necessarius. — *et homo non erat qui operaretur terram.* Hanc sententiam non cum verbis ultimis versus, sed cum primis coniungimus, ut sit sensus: et herbae campi nondum erant, quia non pluerat, et homo non erat qui operaretur seu coleret terram vel potius humum. Utrumque praenotat hagiographus respiciens ad sequentia, ubi de plantatione paradisi (ṼṼ. 8 ss.) et de operatione hominis in eo (Ṽ. 15) loquitur.

Plerique interpretes antiquiores ac recentiores (etiam Boehmer, Dillmann, Gunkel, Hummelauer, Hoberg, Strack) sententiam istam cum verbis ultimis versus coniungunt et putant, alteram quoque causam proferri, cur nulla virgulta nullaeque plantae fuerint, quia scilicet homo non erat, qui terram coleret. Attamen, deficiente humore necessario (cf. 2, 6) labor hominis nihil profuisset, terra vero irrigata sua sponte herbas germinat (1, 11 s.).

Ṽ. 6. **Sed fons ascendebat** vel potius: et nebula *ascendebat e terra.* Nomen אֵד, quod hic et Iob 36, 27 dumtaxat legitur, probabilius vaporem seu nebulam significat (Fürst, Gesenius, Siegfried-Stade; Dillmann, Hoberg, Hummelauer, Strack), quae saepius ascendens (imperfectum) et deinde qua pluvia descendens (cf. Ṽ. 5 et Hoberg) irrigavit, וְהִשְׁקָה (perfectum; Vulgata: *irrigans), universam superficiem terrae* vel humi, הָאֲדָמָה. — Ex Ṽ. 5. supplendum est: et omne virgultum oriebatur omnisque planta germinabat, quia necessaria conditio ponebatur (Hoberg, Hummelauer, Strack).

Vulgata et LXX hic אֵד reddunt *fons, πηγή* (Iob 36, 27 autem LXX *νεφέλη*, Vulgata *gurgites),* qui singularis collectivus fontes singulos comprehendere potest (Hoberg); sed Boehmer, Buhl, Gunkel, Holzinger iuxta assyr. edû vertunt aestus, inundatio (Flut, Wogenschwall):

attamen significatio assyr. edû nequaquam certa est (cf. Dillmann). — Nubes et pluvias ante diluvium non fuisse, ex ℣℣. 5. et 6. deduci nequit (cf. Gen. 9, 13 ss.); contextus contrarium insinuare videtur.

℣. 7. **Formavit igitur** vel et formavit, *καὶ ἔπλασεν, Dominus Deus hominem,* הָאָדָם, *de limo terrae,* עָפָר מִן־הָאֲדָמָה i. e. ex pulvere de humo, nam עָפָר est accusativus materiae, ex qua Deus hominem fecit (Dillmann, Hoberg, Strack; videas grammaticam). Hebraicum עָפָר uti Latinum pulvis (cf. Georges) partes comminutas terrae significat sive siccas sive humidas (Siegfried-Stade, Gesenius, Fürst, Buhl). Cum vero humus in ℣. 6. irrigata describatur, Holzinger non recte hominem ex humo sicca factum dicit, et Vulgata bene habet *de limo,* i. e. de pulvere humido. *Formavit* autem Deus hominem voluntate seu iussione sua, quo modo etiam paradisum plantavit et Adam in eo posuit, animalia ad eum adduxit et Evam ex costa eius formavit. *et inspiravit in faciem eius* vel potius *in nares eius,* בְּאַפָּיו, in quibus respiratio fit et deprehenditur (Lapide, Fürst, Hummelauer), *spiraculum* seu spiritum, halitum; qui halitus *vitae* appellatur, נִשְׁמַת חַיִּים vel נִשְׁמַת־רוּחַ חַיִּים (7, 22), quatenus signum et effectus vitae (Lapide), ad vitam pertinens et vitae proprius est (Hummelauer). *Quia donec superest halitus,* נִשְׁמָתִי, *in me,* inquit Iob (27, 3), *et spiritus,* וְרוּחַ, *Dei in naribus meis.* Cum isto spiraculo *vitae* Deum etiam vitam ipsam et animam inspirasse, patet. *et factus est homo in animam viventem,* vel in animantem vivum, לְנֶפֶשׁ חַיָּה i. e. factus est animal vivum. Eodem tempore corpus formatum et anima creata et unio amborum facta videtur (Hoberg, Schanz, I, 701); ex unione autem „animae rationalis cum corpore resultat una natura, essentia, hypostasis et persona“ (Egger, Dogm. spec. 227 ss.). Animae viventes, נֶפֶשׁ חַיָּה, nominantur quidem bruta quoque (Gen. 1, 20 ss.; 2, 19; cf. 7, 22); attamen ista simpliciter de humo formata dicuntur (2, 19), in hominis vero creatione distinguitur: corpus de limo terrae formatum, anima immediate a Deo inspirata, i. e. creata et cum corpore coniuncta narratur. Qua distinctione differentia inter bruta et hominem simulque immaterialitas et immortalitas animae humanae innuitur (Dillmann, Hummelauer, Hoberg): *et (antequam) revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* (Eccl. 12, 7).

Hummelauer verba עָפָר מִן־הָאֲדָמָה i. e. pulverem de terra interpretatur appositionem: formavit hominem pulverem de terra. Sensus manet idem. — הָאָדָם ... מִן־הָאֲדָמָה, Adam ... de adama (cf. pag. 18): *Primus homo de terra, terrenus* (1 Cor. 15, 47); homo de terra sumptus (Gen. 3, 19), de terra factus (Eccl. 3, 20) pulvis est (Gen. 3, 19; 18, 27; Eccl. 12, 7) et in terram, in pulverem revertetur (Gen. 3, 19; Eccl. 3, 20; 12, 7). — Adam, uti Eva, probabilius non infans, sed iuvenis creatus est (S. Augustinus, cf. Schanz I, 701). — Mivart (Genesis of Species 277; Lessons from Nature 177) et alii viri catholici putant, corpus bruti cuiusdam iugi evolutione ita perfectum evasisse, ut recipiendae animae rationalis, quae in locum animae irrationalis successerit, aptum fuerit: Adami corpus non immediate de limo terrae formatum esse, sed mediate dumtaxat, quatenus Deus uni brutorum primitus de humo formatorum animam rationalem infuderit. Quam sententiam non quidem haereticam, at exegetice falsam saltem censeamus oportet. Nam Adam inter omnia animalia, quorum naturam perspexerat et nominibus enuntiaverat, non invenit adiutorem sibi similem; Evam vero sibi similem adiutricem agnovit, quia *os de ossibus* suis *et caro de carne* sua erat (Gen. 2, 19 ss.): ex quo concludendum est, Adae corpus non fuisse de ossibus et carne bruti, alioquin etiam inter bruta adiutorem similem sibi invenisset. Deinde sicut verba *Produxitque de humo omne lignum* (2, 9) de immediata procreatione intelligenda sunt, ita etiam verba *Formavit hominem de limo terrae* (2, 7). Accedit quod Eva *de viro sumpta* (2, 23) atque Adam *de terra sumptus* nominatur (3, 19): ergo concludere debemus, Adam eodem modo de terra, quo Eva de viro, sumptum esse, immediate nimirum. Denique 2, 7 refert, quod post unionem animae cum corpore *factus est homo in animam viventem:* ergo ante inspirationem animae non fuit anima vivens; fuisset autem iam antea anima vivens, si Deus corpori bruti evoluto animam inspirasset, quapropter opinio Mivart et aliorum exegetice falsa conspicitur (cf. Hummelauer, Egger 232 ss., Hurter II, 232 s.). — Contradictio inter 2, 5—7 atque 1, 9 ss., 24 ss. nulla invenitur. Nam III. die seu periodo apparet terra arida (1, 9 s.), quae nondum herbis ornatur, quia non pluerat, neque ab hominibus colitur, quia non creati erant (2, 5). Irrigatur terra (2, 6), et ait Deus: *Germinet terra* (1, 11), et profert terra herbas (1, 12; 2, 9). Die seu periodo VI. creantur animalia terrestria (1, 24 s.; 2, 19) ac demum homo (1, 26 ss.; 2, 7). Herbas et hominem hic (2, 5—7) diserte commemorat Moyses, quia de his plura narraturus est (2, 8 ss.).

℣. 8. **Plantaverat autem Dominus Deus.** Hebraicus textus, וַיִּטַּע i. e. *καὶ ἐφύτευσεν*, non indicat, quando Dominus Deus paradisum plantaverit; Latinus vero ante formationem hominis (probabiliter III. die) plantatum insinuat (cf. 1, 11—13; 2, 6; Lapide, Hoberg, Selbst). *Paradisum voluptatis a principio,*

גַּן־בְּעֵדֶן מִקֶּדֶם i. e. *παράδεισον ἐν Ἐδὲμ κατὰ ἀνατολάς*. Aedificavit Dominus Deus hortum, viridarium et pomarium in regione Eden ab oriente scriptoris Genesis sita (Dillmann). Ubi Eden cum horto fuerit, in sequentibus versiculis accuratius exponitur. *in quo posuit hominem quem formaverat.* Ex quibus verbis (cum Holzammer, Hummelauer 141, Selbst, Zschokke aliisque) colligimus, Adam extra paradisum esse formatum. Hoberg contra hunc et 15. versum opinatur, primum hominem in paradiso creatum esse. — Quae hic generatim dicuntur, versibus 9—17 speciatim describuntur.

Vox Persica *paradisus* (zend. pairi-daêza, sanscr. para-dêça, פַּרְדֵּס) idem significat ac גַּן, *χόρτος*, hortus, scilicet locum circumsaeptum (Fürst, Gesenius, Benseler-Kaegi, Georges). — עֵדֶן voluptatem, delicias sonat, *ἡδονήν*, sed hic et 4, 16 regionem amoenam notat, ut textus Hebraicus et Graecus monstrat. Nomen cum assyr. ê d i n u (campus patens vel regio deserta) cohaerere, Buhl possibile, Dillmann vero improbabile iudicat. — קֶדֶם i. e. quod ante est, localiter plagam orientalem, temporaliter priscum tempus, atque idcirco מִקֶּדֶם aut ab oriente aut a prisco tempore denotat. Rabbini, 4 E s d r. 3, 6, S. Hieronymus verbum temporaliter acceperunt dicentes, paradisum ante creationem caeli et terrae plantatum esse: at haec explicatio cum G e n. 1, 1 ss. conciliari nequit. Melius S. Ephrem *a principio* pro *antea* sumpsit, quatenus „Deus tertia die paradisum plantaverat". Optime tandem LXX et plerique interpretes verbum localiter intelligunt, quia in contextu proximo ac remoto (3, 24; 4, 16) situs paradisi et regionis Eden indicatur. — Lapide, Holzammer, Selbst traditionem Iudaeorum referunt, qua Adam ex terra rubra agri Damasceni iuxta eum locum, ubi postea Hebron aedificata est, creatus asseritur: sed haec traditio sine fundamento reperitur. Zschokke putat, Adam in regione Eden formatum et inde in paradisum translatum esse.

℣. 9. **Produxitque Dominus Deus** voluntate seu iussione (cf. 1, 11 s.) *de humo* (2, 5) *omne lignum,* כָּל־עֵץ i. e. arbores cuiuslibet generis (4, 22; 24, 10; 40, 17; Dillmann, Hummelauer), *pulchrum visu, et ad vescendum suave:* quae verba dupliciter explicari possunt. Aut: omnes arbores productae erant pulchrae aspectu et fructus earum suaves esu; aut: arbores erant partim topiariae partim fructiferae. Haec altera interpretatio probabilior videtur (Lapide, Hoberg). Ob sequentia arbores dumtaxat, non vero plantae, עֵשֶׂב, nominantur. Inter istas enim arbores produxit *lignum etiam vitae in medio paradisi.*

lignumque scientiae boni et mali. Verba *in medio paradisi* non solum ad lignum vitae, verum etiam ad lignum scientiae pertinent, quod 3, 3 probat. Utrumque lignum veram arborem fuisse, contextus (2, 16 s.; 3, 1 ss. 22) necnon consensus Patrum et interpretum catholicorum demonstrat (cf. Lapide, Hummelauer, Hoberg); ex istis locis citatis etiam colligi potest, unicum probabiliter exemplar ligni vitae atque ligni scientiae in paradiso exstitisse (Hoberg). *Lignum vitae* corpori humano, quod propter compositionem dissolvendum erat, vitam conservasset: *nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitae, et comedat, et vivat in aeternum* (3, 22). Altera arbor, *lignum scientiae,* scientiam boni et mali non tam theoreticam quam practicam attulit. Per praemium pro obedientia datum homines cognovissent, quam bona esset observantia mandatorum Dei; per poenam pro inobedientia inflictam experti sunt, quam mala esset transgressio eorum (S. Augustinus, Lapide, Hummelauer).

Holzinger et alii Protestantes putant, textum corruptum esse, verba *lignum etiam vitae* originaliter defuisse, cum ordo verborum offendat, duae arbores in medio stare nequeant, atque 3, 3 una tantum nominetur. Attamen Scriptura non mathematice, sed iuxta aestimationem moralem loquitur (Hoberg); ordinem autem verborum, quo verba *in medio paradisi* inter lignum vitae ac lignum scientiae collocantur, Dillmann aliis locis sc. Gen. 28, 14; Ex. 34, 27; Deut. 7, 14; Ier. 40, 9; item Gen. 1, 16; 12, 17; 34, 29; 43, 15. 18; Num. 13, 23. 26; Iud. 21, 10; 1 Reg. 6, 11; Ier. 27, 7 etc. cum usu loquendi Hebraico convenientem demonstrat, quam demonstrationem Holzinger frangere nequit; Eva denique illam tantum arborem nominat, cuius fructus vetiti erant, quia de hoc interdicto interrogata fuit (3, 1 ss.). — Virtutem ligni vitae Hoberg supernaturalem, Lapide et Hummelauer naturalem censent. Utrum repetita (Lapide, Hummelauer) an unica (antiquiores apud Lapide) comestione istius fructus ad vitam conservandam opus fuisset, non patet. — Neque certum est, utrum arbor scientiae malus (propter Cant. 8, 5) an ficus (propter Gen. 3, 7) fuerit; videas Lapide, Hoberg, Selbst, Zschokke.

℣. 10. Et fluvius egrediebatur *de loco voluptatis,* וְנָהָר יֹצֵא מֵעֵדֶן, *ποταμὸς δὲ ἐκπορεύεται ἐξ Ἐδέμ,* i. e. fluvius scaturiebat seu originem habebat in Eden, *ad irrigandum paradisum:* hortum a Domino plantatum ingressus humectabat terram aut inundans ut Euphrates, Tigris, Nilus (Gunkel, Hoberg) aut probabilius per meatus occultos madefaciens (Lapide). *qui*

inde dividitur in quattuor capita, רָאשִׁים i. e. initia fluviorum (cf. ℣℣. 11 ss.): e horto egressus fluvius in quattuor partes dividebatur, quarum nomina mox referuntur.

Fluvius indivisus propria appellatione non notatur, immo sine articulo ponitur, quia nominibus quattuor partium satis determinatur. — Hummelauer putat, ex textu non sequi, fontem fluvii in ipsa regione Eden fuisse; alii tamen plerique (Buhl, Gesenius, Siegfried-Stade; Dillmann, Gunkel, Hoberg) ob vocem יֹצֵא istum fluvium ex Eden scaturiise iudicant. — *Inde,* מִשָּׁם, tam de loco quam de tempore in Scriptura adhibetur; ergo absolute loquendo sensus esse posset: post tempora paradisiaca vel post diluvium fluvius unus in fluvios quattuor divisus est (Hoberg). Cum tamen שָׁם Gen. 2, 8. 12 atque מִשָּׁם Gen. 11, 8s. de loco intelligendum sit, propter contextum etiam hic מִשָּׁם cum Buhl, Dillmann, Strack et aliis de loco intelleximus. — Versus 10—14 optime in contextum quadrant. In versu enim 8. narravit hagiographus, Dominum paradisum in Eden plantasse, et quidem ab oriente, et in eo hominem posuisse. Nunc per partes describit, quomodo Deus hortum aedificaverit (℣. 9), ubi Eden et hortus sita fuerint (℣℣. 10—14), quomodo homo in eo collocatus sit (℣℣. 15—17). Nihil nos cogit, ut cum Dillmann, Gunkel, Holzinger et aliis versus 10—14 atque ℣. 15 vel alteram partem versus 8. primitus defuisse et postea adiectos dicamus.

℣. 11. Nomen uni Phison. Referuntur nomina quattuor fluviorum, in quos fluvius unicus divisus est: Phison (hic), Gehon (℣. 13), Tigris (℣. 14), Euphrates (℣. 14). Nomina Tigris et Euphratis eosdem fluvios designare, qui nunc quoque ita vocantur, certum est (Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger, Hummelauer, Strack aliique). Influunt nunc coniuncti (schaṭṭ el-ʿarab nominati) in sinum Persicum; uterque fontes suos in Armenia habet (cf. Kiepert, Atlas antiquus, Berlin (sine anno), Reimer; Riess, Bibel-Atlas, Freiburg i. Br. 1895, Herder; Riess, Biblische Geographie, Freiburg i. Br. 1872, Herder; Zimmern-Guthe). Iuxta ℣. 10. etiam Phison et Gehon in eadem regione, ubi Tigris et Euphrates, originem suam habebant. Ergo concludendum videtur, haec quoque nomina fluvios indicare, quorum fontes in Armenia sunt (Selbst): Phison et Gehon probabiliter Cyrum et Araxem designant, qui fontes in Armenia habent et coniuncti in mare Caspium influunt (vide Kaulen, Kirchenlexikon, IX, 1457 ss., Kiepert et Riess l. c.).

Nomen igitur *Phison,* פִּישׁוֹן, Cyrum significare videtur (Hoberg, Kaulen, Keil, Selbst et alii, cf. Riess, Geographie): *ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum:* Hevilath, חֲוִילָה (hic tantum cum articulo, quem Samaritanus omittit, cf. Mandelkern et Kittel), describitur terra auro gemmisque (℣. 12) celeberrima atque ad initia quattuor fluviorum sita (℣. 10). Inter terras vero auriferas Colchis fontibus Euphratis et Tigris vicinior erat, quare haec nomine הַחֲוִילָה signata videtur (Hoberg, Kaulen, Keil, Riess). Quam *terram omnem* Cyrus est circuiens, הַסֹּבֵב i. e. alluens vel perfluens, nam סָבַב non solum circumire circumcirca, verum etiam circumire ex parte (Num. 21, 4; Iud. 11, 18) vel permeare (1 Reg. 5, 8; Isa. 23, 16) significat, ut Dillmann, Hoberg, Hummelauer, Kaulen notant. — Aliae explicationes post ℣. 14. proponentur.

℣. **12. Et aurum terrae illius** *optimum est,* טוֹב מְאֹד (Samaritanus, cf. Kittel); in Hebraico et Graeco autem simpliciter טוֹב, *καλόν,* bonum vel eximium legitur. Sensus manet idem: tempore scil. scriptoris aurum in Hevilath repertum magis fuisse aestimatum, quam aurum aliarum terrarum (Hummelauer). *ibi invenitur bdellium.* Bdellium, בְּדֹלַח (assyr. budulḫu) probabiliter gummi translucidum et odoratum est (Buhl, Dillmann, Hummelauer; cf. Gesenius, Fürst); quia tamen inter aurum et gemmam nominatur, et Colchi, ad pontum Euxinum habitantes, margaritas conquirebant, Hebraicum nomen forsitan margaritam denotat (Gesenius, Fürst; Kaulen, Hoberg). *et lapis onychinus,* וְאֶבֶן הַשֹּׁהַם, gemma speciei ignotae, forte beryllus (Fürst) vel onyx (Siegfried-Stade).

℣. **13. Et nomen fluvii secundi,** *Gehon,* גִּיחוֹן, probabiliter Araxes (Ǵeiḥûn er-Ras), ut Hoberg, Kaulen, Selbst et alii (cf. Dillmann; Riess, Geographie) putant. *ipse est qui circumit,* הַסּוֹבֵב cf. ℣. 11, *omnem terram Aethiopiae,* כּוּשׁ. Cum homines post diluvium in Armenia habitaverint (8, 4) et inde loci in alias regiones profecti sint (11, 2. 9), Kaulen et Hoberg bene concludunt, nomine Aethiopiae vel Cusch hic illam partem Armeniae vocari, quam posteri Cusch, filii Cham. primitus incolebant. — Alias opiniones post ℣. 14. afferemus.

℣. **14. Nomen vero fluminis tertii,** *Tygris,* חִדֶּקֶל. Hoc nomen Hebraicum (aram. דִּגְלַת; assyr. diklat, idiklat: zend.

tighra, tighri, tigira) Tigrim significare, plerique interpretes catholici et acatholici consentiunt (Buhl, Fürst, Gesenius; Dillmann, Hummelauer, Kaulen). *ipse vadit contra Assyrios,* קִדְמַת אַשּׁוּר. Praepositio קִדְמָה significat ab oriente loci alicuius (Fürst, Gesenius, Siegfried-Stade; Gunkel, Hummelauer); nomen vero אַשּׁוּר, *Assyrii* primitus urbem in ripa occidentali Tigris sitam (Riess, Bibel-Atlas 4; Zimmern-Guthe, Hummelauer): ergo Tigris reapse fluebat ab oriente Assur vel Assyriorum. *Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates,* פְּרָת (assyr. purattu, pers. ufrâtus: Buhl). Cum hic fluvius non accuratius determinetur, legentibus notus fuisse videtur (Dillmann, Hummelauer, Kaulen). — Ex ℣℣. 10—14 sequitur, Eden atque paradisum in ea parte terrae fuisse, quae postea Armenia appellabatur (Hoberg, Kaulen, Riess [Geographie 19], Selbst, Strack et alii protestantes, quos Dillmann citat). Qui hanc sententiam subscribunt, utique commutationes geologicas statuere debent (Dillmann), quibus res supra descriptae in ordinem praesentem adducebantur (cf. Hoberg 48).

Clementina in aliis locis (Tob. 6, 1; Iudith 1, 6; Eccli. 24, 35; Dan. 10, 4) habet T*i*gris, hic tamen T*y*gris; Sixtina ubique T*i*gris, quae scriptio recta est (Georges). — Buhl, Hoberg asserunt, קִדְמָה significare ante, et אַשּׁוּר terram cum Ninive ex oriente Tigris sitam; Dillmann, Holzinger, Strack utramque explicationem possibilem dicunt; tamen 1 Reg. 13, 5 et Ez. 39, 11 monstrant, קִדְמָה idem esse atque ab oriente alicuius loci. — Gunkel affirmat, hic errorem geographicum adesse similem errori Tob. 6, 1 enuntiato, ubi Tobias ex Ninive egrediens et in orientem proficiscens post iter diei ad Tigrim venisse narratur. At nullibi error geographicus invenitur. Non Gen. 2, 14, uti ex dictis patet, neque Tob. 6, 1. Nam teste Herodoto, V, 52 etiam Zabas superior et inferior, qui in Tigrim principalem influunt, Tigris vocabantur. A Ninive vero, quae in ripa orientali Tigris principalis, ab occidente autem Tigris-Zabae erat, usque ad Zabam iter diei conficiendum fuit (cf. Zöckler, Die Apokryphen des Alten Testaments, München 1891, Beck. 174). — Inter alias de situ paradisi opiniones, hae commemorentur: Frd. Delitzsch (Wo lag das Paradies?, Leipzig, 1881) putat Phisonem esse canalem pallakopas et Gehonem canalem shat-en-Nil, ideoque paradisum fuisse prope Babylonem. Hummelauer scribit, „fluvium paradisi aptissime intelligi Euphraten, qui e regione Eden, i. e. Mesopotamia aut aliqua eius parte, ingrediatur paradisum, quem prope Babylonem collocare haud vetaris, atque inde egressus . . . in aestuarium excrescat, in quod praeter ipsum Euphraten tres nobiles mergantur amnes (scil. Eulaeus, Choaspes, Tigris)". Iuxta ipsum fluvius paradisi non dividitur, sed extenditur vel spargitur in quat-

tuor fluenta (Rinnsale). Engelkemper (Die Paradiesesflüsse, Münster i. W. 1901) cum antiquioribus Phisonem pro Indo (vel Gange), Gehonem pro Nilo habet. Apud Zschokke legimus: „Veri simillima tamen est recentissima (sententia), a prof. Fr. Hommel (Aufsätze und Abhandlungen, III, 1, München 1901, pag. 273—343) prolata. Agens enim ibi de quatuor nominibus regionum Arabicarum in Vet. Test. saepe allatis: 'Ashûr (Shûr) = Edom et 'Eber-Nahar = (assyr.) Kibri-nâri, Kôsh (כּוּשׁ, assyr. Ki-mash vel Ki-vash, Gen. 10, 8) = Dshebel Shammar (Arabia centralis), Mossar (hebr. מָצוֹר Massôr) = Midjan et nahal Mossar = Wady el-'Arîsh (falso ‚rivus Aegypti' vocatum), Jareb = Dshôf (Arabia septentrionalis), auctor comprobat, Euphratem esse flumen Phrat (posteriore demum tempore han-nahar, i. e. flumen *κατ' ἐξοχήν* vocatum); Hiddekel esse nomen Arabicum ‚Chadd-Dekel' (i. e. palmarum vallem), posteriore tantum tempore in Tigridem translatum, quo designetur flumen in libro Genesis ‚nahar' vel ‚han-nahar', i. e. flumen *κατ' ἐξοχήν* vocatum, quod ‚vadat contra Assyrios' (Gen. 2, 14), i. e. in oriente terrae Ashûr (= Edom, quae sensu latissimo sumpta a mari mediterraneo usque ad vallem Wady Râgil et W. Sirhân vocatam), ergo Hiddekel esse Wady Sirhân; Gehonem autem esse Wady ar-Rumma et alluisse terram Kôsh (Arabiam centralem), Phisonem pervasisse Wady Damâsir et alluisse terram Havîla (i. e. regionem Arabiae australis, quae vocatur Jemana); omnes hos quatuor fluvios in ore constituisse unum quendam, ab Assyriis et Babyloniis ‚Nâr (= nahar!) Marrâti' vocatum; paradisum ergo situm fuisse in regione civitatis Chaldaeorum antiquissimae, nomine ‚Eridu' (in ore fluminum) sitae!" Sed omnes hae opiniones cum sacro textu vix conciliari possunt. Dillmann, Gunkel, Holzinger opinantur, situm paradisi definiri non posse.

℣. 15. Tulit ergo, וַיִּקַּח, *καὶ ἔλαβε, Dominus Deus hominem:* hic et alibi (Gen. 11, 31; 12, 5; 16, 3 etc.) verbum tulit, לָקַח, pariter ac Graecum *λαβών*, abundanter praeter necessitatem adhibetur „inservit tamen rei copiosius describendae et quasi ante oculos ponendae" (Gesenius, Fürst, Buhl); *et posuit eum in paradiso voluptatis,* בְגַן־עֵדֶן, i. e. in horto Eden (℣. 8). Deus primum hominem extra paradisum creavit et postea in hortum transtulit, ut ipsi manifestaret, istum statum voluptatis non ex debito, sed ex gratia hominibus concedi (Hummelauer, Zschokke). *ut operaretur, et custodiret illum:* exponitur, quo consilio Deus hominem in paradisum transtulerit, nimirum ut homo coleret eum, לְעָבְדָהּ, ibi laboraret (℣. 5), atque ut conservaret eum, וּלְשָׁמְרָהּ, pro se et toto genere humano, obtemperans videlicet Deo praecipienti ac resistens tentatori (S. Augustinus, Hummelauer, Selbst, Zschokke). Ista agri cultura non fuisset laboriosa operatio, sed iucunda virtutis exer-

citatio (Lapide cum S. Chrysostomo, Zschokke cum S. Thoma Aquinate).

Hummelauer censet, verbum וַיַּנִּחֵהוּ, demisit eum (cf. Zach. 5, 11; Dan. 14, 35) potius indicare, „ecstasi quadam Adamum et sine membrorum motu translatum esse in paradisum, quam pedibus eodem processisse". — Nomen גַּן etiam in sexu feminino adhiberi potest (Fürst, Strack); Dillmann et Gunkel לְעָבְדָהּ וּלְשָׁמְרָהּ emendant. — Explicatio, quam inter alias S. Augustinus proponit: scil. posuit eum in paradiso, ut [ipse Deus ibi hominem operaretur iustificando et custodiret a corruptione, propter ℣. 5. admitti nequit. Item minus cum contextu convenire videtur (Dillmann, Holzinger), quod Lapide cum aliis opinabatur, Adamum vigilare debuisse, ne decor et amoenitas paradisi a feris vel animalibus ceteris laederetur. — Explanatio supra proposita nihil continet, quod cum statu paradisiaco conciliari nequeat (contra Dillmann, Gunkel, Holzinger).

℣. 16. Praecepitque ei dicens, וַיְצַו יְהוָה אֱלֹהִים עַל־הָאָדָם לֵאמֹר, *καὶ ἐνετείλατο κύριος ὁ θεὸς τῷ Ἀδὰμ λέγων·* Deus Adamo praeceptum imposuit, ut ostendere posset, utrum Dei an alterius voluntatem sequi; utrum obedientia cum Deo coniungi an inobedientia ab eo seiungi; utrum bonum et vitam an malum et mortem eligere; utrum statum paradisiacum pro se ac posteris suis conservare an perdere vellet (Lapide, Selbst. Zschokke). Praeceptum istud observatu facillimum erat. Nam: *Ex omni,* inquit Dominus, *ligno paradisi comede,* אָכֹל תֹּאכֵל i. e. sane comedas vel prorsus edere potes (Dillmann, Holzinger; de infinitivo absoluto et imperativo vide grammaticam).

His verbis Deus homini permisit, ut ex omnibus, non ut ex solis (quemadmodum Dillmann intelligit), arboribus comedere posset: ergo nulla contradictio inter hunc ℣. atque 1, 29 (Holzinger, Strack).

℣. 17. De ligno autem scientiae *boni et mali ne comedas,* adde *ex eo, ἀπ' αὐτοῦ,* מִמֶּנּוּ. Coercet Deus libertatem hominis, unam arborem in medio paradisi exsistentem excipiens (3, 2 s.; 2, 9). *in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Pro Latino *in quocumque die* in Hebraeo habemus בְּיוֹם i. e. quando vel postquam (cf. ℣. 4), atque pro *morte morieris* habemus מוֹת תָּמוּת i. e. sane, prorsus vel certo morieris (Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack), nam infinitivus absolutus sensum verbi validiorem facit, acuit et cumulat (cf. 18, 10; 20, 7; 2. 16). Iuxta contextum (3, 19. 22. 24) Deus Adamo mortem corporalem

seu solutionem animae a corpore et reversionem huius in pulverem comminatus est; non autem edixit, mortem corporalem eodem die, quo ederet, futuram esse, sed simpliciter post esum: בְּיוֹם, quando vel postquam comederit (Dillmann, Holzinger). Ergo eventus cum praedictione congruit. — Gravissima poena adiuncta demonstrat, praeceptum fuisse gravissimum. Et re vera. Quamvis materia praecepti levis esset, tamen finis maximi momenti fuit: observatione praecepti Adam supremum Dei dominium et suam ipsius subiectionem profiteri debebat (cf. Hurter, II, 298).

Gunkel, Holzinger, Kittel opinantur, pro וּמֵעֵץ הַדַּעַת טוֹב וָרָע לֹא originaliter וּמֵעֵץ אֲשֶׁר בְּתוֹךְ הַגָּן לֹא scriptum fuisse; Kittel saltem verba טוֹב וָרָע delenda censet. Putant, textum ita emendatum cum 3, 3s. melius convenire. Sed ambo textus sine ulla mutatione quoque bene inter se consonant (cf. 3, 3s.; 2, 9). — Non comestio fructus simpliciter, sed comestio fructus vetiti homini mortem intulit. Fructus arboris scientiae non fuerunt venenati et mortiferi, ut nonnulli suspicabantur (cf. Dillmann); sed per peccatum mors in hunc mundum intravit (Rom. 5, 12; 6, 23; Trid., sess. V, can. 1; Selbst). — Adam transgrediens mandatum Dei etiam mortem spiritualem, i. e. separationem animae a Deo per amissionem gratiae sanctificantis (cf. Dogm. spec.), incucurrit, uti Lapide, Hummelauer, Selbst, Zschokke et Dogmatici docent; verba autem huius versus ob contextum (Gen. 3, 17—19) de morte corporali intelligenda sunt, saltem principaliter. — Gunkel et Hummelauer sentiunt, Deum mortem, quam pro die comestionis comminatus fuerat, distulisse itaque poenam mitigasse. At haec expositio necessaria non est, cum phrasis בְּיוֹם אֲכָלְךָ propter 2, 4 alio modo accipi possit (Dillmann), quo supra explanata conspicitur. — Bene Hoberg et Lapide cum antiquioribus scribunt, Adamum die comestionis necessitatem moriendi incurrisse; donum immortalitatis, quo potuit non mori, perdidisse. Paulus (Rom. 8, 10) *corpus mortuum* vocat *propter peccatum,* i. e. necessitati mortis addictum (cf. meam expositionem huius epistolae). — Cum necessitate moriendi necessitas patiendi coniuncta est (Dillmann), sicut cum dono immortalitatis libertas a quolibet dolore (cf. Hurter, II, 283). — Alteram partem huius versus LXX sic reddunt: *οὐ φάγεσθε ἀπ' αὐτοῦ· ᾗ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγητε ἀπ' αὐτοῦ, θανάτῳ ἀποθανεῖσθε.* Qua translatione indicatur, mandatum Dei ad Evam quoque pertinere. Lapide et Hoberg veri simile ducunt, Evam iam ante promulgationem mandati divini creatam fuisse: si tamen ordinem textus teneamus, quo Eva postea producta narratur, Adam cum ea mandatum Dei communicare potuit (Holzammer). Certo Eva hoc cognovit (Gen. 3, 2s.). — Holzammer et Selbst cum S. Irenaeo, Ambrosio, Augustino asserunt, paradisum esse typum Ecclesiae militantis ac triumphantis (cf. Luc. 23, 43; 2 Cor. 12, 4; Apoc. 2, 7; Büchner, Zeller).

℣. 18. **Dixit quoque Dominus Deus:** vide 1, 3 et 2, 4. Uti Deus creationi hominis in genere circumspectionem et consilii sui communicationem praemiserat (1, 26), sic ante productionem mulieris in specie consideratione utitur et animalia ad Adam adducit. Quae omnia eodem VI. die facta sunt (1, 27). *Non est bonum,* non est congruens cum voluntate Dei (1, 4) vel non est conveniens cum hominis natura et fine, *esse hominem solum:* nam homo a Deo creatus est ens sociale (Dillmann) et per generationem propagandum (Lapide), quare adiutorio indiget; *faciamus ei:* haec lectio Graeca et Latina ad 1, 26 conformata est, testes reliqui habent faciam ei *adiutorium,* עֵזֶר, quod in concreto ens adiuvans, adiutorem vel adiutricem (cf. ℣. 20) significat, et quidem *simile sibi,* כְּנֶגְדּוֹ i. e. respondens ei: idoneum ad conversationem, cooperationem, propagationem (Dillmann, Hoberg, Hummelauer, Lapide et antiquiores).

Inter Gen. 2, 18: *Non est bonum esse hominem solum,* atque 1 Cor. 7, 1: *Bonum est homini mulierem non tangere,* nulla adest contradictio, quod Estius secundum Patres sic exponit: „Illic scriptura loquitur de bono speciei, Paulus hic de bono individui; illud dictum est pro eo tempore, quo mundus erat hominum vacuus, istud pro tempore, quo mundus erat plenus; item Moses loquitur de bono vitae temporalis, Paulus de bono conducibili ad vitam aeternam.“ Confer etiam Lapide et Selbst ad Gen. 2, 18 necnon Bisping ad 1 Cor. 7, 1. — Nomen נֶגֶד notat id quod in conspectu est; כְּנֶגְדּוֹ = sicut e regione eius. „E regione autem ponuntur res comparandae (Isa. 40, 17), sibi respondentes, similes (die Gegenstücke) . . . Apud Rabbinos כנגד saepe usurpatur de rebus sibi similibus“ (Gesenius, similiter Buhl, Fürst, Siegfried-Stade). Vulgata hic et ℣. 20. bene vertit *simile sibi;* LXX hic *κατ' αὐτόν,* ℣. 20. autem *ὅμοιος αὐτῷ* transtulerunt. Ergo עֵזֶר כְּנֶגְדּוֹ ens auxilians, idque viro respondens seu par similitudine significat (Dillmann, Lapide et ceteri).

℣. 19. **Formatis igitur,** *Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terrae* (cf. 1, 24 s.), *et universis volatilibus caeli* (cf. 1, 20 s.), *adduxit ea ad Adam.* Textus Hebraicus clarius sic reddi potest: „Formaverat autem Dominus Deus de humo cuncta animantia terrae et universa volatilia caeli et adduxit ad Adam“ (Frz. Delitzsch, Hoberg, Hummelauer, Strack). Talem translationem possibilem esse, alii loci (Gen. 2. 9. 22: Iud. 2, 6; 3 Reg. 7, 13; Isa. 37, 5; Ion. 2, 4: Zach. 7, 2)

demonstrant, et Holzinger ultro concedit: quapropter inter caput I., quo animalia ante hominem formata narrantur, et hunc ℣. nulla est contradictio (contra Dillmann, Gunkel, Holzinger). *Adduxit* autem Dominus animalia reapse (non in visione tantum) voluntate seu iussione sua (cf. pag. 48), impulsu eis impresso (S. Augustinus, Lapide, Zschokke), *ad Adam, ut videret* ipse Adam (Hoberg, Hummelauer), *quid vocaret ea,* vel potius eis, מַה־יִּקְרָא־לוֹ i. e. quale nomen daret eis. *omne enim quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen eius,* וְכֹל אֲשֶׁר יִקְרָא־לוֹ הָאָדָם נֶפֶשׁ חַיָּה הוּא שְׁמוֹ i. e. et omne quod vocaret ei Adam, animanti vivo (cf. 1, 20), id nomen eius esset: haec voluntas Dei fuit (Dillmann, Holzinger, Gunkel). Si vero nomina a Deo vel approbante eo creaturis imponuntur, naturam illarum exprimunt (cf. 2, 23; 3, 20; 1, 5. 8. 10: Hummelauer, Holzinger). Ergo Adam ante impositionem nominum naturam animantium perspicere debuit: *ut videret quid vocaret ea* (Hummelauer).

Pro וַיִּיצֶר in ℣. 7. scribitur hic defective וַיִּצֶר (Strack). — Gunkel, Holzinger, Kittel post אֱלֹהִים cum Samaritano et LXX addunt עוֹד i. e. adhuc, amplius, porro; iidem ante כָּל־חַיַּת cum Samaritano praemittunt אֶת. — Nominantur animalia fera, חַיַּת הַשָּׂדֶה (cf. ℣. seq. et 1, 24) ac volatilia caeli dumtaxat: animalia domestica propter ℣. sequentem subintelligenda sunt (Dillmann, Gunkel); reptilia et aquatilia omnino tacentur, quia manifestum est, inter ipsa aptum adiutorium pro homine non inveniri (similiter Dillmann, Hummelauer). — Asserunt S. Ephrem, Lapide, Strack, Hummelauer, Adamum impositione nominum dominium animalium exercuisse (cf. pag. 7). — Verba נֶפֶשׁ חַיָּה sunt appositio ad לוֹ (Dillmann aliique, cf. 1, 20). Quamvis constructio dura videatur, tamen haec ratio non sufficit, ut cum Dillmann, Gunkel, Holzinger ista verba serius adiecta dicamus (Hummelauer); Kittel dubitat.

℣. 20. **Appellavitque Adam** *nominibus suis cuncta:* perspexerat igitur naturam eorum. Textum Hebraicum LXX accuratius reddiderunt: *καὶ ἐκάλεσεν Ἀδὰμ ὀνόματα πᾶσι.* Appellavit *cuncta animantia,* הַבְּהֵמָה i. e. domestica, *et universa volatilia caeli, et omnes bestias terrae,* חַיַּת הַשָּׂדֶה i. e. feras (cf. 1, 24): *Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius.* Ita Syrus et Graecus quoque; Hebraeus tamen habet: pro homine autem, וּלְאָדָם (sine articulo, cf. pag. 18) non invenit, videlicet Adam,

הָאָדָם (ut in initio huius ℣. legitur), adiutorium simile ei (cf. ℣. 18); non de solo homine primo, sed de hominibus generatim haec dicta sunt. In brutis invenit pro hominibus adiutorium quidem (Hummelauer), at non correspondens, quia non habebant animam rationalem (℣. 7, cf. Gunkel), et quia corpus eorum, licet etiam ex humo formatum, alterius erat speciei (℣. 23).

Selbst et Zschokke iudicant, Deum non omnia domestica et fera et volatilia, sed „fors ea tantum, quae erant in paradiso“ ad Adam adduxisse; obvius vero sensus verborum et finis contrariam sententiam commendare videtur (cf. Dillmann, Lapide): res incerta est. — Ex eo, quod Adam animalibus nomina congruentia indidit, S. Augustinus (c. Iul. op. imp. l. 5, c. 1), S. Chrysostomus, Egger 272, Hurter, II, 280, Lapide, Zschokke et alii deducunt, illum eximia scientia instructum fuisse. Qua occasione Adam etiam facultatem loquendi exercebat; non cogunt nos verba sacri textus, ut linguam ipsam Adae a Deo infusam dicamus (cf. Egger 273 s., Grimmich 26, Schanz, I, 364, Selbst, Stöckl 37 s., Zschokke). — Verba *cuncta animantia*, לְכָל־הַבְּהֵמָה, Holzinger a redactore quodam inserta censet, quia in ℣. 19. desunt, et quia *volatilia* nunc minus apte inter domestica ac fera posita conspiciuntur; Dillmann, Gunkel, Kittel tamen illa verba recte genuina iudicant, nam redactor non adiecisset, quibus consonantia versuum 19. et 20. turbata videtur. Enumerantur autem prius ista animalia, quae cum hominibus magis coniuncta sunt (Dillmann). — Pro וּלְעוֹף legendum est cum Graeco, Latino, Syro וּלְכָל־עוֹף (Kittel, Holzinger). — Holzinger et Kittel putant, fortasse in Hebraeo quoque primitus scriptum fuisse וּלְאָדָם לֹא נִמְצָא, *Adae vero non inveniebatur,* sicut Graecus, Syrus, Latinus habent; Stade et Olshausen (cf. Holzinger) pro וּלְאָדָם placeret וְהָאָדָם, sed facilis haec lectio nullo argumento critico probari potest; Kittel et Ball pro וּלְאָדָם commendant וְלָאָדָם (cum articulo), ita ut non homo generatim, sed primus homo intelligendus sit, pro quo non invenit adiutorium. Haec autem mutatio admitti nequit, quia sic altera pars ℣. 20. sine subiecto esset: subiectum prioris partis ℣. 20. הָאָדָם suppleri non posset, ut patet; subiectum vero prioris partis ℣. 19. יְהוָֹה אֱלֹהִים iuxta grammaticam iterum repetendum erat, quia interim subiectum mutatum est (cf. Holzinger). Probabilissimum fuerit, quod supra diximus: subiectum totius ℣. 20. est הָאָדָם i. e. primus homo, qui omnia animalia nominavit atque inter ea pro se et ceteris hominibus, לְאָדָם i. e. pro homine in genere, correspondens adiutorium non invenit. — Ex interpretatione ℣℣. 19. et 20. supra proposita elucet, Deum non ideo animalia creasse et ad Adam adduxisse, quod putaverit inter ea pro homine auxilium simile inveniri posse, neque

propter frustratum experimentum Evam formasse (quemadmodum Gunkel locum exponit); Deus adduxit animalia iam prius creata, ut in Adam desiderium adiutorii correspondentis excitaretur, quod explere voluit (Dillmann ad ℣. 21).

℣. 21. Immisit ergo, וַיַּפֵּל, *καὶ ἐπέβαλεν, Dominus Deus soporem in Adam.* Bene notant (Gunkel, Hoberg, Hummelauer, Selbst), *soporem,* תַּרְדֵּמָה significare somnum gravem et mirabilem, *ἔκστασιν,* (Gen. 15, 12; 1 Reg. 26, 12; Iob 4, 13; 33, 15; Isa. 29, 10): immisit autem Dominus in Adam somnum gravem, ne doloribus afficeretur; exstaticum, ut mysterium intelligeret (Hummelauer, Lapide, Selbst, Zschokke; cf. S. Augustinum, S. Chrysostomum, S. Ephrem). *cumque obdormisset, tulit unam de costis eius* (וַיִּישָׁן וַיִּקַּח, *καὶ ὕπνωσε· καὶ ἔλαβε), et replevit,* וַיִּסְגֹּר i. e. inclusit, *carnem pro ea,* תַּחְתֶּנָּה i. e. loco eius: posuit carnem loco costae ablatae, ut lacuna expleretur (Dillmann, Gunkel).

Cum plerisque Patribus et interpretibus antiquioribus, cum Holzammer, Lapide, Simar, Zschokke ista vere et reapse facta esse tenemus; nam alioquin Eva non fuisset in veritate *os ex ossibus, et caro de carne* Adae neque *Virago, de viro sumpta* (℣. 23). Quam sententiam etiam Paulus probat (1 Cor. 11, 8. 12): *Non enim vir ex muliere est,* inquit, *sed mulier ex viro . . . sicut mulier de viro, ἐκ τοῦ ἀνδρός, ita et vir per mulierem* (cf. Bisping). — Non ex humo, sed ex corpore viri formata est mulier, „ut omne ex homine uno diffunderetur genus humanum" (S. Augustinus, Civ. 12, 21; Hummelauer, Simar, Zschokke); quod autem ex latere eius facta est, „etiam hinc satis significatum est, quam cara mariti et uxoris debeat esse coniunctio" (S. Augustinus, ibi, c. 27; Hummelauer, Strack).

Tulit unam de costis: iuxta litteram huius ℣. os dumtaxat abstulit, iuxta ℣. 23. forte etiam carnem cum costa coniunctam, quia Adam Evam agnoscit *os ex ossibus* suis, et carnem *de carne* sua (Lapide, contradicente Hummelauer). — צֵלָע denotat costam (in plurali etiam trabes vel asseres), latus, conclave laterale (Gesenius et ceteri). — תַּחְתֶּנָּה idem est ac תַּחְתֶּיהָ = loco eius vel pro ea, *ἀντ' αὐτῆς* (cf. lexicon vel grammaticam). — *Replevit carnem pro ea:* iuxta litteram Deus pro costa carnem inseruit. Qui premit litteram, cum S. Thoma Aquinate, Lapide, Zschokke asserere debet, Adamum in uno latere (forsitan dextero) costas 13 habuisse, ne una ablata mancus remaneret. Quod si Adam, qui non tantum indivi-

duum, verum etiam principium speciei fuit (S. Thomas Aquinas), a Deo in latere uno 13 costas acceperat, quarum una statim dempta est, monstrosus dici nequit (cf. Lapide, Zschokke; contra Hummelauer). Alii tamen putant, Adamum in latere utroque 12 tantum costas habuisse, et pro ablata statim simul cum carne novam insertam esse (cf. Lapide et Hummelauer). — Hummelauer 149 s., Schöpfer, Selbst (cum S. Augustino) in medio relinquunt, utrum haec in sola visione an praeterea in rerum natura facta sint. Attamen theoria visionaria, quam Hoberg hic quoque defendit, cum textibus Gen. 2, 23 et 1 Cor. 11, 8. 12 supra citatis difficile conciliari potest (videas pag. 42); multo minus opinio eorum (Dillmann, Holzinger, Schanz 701 s. et aliorum) qui dixerunt, ista narratione relationem inter virum et mulierem allegorice vel parabolice describi (Exegetica 9 s.). In Adamo realiter nihil ablatum nihilque suffectum esse, improbabile videtur, si ad usum loquendi et contextum proximum ac remotum attendimus. — Ex latere viri mulier sumitur, ut relatio inter mulierem et virum significetur atque formatio Ecclesiae praefiguretur. Non sumitur ex capite, ne mulier se dominam putet; non sumitur ex pedibus, ne a viro ut serva habeatur: sumitur ex latere, ut socia vitae appareat (Lapide cum S. Thoma Aquinate; similiter Selbst et Strack). Dormiente Adam ex latere eius fit Eva; mortuo Christo de latere eius (dextero) fluxerunt sacramenta (aqua et sanguine significata), quibus formatur Ecclesia (Lapide et Selbst cum S. Augustino et S. Thoma Aquinate: videas et commentarios ad Ioan. 19, 34). Quem sensum symbolicum (Exegetica 12 s.) ipse Paulus Eph. 5, 22—33 innuit.

℣. 22. Et aedificavit *Dominus Deus* voluntate seu iussione sua (Selbst) *costam, quam tulerat de Adam, in mulierem;* exstruxit seu finxit e costa mulierem (Gesenius). Quemadmodum Christus quinque panes sic multiplicavit, ut quinque millibus virorum saturatis duodecim cophini fragmentorum superessent (Matth. 14, 17 ss.; Ioan. 6, 9 ss.): simili modo Deus ex una costa (et carne adiuncta, cf. supra) totum corpus mulieris formare potuit (Hummelauer); cui etiam spiraculum vitae inspiravit (cf. ℣. 7), quod ex 1, 27 atque 3, 1 ss. apparet. *et adduxit eam ad Adam* ex sopore ad statum naturalem revocatum (Lapide, Hummelauer), ut videret quid vocaret eam (cf. ℣. 19): adduxit *adiutorium simile sibi* (℣. 18).

Verbum בָּנָה uti assyr. *banû* tum aedificare, exstruere tum fingere, formare significat; אֶת־הַצֵּלָע est accusativus materiae, cf. ℣. 7 (Gesenius et Buhl). — De אִשָּׁה, *mulierem,* vide ℣. seq. — *Adduxit* e loco forte parum remoto (Lapide, Lamy, Hummelauer) paradisi, ubi eam formaverat.

℣. 23. **Dixitque Adam:** Christus verba versus 24. tamquam a Deo prolata refert: *qui fecit hominem . . . et dixit: Propter hoc dimittet homo* etc. (Matth. 19, 4 s.); ista autem verba grammatice et logice cum verbis versus 23. coniuncta sunt: ergo Tridentinum (sess. 24, initio) bene asserit, primum humani generis parentem divini Spiritus instinctu verba versus 23. et 24: *Hoc nunc, os ex ossibus meis . . . erunt duo in carne una,* pronuntiasse. *Hoc* vel potius haec, זֹאת, quam vocem Adam cum emphasi ter profert: ante *nunc,* ante *vocabitur,* et (iuxta Hebraicum) post *sumpta est.* Ceterorum animantium naturam perspexerat et nomina vocaverat, sed adiutorium simile sibi inter ea non invenerat; *haec* tamen mulier ab eo non solum noscitur et nominatur (℣. 23), verum etiam socia vitae acceptatur (℣. 24). *nunc,* הַפַּעַם i. e. hac vice (Buhl) vel tandem aliquando (Gesenius, Fürst, Siegfried-Stade): Adam mulierem adductam ab adductis animantibus reliquis exsultans (Dillmann) distinguit et secernit, quia corpus eius de corpore suo sumptum videt: *os ex ossibus meis,* inquit, *et caro de carne mea.* Animantia, inter quae Adam adiutorium simile sibi non invenit (℣. 20), de humo formata fuerant (℣. 19); si nunc mulierem, quam illis opponit, adiutorium simile sibi invenit, quia *os de ossibus* suis, *et caro de carne* sua: concludendum est, corpus mulieris non de humo sed de corpore Adae formatum esse, quemadmodum verba sonant, atque textus Pauli supra (pag. 61) citatus confirmat. Idem sensus subest sequentibus: *haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.* Uti ceteris animantibus nomina naturam eorum exprimentia imposuerat (℣. 20), sic Adam a Deo doctus (℣. 21) mulierem vocat אִשָּׁה, viraginem vel potius viram (cf. Georges et Vercellone), quatenus ex viro, אִישׁ, sumpta seu formata est. Haec nominatio et confirmatio esset falsa, si mulier reapse non esset de ossibus et carne primi hominis. Utrum duo nomina Hebraica ad eandem radicem pertineant necne, nihil interest. Nam primi homines lingua originali loquebantur, quae non fuit Hebraica (vide 11, 1), et istis nominibus primitivis vocabula similia linguarum variarum substituebantur, quibus ortus mulieris ex viro insinuaretur (Hummelauer). Ergo non obesset

Scripturae, si pro אִישׁ atque אִשָּׁה diversas radices agnoscere deberemus. Videas notam infra positam.

Demonstrativum זֹאת primo loco etiam cum הַפַּעַם coniungi potest, ut sit sensus: hac tandem vice (Siegfried-Stade); quia tamen פַּעַם iam articulo determinatum est, et זֹאת secundo ac tertio loco ad *mulierem* respicit, primo quoque loco melius ad eandem refertur (Buhl, Fürst, Dillmann, Gunkel). — Phrases *os meum, et caro mea* (Gen. 29, 14); *os vestrum, et caro vestra* (Iud. 9, 2); *os tuum, et caro tua* (2 Reg. 5, 1) etc. de quolibet propinquitatis vinculo adhibentur (Hummelauer, Hoberg): phrasis tamen *Haec nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea* propter alteram parallelismi synonymi sententiam *haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est* praeter communionem sanguinis et speciei etiam modum formationis innuit (Hummelauer). — Non accurate LXX atque Vulgata *Τοῦτο νῦν . . . αὕτη, Hoc nunc . . . haec* vertunt et in fine *αὕτη, haec* omittunt. — Controversantur inter se viri docti, utrum אִישׁ atque אִשָּׁה ad eandem radicem pertineant an non. Negant Dillmann, Gunkel, Hummelauer; affirmant Fürst, Hoberg. Cum etiam Strack opinionem affirmativam possibilem dicat, non est cur ab ea recedamus. — Pro מֵאִישׁ, *de viro* habent Samaritanus et LXX מֵאִישָׁהּ, *ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς*, quae lectio assonationem in Hebraico grandiorem efficit: אִשָּׁה מֵאִישָׁהּ (Gunkel). — Assonationem custodiens Symmachus transtulit: *ἀνδρίς, ὅτι ἀπὸ ἀνδρὸς ἐλήμφθη*, necnon Germanus: Männin, denn sie ist vom Manne genommen. — Quia אִישׁ atque אִשָּׁה praesertim genus masculinum et femininum significant (Buhl), hic ℣. optime cum 1, 27 congruit: *masculum et feminam creavit eos, ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς.*

℣. 24. **Quamobrem.** Hic ℣. non continet verba scriptoris (ut Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack putant), sed verba Adae „divini Spiritus instinctu“ eloquentis (Tridentinum l. c.: Bisping ad Matth. 19, 5, Frz. Delitzsch, Hoberg, Lapide, Selbst). *Quamobrem,* inquit, quia nimirum mulier ex viro sumpta est; quia sexus femininus sexui masculino adiutorium simile sibi et supplementum a Deo datus est (℣℣. 18—22): idcirco *relinquet homo,* i. e. vir, אִישׁ, *patrem suum, et matrem.* Adam a Deo inspiratus (Matth. 19, 5) non tantum de sua ipsius, sed etiam posterorum suorum uxore et matrimonio prophetans loquitur (S. Chrysostomus et S. Augustinus: cf. Bisping et Hummelauer); cuius sententia non proprie (quia sensu proprio esset falsa), sed improprie intelligenda est, videlicet: affectus viri et mulieris tam vehemens erit, ut etiam vincula alioquin fortissima disrumpat (Bisping). *et ad-*

haerebit commercio familiarissimo (1 Cor. 6, 16) *uxori suae,* בְּאִשְׁתּוֹ, *et erunt duo in carne una.* Numerale *duo* in moderno textu Hebraico deest: in Graeco, Latino, Syriaco, necnon Matth. 19, 5 et Marc. 10, 8 et Eph. 5, 31 adest atque contextu innuitur: quapropter Kittel שְׁנֵיהֶם, duo illi, *οἱ δύο* textui Hebraico inserendum censet. Ergo *duo* illi, vir et vira. erunt *in carne una,* לְבָשָׂר אֶחָד, *εἰς σάρκα μίαν* (cf. ℣. 7), i. e. *una caro* (Matth. 19, 6), *unum corpus* (1 Cor. 6, 16). „Sensum expressionis quod attinet, scribit Hummelauer, ea praeprimis designari usum dominii in corpora concessi, indubie colligitur ex 1 Cor. 6, 16, ubi eadem expressio vel de meretricio usu adhibetur; ipsum quoque legitimum dominium h. l. omnino significatione includitur.“ Videas etiam Bisping (ad Matth. 19, 4 ss. et ad 1 Cor. 6, 16), Weiss (ad Matth. 19, 4 ss.), Heinrici (ad 1 Cor. 6, 16). — Istis verbis Adam mulierem a Deo formatam et adductam accepit uxorem (Hoberg).

Dillmann et ceteri opinantur, verba ℣. 24. Adam pronuntiare non potuisse, cum notiones patris matrisque non habuerit: at divini Spiritus instinctu prophetavit, ut dictum est (similiter Hoberg, Hummelauer). — Quia Gen. 1, 27 factum astruitur et 2, 7. 21 ss. modus describitur (cf. pag. 20), verba ℣. 24. *Quamobrem relinquet* ab Adam inspirato cum ℣℣. proximis, a Christo autem cum 1, 27 *masculum et feminam creavit eos* coniungi potuerunt (Hummelauer). — Ex Gen. 2, 24 Christus ipse (Matth. 19, 6 ss.) inseparabilitatem matrimonii collegit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* (Tridentinum loc. cit., Hummelauer, Hoberg). — Matrimonium inter primum virum et primam viram Deo benedicente (Gen. 1, 28) contractum, quod exemplar reliquorum habendum est, monogamiam commendat (Dillmann, Hummelauer, Hoberg). — Alias quaestiones Lapide proponit ac solvit.

℣. 25. **Erat autem uterque,** שְׁנֵיהֶם, *οἱ δύο, nudus, Adam scilicet et uxor eius,* הָאָדָם וְאִשְׁתּוֹ, *et non erubescebant* invicem (Dillmann, Gunkel, Hummelauer; יִתְבֹּשָׁשׁוּ est hithpaʿel). Nam „in statu innocentiae nulla erat libido, declarat Lapide, nulla concupiscentia. Ex hac enim oritur pudor et erubescentia, si membra, in quibus regnat libido, aliis pateant et denudentur: ita S. Augustinus“. Similiter S. Chrysostomus, Hoberg et Hummelauer, qui ex ℣. praeterea deducit, eam aeris temperiem fuisse, qua homo vestitu minime indigeret.

Pro *Erat autem uterque nudus* exhibent antiquiores et meliores codices Latini *Erant autem uterque nudi* (Vercellone); *Καὶ ἦσαν οἱ δύο γυμνοί*, LXX in qua Ṽ. ad caput III. trahitur. — Ex hoc loco Egger 269 s., Hurter II, 275 ss., Simar 381 s. et alii recte colligunt, in protoparentibus appetitum sensitivum voluntati ita subiectum fuisse, ut neque ante neque contra neque ultra permissionem rationis ferri potuerit. — Contra eos qui dicunt, protoparentes fuisse infantes diversitatem sexus non advertentes, iam S. Ephrem notavit, eorum opinionem cum textu sacro conciliari non posse. De infantibus enim non scriptum esset: *ut operaretur, et custodiret illum* (Ṽ. 15); *Adam et uxor eius; erat uterque nudus, et non erubescebant* (Ṽ. 25). Infans neque animalibus (Ṽ. 20) et mulieri (Ṽ. 23) nomina imponere neque promulgationem legis (ṼṼ. 16 s.) capere potuisset (Hummelauer).

In statu innocentiae protoparentes felicissimi fuerunt. Etenim praeter dona n a t u r a l i a seu imaginem Dei naturalem (pag. 20) etiam donis s u p e r n a t u r a l i b u s, gratia sanctificante et virtutibus simul infusis (pag. 20) necnon p r a e t e r n a t u r a l i b u s, i. e. scientia eximia (pag. 60), appetitu bene ordinato (pag. 66), dominio animalium (pag. 19), habitatione amoena (ṼṼ. 8 ss.), potentia non moriendi nec patiendi (pag. 57) instructi erant. — Quamdiu in isto statu permanserint, ex sacro textu erui nequit (Dillmann, Gunkel, Holzinger). „Non longe duravit status ille felix, ait quidem Zschokke 33. Communiter ss. Patres opinantur, Adamum eodem die, quo creatus est, peccasse, scil. feria sexta, imo sub eandem horam (col. Gen. 3, 8), qua Christus in cruce mortuus est.“ Haec tamen opinio cum explicatione hexaemeri litterali (pag. 39 ss.), cui innititur, generatim deserenda est; de hora G e n. 3, 8 videas.

Status peccati, 3, 1—4, 26.

C. **3.** Ṽ. **1. Sed et serpens,** וְהַנָּחָשׁ, *ὁ δὲ ὄφις*, i. e. a Deo formatus et ad Adam adductus (2, 19). Hic serpens naturalis et verus a diabolo ad seducendos protoparentes adhibitus est. — Fuit serpens n a t u r a l i s e t v e r u s. Nam in ṼṼ. 1. et 14. numeratur inter animantia terrae, utique naturalia et vera. Insuper in Ṽ. 1. a Deo factus (non a diabolo formatus) vocatur. Denique poena in Ṽ. 14. serpenti inflicta ad naturales et veros (non phantasticos) serpentes spectat. Quibus de causis plerique Patres et Doctores Ecclesiae, Dillmann, Gunkel, Holzinger. Hurter II, 297, Lapide, Schöpfer, Simar 394, Strack, Zschokke

hanc sententiam tenent. Fuit autem serpens a diabolo adhibitus. Etenim Sap. 2, 24 legimus: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (cf. Rom. 5, 12). Diabolus a Christo (Ioan. 8, 44) *homicida ab initio . . . mendax, et pater eius,* scilicet mendacii vel mendacis, et ab ipso Ioanne (Apoc. 12, 9 et 20, 2) *serpens antiquus* appellatur (cf. 2 Cor. 11, 3. 14; Rom. 16, 20). Quare Patres et Doctores Ecclesiae, interpretes et dogmatici catholici necnon Strack hoc modo locum interpretantur.

Hummelauer et Hoberg cum paucis exegetis antiquioribus (cf. Lapide) putant, diabolum per serpentem non naturalem et verum, sed phantasticum Evam tentasse; ipsum speciem tantum et formam serpentis adhibuisse. Huic tamen opinioni ℣℣. 1. et 14. contrarii sunt, qui serpentem naturalem et verum describunt. — Dillmann, Gunkel, Holzinger negant, diabolum in serpente latuisse, et narrationem biblicam fabulam declarant, qua bruta loquentia et agentia producuntur ac si ratione praedita essent. Sed loci supra citati probant, peccatum et mortem per diabolum in mundum intrasse, qui propter modum tentationis *ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος* nominatur (cf. Belser, Bisping, Weiss in Ioan.; Bisping, Kübel in Apoc.; Zöckler in Sap.; necnon excursum II. in fine capitis III). De locis N. T. respicientibus ad V. T. videas introductionem in Genesim. — Modo externo, idque per serpentem diabolus protoparentes tentavit, quia eorum appetitus sensitivus bene ordinatus erat, et phantasia diabolo nondum patebat (Simar 394 ss.); serpentem autem Deo permittente elegit, quia propter calliditatem maxime idoneus videbatur. Sequitur.

erat callidior cunctis animantibus terrae, חַיַּת הַשָּׂדֶה, *quae fecerat Dominus Deus* (2, 19). Christus quoque calliditatem seu prudentiam serpentium (Matth. 10, 16) Apostolis sequendam proponit. *Qui dixit ad mulierem:* animalia bruta (cf. pag. 48) neque cogitare neque sonos articulatos efficere posse, patet; diabolus autem Deo permittente in ore bruti istos sonos formare suosque sensus ita exprimere potest (Selbst). Quod Eva quoque propter scientiam eximiam nosse ideoque concludere debuit, spiritum quemdam ex serpente loqui (Lapide). Tentator mulierem aggreditur, minus doctam minusque fortem quam virum (Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hummelauer). *Cur praecepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Iuxta textum Latinum et Graecum (*cur, τί ὅτι*) diabolus factum supponit et causam quaerit; iuxta Hebraicum (אַף כִּי־אָמַר i. e. num revera dixit, Buhl, Fürst; siccine dixerit.

(Gesenius) dubitat et miratur, quod Deus tale praeceptum dederit (Hoberg). Vult sapientiam vel bonitatem Dei in suspicionem vocare, appetitum libertatis absolutae suggerere *(de omni ligno)*, ambos perdere (Hummelauer). Hoc consilio summum ens Elohim, numen potens ac tremendum (pag. 1), non Iahve benigne se manifestantem (pag. 45) appellat.

S. Augustinus et alii censent, serpentem non qua talem, sed serpentem illum omnibus notum, a diabolo scilicet actum, prudentissimum omnium animalium dici. — Ad הָיָה Strack et Hoberg idem notant, quod ad הָיְתָה notaverunt (cf. pag. 4). — Post וַיֹּאמֶר Graecus et Syrus הַנָּחָשׁ addunt. — Hummelauer et Hoberg locutionem serpentis imaginariam intelligunt. — Eva neque exhorruit aspectum serpentis, quia domina animalium erat (S. Chrysostomus), neque metuit spiritum ex eo loquentem, quia sciebat se Deo curae esse (S. Thomas, cf. Lapide). — Verba לֹא . . . מִכֹּל עֵץ possunt verti: „de nulla arbore“ (Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger, Strack), „sed hoc nimis patens et crassum fuisset mendacium“, notat Lapide; aut: „non de omni“ (cf. Lapide, Hummelauer). — Lapide, Gesenius, Dillmann et alii sentiunt, istis verbis colloquium serpentis cum muliere non inchoari, sed continuari; Hummelauer tamen hanc opinionem recte incertam iudicat. — Diabolus ex invidia (Sap. 2, 24) protoparentes tentans voluit malum tentaminis exitum; Deus vero tentationem permittens desideravit bonum probationis eventum ideoque media ad superandam tentationem sufficientia subministrabat: *fidelis autem Deus est,* ait Paulus (1 Cor. 10, 13), *qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.* Praevidit utique, hominem peccaturum esse; praevidit tamen simul, ipsum libere mandatum observatu facillimum transgressurum esse: malus tentationis exitus ex voluntate hominis venit (cf. Simar 393ss., Zschokke; explicationem 2, 17 et 3, 6).

℣. 2. **Cui respondit mulier,** וַתֹּאמֶר הָאִשָּׁה אֶל־הַנָּחָשׁ, *καὶ εἶπεν ἡ γυνὴ τῷ ὄφει·* mulier propter eximiam suam scientiam iudicare debuerat, Deum omnia sapienter et bene facere, ideoque spiritum ex serpente contraria suggerentem malum esse; nihilominus ab eo non se avertit, sed respondet: iam ex parte capta est (similiter Holzammer, Selbst). Interroganti repetit verba Dei praecipientis. Deus dixerat: ***Ex omni ligno paradisi comede*** (cf. 2, 16); ipsa bene repetit: ***De fructu lignorum, quae sunt in paradiso, vescimur,*** *Ἀπὸ καρποῦ τοῦ ξύλου τοῦ παραδείσου φαγούμεθα,* ut in Hebraico. Testatur factum simulque licentiam (cf. Lapide, Hummelauer, Gunkel, Strack:

vide sequentem ℣. atque responsum Mariae apud Luc. 1, 34 Bisping).

℣. **3. de fructu vero ligni,** *quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus ne comederemus: et ne tangeremus illud, ne forte moriamur, ἀπὸ δὲ τοῦ καρποῦ τοῦ ξύλου ὅ ἐστιν ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου, εἶπεν ὁ θεός Οὐ φάγεσθε ἀπ' αὐτοῦ οὐδὲ μὴ ἅψησθε αὐτοῦ, ἵνα μὴ ἀποθάνητε.* Quod ad constructionem attinet, cum Dillmann et Strack verba *praecepit nobis Deus,* אָמַר אֱלֹהִים, parenthesim, reliqua autem repetitionem mandati divini intelligimus, quem intellectum textus Hebraicus nobis subiicit: וּמִפְּרִי . . . מִמֶּנּוּ coll. 2, 17 וּמֵעֵץ . . . מִמֶּנּוּ. — De una dumtaxat arbore *in medio paradisi* stante mulier loquitur, cuius videlicet fructus vetiti erant quamque Deus *lignum scientiae boni et mali* vocaverat; *lignum vitae,* de cuius fructibus vesci potuerunt, ad arbores in ℣. 2. nominatas pertinebat (similiter Dillmann, Hummelauer). Exaggerat autem praeceptum Dei, quem nec ipsa Iahve appellat, addens: *et ne tangeremus illud* (S. Ambrosius, paradis. 12, Holzinger, Strack); emollit poenam omittens: *in quocumque die* atque *morte* i. e. certe (cf. 2, 17; Strack), quem sensum Vulgata adiecto adverbio *forte* exprimit.

Gunkel, Holzinger et alii repetitionem mandati divini cum LXX a verbis *Οὐ φάγεσθε* inchoari censent. Vulgata orationem directam in obliquam mutavit. — Alii opinantur, verba *et ne tangeremus illud* vel explicationis gratia (Hoberg) vel ex religione addita esse „quasi diceret: Deus praecepit, ne hanc arborem tangamus ad comedendum ex ea" (Lapide approbante Hummelauer). Manet tamen difficultas, quod mulier ista verba Deo tribuat, qui neque aspectum neque tactum arboris prohibuit: est exaggeratio. — פֶּן־ idem est ac *μή, ne* (Gen. 11, 4; 19, 15): propter omissam vocem *morte* tamen Vulgata non male *forte* adiecit.

℣. **4. Dixit autem serpens** *ad mulierem:* diabolus mulierem de bonitate Dei dubitantem videt, Deo non amplius firmiter adhaerentem, sibi autem fidentem; idcirco plus audet et veracitatem Dei negat (similiter Dillmann). *Nequaquam morte moriemini,* לֹא־מוֹת תְּמֻתוּן confer 2, 17. Malignitatem diabolicam! Verba formalia in memoriam mulieris revocat, quibus Deus poenam et praeceptum (℣. 5) promulgavit, ut plena cum advertentia peccare possit: *homicida erat ab initio, et . . . mendax* (Ioan. 8, 44).

℣. 5. **Scit enim Deus,** כִּי יֹדֵעַ אֱלֹהִים i. e. sed scit Deus (cf. Gen. 17, 15; 18, 15; 19, 2; 24, 4), ut sit sensus: non ideo praecepit Deus, ne moriamini, sed quia scit, *quod in quocumque die comederitis ex eo* (cf. 2, 17 et 3, 3), *aperientur oculi vestri:* videbitis ea, quae nunc non videtis (cf. Gen. 21, 19; Num. 22, 31; 4 Reg. 6, 17; Dillmann). *et eritis sicut dii,* כֵּאלֹהִים i. e. sicut Deus (cf. ℣. 22), ipsi magis similes quam nunc, *scientes bonum et malum:* quia Deus arborem, cuius fructus prohibuit, lignum *scientiae boni et mali* nuncupaverat, diabolus asserit Deum id fecisse, ne accuratiorem doctrinam sibi compararent. Diabolus Deum invidiae accusat et protoparentes irritare vult, ut contra voluntatem divinam maiorem cum natura et scientia Dei similitudinem appetant (similiter Dillmann, Holzinger).

Bilinguis loquitur diabolus (Dillmann, Hummelauer, Strack): aperti sunt oculi eorum, sed alio modo quo ipsi speraverant; facti sunt protoparentes sicut Elohim, sed sicut Angeli (cf. pag. 1) iique mali; scientiam novam acquisierunt, at cognoverunt, se bonum reliquisse et malum elegisse. Vide ℣℣. sequentes. — Statim post locutionem serpentis mulierem invasit mentis elatio, ex quo peccato interno secutum est peccatum externum (S. Augustinus, Simar 396, Zschokke).

℣. 6. **Vidit igitur mulier:** nec Deo nec diabolo plene credens arborem et fructus eius ipsa inspicit et duas vel tres qualitates videt (Hummelauer). Iuxta textum Graecum, Latinum, Syriacum et Gunkel videt fructus arboris esse bonos ad vescendum: *quod bonum esset lignum ad vescendum,* et pulchros ad aspiciendum oculis: *et pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Iuxta textum vero Hebraicum videt fructus bonos ad vescendum, טוֹב הָעֵץ לְמַאֲכָל, pulchros ad videndum, תַאֲוָה־הוּא לָעֵינַיִם, desiderabiles ad intelligendum, נֶחְמָד הָעֵץ לְהַשְׂכִּיל: haec altera distinctio contextu commendatur (2, 9. 17; Strack, cf. Dillmann, Hummelauer). *et tulit de fructu illius, et comedit:* seducta a serpente legem transgressa est (℣. 13; 2 Cor. 11, 3; 1 Tim. 2, 14), *deditque viro suo* qui erat cum ea, *μετ' αὐτῆς*, עִמָּהּ, *qui comedit,* non seductus a serpente (1 Tim. 2, 14), sed propter nimium erga uxorem amorem (℣. 12, S. Augustinus, Civ. 14, 11, Simar).

Adam non erat cum muliere, quando a serpente decepta est, sed quando de fructu arboris comedit (Strack). — Pro וַיֹּאכַל Samaritanus

et LXX habent וַיֹּאכְלוּ, *καὶ ἔφαγον*· quae lectio indicat, Evam bis comedisse, primo sola et deinde cum viro (cf. Lapide). — Peccatum protoparentum gravissimum fuit. Propter statum: scientia eximia et appetitu ordinato praediti in summa felicitate cum Deo conversabantur; nihilominus amicum et benefactorem suum offendunt. Propter mandatum: observatu facillimum erat et severe inculcatum; nihilominus illud transgrediuntur. Propter actum: plena cum scientia, advertentia, libertate peccarunt; quanto maior vero scientia et libertas, tanto gravius peccatum. Propter varietatem: peccarunt ambo superbia, inobedientia, ingratitudine, gula; Eva insuper infidelitate et malo exemplo, Adam autem inordinato affectu. — „Ad quaestionem, utrum peccatum Adae fuerit gravius, an Evae, respondet Thomas (2. 2. q. 163. a. 4): si peccatum in se spectes, gravius peccasse Evam, tum quia prior peccavit tum quia Adamum ad peccatum induxit, et ideo gravius punita est: relate tamen ad circumstantiam personae gravius peccasse Adamum, tum quia ipse perfectior erat et immediate a Deo praeceptum acceperat" (Zschokke et Lapide). — Adae praevaricationem non sibi soli, sed eius propagini quoque nocuisse (Tridentinum, sess. 5, can. 2), Paulus docet (Rom. 5, 12—19): *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt:* . . . [18]*Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.* [19]*Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem, iusti constituentur multi* (videas meam explicationem epistolae atque viros dogmaticos).

℣. 7. **Et aperti sunt oculi amborum:** non eo tamen modo quo ipsi speraverant, sed quo serpens intellexerat. Vident, Deum esse veracem et diabolum mendacem; vident, quantum bonum amiserint et in quantum malum inciderint; vident, quam bona fuisset obedientia et quam mala sit inobedientia (Lapide, Selbst, Zschokke cum S. Augustino et S. Chrysostomo). *cumque cognovissent,* i. e. sentirent seu experientia scirent, וַיֵּדְעוּ (Fürst), *se esse nudos* (2, 25), *consuerunt,* pediculos frondium pro acu et filo adhibentes (Hummelauer), *folia ficus,* quae fortasse propior erat quam aliae arbores (Hummelauer, Strack), *et fecerunt sibi perizomata,* subligacula seu praecinctoria. Pudor et timor (℣. 10) monstrant, protoparentes in malo non obstinatos esse (Strack, Zschokke).

Protoparentes cognoverunt etiam, se spiritu nudos esse, i. e. donis supernaturalibus et praeternaturalibus spoliatos. Tridentinum (sess. 5, can. 1) docet „primum hominem Adam, cum mandatum Dei in

paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis huiusmodi iram, et indignationem Dei, . . . totumque Adam, per illam praevaricationis offensam, secundum corpus, et animam in deterius commutatum fuisse". — In statu innocentiae mens hominis sub Deo, inferiores vires sub mente, corpus sub anima et omnia exteriora sub homine fuerunt. Postquam autem mens hominis per peccatum a Deo aversa est, amisit virtutem continendi inferiores vires, corpus et exteriora (S. Thomas in Rom. 5, 12). Inobedientia carnis est poena inobedientiae mentis (Zschokke cum S. Augustino). — Dillmann et Holzinger notant, folia ficus propter formam ad tegendum minus apta nihilominus a protoparentibus adhibita esse, quia ceteris erant maiora. — תְּאֵנָה ficum proprie dictam (ficum caricam) designare, non vero palam Indicam seu musam paradisiacam (Pisang, Banane, Paradiesfeige, Adamsfeige), ut Fürst et Gesenius cum aliis (cf. apud Dillmann) putarunt, nunc quasi omnes concedunt.

℣. 8. **Et cum audissent vocem,** קוֹל i. e. fragorem, quem gressus ambulantis edunt (2 Reg. 5, 24; 3 Reg. 14, 6; S. Ephrem, Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack), *Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem:* orientales ad vesperam seu ad flatum diei, לְרוּחַ הַיּוֹם (Cant. 2, 17; 4, 6) motum recreationis vel confabulationis causa instituere solent (Gen. 24, 63); eodem tempore etiam Dominus forma humana (Selbst cum Lapide et Kaulen, Kirchenlexikon, IV, 841 ss.) in paradiso apparere et cum hominibus conversari solebat (similiter Dillmann, Gunkel), propter quam consuetudinem et familiaritatem vir et mulier iam ex gressu et fragore cognoscunt, Dominum Deum advenire. Ante transgressionem praecepti homines Deo advenienti laeti occurrebant (uti cum Dillmann et Gunkel ex contextu colligere possumus, cf. ℣. 10), commisso autem peccato *abscondit se Adam et uxor eius a facie,* מִפְּנֵי i. e. a conspectu, *Domini Dei in medio ligni paradisi,* in fruticeto vel inter arbores densissimas (Lapide). Eo quod Domino non occurrant, vinculum amicitiae disruptum ostendunt (Dillmann); eo quod oculis Dei latere volunt, intellectum obscuratum monstrant (Selbst).

Hummelauer cum Lapide et aliis censet, verbum מִתְהַלֵּךְ „solemnem divinae maiestatis incessum" atque קוֹל „fragorem quemdam ac sonum inarticulatum, quo non tantum aer resonaret, sed omnia, quae in paradiso erant, ad Dei adventum concuterentur, accommodatum nimirum et ad maiestatem Dei advenientis indicandam et peccatores terrefaciendos";

inde etiam facilius explicari posse putat, quare Adam et Eva timore perterriti se absconderint. Contextus tamen sensum supra expositum magis commendat; vide sequentia. — Quod Patres communiter docuerunt (cf. Holzammer 62, Zschokke 33), videlicet Adamum primum eadem quasi hora de fructibus arboris comedisse totumque genus humanum peccato et morti tradidisse, qua secundus Adam (Rom. 5, 14) in cruce moriens vitam nobis reddidit: hoc ℣. confirmari videtur. Nam Deus, qui mox post peccatum commissum, praesente adhuc serpente, apparuit (Hummelauer), ad vesperam in paradiso ambulabat.

℣. 9. **Vocavitque Dominus Deus Adam,** *et dixit ei:* Deus, qui se iustum atque misericordem manifestat (Iahve), vocatione sua Adamum non solum ante faciem suam citare, verum etiam ad confessionem peccati adducere voluit, ut contextus docet. *Ubi es?* in quo loco es? quare non occurris mihi? (Dillmann, Gunkel); in quo statu es? estne conditio tua mutata? (S. Chrysostomus, S. Ambrosius, parad. 14, Lapide, Hummelauer, Hoberg). Iam S. Augustinus notaverat, hanc interrogationem esse increpantis, non ignorantis; et Holzinger contra Gunkel testatur, ex interrogatione non sequi, Deum locum ignorasse.

℣. 10. **Qui ait:** non directe et breviter respondet, sed circumitione utitur; *Vocem tuam audivi in paradiso* et occurrere volebam, sed (וָ) *timui, eo quod nudus essem,* itaque (וָ) *abscondi me.* Confitetur explicite statum nuditatis, in quo erubescit; implicite etiam culpam, propter quam poenam timet (similiter Dillmann, Holzinger).

℣. 11. **Cui dixit,** וַיֹּאמֶר, volens elicere explicitam peccati commissi confessionem (Dillmann, Strack). *Quis enim indicavit tibi quod nudus esses:* nudus iam antea fuit, sed non erubescebat (2, 25); si nunc erubescit, aliquid intercesserit oportet, quod altera quaestio indicat (similiter Holzinger). *nisi quod* vel potius num, הֲ, *ex ligno de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?* antea indirecte, nunc directe interrogat.

℣. 12. **Dixitque Adam:** nunc demum peccatum explicite confitetur, *comedi,* inquit in fine; prius tamen excusationem affert dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam* (2, 18. 22), *dedit mihi de ligno, et* propterea, propter amorem *comedi:* quibus verbis culpam in Deum ipsum refundit (Lapide et alii Catholici, Dillmann et alii Protestantes).

Textum Hebraicum bene LXX reddunt: *Ἡ γυνή, ἣν ἔδωκας μετ' ἐμοῦ, αὕτη μοι ἔδωκεν.*

℣. **13. Et dixit Dominus Deus** *ad mulierem: Quare hoc fecisti?* מַה־זֹּאת, *τί τοῦτο*, quid fecisti? Deus vult confessionem culpae. *Quae respondit:* etiam mulier factum confitetur, sed prius se excusat et culpam in serpentem revolvit, *Serpens decepit me, et comedi.*

℣. **14. Et ait Dominus Deus** *ad serpentem:* seductorem Deus non interrogat, nam serpens naturalis sine ratione est, et diabolus in eo latens iam iudicatus fuit (cf. pag. 7). Secundum ordinem, quo peccatum commissum est, nunc poena infligitur (Holzinger). *Quia fecisti hoc,* quia mulierem decepisti, *maledictus es* vel sis, eris (vide sequentia; Gunkel, Strack). Deus maledicit, quatenus mala non solum optat, verum etiam affert: ergo maledictus sis idem ac maledictus es. Quae mala inferantur, mox exponitur (cf. pag. 16). Maledicitur autem serpens iam notus, הַנָּחָשׁ, i. e. serpens naturalis ut causa secundaria et instrumentalis, necnon diabolus ut causa principalis: ergo verba sequentia proprie de serpente, improprie de diabolo intelligenda sunt (Lapide, Hummelauer, Selbst). — *inter omnia animantia* (domestica), *et bestias terrae* (feras): quia omnes creaturae maledictioni subiectae sunt (Rom. 8, 20—22). verba *inter omnia,* מִכָּל־ . . . וּמִכֹּל, idem denotant ac „plus quam omnia" (cf. Hummelauer). Uti serpens plus quam cetera bruta, ita diabolus plus quam reliquae creaturae rationales maledicitur. — *super pectus tuum gradieris,* i. e. sine pedibus in terra te movebis seu serpes (Dillmann) *et terram comedes,* i. e. spiritum attrahendo et cibum sumendo etiam pulverem terrae devorabis (Isa. 65, 25); serpentes praeter pulverem alias quoque res edere, omnes sciunt (Dillmann). Iam antea super pectus se movere et pulverem edere debuit, neutrum tamen rationem poenae habuit (Lapide, Strack; cf. quae de Adamo et Eva dicentur). Ista verba diabolum quoque in serpente latentem respiciunt in sensu utique translato. Super pectus iacere et pulverem lingere idem significat ac humiliatum esse et confundi. *Videbunt gentes, et confundentur super omni fortitudine sua: ponent manum super os, aures eorum surdae erunt. Lingent pulverem sicut serpentes, velut reptilia terrae*

perturbabuntur in aedibus suis: Dominum Deum nostrum formidabunt, et timebunt te (Mich. 7, 16 s.; cf. Isa. 49, 23; Ps. 71, 9). Humiliabitur et confundetur vero diabolus, quatenus conatus eius pervertentur: ipsius potestas frangetur, homo redimetur, Deo gloria restituetur. — *cunctis diebus vitae tuae,* quamdiu serpentes (vide tamen Rom. 8, 21) et diaboli erunt.

Verba וּמִכָּל־הַבְּהֵמָה iuxta Holzinger certo, iuxta Kittel fortasse serius addita, iuxta Gunkel tamen genuina sunt: vide 2, 20. — מִכֹּל idem est ac *inter omnia* vel e numero omnium. Si reliqua animantia non essent maledicta, foret sensus: tu solus sis maledictus: quia autem omnes creaturae maledictioni subiectae sunt (Rom. 8, 20—22), est sensus: tu praecipue, plus quam cetera sis maledictus (cf. Hummelauer). Male LXX vertunt: *ἀπὸ πάντων.* — S. Basilius, S. Ephrem, Iosephus Flavius et nonnulli alii antiquiores (cf. apud Lapide, Dillmann, Hummelauer) necnon Gunkel, Holzinger, Ieremias 114 putant, scriptorem dicere, serpentem antea pedibus incessisse et alio modo cibum sumpsisse. Contra quam opinionem bene scribit Lapide: „Cur enim quaeso serpenti, in quo non erat culpa, naturalia dona tollerentur, quae nec daemonibus propter peccatum ablata fuerunt?" — נָחָשׁ iuxta Gesenium a sibilando, iuxta Fürst forsitan a serpendo vel pungendo dicitur; *ὄφις* probabiliter ut *ἔχις* cum sanscr. *áhis* a radice *egh,* pungere derivatur (Menge). Dillmann cum Tuch notat, sanscr. *uraga* (Hebraico נָחָשׁ correspondens) significare „super pectus gradiens". — Deus peccatum tanto odio persequitur, ut etiam res irrationales, quae instrumentum fuerunt, poena afficiat (Lev. 20, 15 s.). — Poena seductoris congrua est. Erexit se contra Deum, ideo deprimitur; seduxit Evam ad pulchrum et suavem fructum edendum, ideo pulverem edere debet (similiter Lapide). — Ieremias 114 citat Tel Amarna L, 42, 35: „Videant inimici nostri et pulverem lingant". Insuper asserit, phrasim „pulverem edere" generatim „confundi", speciatim „in infernum descendere" significare.

℣. 15. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius. וְאֵיבָה ׀ אָשִׁית בֵּינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה וּבֵין זַרְעֲךָ וּבֵין זַרְעָהּ הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב. *Καὶ ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον σοῦ καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικός, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σοῦ καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς· αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν.* Hic versus, *protoevangelium* seu primam Redemptoris annuntiationem continens, nonnullis difficultatibus involutus est. Quod ad lectionem attinet, secundum principia critica (cf. Bibel-

kritik 45 ss.; 170 ss.) omnino legendum est: *ipsum* (videlicet *semen*) *conteret.* Lectio Vulgatae *(ipsa)* non est accurata, si litterae insistamus; cum textu autem critice vero optime conciliari potest, si ad rem attendamus.]

Legendum esse *ipsum,* non *ipsa,* demonstrari potest: *a)* contextu Hebraico. Etenim *α)* ibi non habetur femininum הִיא, sed masculinum הוּא, quod ad masculinum זֶרַע *(semen)* referendum est. Dicunt quidem, in Pentateucho הוּא etiam cum feminino coniungi, quod nemo negat (cf. lexica); at tunc non הוּא, sed semper הִוא punctarunt et הִיא legebant (Fürst, Corluy, Hummelauer). Obiiciunt quoque, duos codices exhibere הִיא et unum הִוא atque Maimonidem הִיא legisse. Sed contra testimonium tot codicum aliorum et contra rationem tertio loco afferendam obiectio non valet (Hummelauer, Corluy; cf. Vercellone). *β)* Verbum in forma masculina ponitur, יְשׁוּפְךָ, ergo cum masculino immediate antecendente, זַרְעָהּ i. e. *semen illius* coniungendum est. Opponunt quidem, in Pentateucho masculinam formam verbi quandoque pro feminina adhiberi; bene, at hic suffixum verbi id vetat. Nam *γ)* suffixum ־נּוּ, *eius,* semper cum masculino, numquam cum feminino coniunctum invenitur (Hummelauer, Corluy). Si Lapide putat, veram lectionem Hebraicam esse הִיא; vel si alii asserunt, textum Hebraicum esse ambiguum: suffixum non respexerunt. — *b)* Demonstratur Pentateucho Samaritano, celebri teste critico. Cuius scriptor הוּא mutavit in הִיא, quando cum feminino construitur; in hoc autem loco הוּא reliquit, quamquam in ℣℣. 12. et 20. הִיא substituerat: ergo pro masculino accepit. — *c)* Probatur versionibus antiquissimis, Graeca, Itala, Syriaca. LXX verterunt *αὐτός,* Itala *ipse* (cf. S. Cyprianum, in hunc locum, et S. Hieronymum, quaest. Hebr.), licet *σπέρμα* et *semen* neutra sint. Qui error grammaticus manifestat, quomodo interpretes antiquissimi הוּא intellexerint. Syriaca habet *istud,* scilicet semen.

Quae cum ita sint, Vercellone lectionem *ipse* „longe probabiliorem" iudicat; De Rossi (cf. Vercellone) lectionem Vulgatae „Ecclesiae auctoritate" emendandam esse censet; sed „romani correctores sub Pio V. P. M. quum adnotassent hebr. legere *ipsum,* Hieronymum, graecum et duos codd. Lovan. legere *ipse,* reliquos omnes latinos codd. in recepta lectione consentire, hanc censuerunt retinendam" (Vercellone). — Ex his elucet, qualis fuerit originalis Vulgatae lectio. Vercellone et Hoberg aliique opinantur, Hieronymum vertisse *ipse,* librarios autem postea scripsisse *ipsa.* Verumtamen, quia Latini codices et Patres et scriptores plerique *ipsa* legunt, probabilius iam S. Hieronymus hanc lectionem in Vulgata posuit, quamquam cognitum habuit, Italam *ipse* exhibere (Hummelauer). Quam ob rem correctores pontificii lectionem recte intactam reliquerunt, quia ipsis „propositum non fuit, novam aliquam editionem cudere, vel

antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare; sed ipsam veterem, ac vulgatam Editionem Latinam a mendis veterum librariorum, necnon pravarum emendationum erroribus repurgatam . . . restituere" (Praefatio ad Lectorem). — Ceterum, licet textus Vulgatae quoad litteram a textu originali discrepet, tamen quoad rem vel sensum cum eo optime conciliari potest. In utroque enim mysterium redemptionis praenuntiatur: in textu originali Redemptor, in textu autem Vulgatae Mater eius clarius prophetatur (Bibelkritik 91, Hurter I, 200, Vercellone). In bulla „Ineffabilis Deus" Pius IX. sic docet: „Quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator humana assumpta natura delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit: sic sanctissima Virgo, arctissimo et indissolubili vinculo cum eo coniuncta, una cum illo et per illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens ac de ipso plenissime triumphans, illius caput immaculato pede contrivit."

In Vulgata legimus: *ipsa (ipsum) conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius;* in LXX vero: *αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν.* In Hebraico idem verbum שׁוּף bis cum duplici accusativo occurrit, quod generatim t e r e r e, p e r c u t e r e significat atque iuxta diversum subiectum et obiectum vario modo declarari debet: si de actione hominis in caput serpentis adhibetur, idem est ac conterere; si de actione serpentis in calcaneum hominis, idem ac pungere vel vulnerare. Ita Syrus verbum interpretatus est. Duplex accusativus ad litteram sic intelligendus est: ipsum conteret te et quidem caput, et tu vulnerabis eum et quidem calcaneum (Dillmann, Gesenius-Kautzsch 375 s.).

Praeter hunc locum etiam Iob 9, 17 et Ps. 138, 11 idem verbum שׁוּף continent. Iob 9, 17: *In turbine enim conteret me,* יְשׁוּפֵנִי, *με ἐκτρίψῃ, et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.* Ps. 138, 11: *Et dixi: Forsitan tenebrae conculcabunt me,* יְשׁוּפֵנִי, *καταπατήσει με, et nox illuminatio mea in deliciis meis* (hic Ewald, Baethgen et alii יְשׁוּפֵנִי in יְשׂוּכֵּנִי pro יְסֻכֵּנִי mutandum putant, quod Fürst et Keßler non necessarium dicunt). — Gesenius et Buhl asserunt, quod שׁוּף proprie significet: scabere, terere: contundere, conterere. Buhl vertit: c o n t e r e t caput, i n h i a b i s calcaneo, provocans ad שָׁאַף. Gunkel suspicatur, duplex שׁוּף fuisse sicut erat duplex שָׁאַף: aliud i n h i a r e, aliud c o n t e r e r e denotans (cf. Buhl et Holzinger). Fürst quoque duplex שׁוּף adducit: priori significationem pungendi, vulnerandi atque conterendi: alteri sensum velandi (Ps. 138, 11) vindicans. Hummelauer duplicem radicis significationem in Vulgata felicius expressam censet. Dillmann et Siegfried-Stade cum LXX eamdem signi-

cationem invadendi, inhiandi, ubique retinent (cf. et Gesenium). Contextus tamen suadet, ut cum plerisque duplicem significationem ex primitiva derivatam accipiamus.

Inimicitias, contrarium affectum, odium et bellum, *ponam* vel excitabo *inter te,* i. e. serpentem seducentem *et* inter *mulierem,* הָאִשָּׁה. Ex his verbis recte id deducimus, quod iam pag. 67 probavimus, scilicet in serpente naturali latuisse personam, diabolum. Nam אֵיבָה *(inimicitia)* in ceteris locis omnibus, ubi recurrit (Num. 35, 21. 22; Ez. 25, 15; 35, 5; cf. Mandelkern), voluntatem contrariam, animum adversantem personarum significat: ergo propter usum loquendi (cf. Exegeticam 31 ss.) eamdem significationem in hoc quoque loco retineamus oportet (Hummelauer, similiter Strack). Idcirco haec et sequentia verba principaliter de diabolo, causa principali, et secundarie tantum de serpente naturali, causa secundaria, intelligenda sunt. Inter serpentem naturalem et mulierem ante peccatum „nec antipathia nec nocendi studium" fuit; post peccatum horror mutuus et bellum internecivum iubetur (Lapide). Inter diabolum et Evam amicitia seu consensus voluntatum fuit (ŸŸ. 1—6); nunc inter diabolum et mulierem inimicitia seu dissensus voluntatum praenuntiatur, et quidem permanens, quia Deus sine exceptione seu restrictione loquitur. Haec praenuntiatio difficulter Evae adaptatur. Vide et sequentia. — *et* inter *semen tuum et* inter *semen illius:* semen mulieris omnes homines ab Eva descendentes, cuncti viventes esse videntur (Ÿ. 20); semen serpentis naturalis sunt serpentes alii, semen vero diaboli sunt angeli mali qui luciferi exemplum imitantes illi similes facti sunt uti filii parentibus, non homines mali, qui etiam ab Eva descendunt (Hummelauer). Inter homines et serpentes naturales mutuum horrorem, odium et bellum esse constat. Verumtamen inter homines in genere et inter angelos malos permanens inimicitia seu dissensus voluntatum neque erat neque est. Nam Cain (4, 5 ss.), Cainitae (4, 17 ss. coll. 4, 26) et mixti (6, 2 ss.) cum angelis malis consenserunt ideoque aquis diluvii deleti sunt (6, 7. 12 ss.); immo neque omnes homines boni permanenter et in levioribus ab angelis malis dissentiunt: testatur historia. Ergo haec verba cunctis hominibus ab Eva de-

scendentibus perfecte adaptari nequeunt. Idem de sequentibus dicendum est. — *ipsa* vel potius *ipsum* semen eius *conteret caput tuum, et tu* serpens *insidiaberis calcaneo eius* vel vulnerabis illud. Serpentem naturalem hominibus insidiari eosque vulnerare, homines e contrario caput serpentis conterere, observatio rerum docet. Diabolum quoque generi humano insidiari multosque vulnerare, sacrae Litterae testantur. At homines ab Eva descendentes neque omnes neque semper diabolum vincunt, caput ipsius conterunt. Quapropter etiam haec verba posteris Evae plene adaptari non possunt.

Si ad contextum remotum, si ad Novum praesertim Testamentum recurramus et ex impletione prophetiae textum vaticinii interpretemur, haec statuenda sunt: Christus perfecte diabolum vicit, caput eius contrivit, et diabolus ei insidiabatur tentando atque eum vulnerabat occidendo (cf. Luc. 4, 13), quod ad humanitatem attinet (Corluy); inter Christum et malos angelos permanens inimicitia fuit et est; Christus solus semen mulieris appellari potest (cf. Luc. 1, 26 ss.). — Mulier, cuius semen Christus nominatur (Gal. 4, 4); inter quam et diabolum permanens inimicitia praenuntiatur: beatissima virgo Maria est, uti ex Evangeliis novimus. — In et cum Christo etiam genus humanum diabolum conculcare, illustrem de eo victoriam reportare potest: *Ὁ δὲ θεὸς τῆς εἰρήνης συντρίψει τὸν σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ὑμῶν ἐν τάχει* (Rom. 16, 20). — Quapropter verba vaticinii, quatenus serpentem naturalem respiciunt, de Eva et hominibus ab ea descendentibus; quatenus vero ad diabolum respiciunt, imperfecte quidem de Eva et genere humano, perfecte autem de Christo et matre eius intelligenda sunt. „Patres Ecclesiaeque Scriptores, ait Pius IX. (Ineffabilis Deus), enarrantes verba, quibus Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntians et deceptoris serpentis retudit audaciam et nostri generis spem mirifice erexit inquiens *Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius,* docuere: divino hoc oraculo clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum Iesum, ac designatam beatissimam eius matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque

contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca" etc. (cf. pag. 77).

Cum Deus inter Mariam et diabolum permanentem et absolutam praenuntiet inimicitiam seu voluntatum dissensum qualem inter Christum et diabolum prophetat: inter matrem Christi et diabolum numquam amicitia seu voluntatum consensus esse potuit; mater Christi ab omni peccati originalis et personalis macula immunis esse debuit, quia alioquin coniunctio inter Mariam et diabolum fuisset. „Quare nunquam mulier illa fortis, quae peperit daemonis peremptorem, daemoni fuit obnoxia, nunquam amica, semper inimica, ideoque Deo grata et a quovis peccato immunis" (Hurter II, 484). — Si hoc oraculo clare aperteque est praemonstratus Christus et designata eius mater, ac simul expressae sunt utriusque contra diabolum inimicitiae (Ineffabilis Deus): quaeritur, quomodo haec fiant. Iuxta Hummelauer serpens est „serpens oculis conspectus, auribus auditus, idem simul diaboli instrumentum intus latentis": mulier non est Maria, sed Eva, quae in antecedentibus et subsequentibus intelligitur. Semen mulieris est „tota mulieris posteritas, totum genus humanum", quo Christus quoque comprehendatur, non vero solus Christus; semen serpentis sunt alii serpentes naturales et reliqui daemones, non autem homines mali, qui „iam mulieris semine includantur". Victoria vero, a semine mulieris reportanda, „duplici ratione cogitari poterat: vel ita, ut totum semen collective spectatum, omnes pari gressu posteri in eam victoriam essent conspiraturi; vel ita, ut post continuum et fortasse incertum certamen *unus* tandem e semine pro omnibus potiretur victoria. Prior illa spes, si unquam priscorum mortalium animis inhaesit, mox tristem in modum defecit . . . Quare primi aevi homines verbis protoevangelii cum factis evidentibus comparatis adigebantur ad salutem ab *uno* aliquo Evae postero exspectandam". Eva denique vicit „in semine et cum semine", quod ad victoriam plus contulerat quam ipsa. Similiter Strack cum Hengstenberg, Baur et Orelli textum explicat. Verumtamen, uti iam supra scripsimus, verba textus sacri Evae et generi humano difficulter adaptari possunt. Insuper si illa mulier intelligitur Eva, non Maria: ex verbis protoevangelii argumentum scripturisticum pro dogmate Immaculatae Conceptionis formari non potest (cf. Hummelauer 166 s.). Bulla Pii IX. vero contrarium docet. — Secundum Hoberg semen mulieris est genus humanum; semen serpentis sunt facta mala, peccata, vel in concreto homines mali: ergo posteri partim contra serpentem partim cum serpente conspirant. Victor est Christus, quapropter הוּא verbaliter posteros mulieris, realiter Christum significat: ergo adest prophetia incarnationis; haec autem sine Maria cogitari nequit, quare Maria quoque in prophetia comprehenditur. Contra quam explanationem valet id, quod Hummelauer bene notat, homines videlicet malos mulieris semine includi. — Egger 453 s., Hurter II, 483 s. et alii (Corluy citat Irenaeum, Cyprianum, Epiphanium, Proclum, Leonem M., Bernardum;

Bade, Passaglia, Patrizi, Smits etc.) asserunt, illo semine mulieris Christum, non genus humanum; illa muliere Mariam, non Evam designari. Sed nomen *mulieris* in toto contextu Evam significat, et nomen *seminis* in altera parallelismi parte certo collective accipiendum est, ergo etiam in hac parte. — Bene S. Epiphanius scribit (haer. III, 2, 18): „Nusquam eiusmodi semen mulieris inveniri potest: unde non aliter quam per adumbrationem ac similitudinem ad Evam hostiles illae inimicitiae referuntur, quas cum huius stirpe serpens ille et, qui in serpente inerat, invidia flagrans diabolus exercet . . . Plene quidem ac perfecte accommodari ad illam (Evam videlicet) universa nequeunt, sed in sanctissima, eximia ac singulari stirpe, quae ab sola Virgine Maria sine ulla viri consuetudine propagata est, reapse ac penitus impletur.“ Quam ob rem verba tum de Christo et matre eius quum de genere humano et Eva simul interpretamur, ad quod usus loquendi et contextus nos cogit. Nam perfecte ac plene verba vaticinii in Christo solo impleta conspiciuntur, quia solus Christus satanam contrivit et semen mulieris fuit (Egger et Hurter l. c.), atque inter ipsum et diabolum permanentes sunt inimicitiae: imperfecte etiam in genere humano impleta sunt, quatenus per gratiam Dei omnes homines diabolum vincere potuerunt et possunt necnon plures reapse vicerunt et vincunt (cf. Corluy 361 s.). Ex quo sequitur, mulierem, inter quam et diabolum permanentes inimicitiae praenuntiantur, et cuius semen diabolum devicit, sensu pleno Mariam, matrem Christi; sensu autem imperfecto Evam, matrem cunctorum viventium esse. – Iuxta Corluy semen serpentis sensu physico sunt animalia serpentia, sensu morali sunt homines nequam, non angeli mali; semen mulieris est Christus cum corpore suo mystico seu universo coetu iustorum, non Christus solus: mulier litteraliter Eva, typice Maria intelligenda est. Quod dicit de semine serpentis in sensu morali propter contextum admitti nequit, uti vidimus; reliqua cum explicatione nostra essentialiter conveniunt (cf. Ỳ. 20 et Exegeticam 11). — Scripturisticum argumentum immediatum pro dogmate immaculatae conceptionis non tam ex verbis *ipsa conteret caput tuum,* quam ex verbis *Inimicitias ponam inter te et mulierem* formandum est, uti ex iis, quae supra diximus, patet. Ita etiam Pius IX. (Ineffabilis Deus) textum interpretatur (cf. pag. 79). Corluy quoque asserit: „Et cum tunc divina sapientia totam huiusce in Maria inimicitiae plenitudinem pervideret, censenda est etiam in hoc vaticinio immaculatam beatae Virginis conceptionem typice praedixisse. In hac enim conceptione ab omni peccati labe aliena plenissime triumphavit Deipara ab illo, cuius invidia peccatum genus humanum invasit, cuiusque regnum regnum peccati est.“ — Has disquisitiones illi omittunt, qui negant diabolum in serpente naturali latuisse. — Mirum est, quod Strack quoque, interpres ceteroquin valde moderatus, adducat quidem priorem librum a Preuß † 1904 conscriptum (Die römische Lehre von der unbefleckten Empfängnis. Berlin, 1865), taceat tamen alterum eiusdem auctoris in Catholicum conversi (Zum Lobe der unbefleckten Empfängnis. Freiburg, 1878), quo priorem dam-

navit (cf. Selbst 126). — „Impetus in *calcaneum* seminis mulieris, ait Corluy, est imprimis impetus diaboli in Christi humanitatem, quae in divina illa persona est pars inferior calcaneo figurata . . . Sunt praeterea diaboli hostiles conatus in Christi ecclesiam eiusque filios (Apoc. 12, 13 sq.), quibus conatibus eorum animarum partem inferiorem vel etiam corpora invadat . . . Exitus ergo pugnae erit quidem insignis victoria, sed non sine dolore et vulnere reportanda."

℣. 16. **Mulieri quoque dixit:** *Multiplicabo* valde (הַרְבָּה אַרְבֶּה, *πληθύνων πληθυνῶ*, cf. 2, 16 s.) poenas tuas. Mulier non tantum omnium illarum poenarum particeps est, quibus Adam et cum eo totum genus humanum afficitur, sed etiam speciatim plectitur (Dillmann, Hummelauer, Strack), quia prima mandatum transgressa est et virum ad peccandum attraxit. Plectitur, quatenus est mater: *Multiplicabo,* inquit, *aerumnas tuas* vel labores tuos (עִצְּבוֹנֵךְ, cf. 3, 17; 5, 29), *et conceptus tuos* (הֵרֹנֵךְ idem ac הֵרְיֹנֵךְ, cf. Buhl, Fürst, Kittel) id est labores conceptuum seu graviditatum tuarum (*ἓν διὰ δυοῖν* iuxta Buhl, Hoberg, Holzinger, Hummelauer, Lapide); *in dolore* (בְּעֶצֶב, Samaritanus בְּעִצָּבוֹן) *paries filios,* de quo dolore Isa. 13, 8; 21, 3; Mich. 4, 9 s. loquuntur. Plectitur, quatenus est uxor: *et sub viri potestate eris,* quae versio accurata non est. In Hebraico habetur וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ i. e. *καὶ πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου,* et ad virum tuum conversio tua. Cant. 7, 10 *Ego dilecto meo, et ad me conversio eius,* וְעָלַי תְּשׁוּקָתוֹ (cf. Gen. 4, 7; versionem Syriacam, S. Hieronymum, quaest. Hebr.). Est igitur sensus: mulier coniunctionis cum viro appetitum habebit, quamvis multa sustinere debeat (Dillmann, Gunkel, Holzinger). Sequitur enim: *et ipse dominabitur tui.* Ab initio mulier socia viri fuit (cf. pag. 62), nunc fit serva eius (Dillmann, Gunkel, Holzinger). Poena omnino congrua est: peccavit concupiscens et edens fructum vetitum, punitur doloribus conceptus et partus; peccavit anhelans libertatem et attrahens virum ad se, punitur conversione ad eum et dominio illius (cf. Lapide et Selbst). — Hummelauer scribit: „Sed tenore verborum obtinet hic, quod ℣. 14 monebamus, non tam novum aliquid in poenam imponi, quam quae ante fuissent. partus labores virique dominium, elevari in permanens signum et hinc poenam admissi delicti. Quae utique accedente iam

ignorantia corporibusque in morbos pronis plurimum habitura erant doloris." Recordemur vero oportet, cum dono immortalitatis libertatem a quolibet dolore coniunctam fuisse et homines necessitatem patiendi cum necessitate moriendi incurrisse (cf. pag. 57), necnon mulierem viro sociam vitae datam fuisse, non servam (cf. pag. 62). Et si quoddam dominium viri ac quaedam subiectio mulieris (cf. 1 Cor. 11, 3—15) etiam fuisset si protoparentes non peccassent, esset tamen „mira suavitate et concordia" (Lapide et Selbst).

Pro אֶל־ legendum est cum Samaritano, Graeco, Syro, Latino וְאֶל־ (Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hummelauer, Kittel). — Hummelauer notat, Deum maledixisse serpenti, Ꝟ. 17. maledicere terrae atque 4, 11 ipsi Cain, Evae et Adamo autem non maledicere, et putat hoc misericordiae esse. Vide tamen ad 3, 14, quid maledicere significet. — Pro הֵרֹנֵךְ, *conceptus tuos* habent LXX τὸν στεναγμόν σου = הֶגְיֹנֵךְ (Kittel), quam lectionem solus Gunkel praefert. — Secundum Frz. Delitzsch, Dillmann, Gesenius-Kautzsch 492, Strack phrasis *aerumnas tuas, et conceptus tuos* non est hendiadys accipienda, sed separatim explicanda: multiplicabo labores tuos et nominatim praegnationes tuas earumque dolores. — Verba *et ad virum tuum conversio tua* ab aliis sic exponuntur: oculi tui nutum et propensionem viri observent, ut illi placeas; cum marito consentias, si pacem amas (Lapide); ipse erit tuum refugium in omni periculo (Hummelauer; dubitat Hoberg). — Pro תְּשׁוּקָתֵךְ Nestle et Ball (cf. Gunkel et Holzinger) תְּשׁוּבָתֵךְ commendant, quam mutationem Gunkel, Hummelauer, Kittel aliique non admittunt.

Ꝟ. 17. Adae vero dixit: *Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno.* His verbis confirmatur, quod iam innuimus (cf. pag. 73), Adam nimirum propter nimium erga uxorem amorem peccasse. Eva contra fidem peccavit, magis diabolo quam Deo credens; Adam contra caritatem, magis uxorem quam Deum diligens. *ex quo, praeceperam tibi, ne comederes,* quae sententia iuxta textum Hebraicum accuratius et clarius sic reddi potest: de quo praeceperam tibi dicendo, לֵאמֹר, ne comedas ex eo, מִמֶּנּוּ (cf. 2, 17). *maledicta* i. e. malis afficiatur (cf. Ꝟ. 14) *terra* vel potius humus, הָאֲדָמָה, *in opere tuo,* בַּעֲבוּרֶךָ i. e. tua causa, propter peccatum tuum, propter transgressionem mandati et esum fructus vetiti (cf. Rom. 8, 20; S. Hieronymum, quaest. Hebr., Hummelauer, Dillmann etc.). *in laboribus comedes ex ea,* φαγῇ αὐτήν, *cunctis diebus vitae tuae,* i. e. quam-

diu vives, laboriosa tantum corporis exercitatione tibi cibum parare poteris. In paradiso quoque operari debuerat (2, 15), at sine taedio et doloribus (cf. pag. 55). Hic ℣. amplificatur in ℣℣. 18. et 19.

Pro וּלְאָדָם legendum est וְלָאָדָם (Gunkel, Holzinger, Kittel, Strack). — LXX vertunt: *ὅτι ... ἔφαγες ἀπὸ τοῦ ξύλου οὗ ἐνετειλάμην σοι τούτου μόνου μὴ φαγεῖν, ἀπ' αὐτοῦ ἔφαγες, ἐπικατάρατος κ. τ. λ.* — Iuxta Hoberg terra *maledicta* est, melius tamen suppletur sit (Gunkel, Strack), et quidem non tota terra, הָאָרֶץ, sed humus, הָאֲדָמָה, dumtaxat; melius tamen dicendum est (cf. Rom. 8, 20 ss.): non tantum terra, sed etiam humus maledicitur. Idem verba *in opere tuo* de agri cultura exponit asserens agrum maledictum, quatenus non tot fructus afferat quot vir alioquin sperare possit. — Pro בַּעֲבוּרֶךָ (cf. 8, 21) exhibent LXX *ἐν τοῖς ἔργοις σου*, בַּעֲבָדֶיךָ; Symmachus *ἐν τῇ ἐργασίᾳ σου*, בְּעָבְדְךָ (cf. 4, 12); Theodotion *ἐν τῇ παραβάσει σου*, בְּעָבְרְךָ (Holzinger). — Holzinger pro תֹּאכֲלֶנָּה libentius תַּעַבְדֶנָּה videret.

℣. 18. **Spinas et tribulos** *germinabit tibi:* etiam spinae et cardui iam III. die creati sunt (cf. pag. 12); novum hic nuntiatur, quod in culta quoque terra apparebunt. *et comedes herbam terrae,* עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה i. e. gramina, olera, cerealia (cf. pag. 11) et quidem campi (cf. pag. 46) erunt cibus tuus, ideoque terram colere debebis, quamvis minus grata spinas et carduos germinet (Dillmann).

Holzinger putat, verba *et comedes herbam terrae* contextum interrumpere et ideo antiquam glossam, ex 2, 16 male intellecto exortam esse: Gunkel tamen verba genuina et necessaria censet.

℣. 19. **In sudore vultus tui** *vesceris pane.* Sudor, qui maxime in vultu conspicitur, est consequentia laboris Adae impositi. Panis, לֶחֶם quemlibet cibum hominum et brutorum, notum cibum a pistore ex farina et aqua factum, triticum vel frumentum, e. gr. Isa. 28, 28; 30, 23 (cf. Mandelkern, Buhl, Fürst, Gesenius, Siegfried-Stade) significat; ultima significatio etiam hic retinenda videtur, quia cum ℣. 18. optime congruit (similiter Dillmann). *donec revertaris in terram de qua sumptus es,* i. e. cunctis diebus vitae tuae (℣. 17; cf. pag. 48). *quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (cf. pag. 49 et 56 s.). Adae quoque poena congrua est. „Ignave cesserat mulieri, ideo in laboribus iubetur victum sibi parare“ (Lapide), in terra maledictioni subiecta (Rom. 8, 20 ss.).

Legerunt LXX *τὸν ἄρτον σου.* — Dillmann לֶחֶם oppositum פְּרִי הָעֵץ dicit; iuxta Hummelauer „videtur h. l. veri nominis panis intelligi".

℣. **20. Et vocavit Adam** (cf. 2, 20. 23) *nomen uxoris suae,* אִשְׁתּוֹ, *Heva,* חַוָּה, *Ζωή,* Vita: *eo quod* ipsa, הִוא, *mater esset,* הָיְתָה i. e. erat vel facta est (cf. pag. 4), *cunctorum viventium,* כָּל־חָי. Dillmann, Gunkel, Holzinger opinantur, hunc ℣. non bene quadrare in contextum, at contrarium verum est, ut Frz. Delitzsch, Hoberg, Strack profitentur. Audierat quidem Adam, se atque uxorem suam debere mori; perspectum habuit, Deum graviter offensum esse: nihilominus fidem et spem manifestat, genus humanum non defecturum, e contrario uxorem filios et filias (cf. 5, 4) parituram esse. Inhaeret verbis Dei ℣℣. 15. et 16. dictis, sicut postea Abraham promissioni Dei inhaerebat: *Et non infirmatus est fide, . . . In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, . . . plenissime sciens quia quaecumque promisit, potens est et facere* (Rom. 4, 19 ss.). Cum Adam non Hebraice locutus sit (cf. pag. 63), nomen uxoris eius proprie loquendo non fuit *Heva,* si sonum litterarum respicimus; vocabulum tamen linguae originalis eamdem cum nomine Hebraico significationem habuit et innuit, omnes homines a prima vira descendere (similiter Strack cum Drechsler).

Secundum Fürst, quocum Hoberg consentit, חַוָּה est participium abbreviatum piʿel חַוָּה = vitam dans, *ζωογόνος* (Symmachus) a verbo חָוָה non quidem apud Hebraeos, sed apud Phoenices usitato = חָיָה vivere; radix *chwi,* sanscr. *ǵîv,* lat. *viv,* gr. *ζαν* (cf. et Menge). Secundum Gesenium, quocum Dillmann et Hummelauer consentiunt, חַוָּה = חַיָּה = vita, femininum a חַי (effectus pro causa efficiente, cf. Hoberg). Quod Nöldeke et Stade affirmarunt, nimirum חַוָּה = aram. חִוְיָא = serpens, demonstrari nequit (Dillmann, Gunkel). — Hummelauer cum Lapide asserit, uxori Adae „nomen impositum esse nonnisi post eiectos paradiso protoparentes, sed proleptice hic impositum referri . . . ubi nati sunt liberi et maxime filiae, visum est opportunum, ut prima mulier appellaretur nomine, quod non ipsi cum filiabus esset commune, sed ipsam cum a liberis tum a marito distingueret . . . Crediderim insertum a collectore antiquissimarum harum traditionum, quod advertit 4, 1 nomen Hevae legi illudque sibi ante explicandum duxerit. Explicationem inseruit loco minus apto." Contra Hummelauer valent ea, quae supra contra Dillmann, Gunkel, Holzinger scripta sunt. — S. Hieronymus et S. Augustinus sententiam *eo quod* etc.

ab Adamo enuntiatam iudicant *(esset);* iuxta textum Hebraicum vero (הָיְתָה) declaratio hagiographi est (Strack; dubitant Hummelauer et Hoberg).

Ab Adamo et Heva omnes homines descendunt, totum genus humanum ab unico pari ortum est. Praeadamitae quidem docuerunt, ante Adamum alios homines creatos; Coadamitae autem statuerunt, cum Adamo alia paria a Deo formata fuisse (Hurter II, 233; Simar 352): Scriptura vero praedicat, Adamum et Evam protoparentes totius generis humani esse. Legimus enim 2, 5. 7 *homo non erat . . . Formavit igitur Dominus Deus hominem;* 2, 18 *Non est bonum esse hominem solum;* 2, 25 *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor eius;* 3, 20 *mater* erat *cunctorum viventium* (cf. 1, 26—28). Hinc *fecitque ex uno,* inquit Paulus (Act. 17, 26), *omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae.* Videas ea, quae de diluvio scripturi sumus.

Adam est typus Christi (Rom. 5, 14), et Heva typus Mariae, quod „Patres mirabili consensu proponunt" (Corluy I, 369). Similes equidem sunt, sed in contrarium, Adam et Christus: uterque caput et origo, ille peccati, hic gratiae; ille mortis, hic vitae; ille damnationis, hic salutis et gloriae. Adam peccando posteritatem suam perdidit, Christus moriendo genus humanum reparavit; corpus Adae de terra non maledicta formatum est, corpus Christi de Virgine immaculata; de latere Adae dormientis sumpta est mulier, ex latere Christi mortui fluxerunt sacramenta, quibus formatur Ecclesia (cf. meam explicationem epistolae ad Romanos 181s.; Bisping). — Similes quoque sunt, etiam in contrarium, Heva et Maria. Ab illa omnes vitam corporalem seu naturalem, ab hac spiritualem seu supernaturalem accipiunt; per Evam omnes peccatores constituuntur, per Mariam autem iusti, si volunt; Heva cum Adamo primo, Maria cum Adamo secundo ista operatur. Illa incredulitate et inobedientia peccavit, haec fide et obedientia promeruit; illa punitur, haec benedicitur (Selbst, Lapide, Corluy, qui multa addit). Ergo quoad rem verum est illud „Mutans Hevae nomen" (Ave maris stella): Maria enim melius quam prima virago est vita, mater cunctorum viventium. Anastrophe tamen in Latino tantum adest, non autem in Hebraico (Lapide).

℣. 21. **Fecit quoque Dominus Deus** *Adae et uxori eius,* וּלְאִשְׁתּוֹ, *tunicas pelliceas, et induit eos:* pius et misericors Deus providentia et caritate etiam lapsos protoparentes amplexus est (Dillmann, Holzinger, Hummelauer, Selbst) inspirans eis, ut pellibus animalium, quae ad frigus arcendum et corpus tegendum magis aptae erant quam folia, semetipsos vestirent

(Dillmann). „Pelles obtinere non poterant, nisi occisione animalium, quam probabiliter Deus mandaverat instituendo sacrificia, per quae spe in futurum Messiam suffulti, gratiam divinam recuperarent" (Zschokke; cf. S. Ephrem, Hummelauer).

Pro לְאָדָם legendum est לָאָדָם i. e. τῷ Ἀδάμ (Kittel aliique). — Deus pelles non ex nihilo creavit nec per Angelos fecit, ut S. Chrysostomus putavit, neque actione directa, sed indirecta (Hoberg) tunicas fecit et protoparentes induit. — Zschokke scribit: „Vestimenta misericordiâ divina data sunt *a)* non ad ornatum, sed ob necessitatem, ut nuditatem tegerent et aëris iniurias arcerent. *b)* Monitorium erant non tantum verecundiae, sed et continentiae et poenitentiae; *c)* utpote e mortuorum pellibus facta monebant homines, eos esse mortis reos, et *d)* moniti instar erant iustitiae divinae induendae."

℣. **22. Et ait,** scilicet יְהוָה אֱלֹהִים, *Ecce* (cf. pag. 21) *Adam quasi unus ex nobis factus est.* Heva et Adam volebant fieri sicut Deus, Elohim (cf. 3, 1—5); hoc autem nomen hagiographi numquam polytheistice, sed semper monotheistice intelligebant (cf. pag. 2. 29): si igitur unicus Iahve Elohim ait *quasi unus ex nobis,* haec verba neque de diis aliis neque de Angelis utpote nondum nominatis (cf. pag. 18), sed tantum de aliis personis divinis eiusdem essentiae divinae intelligi possunt. Quapropter Hoberg, Hummelauer, Lapide, Selbst, Simar 203 et alii hic Trinitatis mysterium insinuatum asserunt. Tota autem sententia per ironiam et sarcasmum dicta est (S. Ephrem, Lapide, Hummelauer): volebat homo fieri sicut Deus, et factus est quasi unus ex angelis malis; volebat independens a Deo fieri *sciens,* לָדַעַת, *τοῦ γινώσκειν, bonum et malum,* et ecce dependens a motibus concupiscentiae cognovit necessitatem vestimentorum loco gratiae deperditae (cf. Lapide). Haec ironia nonnullis nimis acerba videtur. Reponimus: Adam in statu miserrimo se conspiciens et acerbum Dei sarcasmum audiens certissime dolore et moerore tactus est; verumtamen, qui plena cum advertentia et libertate peccatum gravissimum commiserat, acerbitatem ironiae meruit, sicut pharisaei increpationes Christi. Itaque Hummelauer recte negat, quod Dillmann et Hoberg affirmant, nimirum ironiam Deo indignam esse. *nunc ergo ne forte mittat,* פֶּן־יִשְׁלַח (cf. 3, 3), *manum suam, et sumat etiam de ligno vitae, et comedat, et vivat in aeternum,*

supple ex ℣. 23: e m i t t a m u s e u m. Est consequentia antecedentium. Iuxta voluntatem Dei fructus arboris vitae arcebant mortem, conservabant vitam (cf. pag. 51); Adam et Eva vero debebant mori, quia sumpserunt et comederunt de fructibus arboris scientiae (cf. pag. 56 s.): ut igitur mortis sententia et efficientia ligni vitae simul stare possent, Deus hominem e paradiso eiecit. Haec eiectio fuit actus iustitiae simulque misericordiae divinae, quatenus „non expediebat homini, ut in miseria huius vitae diutius permaneret" (Zschokke; similiter Strack).

Verba *quasi unus ex nobis* Strack de Angelis, Dillmann de filiis Dei, Gunkel et Holzinger de aliis diis interpretantur; contextus tamen huic interpretationi obstat. — Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger, Strack phrasim *sciens bonum et malum* serio, sine ironia prolatam atque hominem scientia acquisita (cf. pag. 51) Deo similem factum esse contendunt. At homo fructum vetitum edens eximiam suam scientiam (cf. pag. 60) perdidit et mox mentem obscuratam ostendit (cf. pag. 72). — Sententiam *nunc ergo ne forte mittat . . . et vivat in aeternum* Holzinger, Gunkel, Dillmann ita interpretantur ac si Deus ex invidia impedire voluerit, ne homo alteram quoque proprietatem divinam arriperet, scilicet immortalitatem. Verumtamen etiam Strack profitetur, eiectionem protoparentum e paradiso actum misericordiae fuisse. Hagiographum non omnia verba Dei referre, etiam Gunkel, Holzinger, Strack censent, quamvis פֶּן exclamationem solliciti inducere possit (Buhl, Dillmann).

℣. **23. Et emisit eum,** scilicet Adam et cum eo totum genus humanum (cf. pag. 86), *Dominus Deus de paradiso voluptatis,* מִגַּן־עֵדֶן, *ut operaretur terram* (cf. 2, 5, ubi eadem verba leguntur), *de qua sumptus est* (2, 7). Si homo non peccasset, paradisum operari potuisset (2, 15); post peccatum in laboribus terram maledictam colere debet (℣. 17 s.).

℣. **24. Eiecitque Adam:** non est simplex repetitio (ut Holzinger asserit), sed exaggeratio prioris partis ℣. 23. Nam illud *Et emisit eum,* וַיְשַׁלְּחֵהוּ, praeceptum exeundi, hoc autem *Eiecitque,* וַיְגָרֶשׁ, vim quamdam significat (Dillmann): non volentes, sed coacti protoparentes paradisum reliquerunt. *et collocavit ante paradisum voluptatis,* מִקֶּדֶם לְגַן־עֵדֶן i. e. ab oriente horti Eden (cf. pag. 50), *Cherubim,* i. e. custodes, *et flammeum gladium, atque versatilem,* τὴν φλογίνην ῥομφαίαν τὴν στρεφομένην, וְאֵת לַהַט הַחֶרֶב הַמִּתְהַפֶּכֶת i. e. flammam gladii se ver-

tentis, *ad custodiendam viam ligni vitae,* ut impedirent, quominus homines etiam ad lignum vitae accederent et de fructibus eius ederent. Haec verba innuunt, Adam et Evam de arbore vitae nondum comedisse (Dillmann 83).

Etymologia nominis כְּרוּב ab omnibus incerta dicitur. Probabiliter nomen Hebraicum sicut Graecum *γρύψ* cum Persico *giriften* (cf. Buhl) vel cum Sanscr. *gribh* (cf. Kautzsch-Guthe) = prendere, tenere cohaeret; כְּרוּבִים custodes esse, ex illa comparatione Ezechielis 28, 14. 16 *Tu cherub extentus, et protegens . . . perdidi te o cherub protegens,* elucet. Iuxta sensum Ecclesiae (cf. Schäfer in Kirchenlexikon III, 125 s.) Cherubim sunt Angeli et quidem classis VIII. (cf. Büchner, Egger 195, Hoberg, Hummelauer, Hurter II, 338, Lapide, Schöpfer, Simar 340, Zschokke et alii), satellites Dei (2 Reg. 22, 11; Ps. 17, 11; Ez. 9, 3; 10, 1 ss.; 11, 22), quorum statuae (Ex. 25, 18 ss. et alibi), imagines insculptae (3 Reg. 6, 29 et alibi) vel intextae (Ex. 26, 1 et alibi) in tabernaculo et templo fuerunt (cf. Mandelkern). Ex his Angelis saltem duo (propter pluralem) ante paradisum collocati sunt, probabiliter in forma humana protoparentibus se ostendentes. Fürst putat, animalia volucribus rapacibus similia (grypas) paradisum custodisse. Etiam iuxta Gunkel et Holzinger animalia mythologica fuerunt: videas tamen excursum I. mox sequentem. Dillmann, Siegfried-Stade, Strack denique opinantur, Cherubim esse nubes et nimbos in personas constitutos et confictos, quae opinio cum sensu Ecclesiae conciliari nequit. Conferre potes de Cherubim etiam Winer et Zeller. — „Flamma gladii se vertentis" ab Hummelauer et Hoberg crux exegetarum appellatur. Hanc sententiam putamus probabiliorem: Cherubim apparebant flamma ignis circumfusi (cf. Act. 12, 7 et Luc. 2, 9), quae eam formam induebat, quam postea gladii figuram vocaverunt (cf. Act. 2, 3); ista flamma ad quamlibet paradisi partem se vertere et ingredi volentes arcere potuit (cf. Ex. 19, 18; Deut. 4, 11). Hummelauer scribit: „Puncta הַחֹרֵב ut participium (cf. Ier. 50, 21. 27) et verte: *et flammam devorantem, huc illuc discurrentem* (cf. Iob 37, 12)." Lyranus et Tostatus istam flammam interpretati sunt ignem paradisum undique ambientem (cf. Lapide). Hoberg censet, sufficere ad textum intelligendum: „haec de gladio non materiali seu metaphorico intelligenda sunt, nempe de potentia et viribus angelicis (Tir.)"; addit vero, flammam gladii se vertentis forsitan eruptiones vulcanias significare, et vellet חָרְבָה legere. Sed tales mutationes textus valde improbabiles dicet, qui ad testes criticos respicit, quare a Kittel et aliis tacentur. Lapide, Zschokke aliique non pauci iudicarunt, Cherubim humana forma indutos in manibus habuisse et vibrasse gladium flammeum et in omnes partes versatilem. At iuxta verba textus fuerunt duo saltem Cherubim, sed unus tantum gladius. Gunkel illum gladium ens daemoniacum; Dillmann potentiam Dei vindicem, i. e. fulgur intelligit, quae sententiae cum sententiis eorum de Cherubim cohaerent. — Ab oriente

Cherubim collocantur, aut quia ibi ostium fuit (Dillmann) aut quia protoparentes ad orientalem plagam paradisi habitabant sicut Cain ad orientalem plagam Eden (4, 16). Hanc opinionem LXX expresserunt: *καὶ ἐξέβαλε τὸν Ἀδὰμ καὶ κατῴκισεν αὐτὸν ἀπέναντι τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς, καὶ ἔταξε τὰ Χερουβὶμ κτλ.* Inter 2, 8; 3, 24; 4, 16 nullam adesse contradictionem, apparet (contra Gunkel et Holzinger). Potuit enim Eden et paradisus in oriente esse (non scribitur: in extremo oriente); potuerunt Adam et Eva ab oriente paradisi et Cain ab oriente Eden habitare. Videas quae de situ paradisi scripsimus (pag. 54). — De fructibus ligni vitae nondum comederunt protoparentes, quia integra aetate florentes illo esu non indigebant (Dillmann); ipsos arborem vitae ignorasse, quod nonnulli putarunt (cf. Hummelauer), in sacro textu non insinuatur. — Deus voluit, ut paradisus aliquod temporis spatium, fortasse usque ad diluvium (Lapide, Hoberg), permaneret, ut protoparentes eorumque posteri illum aspicientes recordari deberent, qualem et quantum thesaurum propria culpa perdidissent. Hac ratione status paradisiacus, arbores, serpens, Cherubim ita memoriae hominum impressi sunt, ut apud omnes populos vestigia quaedam illorum inveniamus (cf. excursum I.).

Hic poenitentia protoparentum incipit. „Protoparentes peccatum suum, quatenus personale erat, per poenitentiam expiasse, et per fidem in Messiam salvatos fuisse, sacra Scriptura . . . et communis ss. Patrum traditio testantur“ (Zschokke). *Haec (sapientia) illum, qui primus formatus est a Deo . . . custodivit, et eduxit illum a delicto suo* (Sap. 10, 1 s.; cf. Zöckler ad h. l.). Non enim congruens erat, protoparentes generis humani, typos Iesu et Mariae damnari. Debebant autem gravem agere poenitentiam. Quolibet die paradisum videbant, ex quo propria culpa expulsi fuerant; in miserabili statu versabantur, in quem se ipsos praecipitarant; tot saeculis experiri debebant, quam amarum esset, reliquisse Dominum Deum.

Zschokke refert: „Docent multi Patres (Epiphanius haer. 46, n. 5, Origenes in Matth. com. scr. n. 126, Ambrosius ep. 71, in Luc. l. 10, n. 14, Tertullianus l. 2. carm., c. Marc. cp. 4, Hieronymus in Matth. l. 4. c. 27), quod Noe religiose ossa Adae in arcam susceperit et Sem post diluvium cranium eius in monte Calvariae condiderit, ita ut sanguis Christi de cruce defluens idem abluerit — optima repraesentatio redemptionis Adae primi per Adamum secundum.“ Confer et Holzammer II, 480, qui hanc memoriam recte incertam iudicat.

Excursus I.

De affinitate narrationum Scripturae et Gentium.

Etiam in hoc excursu prius narrationes Gentium de statu innocentiae ac peccati breviter proponemus, ut affinitas earum cum narratione sacrae Scripturae appareat: deinde inquiremus. quomodo ista affinitas declaranda sit.

I. Narrationes Gentium. Continua ac plena narratio similis narrationi biblicae apud populos varios nondum inventa est, ne apud Babylonios quidem (Bezold, Keilinschriften 38; Dillmann 49, Ieremias 104, Nickel 125 ss., Schrader-Zimmern 520, Selbst 133), lineamenta tamen reperiuntur. Nimirum *1. quoad statum innocentiae: a)* Nomen Iahve iam apud Babylonios legitur: Ia-a'-ve, Ia-ve, Ia-ú-um (Delitzsch, Babel und Bibel 47 et 74 s.). — *b)* Vocabulum אֵד cum assyr. e d û cohaerere videtur (cf. pag. 47). — *c)* In cosmogonia Babyloniorum homines a deo ex limo, sanguine divino madefacto, formantur (cf. pag. 27); iuxta mythum classicum Prometheus homines ex limo formavit et igne diis ablato animavit (Georges, Passow, Dillmann 53 s.); etiam de formatione mulieris ex viro apud nonnullas gentes vestigia *(ἀνδρόγυνος)* reperiuntur (Dillmann 68). — *d)* Paradisus quoque commemoratur: *α)* in carmine epico Gilgameš de „insula beatorum“ legimus (Ieremias 93 s.). *β)* In inscriptionibus cuneatis nomina Gu-edin-na, nar-edin-na, kiš-edin-na, gannâti reperiuntur (Ieremias 92). *γ)* Babylonia olim tintira (nemus vitae) et regio adiacens karduniaš (hortus dei Duniaš) vocabatur (Delitzsch, Paradies 66; Nikel 137). *δ)* Multi populi Asiae et Europae de horto vel monte deorum fabulabantur (Dillmann 48 s.). — *e)* Arbor vitae apud populos plerosque occurrit (Holzinger 43, Ieremias 95). Apud Babylonios occurrunt imagines arboris vitae; cedrus in luco Irnini, ad quem Gilgameš et Eabani perrexerunt; arbor mira in horto ad mare plantato, ad quem Gilgameš pervenit; palma in nemore Eae in Eridu, ubi Adapa creatus est; verbena „šîbu iṣṣaḫir amelu“, quam Gilgameš in insula beatorum acceperat et in patria Erech plantare voluit, sed revertens per serpentem amittit; herba vitae, quam dii dare possunt (Ieremias 94 ss.; Schrader-Zimmern 526 s.). — *f)* Etiam aqua vitae apud Babylonios commemoratur (Ieremias 101 ss.; Schrader-Zimmern 523 ss.) — *g)* Status originalis hominis in carmine epico Gilgameš describitur, ubi haec narrantur: Eabani iuxta imaginem dei creatus est, non erat vestitus, cum bestiis vivebat et herbis vescebatur; alius homo illi mulierem adduxit, quacum Eabani in Erech vivebat; quia tamen haec mulier seducens erat causa laborum, Eabani illi maledixit (Ieremias 112 s.). — *h)* De statu paradisiaco, de aurea aetate, pace inter hominem et bestias, esu vegetabilium scriptores Graecorum et Latinorum aliarumque gentium loquuntur (Dillmann 36. 47. 64, Ieremias 113 s.). — *2. Quoad statum peccati: a)* Ser-

pentem seducentem non solum Babylonii in imaginibus repraesentarunt et in nomine fluvii „AN. MUŠ. TIN. TIR. DUB = deus serpens vitae habitaculum destruens“ memoriae tradiderunt (cf. Delitzsch, Babel und Bibel 37, Ieremias 104 ss., Schrader-Zimmern 529); verum etiam Indi et Sinenses proferunt (Dillmann 70, Ieremias 112). — *b)* Modus quoque tentationis in celebri illo cylindro sigillario expressus videtur, in quo arbor, ex una parte vir ex altera mulier et post eam serpens monstratur; nam tum vir tum mulier unam manum ad arborem extendit (Delitzsch l. c., cf. Ieremias 104 ss.). — *c)* Memoria immortalitatis perditae in mytho Adapae invenitur. Adapa potuisset immortalis fieri manducans panem vitae et bibens aquam vitae; quia tamen utrumque recusavit, mansit mortalis (Schrader-Zimmern 520 ss.) — *d)* Cherubim, tauros et leones alatos atque animalia apud arborem vitae stantia monumenta Assyriorum et Babyloniorum monstrant (Schrader-Zimmern 529 s.). — *e)* Apud Messicanos exstat imago, in qua mulier cum serpente loquens et gemelli contendentes finguntur (Ieremias 112).

II. Affinitatem narrationum Gentium ac Scripturae nemo negabit, qui eas inter se comparaverit (videas et pag. 27). Etiam hanc affinitatem varii vario modo declararunt.

1. Nonnulli (Frd. Delitzsch, Iensen, Schrader-Zimmern, Stade, Wellhausen, cf. Holzinger 43 s.) putarunt, narrationem biblicam *ex mythis Babyloniorum haustam esse:* aut tempore exilii (Delitzsch, Paradies 93 s.) aut Manasse regnante (Stade, Geschichte Israels I, 631 s.). Haec tamen opinio nunc ab ipso Gunkel 35 et Holzinger 44 repudiatur, quia argumentis admodum exilibus nititur.

Etenim *a)* si nomen Iahve reapse in tribus tabulis fictilibus Babyloniorum legitur (quod Frd. Delitzsch l. c. asserit, alii vero negant, cf. Nikel 256 ss.), logice non sequitur, illud nomen a Babyloniis mutuatum, sed iam ante Moysen notum fuisse. Quam rem liber Exodi quoque indicat. Nam mater Moysis nominabatur יוֹכֶבֶד i. e. Iahve est gloria (6, 20; cf. Fürst), et Moysi interroganti *Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis?* Deus respondit *Sic dices filiis Israel: QUI EST, Ὁ ὤν, אֶהְיֶה, misit me ad vos* (3, 13 s.). Ex qua responsione colligimus, nomen Iahve Israelitis iam ante Moysen notum fuisse, alioquin non potuisset signum et documentum dari (Döller 12). Verba Dei 6, 2 s. relata *Ego Dominus,* יְהוָה, *qui apparui Abraham, Isaac, et Iacob in Deo omnipotente:* בְּאֵל שַׁדָּי, *et nomen meum ADONAI* (lege Iahve, יְהוָה) *non indicavi eis,* huic sententiae non sunt contraria, si inter sonum nominis et vim seu virtutem eius distinguimus: sonum iam notum habebant, vim eius (cf. pag. 45) in Aegypto et in itinere ad terram promissam experti

sunt; *et scietis,* inquit (6, 7 s.) *quod ego sum Dominus,* יְהוָה, *Deus vester qui eduxerim vos de ergastulo Aegyptiorum: et induxerim in terram, super quam levavi manum meam ut darem eam Abraham, Isaac, et Iacob: daboque illam vobis possidendam, ego Dominus,* יְהוָה (cf. Döller 13, Strack 181 ss.). Döller recte iudicat, homines concludentes de entibus ab alio ad ens a se, potuisse etiam sola ratione magistra ac duce illud ens a se nomine congruente, יְהוָה, i. e. ὁ ὤν, appellare. — *b)* Nomen אֵל cum assyr. e d û cohaerere, certum non est (cf. pag. 47 s., Schrader-Zimmern 529). — *c)* In cosmogonia Babylonia homines utique ex limo, sanguine divino madefacto, formati dicuntur: attamen idem etiam de bestiis affirmatur (cf. pag. 27): in mytho autem Promethei polytheistica, in mytho de androgynis absurda cum veris miscentur. Inter has et biblicas narrationes differentiae essentiales exstant, ergo biblicae ex gentilibus desumptae esse nequeunt (vide num. 2). — *d)* Quod paradisum attinet, haec notamus: *α)* Insula beatorum in mari, paradisus biblicus in terra; insula ista ad ostia, paradisus hic ad fontes est; in insula beatorum mortui, in paradiso commorantes in corpore habitant (Nikel 134, Holzinger 44). *β)* A nominibus similibus ad rem eamdem non concludendum esse, docent logici (vide et pag. 50). *γ)* Vox karduniaš significat quidem, illum locum deo Duniaš sacrum: non vero simul amoenum et a deo inhabitatum fuisse (Nikel 137). Ex voce tintira logice nihil ad paradisum biblicum pertinens colligi posse, ipse Frd. Delitzsch confitetur. *δ)* Ex verbis illis Gen. 3, 8 *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem* Dillmann 48, Gunkel 26 et 31, Holzinger 38, Ieremias 92 et alii inferunt. Deum revera in paradiso habitasse, et ideo mythologicum hortum vel montem deorum in paradisum biblicum transformatum esse. At logica atque experientia docent, ex eo quod quis ad auram post meridiem in quodam loco deambulat non sequi, ipsum in eodem loco etiam habitare. Vacillante et claudicante autem fundamento superstructa quoque vacillant et claudicant. — *e)* Verbena „šîbu iṣṣaḫir amelu“ ex nomine suo (senex homo iterum iuvenis redditur) non dedit immortalitatem, sed vigorem iuvenilem atque ubique, non tantum in insula beatorum, plantari potuit (Nikel 132); quid aliae arbores sanctae significaverint vel effecerint, non constat (Nikel 133), quod etiam *f)* in aquam vitae valet. Probabiliter illae quoque vegetare, non vero immortalitatem conferre credebantur. Ergo inter ipsas et arborem vitae paradisi biblici essentialis differentia deprehenditur. — *g)* Mythum Eabani prototypon historiae Adami esse, etiam Schrader-Zimmern 528 atque Stade (cf. Ieremias 113) negant. Nam Eabani iuxta carmen epicum Gilgameš non primus homo fuit; et historia eius similis invenitur volutabro ruris, historia vero Adami puro fonti montis, si ambas comparamus (verjauchte Dorfpfütze . . . lauterer Gebirgsquell, Stade apud Ieremias l. c.; nam mulier illi adducta erat scortum, Schrader-Zimmern l. c.). — *h)* De statu paradisiaco non tantum Babyloniorum, verum etiam aliorum populorum scriptores scripserunt. — Ad reliqua haec reponimus: *α)* Serpentium imagines et cultum apud Baby-

lonios utique videmus, sed etiam apud alias gentes; ergo hoc factum opinionem supra propositam non probat. — *β)* In celebri illo cylindro sigillario tentationem protoparentum non repraesentari, nunc doctissimi viri (Dillmann 49 s., Holzinger 44, Ieremias 104 s.; Schrader-Zimmern 529; Barth, Budde, Cornill, Eberhard, Halévy, Iensen, König, Ménant, Oettli, Oppert, Tiele, Wildeboer, cf. Döller 20, Nikel 127 s.) consentiunt. Nam duae figurae sedent in scabellis; ambae extendunt unam manum ad arborem, non ad fructus (Ieremias 105); sunt vestitae et tegumentis capitis ornatae, quorum unum cornutum est. Tegumentum autem cornutum apud Babylonios unice diis tribuitur (Ieremias 105, Nikel 127). Idcirco Iensen (Christl. Welt, 1902, XII, 488) sentit, duas figuras designare duos deos ad arborem vitae sedentes, quam serpens custodiat. Ieremias 106 putat, significare duas figuras Noe Babylonium et uxorem eius, qui diis similes facti sint (videas mythos, quos de diluvio afferemus); arborem vero herbam vitae, quam serpens eis eripere velit. Oppert, Halévy aliique negarunt quidem, linea incurvata post figuram illam, quae tegumentum non cornutum portat, insculpta serpentem indicari, sed immerito (cf. imagines apud Frd. Delitzsch I, 38, Ieremias 104 vel alios). Conclusio tamen eruditi Delitzsch falsa est, ut ex dictis elucet. — *γ)* Neque ex mytho Adapae historia Adami sumpta dici potest propter sequentes differentias: Adapa iuxta verba mythi erravit, Adam peccavit; Adapa non manducavit, Adam manducavit; Adapa non vocatur primus homo, Adam primus describitur; nomen Adam ex Adapa transformatum esse, demonstrari nequit (cf. Nikel 128 ss.). — *δ)* Tauros et leones alatos vel animalia ad arborem vitae stantia *kirubi* vel *karibâti* nominatos fuisse, quod plures cum Lenormant affirmarunt (cf. Nikel 160, Buhl) nullo argumento confirmari potest, ut Schrader-Zimmern 529 s. profitetur et Kautzsch-Guthe 107 insinuant. Neque id probatum est (Fürst), quod Schrader-Zimmern quasi certum putant, scilicet, ideam Cherubim ex illis alatis tauris et leonibus abstractam esse; nam Cherubim volabant (Ps. 17, 11; Ez, 1 et 10), quod leonibus et tauris impossibile est (ita Dillmann 83, cf. et Nikel 159). Cum igitur haec res saltem incerta appareat, fundamentum conclusionis certae esse nequit.

2. Alii (e. gr. Gunkel 33 ss.) censent, traditiones mythologicas de paradiso tractantes omnibus populis communes fuisse atque *ex hac communi traditione mythologica fluxisse* narrationem biblicam. Hanc sententiam rationes sequentes improbabilem, immo impossibilem monstrant. *a)* Apud nullum populum narratio inventa est, quae narrationi biblicae plene corresponderet (pag. 91). Insuper *b)* narrationes Gentium particulis mythologicis et phantasticis refertae sunt, quae in narratione Scripturae desunt. Quominus autem supponant, Hebraeos naturali evolutione narrationes Gentium purgasse et

complesse et in formam biblicam redegisse, prohibet *c)* monotheismus purus (cf. pag. 87), qui in narratione biblica docetur. Ut diximus (pag. 28 ss.), nullus populus, ne maxime excultus quidem, evolutione naturali ex polytheismo ad monotheismum se elevavit: quam ob rem concludere debemus, multo minus populum Iudaicum, utpote minus excultum, evolutione naturali ad monotheismum pervenire, narrationes Gentium de polytheismo purgare ac monotheismi spiritu animare potuisse.

3. Similitudines ac dissimilitudines inter narrationes Scripturae et Gentium exsistentes plene declarantur, si statuimus, hagiographum ex traditionibus generis humani *originalem Adae narrationem,* Deo movente atque illustrante, selegisse et conscripsisse (cf. pag. 35).

Adam paradisum, ligna et fluvium eius, formationem mulieris, statum primitivum ac felicem; serpentem, tentationem, transgressionem mandati divini et sequelas eius; eiectionem de paradiso et custodes cum flamma gladii se vertentis ante paradisum collocatos bene memoria tenuisse et posteris narrasse, psychologice certum est, cum paradisum quotidie ante oculos habuerint (cf. pag. 90). Vixit autem Adam 930 annis, ergo usque ad Lamech, patrem Noe, qui Lamech immediate ante diluvium mortuus est (cf. excursus post 5, 31). Post diluvium primo quidem omnes homines a Noe descendentes erant unus populus, labii unius et sermonum eorumdem (11, 1 ss.), quare narrationem traditam pure conservare potuerunt. Deinde vero divisi super faciem cunctarum regionum (11, 9 coll. 10, 32), istam narrationem mutabant alia addentes alia omittentes alia suis locis et temporibus, suis conditionibus et cogitationibus conformantes (cf. pag. 35, *γ*) ita ut nunc apud varios populos traditiones variae inveniantur. Ex his traditionibus hagiographum illustrante Deo inspirante originalem narrationem seligere potuisse, patet (ibi, *δ*), quam forsitan consulto depravationibus diversis opposuit (ibi, *ε*).

Quae diximus Dillmann et Gunkel saltem ex parte confirmant. Ambo valde probabile ducunt, tales traditiones omnibus populis cultis communes fuisse; Gunkel 34 censet, originem earum in Mesopotamia septemtrionali quaerendam esse, et Dillmann 49 asserit, antiquissimas illas narrationes proprietatibus populorum variorum accommodatas esse.

Excursus II.

De explicationibus variis narrationis biblicae.

Cum Patribus et Doctoribus Ecclesiae, cum Hummelauer, Hoberg, Schöpfer 43 et 46, Selbst 98 et 117, Simar 351, Zschokke 35 et aliis narrationem biblicam sensu litterali proprio intelleximus iis exceptis, quae contextus vel circumstantiae historicae sensu improprio accipienda esse monstrant. Nam optimi interpretes antiquiores et recentiores, immo Leo XIII. cum S. Augustino consentiunt praecipiente, a litterali sensu proprio non esse discedendum, nisi eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere (Exegetica 103). Atqui neque ratio neque fides nos cogit, ut narrationem, paucis exceptis, improprio sensu intelligamus. Ergo.

Dillmann 43 ss., Gunkel 25 ss. et alii dicunt, scriptorem horum capitum quaestionem solvere velle, quare homo nunc pati debeat, quamvis desiderium inexstinguibile felicitatis in corde suo sentiat, et respondere: hominem olim in statu felicissimo conversatum esse, sed transgrediendo mandatum divinum eum perdidisse, et nunc per pugnam ad victoriam pervenire debere; ad proponendas has sententias scriptorem mythis et opinionibus aequalium suorum usum esse. — Lagrange (La méthode historique, cf. Selbst 49 s.) opinatur, creationem hominis esse factum historicum, formationem ex limo traditionem popularem; creationem Evae ex latere viri esse parabolam significantem, mulierem a viro dependere; descriptionem paradisi non geographice terram designare, sed tantum innuere, paradisum in amoenissimo loco fuisse; tentationem et peccatum protoparentum esse facta historica, arborem scientiae et serpentem aliasque circumstantias symbolice explicari posse. — Quid Lenormant senserit, pag. 86 expositum habetur. — Sententias Iahn (cf. Hummelauer 150 et Hurter II, 297) atque Philonis (cf. Hurter l. c., Schöpfer 46) utpote obsoletas omittimus. — Quibus sententiis opponimus: *α)* est regula hermeneuticae a Leone XIII. inculcata „a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum", nisi illi certa doctrina rationis vel fidei obstet, quod hic non accidit (Exegetica 102 s.). Praeterea *β)* contextus totus manifestat, scriptorem veram proponere velle historiam, quam causam nemo umquam negare debuerat, uti recte Gunkel 36 scribit (vide et Holzinger 37). Quia autem viri inspirati ea tantum scribere voluerunt, quae Deus iusserat (cf. pag. 35 et 38), concludimus Deum ipsum veram proponere voluisse vel iussisse historiam, non mythum neque opinionem popularem neque allegoriam vel symbolum.

Excursus III.

De proprietatibus huius narrationis.

Haec narratio neque ex duplici relatione conflata neque altera creationis expositio, a priore discrepans, appellari potest. Rationes enim, quae pro utraque opinione a Dillmann et Gunkel eorumque sectatoribus adducuntur, leves sunt ac tenues.

a) Gunkel 21 ss. cum Budde affirmat, istam narrationem ex duplici relatione conflatam esse, et opinionem suam rationibus sequentibus confirmare nititur: *α)* expulsio ex paradiso bis narratur, scilicet 3, 23 atque 3, 22. 24[a]. At non est verum. Iuxta usum loquendi et contextum 3, 22 consilium Dei; 3, 23 praeceptum abeundi; 3, 24[a] coactus describitur. Videas verba supra explicata. — *β)* Ante paradisum custodia duplex collocatur, Cherubim et flamma gladii se vertentis, quae ens daemoniacum erat: וַיַּשְׁכֵּן in Cherubim tantum cadit. Reponimus: flammam gladii se vertentis fuisse ens daemoniacum, Gunkel nec demonstravit nec demonstrare potest; et verbum illud notissima figura grammaticali, quam zeugma vocant, etiam cum flamma gladii coniungi potest (cf. Gen. 2, 1; Luc. 1, 64). — *γ)* Vestitus protoparentum (3, 21) et nominatio Evae (3, 20) non bene quadrant in contextum. Sed bene quadrant, quemadmodum supra ostenditur. — *δ)* In verbis, quibus Adae poena nuntiatur, repetitiones offendunt. Respondemus: non sunt merae repetitiones, ut contextus et usus loquendi manifestat. Videas explicationem versuum. — *ε)* Plantatio paradisi et translatio hominis bis narratur, plantatio paradisi 2, 8[a] et 2, 9; translatio hominis 2, 8[b] et 2, 15. Verum ℣. 8. generatim enuntiat hagiographus quae ℣℣. 9—17 per partes describit (cf. pag. 52). Talis autem modus proponendi nostris quoque diebus adhibetur, quin duplex narratio vocetur. — *ζ)* Paradisus iuxta 2, 8 in extremo oriente, iuxta 3, 24 in extremo occidente, iuxta 2, 10—14 in septemtrione situs erat. Haec asserta falsa esse, iam supra explicantes istos versus indicavimus. Ex 2, 8 utique sequitur, Eden cum paradiso ab oriente scriptoris Genesis (cf. pag. 50), non autem in extremo oriente fuisse; et ideo ex 3, 24 et 4, 16 non sequitur, Eden cum paradiso in extremo occidente fuisse: ex ℣℣. citatis logice hoc tantum sequitur, paradisum ab occidente protoparentum eiectorum (cf. pag. 90) atque Eden ab occidente Cain maledicti et a facie terrae eiecti (4, 11 ss.) fuisse. Neque 2, 10—14 iis contradicunt, quae 2, 8 asseruntur, sed ea magis determinant monstrantes, paradisum non in australi, sed septemtrionali parte orientis a Deo plantatum esse. — *η)* Secundum 3, 3 una dumtaxat arbor, scilicet scientiae boni et mali, in medio paradisi erat; secundum 2, 9 etiam arbor vitae ibi stabat, cui versiculo consonant 3, 22. 24. Quid de hac ratione sentiendum sit, pag. 51. habetur. — *ϑ)* Duplex nomen Dei יהוה אלהים duos fontes insinuat. Tamen duplex nomen Dei aliter quoque declarari potest, quapropter conclusio inde petita non valet. Etenim in 1, 1—2. 3

Deus ut principium et finis mundi consideratur, et idcirco apte אלהים nominatur (cf. pag. 1); in 2, 4 ss. autem Deus ut hominibus se revelans inducitur, et propterea apte יהוה appellatur (cf. pag. 45): ne autem quis putet, יהוה alium esse ac אלהים, ambo nomina in hac sectione coniunguntur, quod in sequentibus non amplius necessarium fuit. Hoc modo et Dillmann 41 s. copulationem nominum declarat.

b) Dillmann 40 s. asserit, in 2, 4 ss. alteram creationis expositionem, a priore discrepantem, contineri, quod his argumentis probare conatur: *α)* iuxta caput I. homo post plantas et animalia creatus est, iuxta caput II. vero ante illa. Hanc opinionem cum veritate non convenire, pag. 47 et 58 s. demonstravimus. — *β)* Secundum 1, 9 ss. terra die III., quo plantas protulit, humida erat; secundum 2, 5 autem sicca. Sed dies III. fuit spatium longius seu periodus (cf. pag. 40), intra quam terra primo humida utique sicca fieri potuit, ita ut nebula vel pluvia irrigari deberet (2, 6), antequam plantas protulit (cf. pag. 49). — *γ)* Cibus homini alius 1, 29 et alius 2, 16 assignatur. At pag. 56 ostendimus, cur haec conclusio logice falsa sit. — *δ)* Creatio mulieris aliter 1, 27 aliter 2, 21 ss. describitur. Non est verum. Nam ex usu loquendi et contextu apparet, ibi factum et hic modum creationis narrari. — *ε)* Status originalis hominis in capite I. atque II. non eadem ratione describitur. Verumtamen in capite I. de statu originali quasi nihil legimus; et quae ibi leguntur (dominium et cibus hominum) cum relatione capitis II. concordant. — *ζ)* Genus scribendi in capite I. atque II. diversum est: ibi est magis abstractum et sine anthropomorphismis, hic magis concretum et cum anthropomorphismis; ibi res summatim proponuntur, hic per partes etiam secundarias describuntur. Istae differentiae exsistunt quidem, sed ex diverso fonte et argumento declarari possunt. Omnia enim, quae 1, 1—2, 3 habentur, ex revelatione divina (cf. pag. 34 s.); plurima autem, quae 2, 4—3, 24 habentur, ex experientia hausta sunt; in capite I. Deus ut principium et finis mundi, in capite II. ut hominibus se revelans proponitur; ibi creatio (pag. 1), hic historia (pag. 43 s.) mundi narratur.

C. 4. ℣. 1. **Adam vero, וְהָאָדָם.** Sequitur historia malorum et bonorum filiorum Adam. *cognovit uxorem suam Hevam:* cognoscere, *γιγνώσκειν*, יָדַע per euphemismum „de consuetudine et familiaritate sexuum“ adhibentur (Gesenius; cf. Buhl et Fürst, Passow et Georges). *quae concepit et peperit Cain,* קַיִן, *dicens: Possedi,* קָנִיתִי, *hominem,* אִישׁ i. e. virum, *per Deum,* אֶת־יְהוָה i. e. cum Domino. Exsultat Eva, quod filium accepit (Dillmann, Gunkel, Hummelauer, Strack), ad promissum semen (3, 15. 20) respiciens; non autem sibi et Adae, sed gratiae Domini nativitatem primogeniti ascribit (S. Chrysostomus, Lapide, Hummelauer, Strack).

Ex hoc loco Patres, Lapide, Gunkel, Hoberg, Strack recte colligunt, „consuetudinem sexuum“ extra paradisum reapse incepisse; cui sententiae non adversantur quae ad 1, 28 dicta sunt. — Cain primogenitum fuisse, fere omnes sentiunt (Hummelauer). — Buhl et Siegfried-Stade קַיִן i. e. laceam a קַיִן nomine proprio primogeniti protoparentum secernunt neque declarationem nominis hic datam reiiciunt; Strack quoque scribit, קַיִן cum קָנָה i. e. acquisivit, possedit, cohaerere posse; Fürst nomini קַיִן triplicem significationem tribuit: ferrum hastae (2 Reg. 21, 16), faber (Gen. 4, 22), creatura (Gen. 4, 1). Ergo Gunkel et Holzinger iniuste hanc etymologiam absolute vituperant. Ceterum homines ante diluvium non lingua Hebraica, sed originali loquebantur, et postea nominibus originalibus substituebantur vocabula linguarum ceterarum correspondentia, quantum possibile est (cf. pag. 63 s.). Quod pro sequentibus quoque etymologiis notetur. — *Per Deum, διὰ τοῦ θεοῦ;* Hebraicum אֶת־ hic non est nota accusativi, sed praepositio significans *cum:* ergo אֶת־יְהוָה = auxilio Dei, adiuvante Domino (Buhl, Fürst, Gesenius, Siegfried-Stade). Coniecturae pro אֶת־ legendum esse מֵאֵת = a parte, vel אֹת = signum (cf. Ꝟ. 15) aut pro אֶת־יְהוָה ponendum אֶתְאַוֶּה = quem concupiveram (ab אָוָה), etiam a Kittel addubitantur. Zschokke praeter rectam interpretationem etiam aliam nonnullorum antiquiorum (cf. Dillmann, Gunkel, Hummelauer) opinionem quasi approbans affert, nimirum: *possedi hominem Iehovam* i. e. Deum incarnatum vel Messiam, אִישׁ אֶת־יְהוָה, intelligens אֶת־ explicativum; sed haec interpretatio repudianda est (Dillmann, Hoberg, Hummelauer).

Ꝟ. 2. **Rursumque peperit** *fratrem eius:* ipsum fuisse geminum, ut Rabbini et Calvinus putarunt (cf. Lapide), propter Gen. 38, 5 ex hoc Ꝟ. collato cum Ꝟ. 1. colligi non potest (Hoberg, Lapide), saltem non certo (Dillmann, Gunkel, Holzinger). Nominabatur *Abel,* הֶבֶל i. e. halitus, vanitas, probabiliter ob recordationem immortalitatis perditae (Gesenius, Lapide; cf. Ps. 38, 6; 61, 10; Gen. 3, 19). *Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola:* primogenitus patrem secutus est in cultu agrorum, עֹבֵד אֲדָמָה, secundogenitus aliam vivendi formam elegit pascens pecora minora, i. e. oves et capras (Buhl, Gesenius etc.), רֹעֵה צֹאן. Confer Ꝟ. 20.

Abel fuit secundogenitus protoparentum, etiam si non geminus Cain; tertius filius Ꝟ. 25. nominatur. Praeter hos Adam alios quoque filios et filias genuit (5, 4), quorum nomina et facta non recensentur, quia pro historia generis humani non tanti momenti erant, quanti facta Cain, Abel et Seth. — Hummelauer de nomine Abel scribit: „hodie communiter recurritur ad assyr. *hablu*, filius.“ Quod cum veritate non perfecte convenit.

Nam Holzinger rem incertam iudicat, Dillmann significationem supra expositam praefert, Gunkel etymologiam ex assyr. hablu, ablu, aplu (cf. Kautsch-Guthe), habal (Fürst) omnino reprobat. — In textu non legimus, Evam hoc nomen secundogenito indidisse (Dillmann).

℣. 3. Factum est autem, וַיְהִי, *καὶ ἐγένετο*· est formula celeberrima, quae „sexcenties in libris historicis, ubi sequitur notatio temporis, ab initio sententiae ponitur" (Gesenius). *post multos dies,* מִקֵּץ יָמִים, *μεθ' ἡμέρας*, probabiliter circa annum 130. Adae (Hummelauer 183, Hoberg 52, Selbst, Zschokke), quia Seth, quem Dominus pro Abel posuit (℣. 25), anno 130. Adae genitus est (5, 3). *ut offerret Cain de fructibus terrae munera Domino.* Modum sacrificandi Cain et Abel a parentibus (Zschokke), Adam et Eva autem probabiliter a Deo ipso didicerunt (cf. pag. 87), quamvis homines etiam naturali rationis lumine perspicere potuerint, muneribus oblatis supremum Dei dominium agnoscendum esse (Selbst). *Munera,* quae Cain obtulit, in Hebraico vocantur מִנְחָה, quae vox generatim quodlibet donum nobilioribus, praecipue numini oblatum, speciatim vero fertum seu sacrificium non cruentum significat (Gesenius etc.); tale obtulit Cain de fructibus *terrae,* הָאֲדָמָה, qui nullo adiectivo laudantur, ideoque non optimi erant (cf. ℣. seq. et Hoberg, Selbst). Hagiographus non asserit, hoc sacrificium primum fuisse, quod filii protoparentum obtulerunt, sed illud quo animus amborum manifestatus est (Selbst).

Illud מִקֵּץ יָמִים significat: a fine dierum i. e. post finem dierum seu decursis diebus, vel simpliciter *post dies* (Gesenius, Buhl, Fürst, Siegfried-Stade); utrum pauci an multi dies accipiendi sint, ex contextu colligi debet (Dillmann), quapropter Vulgata hic bene vertit *post multos dies,* nimirum circiter 130 annos (cf. 4, 25 et 5, 3). Hummelauer vertit: ad exitum anni seu initio sequentis anni alicuius; sed Dillmann bene notat, hanc antiquiorum opinionem demonstrari non posse, cum יָמִים tempus incertum designet (cf. Mandelkern) et Iud. 17, 10; 1 Reg. 1, 3; 27, 7; 29, 3 contextu determinetur. — Hummelauer putat, etiam Cain sine dubio „primitias, quae lectissima censebantur", obtulisse, cum initio anni, mense fere Nisan sacrificaverit. Verumtamen opinio, qua Cain initio anni sacrificasse statuitur, iuxta mox dicta improbabilis est, et ℣. 3. cum ℣. 4. comparatus contrariam sententiam suggerit: munera Abel duplici vocabulo, munera Cain nullo laudantur.

℣. 4. **Abel quoque obtulit** sacrificium cruentum *de primogenitis gregis sui,* צֹאנוֹ i. e. pecoris sui (cf. ℣. 2), *et* quidem *de adipibus eorum,* i. e. immolavit primogenita pinguissima (Hummelauer). *et respexit Dominus ad Abel, et ad munera eius,* מִנְחָתוֹ (cf. ℣. 3). Respicere ad, שָׁעָה אֶל, idem est atque intueri cum delectatione vel accepta habere (Gesenius etc.); placuerunt autem Deo tam offerens quam oblata.

Textum Hebraicum LXX accuratius vertunt: *καὶ Ἄβελ ἤνεγκε καὶ αὐτὸς ἀπὸ κτλ.* — Pro plurali וּמֵחֶלְבֵהֶן = וּמֵחֶלְבֵיהֶן, quem Dillmann retinet, Gunkel punctandum censet singularem וּמֵחֶלְבְּהֶן; Kittel dubitat (cf. 1, 21 et Gesenius-Kautzsch 254). — Verba *obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum* iuxta Num. 18, 17 s. absolute ita intelligi possunt, ut Abel sanguinem et adipes ex primogenitis Deo obtulisse, ceteras vero partes in usum suum vertisse (manducasse) dicatur, quo modo Gunkel intelligere videtur; relative tamen, si contextum respicimus (cf. pag. 22), verba non significant, Abel iustum (cf. ℣. seq.) sibi aliquid reservasse, sed totum obtulisse, quod ex primogenitis, et quidem ex pinguibus, elegerat. Sicut חֵלֶב הָאָרֶץ optimos fructus (Gen. 45, 18) et חֵלֶב חִטָּה vel חֵלֶב חִטִּים praestantissimum tritici (Ps. 80, 17; 148, 14) significat (Gesenius), ita חֶלְבְּהֶן optima primogenita. — *Altare,* super quod Noe holocausta obtulit (8, 20), hic nondum commemoratur (Dillmann); hagiographum tale supponere, Gunkel et Holzinger gratis asserunt.

℣. 5. **Ad Cain vero,** offerentem, *et ad munera illius non respexit,* non accepta habuit (cf. ℣. 4): *iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus eius,* i. e. impletus est ira et tristitia.

In Hebraico legimus: וַיִּחַר לְקַיִן מְאֹד i. e. et exarsit scil. ira huic Cain valde (Gesenius). חָרָה speciatim iram denotat, sed etiam tristitiam (Gesenius, Fürst), quam alteram significationem Syrus et Graecus expresserunt: *καὶ ἐλυπήθη Κάϊν λίαν.* — וַיִּפְּלוּ פָּנָיו = et cecidit facies eius, quod signum irae (Ier. 3, 12) vel signum tristitiae (Iob 29, 24) esse potest; LXX vertunt: *καὶ συνέπεσε τῷ προςώπῳ αὐτοῦ.* — Sensus totius ℣. potest esse: iratus est, et signum irae fuit facies inclinata; aut tristatus est, et signum tristitiae fuit vultus demissus; aut ira ei exarsit et tristitia vultum maestum reddidit. — Ultima explanatio psychologice probabilior videtur (Holzinger). — Ira est aestus animi in homine exoriens, qui malo premitur, quod evitare potuisset; tristitia est affectus, quem bonum perditum vel non acquirendum aut malum inevitabile producit (Stöckl 57). Quae in Cain valent.

Quare Deus ad Abel et munera eius respexit, non vero ad Cain et munera eius? S. Paulus (Hebr. 11, 4) respondet: *Fide plurimam, πλείονα* i. e. meliorem, pretiosiorem (Bisping, Meyer-Weiss) *hostiam Abel, quam*

Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius, ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ, Deo. Ergo Abel per fidem perfectam, qua Deo credidit, Deum speravit et amavit (cf. Gen. 15, 6), inventus est iustus (Matth. 23, 35) et optima immolavit; Cain autem non omni quidem fide (℣. 14), sed fide per spem et charitatem formata (℣℣. 6—13) carebat et communia obtulit: *ex maligno erat, ... opera eius maligna erant* (1 Ioan. 3, 12). Si talem fidem habuisset, qualem Abel habuit, ipse quoque optimos fructus elegisset et Deo cum muneribus placuisset. — Quomodo Deus manifestavit, se munera Abel accepta habere, non vero Cain? Plerique Patres et interpretes (cf. Hoberg, Hummelauer, Schöpfer, Selbst, Zschokke, Dillmann) iudicant, ignem a caelo missum munera Abel, non vero Cain consumpsisse, cui sententiae contextus (Lev. 9, 24; 3 Reg. 18, 38; Iud. 6, 21; 13, 20) favet; minus probabile est, fumum diverso modo ascendisse (Strack), quia hoc nulla ratione confirmari potest.

℣. 6. **Dixitque Dominus ad eum,** אֶל־קַיִן, τῷ Κάϊν, non interne tantum (Delitzsch, Dillmann), sed externe, sensibili modo (Gunkel, Strack), ut sequentia (℣℣. 9 ss.) probant et antecedentia (3, 8 ss.). *Quare iratus es? et cur concidit facies tua?* (cf. ℣. 5). Deus interrogat Cain, ut eum ad confessionem et poenitentiam adducat (cf. pag. 73 s.).

℣. 7. **Nonne si bene egeris,** תֵּיטִיב, si in fide perfecta ambulaveris ut Abel, *recipies:* pro quo verbo in Hebraico habemus שְׂאֵת i. e. elevatio erit scil. vultus, פָּנִים (cf. ℣. 5; Buhl, Fürst, Siegfried-Stade; Dillmann, Hummelauer), nonne laetus eris; *sin autem male,* וְאִם לֹא תֵיטִיב i. e. si autem non bene egeris, ad quod Hummelauer bene notat: „quae magna profecto est differentia. Quoties scil. male egeris, peccatum non in foribus sed intra muros versatur; at potest quis non bene agere, potest id detrectari, quod bonum aut certe melius esse agnoverit, potest sibi persuadere habere se aliquod ius fovendi sensus indignationis etc., et tamen nondum aut certe minus graviter peccare.“ *statim* (deest in Hebraico) *in foribus* seu ad ianuam *peccatum aderit,* חַטָּאת רֹבֵץ i. e. peccatum cubans erit. Peccatum fingitur serpens (3, 1 ss.) ad ostium quiescens; et quia הַנָּחָשׁ masculinum est, in hoc loco חַטָּאת cum masculinis construitur. *sed sub te erit appetitus eius,* וְאֵלֶיךָ תְּשׁוּקָתוֹ, i. e. et ad te erit conversio seu appetitus peccati (cf. 3, 16), attentio et desiderium eius, *et tu dominaberis illius,* potes ac debes peccatum superare ei non consentiens.

Similiter Strack et Hoberg ℣. explicant; sed Hoberg versionem *recipies* retinet ac v e n i a m supplet, quae explicatio absolute possibilis est (cf. lexicon), sed contextu non probatur. — LXX sic reddunt: *οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον· πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ.* — Hummelauer cum LXX punctat רֹבֵץ non participium, sed imperativum *quiesce,* et pronomina masculina *eius, illius* cum S. Ephrem, S. Chrysostomo, Calvino (cf. Lapide) non ad peccatum, sed ad Abel refert, declarans: „nonne si bene egeris, levabis faciem tuam? . . . Sin autem bene agere recuses, si faciem non erexeris, ne putes te innocentem perseverare posse: proxime imminet peccatum; igitur quiesce ab ardore et invidia . . . nam licet honore ego illum prosecutus fuerim acceptaque fuerint illius dona, verumtamen ad te conversio illius et tu ipsius dominaberis.“ Cum Dillmann putat, feras non consuevisse prope portas cubare, et ideo lectionem LXX *ἡσύχασον* praefert; sed iuxta contextum non fera, sed serpens intelligendus est, qui etiam ad ostia cubat, et textum LXX Hummelauer „infelicius distinctum“ vocat neque in ceteris sequitur. Quod autem dicit, pronomina ad Abel referenda esse, iam Lapide reprobavit, quia in ℣℣. 5—7 Abel non nominatur. — Holzinger asserit, verba *recipies* atque *in foribus peccatum aderit* ita sibi opposita esse sicut sententias *si bene egeris* atque *sin autem male,* et interpretatur: si bene egeris, recipies veniam; si autem non bene, peccatum manet non remissum ad ianuam. Sed cum verbis ita explicatis non amplius congruunt sequentia *ad te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius,* quare haec glossam antiquam dicit. — Dillmann et Gunkel opinantur, textum iam antiquitus esse corruptum et quidem insanabiliter (Gunkel); Gunkel et Holzinger coniecturas proponunt, quae tamen probari nequeunt. — In altera parte huius ℣. libertas arbitrii docetur, quemadmodum S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Hieronymus et alii (cf. Lapide) recte notarunt; at non in verbis *sub te erit appetitus eius* (vide supra), sed in sequentibus *et tu dominaberis illius,* sive futurum sive imperativum intelligamus.

℣. 8. **Dixitque Cain** *ad Abel fratrem suum:* in ℣℣. 8—11 Abel sexies frater Cain vocatur, quo atrocitas facinoris magis patescat. *Egrediamur foras, Διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον,* נֵלְכָה הַשָּׂדֶה, quae verba in textu Hebraico desunt, sed cum Samaritano, Graeco, Syro, Latino inseri debent (Kittel). *Cumque essent in agro,* בַּשָּׂדֶה, *consurrexit Cain* hostiliter (Gesenius) *adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum.*

Cain et Abel ex loco sacrificii (Holzinger) vel ex sanctuario in campum egressos esse, verba textus non indicant. — Pro וַיֹּאמֶר Gunkel legendum putat וַיִּמֶר, i. e. disceptavit, contendit cum Abel; sed מָרָה cum אֶל־ non construitur.

℣. 9. **Et ait Dominus** *ad Cain,* sicut ad Adam locutus est (3, 9): *Ubi est Abel frater tuus?* ut ad resipiscentiam, confessionem et poenitentiam eum perducat. *Qui respondit,* וַיֹּאמֶר, *Nescio:* hoc mendacio ostendit, se non credere Dei omniscientiam; sequentibus verbis contumacibus *Num custos fratris mei sum ego?* impium quoque animum revelat. Vult probare, se non obligatum esse ad notitiam istam habendam (Dillmann).

℣. 10. **Dixitque ad eum:** *ad eum* deest in Hebraico et Graeco. *Quid fecisti,* quale crimen commisisti? Quia Cain contra Deum contumax locutus est, Deus severe eum obiurgat. *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra,* קוֹל דְּמֵי אָחִיךָ צֹעֲקִים אֵלַי מִן־הָאֲדָמָה i. e. vox sanguinum fratris tui clamantium ad me de humo = ausculta, sanguines fratris tui clamant etc. (Gesenius-Kautzsch 475), postulant a me punitionem eius, qui in agro eos effudit.

Sanguis Abel ita clamans inducitur, ut vox eius in caelo audiatur, qua prosopopoeia innuitur homicidium voluntarium validissime ad punitionem Deum commovere. Reliqua peccata ad caelum clamantia sunt: peccatum Sodomorum (Gen. 18, 20; 19, 13); oppressio viduarum, pupillorum et pauperum (Ex. 2, 23; 3, 9); merces operariorum defraudata (Iac. 5, 4). Confer Lapide et Selbst. — „Hebraei homicidium ad emphasim (ad horrorem incutiendum) vocant effusionem sanguinum, id est sanguinis: quia revera in homicidio multus sanguis hominis effunditur“ (Lapide).

℣. 11. **Nunc igitur,** וְעַתָּה i. e. et iam, itaque *maledictus* (cf. pag. 74) *eris* vel sis tu, אָתָּה, *super terram,* מִן־הָאֲדָמָה i. e. procul ab humo, *quae aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua:* quia Cain humum sanguine fratris effuso madefecit, procul ab ea habitare debebit. Etenim:

℣. 12. **Cum operatus fueris eam,** אֶת־הָאֲדָמָה, *non dabit tibi fructus suos,* labori correspondentes: maledictioni generali (3, 17 s.) adiungitur specialis (Dillmann), et propterea Cain humum, הָאֲדָמָה (℣. 14) vel Eden (℣. 16) relinquere debet. Et procul ab ea *vagus et profugus eris super terram,* בָּאָרֶץ, non in eodem loco consistens, sed ab uno in alium agitatus tam sterilitate terrae quam remorsu conscientiae (Dillmann, Selbst).

De אֶרֶץ terra vide pag. 11., de אֲדָמָה humo confer pag. 46 s. — לֹא־תֹסֵף תֵּת־כֹּחָהּ (videas grammaticam, e. gr. Gesenius-Kautzsch 322 s.),

οὐ προςθήσει τὴν ἰσχὺν αὐτῆς δοῦναι, non continuabit dare robur suum = non amplius dabit proventum suum (Gesenius). — נָע וָנָד, *ἀνάστατος καὶ ἀκατάστατος* (Symmachus), ***vagus et profugus*** (Vulgata), *στένων καὶ τρέμων* (LXX minus accurate).

℣. 13. **Dixitque Cain ad Dominum:** *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear, τοῦ ἀφεθῆναί με,* i. e. gravius est peccatum meum, quam ut levari seu auferri possit (מִנְּשׂא cf. ℣. 7).

Textus Hebraicus גָּדוֹל עֲוֹנִי מִנְּשׂא (cf. grammaticam) eodem quidem iure etiam sic verti potest: maior est poena mea, quam ut eam ferre possim (Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack), quo sensu Cain mitigationem poenae peteret. At in ℣℣. sequentibus neque petit neque accipit mitigationem poenae inflictae, sed timorem vel dubium proponit, quod Dominus dissolvit. Ergo cum translatoribus antiquis, Patribus Graecis et Latinis, Lapide, Hummelauer, Hoberg, Selbst tenemus, Cain istis verbis desperationem veniae atque salutis expressisse.

℣. 14. **Ecce** (cf. pag. 21) *eiicis me* (vide 3, 24) *hodie a facie terrae,* מֵעַל פְּנֵי הָאֲדָמָה i. e. cogis me, ut superficiem (cf. pag. 4 s.) humi relinquam, quia non amplius mihi proventum dabit; iuxta ℣. 16. hic הָאֲדָמָה *humus* regionem Eden significat (Hummelauer), ex qua Deus nunc impium Cain expellit sicut ex paradiso antea protoparentes expulit. *et a facie tua abscondar:* in paradiso et in regione Eden Deus hominibus se revelabat, providentiam et protectionem suam monstrabat, quam ob rem Eden locus refugii et protectionis divinae erat; ex illo loco eiectus Cain putavit, se etiam a providentia et protectione divina exclusum esse neque amplius ad Dominum confugere posse *(a facie tua abscondar),* ita ut perambulans terram a quolibet homine occidi posset (similiter Dillmann). Ait enim: *et ero vagus et profugus in terra,* בָּאָרֶץ: *omnis igitur qui invenerit me, occidet me;* accuratius LXX: *καὶ ἔσται,* וְהָיָה, *πᾶς ὁ εὑρίσκων με ἀποκτενεῖ με.* Adam et Evam post Cain et Abel alios quoque liberos genuisse, certum (5, 4); nonnullos eorum iam tunc natos et adultos fuisse, quando Cain eiectus est, valde probabile est (cf. 4, 17; 1, 28; Lapide ad 4, 1, Hummelauer, Hoberg, Selbst): ab his igitur consanguineis suis timet, ne fratricidium vindicent (similiter Strack, Frz. Delitzsch aliique).

Vertunt LXX: *εἰ ἐκβάλλεις,* quia הֵן etiam *si* denotat. — Apodosis incipit post *terra* (LXX, Vulgata), non post *abscondar* (Hebraeus); videas

Dillmann, Hummelauer. — Verbis *a facie tua abscondar* Cain etiam significare potuit, se praesentiam Dei iudicis fugere, non amplius ad eum recurrere velle (cf. Hummelauer); sed ad contextum melius quadrat sensus supra expositus. — Sicut וַיְהִי praeteritum inducit (pag. 100), ita וְהָיָה futurum (Gesenius-Kautzsch 336). — Gunkel, Holzinger, immo Dillmann ponunt, timorem Cain circumstantiis historicis contrarium esse, quin tamen suam sententiam comprobent et nostram refutent.

℣. 15. **Dixitque ei Dominus:** *Nequaquam ita fiet, Οὐχ οὕτω,* לֹא כֵּן. Ita Graecus, Syrus, Latinus, Symmachus, Theodotion; Hebraeus (et Samaritanus) tamen exhibent לָכֵן = ideo, propterea. Sensus lectionis prioris est: non omnis te occidet, *sed* (deest in Hebraico et Graeco) *omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur;* sensus vero alterius: ideo, quia omnis te occisurus esset (Dillmann, Holzinger, Strack) vel propterea, quia me rogasti (Gunkel), *omnis qui occiderit* etc. Gravis promulgatur poena, qua omnis ab occisione Cain deterreatur: *septuplum punietur ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει* i. e. gravissime punietur (Lapide, Hummelauer, Hoberg). Videas autem notam infra positam. *Posuitque Dominus Cain,* לְקַיִן, *τῷ Κάϊν, signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum:* Deus impium Cain ita notavit, ut omnes eum videntes cognoscere possent, hunc esse virum, cuius occisionem Deus gravissime prohibuisset.

Ad verbum יֻקָּם (hophʿal a נָקַם), pro quo Vulgata *punietur* exhibet, subiectum non est *omnis qui occiderit,* sed aut *Cain* (Dillmann, Holzinger) aut probabilius impersonale (Buhl, Siegfried-Stade, Dillmann, Gunkel, Holzinger); deinde כָּל־הֹרֵג קַיִן ut casus pendens declarandus est = si quis Cain occiderit, id vindicabitur (Gesenius-Kautzsch 364) — et quidem *septuplum,* שִׁבְעָתַיִם i. e. ita ut non tantum occidens ipse, verum etiam sex alii ex familia eius occidantur (Dillmann, Gunkel). Quoad substantiam est idem sensus. — Qui Cain interfecerit, gravius punietur quam ille, quia non solum praeceptum naturae sed etiam mandatum Dei positivum violavit ac punitionem illius tam gravem vidit et nihilominus idem perpetravit: clariori cognitioni correspondet poena gravior (similiter Lapide). — Hoc interdictum cum poena annexa utique promulgari debuit, ut ab hominibus observari posset. Quocirca valde probabile est, quod Hummelauer supponit, videlicet haec omnia „non coram solo Cain, sed adstantibus etiam protoparentibus ceterisque natis“ acta esse. — *Signum* a Deo positum est pro Cain, i. e. ad protectionem eius, sed etiam in Cain (Sixtina), i. e. in eo visibile (Dillmann, Gunkel, Strack), ut omnes statim cognoscere possent, hunc esse virum illum non interficiendum. Quale

fuerit, nescimus. Putant „alii fuisse literam fronti Caini impressam: alii vultum ferum et truculentum. Verum communior sententia est, signum hoc fuisse tremorem corporis et mentis, ac vultus consternationem, ita ut corpus et vultus peccatum Caini loquerentur" (Lapide) atque simul aggredientes deterrerent; ambo effectus logice ac psychologice bene coniungi possunt (contra Dillmann, Gunkel, Holzinger). Strack et Hoberg quoque sententiam communiorem amplectuntur. Hummelauer signum intelligit miraculum coram Cain, parentibus ac fratribus eius patratum, quod tamen pro tempore futuro vix sufficiens fuisset. — Gunkel et Holzinger opinantur, Deum vitam conservando poenam mitigasse, sed non est ita. „Talis vita utique peior erat morte" (Zschokke).

℣. 16. **Egressusque Cain** a facie terrae simulque *a facie Domini* (cf. ℣. 14) *habitavit profugus in terra,* בְּאֶרֶץ־נוֹד, *ἐν γῇ Ναΐδ,* in parte terrae, quae Nod appellabatur, quia ibi Cain vagus et profugus, נָע וָנָד, fuit (℣℣. 12 et 14). Ista pars terrae erat *ad orientalem plagam Eden, κατέναντι Ἐδέμ,* קִדְמַת־עֵדֶן i. e. ab oriente regionis Eden (cf. pag. 54).

℣. 17. **Cognovit autem Cain** *uxorem suam,* quae iuxta contextum filia Adae fuit (Dillmann, Hummelauer etc.), quae fratrem sequebatur in exilium (Zschokke): talia coniugia primis temporibus necessaria erant (Dillmann, Selbst, Strack, Zschokke); *quae concepit, et peperit* (cf. ℣. 1) *Henoch, Ἐνώχ,* חֲנוֹךְ i. e. initiatum vel initiantem (Gesenius), magistrum (Fürst). *et aedificavit* videlicet Cain, ut sequentia monstrant, *civitatem, vocavitque nomen eius ex nomine filii sui, Henoch,* initiatam vel initiantem, magistram. Civitas, *πόλις,* עִיר habitacula fixa, fossa vel vallo vel muro circumdata (Siegfried-Guthe, Siegfried-Stade cum plerisque) significat. In textu autem non asseritur Cain statim post nativitatem filii pro semetipso urbem aedificasse magnam eamque consummasse. Urbes fuerunt „saepe minoris moduli, inquit Gesenius, ut vel ex eo colligas, quod in terra Cananaea XXXI urbes regiae, in una tribu Iudae CXXIV עָרִים recensentur (Ios. XV)." Cain istam urbem non pro semetipso, qui iubente Deo (℣. 12) *vagus et profugus in terra* erat (℣. 14), sed pro posteris aedificasse, etiam ex eo colligere possumus quod eam non suo, sed nomine filii sui vocavit. Qui posteri vivente Cain ita multiplicari potuerunt, ut sufficientes urbis habitatores adessent (Lapide, Selbst, Zschokke). Verba Hebraica וַיְהִי בֹּנֶה עִיר, *καὶ ἦν οἰκοδομῶν πόλιν* non exprimunt

(Strack), Cain urbem consummasse, multo minus in ea habitasse. Ergo inter ℣℣. 12. atque 17. nulla exsistit contradictio.

Pro כִּשֵׁם habent nonnulla manuscripta, Graecus et Syrus בְּשֵׁם (Kittel); vide pag. 19. — Holzinger, Kittel putant, pro כְּשֵׁם בְּנוֹ fortasse כִּשְׁמוֹ legendum esse, ut sit sensus, Henoch urbem aedificasse ac nomine suo appellasse; Dillmann et Gunkel tamen talem textus mutationem recte improbabilem iudicant. — Quae nonnulli affirmarunt, Cain aedificando civitatem Deo resistere voluisse (Hoberg), vel Deum noluisse, ut Cain toto tempore vitae suae *vagus et profugus* esset (Strack), ideoque Cain sub finem vitae in urbe habitasse (Lapide), vel verba Domini (℣. 12) non ad Cain solum, verum etiam ad posteros eius spectasse (Hummelauer, Holzinger): haec omnia usu loquendi et contextu demonstrari nequeunt. — Singularem opinionem Hummelauer proponit, videlicet Cain ante necem fratris uxorem duxisse, liberos procreasse, civitatem aedificasse et ob memoriam promissionis seminis ex nomine sui seminis vocasse, post necem vero civitatem dereliquisse et in terra Nod cum posteris urbibus caruisse; Sethitas autem urbem derelictam „occupasse aliasque ad eius instar exstruxisse“: quae opinio verbis textus non probatur. — Situs urbis Henoch prorsus ignotus est (Dillmann, Hoberg, Holzinger); variae coniecturae (cf. Calmet, Dictionarium, Dillmann, Hummelauer) sine fundamento inveniuntur. — Quot annos Cain vixerit et quomodo mortuus sit, textus non indicat. Selbst putat, ex aetate Sethitarum (5, 6—31) colligendum esse, Cain per plura saecula vixisse. Videas etiam Lapide et Zschokke necnon ea quae ad ℣. 23. notantur.

℣. 18. Porro Henoch genuit Irad, וַיִּוָּלֵד לַחֲנוֹךְ אֶת־עִירָד i. e. *ἐγεννήθη δὲ τῷ Ἐνὼχ Γαϊδάδ* (de constructione cf. Gesenius-Kautzsch 393); *Irad* forsitan idem est ac fugiens vel crescens (Dillmann, Hoberg); *Γαϊδάδ* probabiliter corruptum (Hummelauer et Hoberg), nam ר atque ד in manuscriptis facile confundi possunt, et ע saepius ut *γ* pronuntiatur (Gesenius-Kautzsch 29). *et Irad genuit Maviael,* מְחוּיָאֵל (LXX *Μαλελεήλ* ut 5, 15), i. e. pugnantem (Fürst) vel a Deo percussum, deletum aut a Deo vivificatum (cf. Dillmann). *et Maviael* (pro וּמְחִיָּיאֵל legendum est וּמְחוּיָאֵל, Kittel) *genuit Mathusael,* מְתוּשָׁאֵל (LXX *Μαθουσάλα* ut 5, 21), i. e. virum Dei (Gesenius, Fürst) vel petitum (cf. Dillmann). *et Mathusael genuit Lamech,* לָמֶךְ i. e. prosternentem vel virum ferocem (Fürst).

℣. 19. Qui accepit, וַיִּקַּח־לוֹ לֶמֶךְ, *καὶ ἔλαβεν ἑαυτῷ Λάμεχ,* *duas uxores:* quamvis in hoc ℣. Lamech non diserte primus dicatur, qui duas uxores accepit (Hummelauer), tamen ex con-

textu id eruitur, quare etiam Dillmann, Hoberg, Selbst, Zschokke asserunt, ipsum polygamiam introduxisse. *nomen uni Ada,* עָדָה i. e. ornatus (Fürst), *et nomen alteri Sella,* צִלָּה i. e. praesidium (Fürst) vel umbra (cf. Dillmann): nomina uxorum propter carmen sequens recensentur (Dillmann, Hummelauer).

℣. 20. Genuitque Ada Iabel, אֶת־יָבָל (LXX *τὸν Ἰωβήλ)* i. e. peregrinantem, perambulantem (Fürst), *qui fuit pater* i. e. auctor (cf. lexicon) *habitantium in tentoriis, atque pastorum;* clarius in Hebraico: יֹשֵׁב אֹהֶל וּמִקְנֶה i. e. habitantium in tentoriis et cum gregibus (Buhl). Iam Abel pecora minora pascebat (℣. 2); Cain et filios eius maiora quoque pecora possedisse, quae nomine מִקְנֶה simul significantur (Buhl, Dillmann). Hummelauer recte certum iudicat: novus vivendi modus, quem Iabel invenit, in eo consistit quod in habitaculis mobilibus et portabilibus, אֹהֶל (cf. Buhl, Fürst, Gesenius) esset et cum grege perambularet; fuit pater nomadum (Dillmann, Hoberg, Holzinger).

Non est necessarium, ut corrigamus וְקֹנֵה מִקְנֶה vel iuxta 2 Par. 14, 14 אָהֳלֵי מִקְנֶה (cf. Dillmann, Gunkel, Holzinger, Kittel): zeugmata sequentia textum traditum confirmant (Gunkel). LXX verterunt: *οἰκούντων ἐν σκηναῖς κτηνοτρόφων.* — De singulari videas Gesenius-Kautzsch 400 vel alium grammaticum.

℣. 21. Et nomen fratris eius Iubal, יוּבָל i. e. canens (Fürst): *ipse fuit pater* (cf. ℣. 20) *canentium cithara et organo,* כָּל־תֹּפֵשׂ כִּנּוֹר וְעוּגָב i. e. omnis prehendentis seu tractantis (Gesenius) citharam, instrumentum musicae chordis instructum, et fistulam, instrumentum flatile pastorum (cf. Kortleitner 311 ss., Benzinger 273 ss.: in utroque libro etiam imagines exhibentur).

Libere LXX transtulerunt: *Ἰουβάλ· οὗτος ἦν ὁ καταδείξας* (inveniens) *ψαλτήριον καὶ κιθάραν.*

℣. 22. Sella quoque, וְצִלָּה גַם־הִוא, *Σελλὰ δὲ καὶ αὐτή, genuit Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri,* אֶת־תּוּבַל קַיִן לֹטֵשׁ כָּל־חֹרֵשׁ נְחֹשֶׁת וּבַרְזֶל, *τὸν Θόβελ· καὶ ἦν σφυροκόπος χαλκεὺς χαλκοῦ καὶ σιδήρου.*

Hic in primis originalis lectio quaerenda est. LXX omiserunt כָּל־ et bis קַיִן, sed ambo vocabula cum reliquis testibus retinenda sunt. —

Gesenius asserit חֹרֵשׁ non tantum secantem vel fabricantem denotare, sed etiam instrumentum quo secatur, atque vertit: „Tubalkain qui malleabat (malleo fabrefaciebat) varii generis instrumenta aenea et ferrea“, quae interpretatio evasit communis (cf. Dillmann). Hummelauer pro חֹרֵשׁ punctat חֶרֶשׁ et transfert: „malleator omnis operis aeris et ferri“, cum qua translatione Vulgata convenit, si illa *et faber* deleantur. Kittel censet, pro לֹטֵשׁ כָּל־חֹרֵשׁ legendum esse אֲבִי כָּל־לֹטֵשׁ vel לֹטֵשׁ קַיִן וְחֹרֵשׁ; at haec correctio violentior videtur. Si ante כָּל־חֹרֵשׁ ex ℣. 21. suppleamus הוּא הָיָה אֲבִי, sine ulla textus mutatione sensus cum antecedentibus correspondens efflorescit: *genuit Tubalcain malleatorem: ipse fuit pater omnium fabrorum aerariorum et ferrariorum* (cf. Dillmann, Gunkel, Holzinger). — Quod Gesenius asserit, scilicet תּוּבַל קַיִן significare scoriarum fabrum, reliqui recte addubitant. Quid תּוּבַל significet, incertum; קַיִן vero probabiliter ob factum et carmen sequens additum est.

Tubalcain fuit igitur auctor eorum, qui ad usus domesticos et militares ex aere, cupro et ferro varia instrumenta fabricant. *Soror vero Tubalcain, Noema,* נַעֲמָה i. e. suavis (Gesenius) vel venusta (Hummelauer). „Cur omnium filiarum istorum virorum Cainitarum haec una recensetur? interrogat Hummelauer et respondet: Fuit scil. Noema prima de stirpe principum domus Cain, quae alicui Sethitarum nupsit“, a quo coniugio morum corruptio (6, 3) initium sumpsit, ut Hoberg adiungit. Est probabilis expositio.

℣℣. 23. 24. **Dixitque Lamech** i. e. tunc (וְ) postquam Tubalcain factus est faber (Dillmann), dixit Lamech *uxoribus suis Adae et Sellae:* cum LXX et Vulgata, Holzinger, Hummelauer, Kittel nomina Adae et Sellae ad introductionem carminis, non ad carmen ipsum (ut Gunkel, Strack aliique) trahimus, quia et in sequentibus membris altera pars brevior est. En. *Audite vocem meam uxores Lamech, = auscultate sermonem meum: — (quoniam) occidi virum in vulnus meum, = et adolescentulum in livorem meum. —* [24]*Septuplum ultio dabitur de Cain: = de Lamech vero septuagies septies.* Tribus constat membris. In primo Lamech uxores sibi attentas facit. In secundo factum exponit: occidit virum, אִישׁ, et quidem adolescentulum, וְיֶלֶד, propter inflictum sibi vulnus, לְפִצְעִי, et quidem tenue, לְחַבֻּרָתִי; iuxta leges parallelismi (Exegetica 41) de uno facto loquitur, quod duabus sententiis describit, quarum altera priorem de-

clarat et auget. In tertio membro vindictam pronuntiat: qui fratricidam Cain occiderit, septuplum punietur Deo sic disponente (℣. 15); qui vero homicidam Lamech occiderit, poenam undecies graviorem dabit filiis per arma (℣. 22) eam expetentibus. Non Deo confidit, sed hominibus (Dillmann).

Forma שְׁמַעַן heic tantum pro שְׁמַעְנָה occurrit; forsitan שְׁמַעְןָ punctandum est (Gesenius-Kautzsch 124). — Particula כִּי, *ὅτι* in initio secundi et tertii membri posita aut bis recitativa aut bis affirmativa (videas lexicon) intelligenda videtur. Vulgata in secundo membro causalem reddit *(quoniam),* in tertio autem qua recitativam omittit. Dillmann et Strack in secundo affirmativam, in tertio causalem; Gunkel et Holzinger in secundo recitativam, in tertio conditionalem intelligunt. — Hummelauer cum aliis putat, „*occidi* non esse perfectum historicum, sed scribi pro facto futuro certissime eventuro"; Dillmann tamen bene notat, tale propositum hominis vel talem certitudinem non perfecto exprimi. — Hoberg cum aliis opinatur, a Lamech duos viros occisos esse et quidem propter mulieres; at parallelismus membrorum unicum homicidium innuit, et quod de mulieribus dicitur, probari nequit. — „Hebraei, et ex iis S. Hieron. Raban. Lyran. Tostat. Caietanus, Lipomanus, Pererius, Delrio tradunt, quod Lamech occiderit Cain tritavum suum, hac ratione: ibat Lamech venatum in silvam, in quam Cain concesserat vel ambulandi vel captandi frigoris causa. Comes ergo vel armiger Lamech advertens strepitum et motum foliorum, quem faciebat Cain, indicavit Lamecho, ibi latere feram. Lamech iaculatus occidit non feram, sed Cain. Re deprehensa Lamech, ira aestuans in armigerum malum indicem, eum arcu aut fuste contudit, unde ipse paulo post mortuus est. Occidit ergo Lamech virum, puta Cain, et adolescentem, puta armigerum suum. . . . Haec tamen traditio Theodoreto, Burgensi, Catharino et Oleastro fabulosa videtur: et merito talis apparebit." Ita sapienter Lapide. — Idem Lapide verba *in vulnus meum, in livorem meum* de vulnere a Lamech inflicto intelligit, quem sensum textus Hebraicus non admittit. LXX verba Hebraica de vulnere conscientiae ipsius Lamech illato interpretantur: *εἰς τραῦμα ἐμοὶ εἰς μώλωπα ἐμοί·* ex qua tamen interpretatione utique possibili minime cum Lapide concludendum est, Lamech „ex vehementia doloris et poenitentiae ob admissum homicidium duplex" id dixisse, quia contextus (℣. 24 coll. ℣℣. 13—15) contrarius est. — De numeris, qui non arithmetice accipiendi sunt (Hoberg) videas grammaticam, e. gr. Gesenius-Kautzsch 443. — Pro יֻקַּם Gunkel cum Budde יִקֹּם punctandum censet; ℣. 15. autem obstat (cf. Dillmann).

℣. **25. Cognovit quoque** (℣. 1) *adhuc Adam uxorem suam: et peperit filium, vocavitque nomen eius Seth,* שֵׁת i. e. positum, suffectum, substitutum (Gesenius, Fürst), *dicens, λέγουσα* (quod

in Hebraico quidem deest sed suppleri debet: Dillmann, Gunkel): *Posuit mihi,* כִּי שָׁת־לִי, Ἐξανέστησε γάρ μοι, *Deus,* אֱלֹהִים, *semen aliud pro Abel, quem occidit Cain,* כִּי הֲרָגוֹ קָיִן i. e. quia occidit eum Cain. Post sacrificium filiorum vel saltem post necem iunioris Eva intelligere debuit, non Cain sed Abel ad semen pertinere, quod cum diabolo inimicitias gesturum et caput eius contriturum esset; Abel quidem occisum videt, nihilominus promissionem Domini (3, 15) implendam credit: propterea sperat, hunc filium (tertium) fore bonum et originem bonorum. et *semen aliud,* non filium alium, *pro Abel* positum nominat. *Deus,* inquit, אֱלֹהִים non יְהוָֹה ut in Ꝟ. 1., *plenissime sciens quia quaecumque promisit, potens est et facere* (Rom. 4, 21; similiter Frz. Delitzsch).

אָדָם abhinc sine articulo ponitur, quia aliis hominibus natis nomen proprium primi hominis evasit (Dillmann, Hummelauer). — *dicens* suppleri debet, sive כִּי recitativum (Vulgata) sive causale (LXX) accipiamus (cf. 41, 51 s.); verba sunt Evae, non scriptoris, uti contextus proximus et remotus monstrat (Dillmann, Hummelauer aliique.) — Peschitta et LXX vertunt: *ἔγνω δὲ Ἀδὰμ Εὔαν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ συλλαβοῦσα ἔτεκεν υἱόν.* Ergo non legerunt עוֹד *adhuc,* sed legerunt חַוָּה atque וַתַּהַר quemadmodum in Ꝟ. 1., ad quem haec lectio conformata videtur. — Holzinger sequentia statuit: Eva non כִּי הֲרָגוֹ קָיִן sed potius אֲשֶׁר הֲרָגוֹ קָיִן dicere debuisset, ut LXX et Vulgata vertunt: haec verba sunt parenthesis redactoris eliminanda. Simul cum illis etiam תַּחַת הֶבֶל atque אַחֵר necnon עוֹד expungi debent. At Holzinger probare nequit, Evam אֲשֶׁר dicere debuisse; etiam כִּי aptum praebet sensum, scilicet: quia Cain occidit Abel primum semen bonum, Elohim pro illo aliud semen bonum mihi posuit. — Hummelauer 177 s. et Schöpfer 56 putant, quod Cain propter suspicionem, non ex se sed ex Abel promissum semen generandum esse, fratrem occiderit.

Ꝟ. 26. **Sed et Seth,** וּלְשֵׁת גַּם־הוּא, *natus est filius, quem vocavit Enos,* וַיִּקְרָא אֶת־שְׁמוֹ אֱנוֹשׁ, i. e. hominem eumque fragilem (Dillmann, Fürst etc.): *iste coepit* (זֶה הֵחֵל; οὗτος ἤλπισεν, זֶה הוֹחִל, cf. Kittel) *invocare nomen Domini.* Invocare nomen Domini, קָרָא בְּשֵׁם יְהוָֹה, significat generatim idem ac essentiam Dei, quae nomine exprimitur, venerari (Gen. 12, 8; 13, 4: 21, 33; 26, 25); speciatim vero idem ac venerari auxilium Dei implorando (3 Reg. 18, 24 ss.; 4 Reg. 5, 11): qua significatione phrasim hic quoque accipimus. Ut Lamech incepit

confidere hominibus et fiduciam suam profiteri, sic Seth coepit postulare opem et protectionem Dei se revelantis (Iahve) itaque potentiam ac bonitatem eius publice agnoscere. Et haec est causa, cur mali posteri Adae usque ad Lamech, boni tamen in hac sectione usque ad Enos dumtaxat recenseantur: in his enim diversa ratio et voluntas descendentium ab Adam manifestissima fiebat. Illi erant mali sed prudentes, inventores rerum delectabilium et utilium eisque fidentes; hi erant pii et ad Dominum confugientes. Iam heic praemonstratur illud Ps. 19, 8: ***Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.*** — Si lineam Sethitarum ex 5, 9 ss. complemus, hoc stemma emergit:

		Adam	
	Cain	Abel	Seth
	Henoch		Enos
	Irad		Cainan
	Maviael		Malaleel
	Mathusael		Iared
Ada cum	Lamech	cum Sella	Henoch
Iabel et Iubal		Tubalcain et Noema	Mathusala
			Lamech
			Noe
			Sem, Cham, Iapheth

Nunc in Hebraico legimus אָז הוּחַל i. e. tunc coeptum est vel coeperunt; sed Dillmann et Holzinger quoque concedunt, lectionem LXX et Vulgatae originalem esse posse. — Hoberg, Selbst, Zschokke cum Hummelauer aliisque „censent Gen. 4, 26 referri, coepisse inde a Seth tribum electam vocari *populus iustus Iahve*“, et hoc nomine filios Dei a filiis hominum (6, 2) se distinxisse, quae explicatio etiam possibilis est. Iuxta Gunkel et Holzinger verba initium cultus, iuxta Dillmann et Strack initium cultus publici seu solemnis significant. At hoc modo intellecta versibus 3—5 contradicerent (Hoberg, Holzinger): ibi praeludium et singulare factum dumtaxat narrari, ut Dillmann putat, non est probabile: textus contrarium indicat. Caietanus affirmat, Deum a Seth primum nomine Iahve

invocatum esse, quae sententia cum Ex. 6, 3 conciliari potest (cf. pag. 92). — Iam in Cainitis et Sethitis inchoatum videmus quod Christus parabolam villici iniqui proponens confirmavit (Luc. 16, 8): *οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν εἰσίν,* i. e. in rebus saecularibus (cf. Selbst et Zschokke ad h. l.; Bisping et Weiss ad Luc.). — Videas introductionem in Genesim.

Excursus.

De natura huius narrationis.

a) Gunkel 36 s. cum aliis affirmat, in capite IV. varias fabulas inter se pugnantes a redactore coniunctas esse: fabulas illas, ex quibus nomina tantum conservata sunt (1. 17^a. 18–24 et 25. 26) atque fabulas urbis conditae (17^b) et fratricidii (2–16). Cain et Abel non fuisse duo individua, sed significare duas gentes fraternitate sociatas et in eadem terra habitantes, quarum fortior (agri culturae dedita) imbecilliorem (pecora pascentem) scelere et ferro superaverit quidem, sed postea e terra eiecta sit et nomadum more vagari debuerit (42 ss., ubi reprobat opinionem Wellhausen, Budde, Stade, Holzinger dicentium per Abel significari Israelitas, per Cain vero Cinaeos, Iud. 1, 16; 4, 11 nominatos, cum hi pastores fuerint, non agricolae). Nomina autem genealogiarum antiquos deos aut heroes eponymos gentium vel urbium denotare opinatur (48 s.).

Rationes, quibus Gunkel 36 s. contradictiones in capite IV. exsistentes probare conatur, iam supra singulos ℣℣. explicantes refutavimus. Sunt vero sequentes: *α)* Cain timens ne occidatur, filius primi hominis esse nequit (cf. pag. 105). *β)* Cain vagus et profugus nequit esse conditor urbis (cf. pag. 107). *γ)* Iabel dicitur pater pastorum, licet iam Abel pastor nominatus sit (cf. pag. 109). *δ)* Si Iabel educationem pecorum invenit, Cain urbem aedificare non potuit, nam prius educatio pecorum (Viehzucht, Herdenzucht) et deinde aedificatio urbium. At in textu non asseritur Iabel educationem cultumque pecorum in genere invenisse, sed potius novum modum (cf. pag. 109). *ε)* Mirum est, ℣. 25. lineam Seth introduci (cf. pag. 113). *ζ)* In ℣. 26. nuntiatur Enos primus, qui nomen Iahve invocavit, quamvis istud nomen iam in ℣℣. antecedentibus adhibeatur. Tamen inquirendum est, qualis sensus phrasi subsit (cf. pag. 112 s.). *η)* Nomen Cain declaratur, non autem Abel. Sed haec non est contradictio (cf. Exegeticam 114 s.).

Contra hanc opinionem tenemus, Cain et Abel necnon nomina genealogiarum veras designare personas neque historiam in capite IV. narratam esse confictam. Nam *α)* ex usu loquendi et contextu patet, hagiographum veras personas veraque facta earum exprimere (Gunkel 44 et 49): atqui hagiographi apte infallibili veritate ea omnia eaque sola expresserunt, quae Deus inspirans voluit (cf. pag. 35): ergo Deus ipse legentes in errorem induceret, si personae et facta non essent vera. — *β)* Christus et Apostoli inspirati istam narrationem veram, non fictam iudicarunt. Christus (Matth. 23, 35) confirmat, Abel exstitisse, iustum fuisse et sanguinem dedisse; Paulus (Hebr. 11, 4; 12, 24) asserit, Abel hostiam obtulisse, quae Deo magis placuerit quam munera Cain, et testimonium recepisse se esse iustum atque per fidem etiam post mortem loqui; Ioannes (1 ep. 3, 12) testatur, Cain ex maligno fuisse et fratrem occidisse, quoniam opera eius maligna erant, fratris autem iusta. Atqui si Christus filius Dei et Apostoli a Deo inspirati suam, non aliorum sententiam proponunt, errare non possunt (cf. pag. 37). Ergo. — *γ)* Inspiratus auctor vel potius inspirans Deus Luc. 3, 36 ss. illos viros Noe, Lamech, Mathusale, Henoch, Iared, Malaleel, Cainan, Henos, Seth eadem ratione qua ceteras personas certo historicas (3, 23 ss.) proavos Christi proponit; cum linea autem Sethitarum ista Cainitarum intime cohaeret (Gunkel, Holzinger aliique), ita ut Cainitae quoque personae historicae accipiendi sint, non antiqui dii aut heroes eponymi. Videas introductionem in Genesim.

b) Abel typus Christi est. Abel fuit iustus, pastor, hostiam acceptabilem offerrens; sine contradictione fratrem secutus est foras, propter iustitiam et ex invidia occisus est; sanguis eius effusus ad caelum clamavit et pro Cain maledictionem postulavit. Christus est iustus (Ier. 23, 5 ss.), pastor bonus (Ioan. 10, 11), semel cruentum et quotidie incruentum sacrificium offerens; sicut agnus non aperiens os suum (Isa. 53, 7) extra portam passus est (Hebr. 13, 12), propter iustitiam et per invidiam (Matth. 27, 18) a fratribus suis (Rom. 9, 3) crucifixus; sanguis eius melius loquitur (Hebr. 12, 24) pro nobis benedictionem efflagitans (Selbst, Schöpfer, Hummelauer, Zschokke). — Cain est typus eorum, qui in viis eius ambulant (Iud. 11), speciatim populi Iudaici, qui vagus et profugus est in terra (Selbst).

2. Sectio. Generationes Adam, 5, 1—6, 8.

Narratur *a)* vita primorum hominum (5, 1—31) necnon *b)* praeparatio diluvii (6, 1—8) et quidem depravatio morum (6, 1—4) ac decretum Dei (6, 5—8).

C. 5. ℣. 1. **Hic est liber** *generationis Adam* (cf. pag. 44) i. e. hoc est instrumentum seu litterarum documentum historiae Adae (cf. pag. 43 s.). סֵפֶר, *βίβλος, liber* quodlibet scriptum, etiam breve, nominatur e. gr. libellum emptionis, libellum repudii, epistola (cf. Ier. 32, 12 ss., Deut. 24, 1. 3, 2 Reg. 11, 14; Gesenius, Passow, Georges). Hagiographus repetit ea, quae iam narravit (cf. pag. 44). *In die, qua* (בְּיוֹם cf. pag. 45) *creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum* (cf. pag. 19 s.).

℣. 2. **Masculum et feminam** *creavit eos, et benedixit illis* (1, 27 s.): *et vocavit nomen eorum Adam* (cf. pag. 18 et 49), *in die quo*, בְּיוֹם, *creati sunt.* Hanc impositionem nominis antea non notaverat (Dillmann, Hummelauer, Hoberg).

Varias coniecturas criticas, quas Holzinger hic profert, etiam Gunkel improbat. — בְּיוֹם הִבָּרְאָם cum בְּהִבָּרְאָם comparari potest (Hummelauer). — LXX versum 1 s. minus accurate vertunt: *Αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως ἀνθρώπων*, אָדָם. *ἡ ἡμέρᾳ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν Ἀδάμ*, אָדָם, ... *καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἀδάμ*, שְׁמָם אָדָם.

℣. 3. **Vixit autem Adam** *centum triginta annis* (ita Hebr., Pesch., Sam.; LXX contra 230): *et genuit* scil. filium (ut Sixtina habet) *ad imaginem et similitudinem suam,* ita ut etiam filius imago Dei fuerit (cf. pag. 19 s.), *vocavitque nomen eius Seth* (4, 25). Iuxta hunc ℣. Adam filio nomen indidit, iuxta 4, 25 Eva; simili modo tam Maria (Luc. 1, 31) quam Ioseph (Matth. 1, 21) nomen Iesu imposuerunt.

Bene Hummelauer contra Dillmann scribit: „Monuit iam Aug. nihil esse, cur adstruamus recenseri primogenitos. Cf. Rup. Plane incredibile est homines eos, quos Deus iussisset crescere et multiplicari, centenis annis et amplius ab opere generationis abstinuisse aut Adamum, postquam duorum filiorum (et saltem unius filiae) pater exstiterat, centum triginta annis alium filium genuisse nullum. Recensentur non primogeniti, sed maiores primum Abrahae atque inde ipsius servatoris." — Post וַיּוֹלֶד inserendum esse בֵּן, etiam Ball, Holzinger, Kittel iudicant; contra Dillmann, qui ob 6, 4; 16, 1; 30, 1 hoc negat, Holzinger urget, in illis

locis יָלַד non הוֹלִיד haberi atque propagationis generatim mentionem fieri. — Pro בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ Kittel cum c. 45 manuscriptis כִּדְמוּתוֹ בְּצַלְמוֹ ut 1, 26 legendum putat.

℣. 4. **Et facti sunt dies** *Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni* (ita Hebr., Pesch., Sam.; LXX contra 700): *genuitque filios et filias.* Ultima verba ex contextu ita accipi possunt, ut isti filii filiaeque non post, sed praeter Seth geniti sint (Hummelauer contra Dillmann).

℣. 5. **Et factum est omne tempus** (יְמֵי i. e. dies ut ℣. 4.) *quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est.* Enumerantur maiores Abrahae et Christi (cf. ℣. 3), notantur anni aetatis, repetitur illud horrendum (Strack 19) *et mortuus est.* Quibus hagiographus monstrat, firmam esse promissionem divinam (3, 15) et mortis sententiam (2, 17), atque „fidem creationis rerum Deique cognitionem et cultum“ in linea Sethitarum pure tradi et conservari potuisse (cf. Lapide).

Quod Hummelauer cum Caietano asserit, eo „sensu omnibus grandaeviorem obiisse Adamum, quatenus perfectae aetatis, in qua creatus sit, anni non numerentur“, vix probabile est. Nam etiamsi cum nonnullis supponamus, Adamum in aetate circiter triginta annorum (quae sententia demonstrari nequit) creatum fuisse, tamen annos Mathusalae (969) et Iared (962) non complevit. Videas I. excursum.

℣. 6. **Vixit quoque Seth** *centum quinque annis* (ita Hebr., Pesch., Sam.; LXX contra 205), *et genuit Enos* (4, 26).

℣. 7. **Vixitque** *Seth postquam genuit Enos, octingentis septem annis* (ita Hebr., Pesch., Sam.; LXX contra 707), *genuitque filios et filias* (cf. ℣. 4).

℣. 8. **Et facti sunt omnes dies** *Seth nongentorum duodecim annorum, et mortuus est* (cf. ℣. 5).

℣. 9. **Vixit vero Enos** *nonaginta annis* (ita Hebr., Pesch., Sam.; LXX contra 190), *et genuit Cainan,* קֵינָן i. e. filium, genitum (Fürst) idem ac קַיִן.

℣. 10. **Post cuius ortum vixit,** וַיְחִי אֱנוֹשׁ אַחֲרֵי הוֹלִידוֹ uti ℣. 7, *octingentis quindecim annis* (ita Hebr., Pesch., Sam.; LXX contra 715), *et genuit filios, et filias* (cf. ℣. 4).

℣. 11. **Factique sunt omnes dies** *Enos nongenti quinque anni, et mortuus est* (cf. ℣. 5).

℣. **12. Vixit quoque Cainan** *septuaginta annis* (ita Hebr., Pesch., Sam.; LXX contra 170), *et genuit Malaleel,* מַהֲלַלְאֵל i. e. gloria est Deus (Fürst).

℣. **13. Et vixit** *Cainan postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis* (ita Hebr., Pesch., Sam.; LXX contra 740), *genuitque filios et filias* (cf. ℣. 4).

℣. **14. Et facti sunt omnes dies** *Cainan nongenti decem anni, et mortuus est* (cf. ℣. 5).

℣. **15. Vixit autem Malaleel** *sexaginta quinque annis* (ita Hebr., Pesch., Sam.; LXX contra 165), *et genuit Iared,* יֶרֶד i. e. demissum, descensum (Fürst).

℣. **16. Et vixit** *Malaleel postquam genuit Iared, octingentis triginta annis* (ita Hebr., Pesch., Sam.; LXX contra 730): *et genuit filios et filias* (cf. ℣. 4).

℣. **17. Et facti sunt omnes dies** *Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, et mortuus est* (cf. ℣. 5).

℣. **18. Vixitque Iared** *centum sexaginta duobus annis* (ita Hebr., Pesch., LXX; Sam. 62), *et genuit Henoch* (cf. 4, 17).

℣. **19. Et vixit** *Iared postquam genuit Henoch, octingentis annis* (ita Hebr., Pesch., LXX; Sam. 785), *et genuit filios et filias* (cf. ℣. 4).

℣. **20. Et facti sunt omnes dies** *Iared nongenti sexaginta duo anni* (ita Hebr., Pesch., LXX; Sam. 847), *et mortuus est* (cf. ℣. 5).

℣. **21. Porro Henoch vixit** *sexaginta quinque annis* (ita Hebr., Pesch., Sam.; LXX contra 165), *et genuit Mathusalam,* מְתוּשֶׁלַח i. e. virum armorum (Fürst).

℣. **22. Et ambulavit** *Henoch cum Deo,* וַיִּתְהַלֵּךְ חֲנוֹךְ אֶת־הָאֱלֹהִים. Haec phrasis *cum Deo ambulavit* praeter hunc locum in 6, 9 dumtaxat occurrit. Si consideramus, quod inter omnes aequales solus Henoch translatus solusque Noe cum familia sua servatus est, cum Dillmann statuere debemus, hanc phrasim plus significare quam *ambula coram me,* הִתְהַלֵּךְ לְפָנַי in 17, 1: eximiam videlicet iustitiam et familiarissimam cum Deo conversationem. *et vixit, postquam genuit Mathusalam, trecentis annis* (ita Hebr., Pesch., Sam.; LXX contra 200), *et genuit filios et filias* (cf. ℣. 4). Illud *et vixit,* וַיְחִי, cum Vulgata et LXX Luciani Gunkel, Hummelauer, Kittel textui inserendum iudicant.

℣. 23. **Et facti sunt omnes dies** *Henoch trecenti sexaginta quinque anni.* Pro וַיְהִי cum c. 40 manuscriptis et Samaritano וַיִּהְיוּ legendum est (Kittel).

℣. 24. **Ambulavitque cum Deo,** quod repetitur ad declarandum factum extraordinarium sequens (Dillmann), nimirum *et non apparuit: quia tulit eum Deus.* Hic loquendi modus, ab isto *et mortuus est* discrepans, innuit pium Henoch sine morte a terra in alium locum translatum fuisse (Dillmann et Hummelauer cum reliquis): eum mirabiliter disparuisse (וְאֵינֶנּוּ cf. 42, 36; 3 Reg. 20, 40) utpote a Deo ablatum (cf. 4 Reg. 2, 9. 11). Videas III. excursum.

℣. 25. **Vixit quoque Mathusala** *centum octoginta septem annis* (ita Hebr., Pesch.; Sam. 67, LXX recepta 167, LXX Iosephi 187), *et genuit Lamech* (cf. 4, 18).

℣. 26. **Et vixit** *Mathusala, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis* (ita Hebr., Pesch.; Sam. 653, LXX recepta 802, LXX Iosephi 782), *et genuit filios et filias* (cf. ℣. 4).

℣. 27. **Et facti sunt omnes dies** *Mathusala nongenti sexaginta novem anni* (ita Hebr., LXX, Pesch.; Sam. contra 720), *et mortuus est* (cf. ℣. 5).

℣. 28. **Vixit autem Lamech** *centum octoginta duobus annis* (ita Hebr., Pesch., LXX Iosephi; Sam. 53, LXX recepta 188), *et genuit filium:*

℣. 29. **vocavitque nomen eius** *Noe,* נֹחַ i. e. consolationem (Fürst) vel quietem (Gesenius et alii plerique, cf. Dillmann). *dicens: Iste consolabitur nos* (יְנַחֲמֵנוּ, LXX διαναπαύσει ἡμᾶς, יְנִיחֵנוּ, quam lectionem Kittel praefert) *ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus,* i. e. hic filius nos homines consolabitur vel requiescere faciet ab opere nostro, מִמַּעֲשֵׂנוּ, et a labore seu molestia, וּמֵעִצְּבוֹן, manuum nostrarum, et quidem ab humo, מִן־הָאֲדָמָה, cui Iahve maledixit (cf. 3, 17 ss., Gunkel). „Reapse Lamechum prophetasse, inde ab Ephr. communiter censent interpretes" (Hummelauer). Sed quid Lamech prophetavit, et quomodo Noe hominibus solatium praebuit? Contextu illa sententia commendatur, quam iam Lapide inter alias affert, nimirum „quia Noe plantavit vites et adinvenit vinum, quod est solatium cordis humani". Ita etiam Boehmer et Holzinger cum Budde (cf. 9, 20; Ps. 103, 15:

Prov. 31, 6 s.). Lapide addit: „Rursum, quia Noe a Deo fuit concessus usus carnium, quibus vita hominum roboratur“ (cf. 9, 3).

Fürst nomen נֹחַ a נָח = נָחַם derivat, Gesenius a נוּחַ ita ut נֹחַ idem sit ac נוֹחַ; alias etymologias improbabiles Dillmann enumerat. Ceterum pag. 63. videas. — Pro מִמַּעֲשֵׂנוּ habent c. 50 manuscripta, Samaritanus, LXX, Peschitta מִמַּעֲשֵׂינוּ, atque pro מִן־הָאֲדָמָה habent LXX, Peschitta וּמִן־הָאֲדָמָה. — Dillmann vertit: „hic nos (genus humanum) respirare faciet a labore nostro et molestia manuum nostrarum, quae nobis provenit ab humo, cui Iahve maledixit“, et explicat: Lamech desiderare virum, qui novam periodum incipiat et homines ad vitam meliorem (gratia Dei adiuvante) perducat. Similiter Lapide: „Et maxime hisce verbis prophetat Lamech de Noe filio suo, quod ipse erit generis humani, diluvio pene absumendi, reparator . . . et quod ipse mundo Deum Deique beneficentiam conciliabit, quodque ex eo nascetur Messias, inquit Rupertus, qui nostra est requies et consolatio.“ Utrum haec sententia obiective utique vera illis verbis enuntietur necne, dubium est. Aliter Hummelauer sentit. „Iam finge, inquit, Lamech blasphemum nomine filio imposito illud voluisse exprimere, brevi ipsam etiam maledictionem 3, 17 sqq. contra Adam pronuntiatam humanis artibus fore eludendam, fortasse ipsum fructum vitae e paradiso adhuc exstante nefaria fraude obtinendum . . . liberandum brevi fore hominem a laboribus et aerumnis pro peccato inflictis, imo ab ipsa morte.“ At Lamech blasphemum fuisse et diluvio absorptum, contextu demonstrari nequit, et quae finguntur valde improbabilia sunt. Vide I. excursum.

℣. 30. **Vixitque** *Lamech, postquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis* (ita Hebr., LXX Iosephi, Pesch.; Sam. 600, LXX recepta 565) *et genuit filios et filias* (cf. ℣. 4).

℣. 31. **Et facti sunt omnes dies** *Lamech, septingenti septuaginta septem anni* (ita Hebr., LXX Iosephi; Sam. 653, LXX recepta 753) *et mortuus est* (cf. ℣. 5). — *Noe vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem,* שֵׁם i. e. nomen, *Cham,* חָם i. e. calidum (Gesenius) vel fuscum (Fürst), *et Iapheth,* יֶפֶת i. e. dilatantem (Fürst) vel late patentem (Gesenius). Verba textus non cogunt nos, ut tres filios eodem anno natos asseramus (Dillmann, Hummelauer, Hoberg).

Pro וַיְהִי legendum est וַיְחִי ut ℣. 23 (Kittel). — Lapide notat, „non videri (licet id videatur S. Chrysostomo) Noe ad annum 500. abstinuisse coniugio: ergo alios ante Sem, Cham et Iapheth genuit filios, qui mortui sunt ante diluvium“ (cf. pag. 116).

Excursus I.

De numerorum diversitate et genuinitate.

Ad numeros hodierni textus Hebraici (H), quocum Vulgata et Peschitta congruunt, Samaritani (S), Graeci recepti (LXX) et Iosephi Flavii *(cursive),* quos omnes in pagina sequenti sub uno et quidem tali aspectu ponimus, quali diversitas statim patescat, has notas adiungimus.

Si anno mundi, quo quis genitus est, anni omnes aetatis eius; vel si anno mundi, quo quis genuit, anni reliqui aetatis eius adduntur: invenitur annus mundi, quo ille obiit, quemadmodum patet. Et si numeri annorum adduntur, quibus singuli filios primo nominatos genuerunt, summa conficitur, quae annum diluvii et in sequentibus etiam aetatem mundi seu generis humani indicare videtur. Videas tamen excursum IV. post 9, 29 positum.

Numeri in variis testibus non iidem sunt. Samaritanus ab Hebraico hodierno discrepat quoad annos Iared, Mathusala, Lamech; qui tres iuxta textum Samaritanum anno mundi 1307, quo diluvium venit, mortui sunt: inde tamen non necessario sequitur, ipsos diluvio periisse, potuerunt antea mori. Septuaginta annos gignendi 100 annis auxerunt, restantes vero 100 annis minuerunt, si Iared, Mathusala, Lamech, Noe excipiamus; iuxta Septuaginta et Hebraicum hodiernum solus Mathusala anno diluvii mortuus est: in LXX recepta manifesto errore 2256 mortuus dicitur, cum diluvium anno 2242 assignetur.

Controversantur inter se viri docti, quales numeros genuinos iudicare debeamus. Septuaginta interpretes respicientes ad historiam Aegyptiorum numeros originales mutasse, quasi omnes concedunt, ergo aut Samaritani aut Hebraici hodierni partes sequamur oportet. Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hummelauer, Hoberg numeros Samaritani amplectuntur; Frz. Delitzsch et Strack tamen cum plerisque aliis (cf. Dillmann 111, Zschokke) numeros Hebraici hodierni genuinos iudicant, quibus assentimur. Nam iidem numeri etiam in Vulgata et Peschitta, testibus non spernendis, leguntur neque tam consequenter ordinati reperiuntur quam numeri Septuaginta atque etiam Samaritani.

Patriarcha	Genuit						Vixit			Obiit					
anno	vitae			mundi			postea			vitae			mundi		
iuxta	H	S	LXX	H	S	LXX	H	S	LXX	H	S	LXX	H	S	LXX
1. Adam . .	130	130	230	130	130	230	800	800	700	930	930	930	930	930	930
2. Seth . .	105	105	205	235	235	435	807	807	707	912	912	912	1042	1042	1142
3. Enos . .	90	90	190	325	325	625	815	815	715	905	905	905	1140	1140	1340
4. Cainan .	70	70	170	395	395	795	840	840	740	910	910	910	1235	1235	1535
5. Malaleel .	65	65	165	460	460	960	830	830	730	895	895	895	1290	1290	1690
6. Iared . .	162	62	162	622	522	1122	800	785	800	962	847	962	1422	1307	1922
7. Henoch .	65	65	165	687	587	1287	300	300	200	365	365	365	987	887	1487
8. Mathusala	187	67	167 *187*	874	654	1454 *1474*	782	653	802 *782*	969	720	969	1656	1307	2256
9. Lamech .	182	53	188 *182*	1056	707	1642 *1656*	595	600	565 *595*	777	653	753 *777*	1651	1307	2207 *2251*
10. Noe . .	500	500	500	1556	1207	2142 *2156*	450	450	450	950	950	950	2006	1657	2592 *2606*
Diluvium . .	600	600	600	1656	1307	2242 *2256*									

Excursus II.

De longaevitate Patriarcharum.

Patriarchae i. e. familiae capita seu gentis auctores (*πατριά*, et *ἀρχή*) plurimis annis vixerunt, nimirum iuxta textum probabiliorem Adam, Seth, Enos, Cainan, Iared, Mathusala, Noe plus quam 900; Malaleel plus quam 800; Lamech plus quam 700 annis. Nunc autem nullus homo 200., relative pauci 100. annum attingunt. De qua re alii aliter sentiunt.

Alii dixerunt, annos non spatia duodecim, sed pauciorum mensium denotare; alii opinabantur, nomina Patriarcharum non individua, sed gentes significare. Sed hae opiniones nunc obsoletae sunt, quia cum usu loquendi Scripturae et contextu conciliari nequeunt (Holzinger). — Ipse Holzinger putat, istos annos in phantasia scriptoris dumtaxat exstitisse, non autem in rerum veritate. Quae sententia etiam repudianda est. Nam idem atque unus Deus inspirans, qui decem Patriarchis prioribus iuxta omnes testes criticos vitam mire longam attribuit, de posteriore tempore testatur: *dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni: et amplius eorum, labor et dolor* (Ps. 89, 10). *Numerus dierum hominum ut multum centum anni* (Eccli. 18, 8); atque Iacobum 130 annorum sic ad Pharaonem loquentem inducit: *Dies peregrinationis meae centum triginta annorum sunt, parvi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt* (Gen. 47, 9). Ergo tam parvi quam magni numeri suscipiendi sunt, quia ab eadem auctoritate nobis proponuntur.

Catholici interpretes (Hummelauer, Hoberg, Selbst, Zschokke cum antiquioribus) necnon Strack 39 s. ad declarandam longaevitatem Patriarcharum priorum varias causas afferunt, quas iam Lapide ad 5, 5 collegerat. Tales erant: „bonitas primaeva complexionis et temperamenti corporis in primis hominibus"; Selbst ad plantas et animalia provocat, quae in visceribus terrae inveniuntur ac maiores et robustiores apparent quam hodiernae; ab his ad hominum conditionem concludimus. . . . „sobrietas, quae tanta fuit, ut nec carnibus nec vino uterentur; . . . primus vigor terrae, fructuum et alimentorum, quae initio creationis suae longe vivaciora et succulentiora et efficaciora erant quam iam, cum sunt effeta; . . . Dei voluntas et arcana cooperatio", ut homines citius

propagari atque revelationem originalem et historiam generis humani pure tradere et conservare possent. Pauca ista facta publica et gravia, quae in Genesi narrantur, depravari non potuerunt, si Patriarchae tot annis vixerunt ac filiis filiorum testabantur. Bene Lapide cum Lipomano „magis Dei miraculo, quam naturae hanc longaevitatem attribuit"; et belle Strack cum Zöckler eam splendorem gloriae paradisi magis magisque, post diluvium praecipue, obsolescentem appellat.

Excursus III.

De vita, translatione et reditu Henoch.

Henoch, initiatum seu magistrum, prophetasse, Deo placuisse et sine morte in locum amoenum translatum esse; in fine mundi autem cum Elia venturum et martyrio coronandum esse, Scriptura et exegesis traditionalis (Hoberg) docet.

a) Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quae locuti sunt contra Deum peccatores impii. Hic locus Iudae (℣. 14 s.) ex libro apocrypho Henoch (I, 9) sumptus videtur ut iam Tertullianus, Hieronymus et Augustinus notarunt (cf. Bisping et Burger ad h. l.); nihilominus ex decreto Tridentino (Denzinger, num. 666) et Vaticano (ibi, num. 1656) inspiratus et canonicus suscipiendus est: non ideo ac si liber Henoch inspiratus fuisset, sed ideo quod Iudas Deo movente et illustrante haec verba assumpsit. Libri apocryphi enim non tantum falsa, sed etiam vera continent, quae scriptores inspirati adoptare possunt. — *Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus poenitentiam* (Eccli. 44, 16). *Nemo natus est in terra qualis Henoch: nam et ipse receptus est a terra* (ibi 49, 16). Illa verba *in paradisum* desunt in textu Graeco: ergo hagiographus non manifestat, in qualem locum Henoch translatus sit. *Fide Henoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur: quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo* (Hebr. 11, 5). Quibus verbis Paulus locos Genesis et Ecclesiastici repetit.

b) De reditu Egger 1044 s. scribit: „Tertium signum (adventus Christi) est reditus Henoch et Eliae; quod quidem tam clare in Scriptura continetur et tam constanter a Patribus traditur, ut id iuxta Suaresium aut de fide sit aut fidei valde proximum." Mitius et verius tamen Hurter iudicat: „De Eliae (et Henoch) reditu vix dubitare licet, si patribus

credimus (III, 633) ... plures patres et theologi innixi Apoc. 11, 3 ss.: *et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis . . . Et cum finierint testimonium suum, bestia, quae ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, et vincet illos, et occidet eos,* censent, eos in fine mundi esse morituros“ (III, 577). Eliam venturum esse. Scriptura (Matth. 17, 10—12; Mal. 4, 5 s.; Eccli. 48, 1—15) clare quidem enuntiat; cum eo Henoch quoque venturum esse, explicite non asserit. Etenim illud Eccli. 44, 16 *ut det gentibus poenitentiam* de aequalibus eius intelligi possunt, cum in textu Graeco *ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς* legamus; in Apocalypsi autem nomina testium non recensentur, quare plures putant, Moysen et Eliam intelligendos esse (cf. Bisping et Bousset): Patres tamen consensu unanimi, ut Bousset quoque concedit, Henoch venturum esse affirmant. Et haec sententia cum alia illa sententia Ecclesiae „quae asserit omnes morituros esse nemine excepto“ (Catech. Conc. Trid., p. 1. c. 12. q. 6) optime congruit. Videas quae in editione N. T. Graeca-Latina II, 367 s. scripsimus.

Iuxta textum Hebraicum, Syriacum et Latinum omnes Patriarchae, solis Ada et Noe exceptis, vitam sanctam atque translationem Henoch experti sunt: quare factum istud extraordinarium bene memoria primorum hominum et posterorum retineri potuit, immo debuit. Ergo impossibilis est opinio, quam Gunkel 124 et Holzinger defendunt, videlicet Henoch esse figuram mythologicam, deum solis qui post 365 dies aufugit. Si incolae Asiae minoris de Nannaco, rege Iconii, et Babylonii de Xisuthro similia narrant: non sequitur, ut Dillmann recte notat, narrationem biblicam a narratione mythica Gentium dependere; ambae ex communi traditione generis humani haustae sunt (cf. pag. 95).

Liber Henoch saeculo II. a. Ch. Aramaice conscriptus et postea retractatus est, qui nunc 105 capitibus constat: integer in versione Aethiopica, mancus in Graeca habetur. Plures Patres eum genuinum iudicarunt, sed Ecclesia ipsa numquam libris canonicis annumeravit. En argumentum. 1—5 introductio: visio, qua Henoch historiam saeculorum vidit. 6—11 lapsus Angelorum i. e. filiorum Dei (cf. pag. 128) describitur; 12—16 Henoch lapsis iudicium Dei nuntiare debet. 17—36 Henoch itinerans ab Angelis summis de mundo instruitur. 37—71 de habitatoribus et mysteriis caeli necnon de Messia et iudicio eius docetur. 72—82 in astronomia instituitur. 83—90 videt futurum diluvium et historiam Israel usque ad Messiam. 91—105 Henoch de 10 hebdomadibus mundi plura tradit, iustos et impios admonens. Videas Zöckler, Die Apokryphen; Strack, Einleitung; Schürer, Geschichte des Jüdischen Volkes, Leipzig, 1898/1902, ubi haec diffusius exponuntur.

Excursus IV.

De similitudine tabulae Cainitarum, Sethitarum, et regnum Babyloniorum.

a) Plerique recentiores interpretes acatholici (cf. Ieremias 117, Strack[2]) cum Buttmann et Budde asserunt, unam eandemque tabulam, aliquantulum mutatam, bis poni: primo ut genealogiam Cainitarum, secundo ut genealogiam Sethitarum, quod assertum Boehmer sic illustrat:

Adam	Adam
Seth	|
Enos	|
Kenan	Kain
Mahalaleel	Henoch
Iared	Irad
Henoch	Mahujael
Methusalah	Methusael
Lamech	Lamech
Noah	|

Contra hanc opinionem cum Strack[2] statuimus: *α)* in utraque tabula duo tantum nomina eadem sunt, scil. Henoch et Lamech; reliqua sunt similia dumtaxat. — *β)* Ad ista nomina in utraque tabula quaedam adiunguntur, quibus homines eodem nomine appellati distinguuntur: ex nomine Henoch Cainitae prima civitas vocabatur, Henoch Sethita sanctissime vixit et sine morte translatus est; Lamech Cainita duas uxores, tres filios inventores rerum novarum et filiam habuisse necnon carmen composuisse scribitur, Lamech Sethita de filio suo Noe prophetasse narratur. — *γ)* Iahvista (videas introductionem), cui genealogiam Cainitarum attribuunt, etiam tabulam Sethitarum habuit, cum prophetia Lamech Sethitae (5, 29) ad Iahvistam pertineat, quemadmodum ipsi recentiores affirmant. Ergo non una eademque tabula earumdem personarum bis proponitur.

b) Schrader-Zimmern 539 et plures alii affirmant, vix dubitandum esse, quin traditio biblica de 10 Patriarchis eadem sit ac traditio Babylonica de 10 regibus antediluvianis, qui iuxta Berosum fuerunt (ibi 531):

1.	*Ἄλωρος ἐκ Βαβυλῶνος Χαλδαῖος*	regnans	36.000	annis.
2.	*Ἀλάπαρος υἱὸς Ἀλώρου*	regnans	10.800	annis.
3.	*Ἀμήλων ὁ ἐκ Παντιβίβλων*	regnans	46.800	annis.
4.	*Ἀμμένων ὁ Χαλδαῖος* e Parmibiblon	regnans	43.200	annis.
5.	*Μεγάλορος ἐκ Παντιβίβλων πόλεως*	regnans	64.800	annis.
6.	*Δάωνος ποιμὴν ἐκ Παντιβίβλων*	regnans	36.000	annis.
7.	*Εὐεδώραχος ἐκ Παντιβίβλων*	regnans	64.800	annis.
8.	*Ἀμέμψινος Χαλδαῖος ἐκ Λαράγχων*	regnans	36.000	annis.
9.	*Ὠτιάρτης Χαλδαῖος ἐκ Λαράγχων*	regnans	28.800	annis.
10.	*Ξίσουθρος υἱὸς Ὠτιάρτου*	regnans	64.800	annis.

Inter tabulam Sethitarum et tabulam Babyloniorum *α)* nonnullae similitudines agnoscendae sunt, scilicet: in utraque decem viri recensentur et cuilibet longum tempus vitae assignatur; in utraque tertius vocatur homo (Enos = homo atque Amelon = amêlu = homo) et quartus opifex (Kenan = faber atque Ammenon = ummânu = opifex); in utraque septimus (Henoch atque Euedorachus = Enmeduranki) scientiis initiatus et octavus tempore diluvii vivens proponitur. — *β)* Sed his similitudinibus officiunt et obstant dissimilitudines, videlicet: pleraque nomina diversa sunt; Sethitae (et Cainitae) auctores generis humani, viri Babylonii reges unius populi vocantur; in tabula biblica anni vitae Patriarcharum, in tabula Babylonia anni regiminis enumerantur iique omnino fabulosi. Quapropter non solum Nikel 171 et Selbst, verum etiam Dillmann 109 et Strack[2] negant, tabulam biblicam e Babylonia desumptam esse. Ambae ex eadem traditione generis humani fluxerunt, quae in tabula biblica pura, in Babylonia autem depravata habetur. Confer pag. 95 et Nickel 173.

C. 6. ℣. 1. Cumque coepissent homines, וַיְהִי כִּי־הֵחֵל הָאָדָם i. e. *καὶ ἐγένετο ἡνίκα ἤρξαντο οἱ ἄνθρωποι, multiplicari* (cf. 1, 28) *super terram,* עַל־פְּנֵי הָאֲדָמָה, *et filias procreassent;* LXX accuratius vertunt: *καὶ θυγατέρες ἐγεννήθησαν αὐτοῖς.* Hagiographus in antecedentibus genealogiam Cainitarum (4, 17—24) et Sethitarum (5, 3—31) texuit, nunc connubia amborum et depravationem morum inde sequentem exponit. Vocabulum homines significatione generali accipiendum est, qua bonos et malos, Sethitas et Cainitas comprehendit, uti articulus indicat et interpretes plerique intelligunt; procrearunt quidem et filios (5, 4 ss.), sed propter sequentia hic filiae dumtaxat nominantur.

℣. 2. Videntes filii Dei, וַיִּרְאוּ בְנֵי־הָאֱלֹהִים, i. e. viri pii seu Sethitae, *filias hominum* scil. ceterorum, hominum malorum seu Cainitarum, *quod essent pulchrae,* טֹבֹת הֵנָּה (cf. 2, 9) *acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant* i. e. matrimonio secum coniunxerunt quascumque, מִכֹּל, elegerant (cf. Gesenius-Kautzsch 386, nota 2): ducebantur sola libidine (Dillmann; cf. ℣. 3). — Nuncupatio filiorum Dei hic homines significat, nam homines dumtaxat in Scriptura matrimonia inire (לָקַח נָשִׁים) et filios gignere (cf. ℣. 4) dicuntur, numquam Angeli; et homines diluvio deleti sunt, non Angeli. Significat vero non quoslibet homines, sed pios: Deum verum colentes, invocantes (cf. Ex. 4, 22 s.; Deut. 14, 1; 32, 5; Ps. 72, 15; 81, 6; Isa. 1, 2; Ier. 31, 9. 20;

Os. 11, 1; Matth. 5, 9; Luc. 6, 35 s.; Ioan. 1, 12; 11, 52; Rom. 8, 14 ss.; 9, 8. 26; 2 Cor. 6, 18; Phil. 2, 15; 1 Ioan. 3, 1 ss.). Tales fuerunt Sethitae (4, 26). Ita nomen intelligunt Iulius Africanus, Ephrem, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus Alex., Theodoretus, Lapide, Hoberg, Hummelauer, Schöpfer, Selbst, Zschokke atque Strack cum Protestantibus antiquioribus. — Quae cum ita sint, filiae hominum eaedem sunt ac filiae malorum, filiae Cainitarum, qui sibi non Deo confidebant (cf. 4, 24). Ne dicant, vocabulum hominum, הָאָדָם, in ℣. 2. generaliter sumendum esse, quemadmodum in ℣. 1., nam in aliis quoque locis Scripturae idem vocabulum primo universaliter, deinde particulariter intelligendum est, e. gr. Israel Iud. 16, 31 et 19, 30 duodecim tribus, sed 20, 1. 3 undecim tantum; homines saepissime omnia animalia rationalia, Ier. 32, 20 tamen illa dumtaxat, quae ad Israel non pertinebant, significat (Hummelauer, Strack). Eodem modo idem vocabulum ob contextum in ℣. 1. omnes homines, in ℣. 2. autem eos tantum, qui ad filios Dei non pertinebant, comprehendit.

Iudaei *filios Dei*, בְּנֵי־הָאֱלֹהִים, filios principum, nobilium (cf. pag. 1); *filias hominum* autem plebeculas interpretabantur. Sed haec interpretatio hodie repudiatur, quia contra contextum est: ex talibus enim coniugiis depravatio morum declarari nequit. — Plures antiquiores (Iosephus, Philo, Iustinus, Irenaeus, Clemens Alex., Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius etc.) necnon recentiores (Frz. Delitzsch, Dillmann, Gunkel, Holzinger aliique) *filios Dei* Angelos intelligunt, cum hi Iob 1, 6; 2, 1; 38, 7; Ps. 28, 1; 88, 7; Dan. 3, 92 (25) ita appellentur; peccatum eorum Iudae 6 et 2 Petr. 2, 4 doceatur et cum mythologia Gentium bene congruat, atque ex tali dumtaxat coniunctione gigantes declarari possint. Sed falsus est hic intellectus, nam: *α)* Angeli sunt puri spiritus, qui cum hominibus connubia inire nequeunt. „Angelos carere corpore seu esse spiritus puros, inquit Hurter II, 335, non est de fide: sententia tamen ita in scholis christianis recepta et definitioni lateranensi conformis (cf. pag. 2), ut temerarium foret, id in dubium revocare." *Respondens autem Iesus, ait illis* (Sadducaeis): *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in caelo* (Matth. 22, 29 s.). *β)* Secundum Iudam 6 atque 2 Petr. 2, 4 nonnulli Angeli peccarunt quidem, at species peccati non indicatur. *γ)* Si Angeli cum filiabus hominum peccassent, etiam puniti fuissent cum eis uti serpens cum Eva: at nihil de poena Angelorum textus continet. *δ)* Angeli in Scriptura vocantur quidem filii Dei, sed in libris poeticis tantum; in libris historicis homines ita appellantur. Ceterum si eadem vox ex usu

loquendi tum Angelos tum homines significare potest, ex contextu determinandum est, quid in certo quodam loco denotet; contextus autem in hoc loco prohibet, quominus Angelos intelligamus. *ε)* Quod Dillmann 118 et Gunkel asserunt, nimirum fragmentum mythologicum hic intextum esse, admitti nequit. Etenim scriptor inspiratus populo ad polytheismum inclinato nullatenus fragmentum polytheisticum proposuisset; praeterea narrationem sic refert, ut eam approbet atque ex ea diluvium declaret: ergo valent illa quae pag. 37. scripta sunt. *ζ)* Ex coniunctione Sethitarum et Cainitarum gigantes prodire non potuisse, ut Dillmann putat, verum non est. Videas explicationem Ꝟ. 4.

Ꝟ. **3. Dixitque Deus,** יְהוָה, *κύριος ὁ θεός· Non permanebit spiritus meus* (cf. 2, 7) *in homine,* בָּאָדָם i. e. in genere humano, *ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις* (vide Ꝟ. 1) *in aeternum,* לְעֹלָם i. e. in incertum seu in longissimum tempus vel semper (Gesenius): auferam spiritum vitae a genere humano, delebo illud, *quia caro est,* corruptum et vitiosum (S. Chrysostomus, S. Ambrosius, Lapide, Biehl, Hummelauer, Strack). *eruntque dies illius* scil. hominis seu generis humani *centum viginti annorum,* quibus exactis delebitur, nisi poenitentiam egerit (S. Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Augustinus, Lapide, Hoberg, Hummelauer, Strack). Cum diluvium anno 600. Noe, et iuxta probabiliorem sententiam (cf. pag. 121) anno 1656. mundi venerit: hoc decretum Dei anno 1536. mundi vel anno 480. Noe hominibus per Noe, *iustitiae praeconem* (2 Petr. 2, 5), promulgatum est (Lapide, Strack).

בָּשָׂר, *σάρξ, caro* significat: totam massam mollem corporis animalium rationalium aut irrationalium vel partem eius; totum corpus animalium illorum; ipsum animal rationale aut irrationale; consanguineum vel cognatum; hominem, quatenus fragilis et debilis est; hominem, quatenus corruptus et vitiosus est, quatenus appetitum sensitivum (cf. pag. 66 et 72), concupiscentias et passiones in corpore regnantes sequitur (Buhl, Fürst, Gesenius, Siegfried-Stade, Wahl). Ultimam significationem in hoc loco retinere debemus propter contextum proximum (ꝞꝞ. 5 et 12) atque remotum: *erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes* (Matth. 24, 38). — Propter praecedens *ἀνθρώποις* hic LXX vertunt: *διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς σάρκας.* — Verba *eruntque dies illius centum viginti annorum* iuxta contextum de homine generatim seu de genere humano (cf. ꝞꝞ. 1 et 5 ss.), non de singulis hominibus (uti Iosephus, Philo, Dillmann, Gunkel interpretantur) accipienda sunt, quia sic intellecta iis contradicerent, quae 11, 10 ss. narrantur. Talem contradictionem a redactore neglectam fuisse, improbabilissimum est; quare

Holzinger cum Wellhausen ista verba qua glossam de textu resecat: sed hanc operationem criticam ipse Gunkel valde lubricam censet. — Quando filii Dei filias hominum ducere coeperint, verba textus non indicant (Hummelauer).

Explicavimus textum Latinum, quocum Graecus et Syrus convenit; Hebraicus difficultatibus refertus est. יָדוֹן in hoc tantum loco legitur; quid radix דּוּן significet, non eadem est omnium sententia: semper aliquid facere (Socin apud Buhl), potentem esse (Vollers ibi), regnare, dominari (cf. Buhl); humilem, inferiorem esse (Gesenius, Siegfried-Stade), litigare, iudicare (cf. Gesenius). In tanta incertitudine veteres translatores sequendi sunt, qui „verbum ידון habitandi vel manendi sensu acceperunt" (Gesenius). „Temere supponet quis, ait Hummelauer, versiones principales omnes casu in permanendi significationem conspirasse, aut omnes pariter aliquid a ידון diversum legisse": vel יָדוּם manebit, vel יָדוּר habitabit, vel יָלוּן manebit, vel יִכּוֹן stabit (cf. Gesenius, Dillmann). — *Quia caro est,* in Hebraico: בְּשַׁגַּם הוּא בָשָׂר alii בְּשַׁגָּם (cf. Kittel), ambae lectiones bonae sunt (Gesenius-Kautzsch 179). Cum Baer, Ginsburg, Gunkel בְּשַׁגַּם praeferimus, quam formam Gesenius-Kautzsch, Gunkel, Siegfried-Stade ex בְּ atque ־שַׁ vel ־שֶׁ = אֲשֶׁר (vide lexicon et Gen. 49, 10; Iud. 5, 7; 6, 17) et גַּם = *etiam, profecto* compositam docent. ־בְּשֶׁ = בַּאֲשֶׁר = *quia, eo quod;* גַּם non ad הוּא tantum sed ad totam sententiam, cuius vim auget, trahi (cf. Gesenius-Kautzsch 491), et in versionibus omitti potest (cf. Gesenius): propter testimonium versionum hanc declarationem probabiliorem iudicamus. Alia explicatio bona haec est: בְּשַׁגָּם est infinitivus שַׁג verbi שָׁגַג *errare* cum בְּ et suffixo masculino pluralis ־ָם (cf. Buhl, Fürst, Gesenius-Kautzsch 179), ut sit sensus: *in errore eorum ipse caro est.* Suffixum ־ָם *eorum* ad filios Dei, pronomen הוּא *ipse* ad hominem i. e. genus humanum referri, *error* autem coniugia cum filiabus hominum inita denotare potest. Isto errore filiorum Dei totum genus humanum, non Cainitae tantum, caro erat. Strack[2] tum pluralem ־ָם tum singularem הוּא ad אָדָם trahit, quod in tam arto contextu nimis durum videtur. Idcirco Fürst ־ָם non suffixum plurale, sed exitum adverbialem declarat. Hummelauer scribit: „De vocis בשגם interpretatione vix non desperans incidi in I. B. Zenner S. J. . . . corrigentem בשרם: caro eorum ipsa est caro; tota quanta est caro, nihil quam caro", et hanc mutationem textus laudat. At neque manuscriptis textus Hebraici vel versionibus probatur neque sensum plausibilem habet. — Gunkel et Holzinger cum Wellhausen *spiritum* materiam subtilem, ex qua Iahve et Angeli constant; *carnem* vero materiam illam, ex qua homines fiunt, intelligunt. Iste spiritus seu sanguis divinus *errore* filiorum Dei ducentium filias hominum in genus humanum transiit; quae commixtio spiritus et carnis displicuit Iahve, qui volebat, ut homines caro manerent: quare genus humanum ad consortium filiorum Dei elevatum ex invidia delendum decrevit, ne sanguis divinus semper in

homine carnali permaneret. Filios Dei i. e. Angelos non punivit Iahve, quia probabiliter potestatem non habuit. Supponunt, narrationem mythologicam esse, de qua causa excursum VI. sequentem videas.

℣. 4. **Gigantes autem:** etiam Samaritanus, Graecus et Syrus copulam exhibent, quare Hoberg recte וְהַנְּפִלִים legendum censet. Noti illi gigantes (nephilim cum articulo), i. e. homines robusti et magni, sed etiam superbi et violenti (Hoberg, Selbst, Zschokke), *erant super terram,* בָּאָרֶץ, *in diebus illis,* quibus scilicet homines multiplicari coeperunt super terram (℣. 1). *postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaeque genuerunt,* accuratius LXX: καὶ μετ' ἐκεῖνο ὡς ἂν εἰςεπορεύοντο κτλ., וְגַם־אַחֲרֵי־כֵן אֲשֶׁר יָבֹאוּ. Sensus est: „Gigantes antea iam fuerunt, praecipue autem (וְגַם cf. Buhl) multiplicati sunt ex illis matrimoniis mixtis, in quibus libido tantum viguit" (Zschokke cum Lapide). *isti sunt potentes a saeculo,* i. e. heroes, הַגִּבֹּרִים, primi temporis, quia etiam post diluvium tales erant (cf. Num. 13, 33 s.; Deut. 3, 11) *viri famosi,* qui prae ceteris magnum nomen adepti sunt: אַנְשֵׁי הַשֵּׁם (Num. 16, 2 Dillmann).

נְפִלִים Gesenius irruentes, violentos, Fürst robustos interpretatur, qui ad נָפַל, sanscr. *bal,* latin. *val*ere provocat. De nephilim in Scriptura haec legimus: *Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum . . . interierunt propter suam insipientiam* (Bar. 3, 26. 28). *Sed et ab initio cum perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens* (Sap. 14, 6). *Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suae virtuti* (Eccli. 16, 8). Erant igitur viri proceri et fortes, superbi et sibi confidentes, propter quam insipientiam aquis diluvii deleti sunt. Ipsos fuisse homines immanis vel fabulosae magnitudinis atque ingentes viribus ut gigantes et titanes Gentium, Scriptura nullibi docet. Num. 13, 33 s. legimus quidem: *populus, quem aspeximus, procerae staturae est. Ibi vidimus monstra quaedam,* הַנְּפִילִים, *filiorum Enac de genere giganteo,* מִן־הַנְּפִלִים, *quibus comparati, quasi locustae videbamur.* Sed haec verba ab exploratoribus mentientibus (13, 33 et 14, 23) pronuntiata sunt; Caleb et Iosue contra dixerunt: *neque timeatis populum terrae huius, quia sicut panem ita eos possumus devorare* (14, 9). Et si Deut. 3, 11 scriptum invenimus: *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius . . . novem cubitos* ($4^1/_2$ *m*) *habens longitudinis, et quattuor* (2 *m*) *latitudinis,* notamus cum Oettli et Steuernagel protestantibus, ibi mensuram non lecti proprie dicti, sed potius sarcophagi describi. — Si Gunkel et Holzinger cum Wellhausen contendunt,

nephilim fructus coniunctionis Angelorum et hominum ideoque personas mythologicas fuisse, dupliciter in textum peccant. Nam filii Dei non fuerunt Angeli; et iam ante coniugia filiorum Dei ac filiarum hominum isti nephilim erant, quod וְגַם = et etiam vel et praecipue indicat. — Iidem illa וְגַם־אַחֲרֵי־כֵן qua glossam incommodam expungere vellent, sed causa ad expungendum sufficiens non adest (Dillmann). — In ultima parte versus Vulgata bene indicavit varia subiecta sententiarum. — Hac ratione intellectus ℣. 4. cum ℣℣. 1—3 optime cohaeret et depravationem morum illustrat, quae sequentis decreti divini causa fuit.

℣. 5. **Videns autem Deus,** יְהוָֹה, *κύριος ὁ θεός, quod multa malitia hominum* i. e. voluntas hominum mala seu a Dei voluntate discrepans (cf. 2, 9), *esset in terra* (℣℣. 1 et 4), *et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum,* וְכָל־יֵצֶר מַחְשְׁבֹת לִבּוֹ רַק רַע i. e. et omne figmentum (verba et opera) cogitationum cordis eorum (ex quo procedunt: Matth. 15, 19) tantummodo malum *omni tempore* (Strack²). Ex his verbis Lapide colligit, homines illius temporis pessimos et sceleratissimos fuisse: „nil boni, sed omnia mala fecisse, idque ex libera sua malitia" (similiter Hummelauer).

℣. 6. **poenituit eum,** וַיִּנָּחֶם יְהוָֹה, *καὶ ἐνεθυμήθη ὁ θεός, quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus,* Hebraice simplicius: וַיִּתְעַצֵּב אֶל־לִבּוֹ i. e. et doluit animo suo (Gesenius); LXX minus accurate: *καὶ διενοήθη.* Videas ℣. sequentem.

℣. 7. **Delebo, inquit,** וַיֹּאמֶר יְהוָֹה אֶמְחֶה, *καὶ εἶπεν ὁ θεός· Ἀπαλείψω, hominem, quem creavi, a facie terrae:* qua phrasi Hebraica et Graeca (abstergam) omnipotentia Dei imbecillitati et humilitati omnium creaturarum graphice opponitur (Strack²). *ab homine usque ad animantia,* בְּהֵמָה i. e. domestica (cf. pag. 16) atque fera (6, 20; 7, 23; 8, 17; Dillmann), *a reptili usque ad volucres caeli;* lege potius: ad reptile et ad volucres. עַד־רֶמֶשׂ וְעַד־עוֹף (cf. pag. 16). Sensus est: abstergam tam homines quam animalia; nam haec formula *ab . . . usque ad,* מִן — וְעַד — עַד, saepe „universum rei ambitum, omnesque sine discrimine res, quae sub aliquo genere comprehenduntur", significat (Gesenius). *poenitet enim me fecisse eos.* Proprie poenitentia est animi dolor ac detestatio mali commissi aut omissi boni cum proposito aliter faciendi in posterum.

Deum proprie poenitere non posse, clarissimi loci (Gen. 1, 31; Num. 23, 19; 1 Reg. 15, 29) nos docent: ergo textus praecedentes improprie intelligendi sunt (cf. Exegeticam 102 s.). Deus *poenitet,* quatenus peccata hominum detestatur et homines a se creatos non amplius conservare vult, quos conservasset alioquin (Lapide, Selbst, Hoberg). Cum hominibus delentur etiam animalia, quae in servitium eorum destinata sunt et forsitan ad peccatum servierunt (cf. pag. 19 et 75; Lapide, Selbst, Hoberg).

Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack[2] cum Budde censent, verba *quem creavi* atque *ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres caeli* esse glossam ex sequentibus formatam et hic insertam. Reapse enumeratio brutorum cum sententia *Delebo hominem* non bene congruere videtur. Tales glossas etiam in authentica versione adesse, quin fidelitatem eius laedant, epilogus criticus (num. III.) ad meam editionem Vulgatae commonstrat. Videas et Bibelkritik 82 ss. et 148 ss. Tacent Hoberg et Hummelauer.

℣. 8. Noe vero invenit gratiam *coram,* בְּעֵינֵי, *Domino,* i. e. benevolentiam Domini et dona ex illa profluentia (cf. 7, 1; Luc. 1, 30).

3. Sectio. Generationes Noe, 6, 9—9, 29.

In hac sectione Noe nobis proponitur *a)* ante diluvium (6, 9—7, 16): quomodo iussu Dei arcam aedificaverit (6, 12—22) atque eam intraverit (7, 1—16). Deinde *b)* inter diluvium (7, 17—8, 12): quomodo aquis multiplicatis (7, 17—24) iterum decrescentibus (8, 1—5) volucres emiserit (8, 6—12). Denique *c)* post diluvium (8, 13—9, 29): quomodo egressus holocausta obtulerit (8, 13—22), a Deo paciscente benedictus sit (9, 1—17), ipse maledixerit ac benedixerit (9, 18—27) ac demum mortuus sit (9, 28. 29).

℣. 9. Hae sunt generationes Noe: Vide pag. 43 s. *Noe vir iustus,* צַדִּיק, *δίκαιος* i. e. iuxta legem seu voluntatem divinam agens (cf. lexica), *atque* (haec coniunctio in Hebraico et Graeco deest) *perfectus fuit,* תָּמִים, *τέλειος* i. e. non solum in maioribus verum etiam in minoribus se irreprehensibilem exhibuit (cf. Luc. 1, 6) et quidem *in generationibus suis,* inter aequales pessimos (℣. 5), *cum Deo ambulavit* (cf. 5, 22), scil. Noe, quod Hebraeus et Graecus addunt.

℣. **10. Et genuit** *tres filios, Sem, Cham, et Iapheth* (cf. 5, 31).

℣. **11. Corrupta est autem,** i. e. a bono statu originali in peiorem translata est (cf. ℣. 12) *terra,* הָאָרֶץ i. e. continens (cf. pag. 11), nam in ℣℣. 12 ss. terra diserte ab habitantibus super eam distinguitur, *coram Deo,* ante faciem, לִפְנֵי, iuxta iudicium Dei (Dillmann). *et repleta est* terra (quod Hebraeus et Graecus addunt) *iniquitate* vel potius saevitia חָמָס, qua homines et bruta grassabantur (cf. ℣℣. 4. 12 s.).

℣. **12. Cumque vidisset** *Deus terram esse corruptam,* וַיַּרְא . . . וְהִנֵּה נִשְׁחָתָה i. e. viditque Deus terram, et ecce erat corrupta: quae verba illis 1, 31 enuntiatis opponuntur (Dillmann, Strack). *omnis quippe caro corruperat viam suam super terram:* בָּשָׂר, caro (cf. pag. 129) in capitibus 6—9 numquam homines tantum, sed aut bruta solum aut homines simulque bruta significat, quare heic quoque bruta simul intelligenda sunt, quae etiam primitivum modum vivendi mutarunt. Ita Dillmann et Gunkel quoque; contra Hummelauer, Hoberg, Strack cum S. Chrysostomo et S. Ambrosio heic homines tantum significari putant (cf. pag. 22).

℣. **13. dixit ad Noe,** וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים לְנֹחַ, *καὶ εἶπε κύριος ὁ θεὸς τῷ Νῶε· Finis,* exitium *universae carnis,* non solum hominis (ut Hummelauer et Hoberg cum LXX vertentium *παντὸς ἀνθρώπου* explicant) sed etiam bruti, ut sequentia demonstrant, *venit coram me,* לְפָנַי i. e. ante faciem meam vel in iudicium meum (℣. 11): interitus eorum a me decretus est (Strack), quia *repleta est terra iniquitate* (cf. ℣. 11; coniunctionem Vulgata omittit) *a facie eorum,* i. e. per eos, nam מִפְּנֵיהֶם etiam „de auctore et causa efficiente, a quibus aliquid proficiscitur“ usurpatur (Gesenius, Buhl etc.). *et ego,* וְהִנְנִי i. e. *καὶ ἰδοὺ ἐγώ, disperdam eos,* homines et bruta, *cum terra,* i. e. plantationes, habitacula, urbes in terra exsistentes (Dillmann), cum continens manserit.

Venit coram me iuxta Dillmann idem notat atque advenit iuxta iudicium et decretum meum; iuxta Hummelauer idem atque innotescit mihi, at Gen. 18, 21 et Ex. 3, 9 ad quos provocat non לְפָנַי sed אֵלַי legitur. — *Cum terra:* ita Samaritanum targum quoque; hodiernus textus Hebraicus habet אֶת־הָאָרֶץ, quae lectio propter nexum deficientem cor-

rupta dici debet. Si cum LXX legimus וְאֵת, adest nexus necessarius; Peschitta pro אֵת habet עַל. Kittel censet, pro אֵת aut מִן aut מֵעַל legendum esse; Grätz (cf. Holzinger) מֵאֵת corrigit, cum ם praecedat; aliae mutationes textus a Gunkel et Holzinger propositae ob testimonium versionum admitti nequeunt.

Ѵ. 14. Fac tibi arcam, תֵּבָה, *κιβωτόν*, cistam *de lignis laevigatis* seu politis, in Hebraico עֲצֵי־גֹפֶר i. e. ex lignis piceis: *mansiunculas in arca facies,* accuratius LXX: *νοσσιὰς ποιήσεις τὴν κιβωτόν·* cistam ita fabricabis, ut ex nidis, קִנִּים, parvis habitaculis constet. *et bitumine linies intrinsecus, et extrinsecus,* accurate LXX: *καὶ ἀσφαλτώσεις αὐτὴν ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν τῇ ἀσφάλτῳ.*

תֵּבָה in Gen. 6, 14 ss. navigium Noe, in Ex. 2, 3. 5 loculum Moysis denotat; utrum vocabulum ex lingua Aegyptiorum (ut Gesenius censet) an Babyloniorum sumptum sit, definiri nequit (cf. Buhl, Dillmann). — גֹּפֶר idem est ac כֹּפֶר = pix, asphaltus (Gesenius) et cum assyr. *kupru* et *giparu* cohaeret (cf. Buhl). עֲצֵי־גֹפֶר igitur „arbores piceas, resinosas, quales sunt pinus, abietes, cupressi, cedri“ significat (Gesenius). Simili modo Biel verba Graeca *ἐκ ξύλων τετραγώνων* intelligit. Probabiliter ex cupressis arca fabricata est (Gesenius, Selbst). — Pro simplici קִנִּים plerique cum Lagarde קִנִּים קִנִּים legendum putant (cf. Holzinger, Kittel).

Ѵ. 15. Et sic, וְזֶה אֲשֶׁר, *facies eam: Trecentorum cubitorum,* 157·5 *m, erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum,* 26·25 *m, latitudo, et triginta cubitorum,* 15·75 *m, altitudo illius.*

אַמָּה, assyr. *ammatu, πῆχυς, cubitus* in minorem (Aegyptium) et maiorem (Babylonium) dividebatur. Minor = 0·450 *m* (Benzinger 180, Kortleitner 259) vel 0·484 *m* (Siegfried-Guthe); maior = 0·525 *m* (Kortleitner, Siegfried-Guthe) vel 0·527 *m* (Benzinger). Iuxta qualem cubitum mensura arcae determinatur? Dillmann, Lamy, Strack et alii putant, iuxta Aegyptium, quem Moyses alibi quoque adhibuit; Hummelauer tamen bene dicit, Moysen traditione accepisse mensuras arcae cubitis expressas, quare supra iuxta cubitum Babylonium mensuram arcae notavi. Res incerta est, uti omnes concedunt. — Spatium medium seu navis media basilicae Vaticanae 45 *m* alt., 25 *m* lat., 187 *m* long. est; longitudo ecclesiae S. Pauli Londini = 158·11 *m*, cathedralis Florentinae = 149·28 *m* (cf. Gsell-Fels, Rom und die Campagna. Leipzig u. Wien. 1906, pag. 501). — Infra 1609—1621 in Batavia arcae ad similitudinem arcae Noe, sed ad minorem modum redactae construebantur: ad navigandum minus, ad portandum magis aptae repertae sunt quam naves (Hummelauer, Selbst, Dillmann).

℣. 16. **Fenestram,** צֹהַר, foramen per quod lux et aer intrare possit, *in arca,* לַתֵּבָה, *facies, et in cubito consummabis summitatem eius,* וְאֶל־אַמָּה תְּכַלֶּנָּה מִלְמַעְלָה i. e. et usque ad cubitum perficies eam desuper. Sensus est: inter tigna arcae et tectum relinquas foramen, quod desuper seu a tecto dimensum unius cubiti, 0·525 *m,* sit. Cum de latitudine vel longitudine aperturae nihil statuatur, cum Delitzsch, Dillmann, Hoberg, Selbst probabile ducimus, Noe istud foramen in omnibus lateribus arcae reliquisse, quod propter multitudinem animalium et magnitudinem cistae quasi necessarium fuit (Dillmann). Fuit utique malis tectum sustinentibus interruptum (Dillmann) et in aliquibus partibus foricula aut clatris occludendum (cf. 8, 6 ubi illa pars חַלּוֹן, non צֹהַר appellatur). *ostium autem arcae pones ex latere:* ex quali, textus non indicat. *deorsum, coenacula, et tristega facies in ea,* תַּחְתִּיִּם שְׁנִיִּם וּשְׁלִשִׁים תַּעֲשֶׂהָ videlicet קִנִּים (℣. 14) i. e. infima, secunda et tertia habitacula facies eam, ita ut ex tribus tabulatis constet (Dillmann, Hoberg), qua ratione arca pluribus animantibus et cibis recipiendis apta evasit.

צֹהַר ex usu linguae Hebraicae (confer צָהַר et צָהֳרַיִם) fenestram intelligunt versiones antiquae (exceptis LXX, qui צֹבֵר ἐπισυνάγων legerunt), Gesenius, Fürst, Dillmann, Hoberg, Hummelauer, Selbst, Strack[1]. Vocabulum ex lingua Araba et Assyria *(ṣêru)* et iuxta el Amarna *ṣu'ru* etiam dorsum i. e. tectum significare posse (Buhl, Gunkel, Strack[2]), concedimus; sed patebat, ubi tectum faciendum, non vero quomodo fenestra construenda esset, quare haec determinanda erat (similiter Dillmann). Ceterum tectum 8, 13 מִכְסֶה vocatur. — מִלְמַעְלָה ex מַעַל (cf. עָלָה) et לְ et מִ compositum vel *desuper* (Ios. 3, 13. 16) vel *supra* (Ier. 31, 37) denotat. Quapropter Hummelauer quoque opinatur, „fenestram non fuisse in latere, sed in tecto“. At si fuisset fenestra in tecto „tantae, quantae ipsa arca, longitudinis“ (Hummelauer iuxta Baumgarten), propter aquas diluvii trabe claudi debuisset itaque inanis fuisset (cf. Dillmann quoque). — Pro illis verbis: „et usque ad cubitum perficies eam desuper“, proponit Gunkel: „et circa cardinem volves illud (tectum) desuper, und an einem Zapfen sollst du es drehen von oben“, וְעַל־אַמָּה תְּגַלֶּנּוּ מִלְמַעְלָה: tamen non solum mutatio textus omnino arbitraria est, verum etiam declarari nequit, quomodo et ad quid tam grande tectum circa cardinem volvendum fuerit. Gunkel istam mutationem textus proponit, cum verba textus traditi difficulter (contra Strack[2]) tecto accommodari possint: nonne hoc indicium est, צֹהַר heic non tectum significare? Alias explicationes im-

probabilissimas Dillmann recenset; Holzinger dubius haeret. — Suffixum femininum ad צֹהַר referri potest, quia collective accipitur (Peschitta: luminaria; cf. Gesenius); Hummelauer ad תֵּבָה refert. In primo et secundo tabulato arcam praecipue saburra gravandam fuisse, ut Hoberg putat, non verisimile est, si ad multitudinem animantium et alimentorum spectamus; et si illa tabulata saburra praesertim implenda fuissent, ad quid Noe ibi quoque habitacula facere debuit?

℣. 17. **Ecce ego,** Deus suam actionem operationi Noe opponit (cf. 9, 9), *adducam aquas diluvii super terram;* textum Hebraicum LXX accuratius reddunt: ἐπάγω τὸν κατακλυσμόν, אֶת־הַמַּבּוּל, ὕδωρ ἐπὶ τὴν γῆν, iuxta quam constructionem verba *aquas super terram* explicatio vocabuli *diluvii* sumenda sunt (Dillmann, Gunkel, Hoberg, Hummelauer). *ut interficiam omnem carnem,* homines et bruta (cf. pag. 134), *in qua spiritus vitae est,* רוּחַ חַיִּים (cf. pag. 48) *subter caelum* (cf. pag. 9): *Universa quae in terra,* corrupta et repleta iniquitate (℣. 11), *sunt, consumentur,* exceptis illis quae in ℣℣. 18 ss. enumerantur.

Vocem מַבּוּל recentiores ex lingua Assyria derivant (cf. Buhl): ab *abûbu* (Zimmern) vel *balâlu* (Vollers) vel *nabâlu* (Frd. Delitzsch). Sed Dillmann has derivationes recte incertas iudicat. Probabilius est quod Gesenius asserit, nimirum vocem מַבּוּל uti בּוּל pro יְבוּל *pluvia* atque יוּבַל ,אוּבָל, יָבָל *fluvius* ducendam esse a יָבַל in kal inusitato = undavit, fluctuavit, copiose et cum quodam impetu fluxit. In Ps. 28, 10 מַבּוּל iuxta Dillmann, Fürst, Siegfried-Stade imbrem significat. מַבּוּל in lingua Germanica = *Flut,* quae propter universitatem *Sindflut* vel *Sintflut* (sint = universalis), propter causam vero *Sündflut* appellatur (Sanders I, 474). Nomen *Sündflut* in Biblia 1589 Francofurti edita ter adhibetur; sed iam aequales Lutheri (non ipse) *Sündenfluß, Sündenflut, Sündflut* scribebant (Strack²); Selbst quoque *Sündflut* scribit. — Pro מַיִם *aquas* nonnulli מִיָּם *ex mari* punctarunt (cf. Dillmann, Kittel), quae lectio propter 7, 11 falsa est. Explicationem *aquas super terram* Strack² posteriore tempore, Dillmann autem iam originaliter appositam fuisse putat. — *Omnem carnem* Hoberg homines tantum intelligit; contra Hummelauer recte propter ℣. 19. isto nomine etiam bruta includi dicit.

℣. 18. **Ponamque,** וַהֲקִמֹתִי i. e. statuam vel iungam (Gesenius) *foedus meum tecum:* quale foedus sit, 9, 9 ss. Deus ipse exponit. *et ingredieris arcam tu et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum tecum.* Propter iustitiam suam (6, 9; 7, 1) Noe et familia conservatur ad renovandum pactum, quod misericors Deus cum genere humano inierat (3, 15).

Iuxta Strack et alios esset sensus: Quod ad te attinet, haec statuo, *Ingredieris* etc. At contextus proximus et remotus (9, 9) huic explicationi non favet (cf. Dillmann, Holzinger).

℣. 19. **Et ex cunctis animantibus,** וּמִכָּל־הָחַי, *universae carnis,* מִכָּל־בָּשָׂר i. e. ex cuncta carne, quae vox propter ℣. 18. heic bruta sola denotat, *bina,* שְׁנַיִם, in coppia, paarweise (cf. Buhl, Fürst) e x c u n c t i s, מִכֹּל, *induces et arcam, ut vivant tecum: masculini sexus et feminini,* זָכָר וּנְקֵבָה יִהְיוּ i. e. masculinum et femininum sint, *ἄρσεν καὶ θῆλυ ἔσονται* (cf. 1, 21), ut postea multiplicari possint.

Pro הָחַי Samaritanus et Graecus הַחַיָּה uti 8, 17 habent (Kittel). — Propter ℣. 17. *Universa quae in t e r r a sunt, consumentur* aquatilia in ℣. 19. non nominantur. LXX reddunt: *καὶ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἑρπετῶν καὶ ἀπὸ πάντων τῶν θηρίων καὶ ἀπὸ πάσης σαρκός, δύο δύο ἀπὸ πάντων εἰςάξεις κτλ.* Etiam Peschitta habet שְׁנַיִם שְׁנַיִם *δύο δύο,* hic et ℣. 20. — Quot paria, quot mascula et feminae inducenda fuerint, in 7, 2 scribitur.

℣. 20. **De volucribus,** *ἀπὸ πάντων τῶν ὀρνέων τῶν πετεινῶν, iuxta genus suum, et de iumentis in genere suo,* vel potius iuxta genus suum, *et ex omni reptili terrae, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἑρπετῶν τῶν ἑρπόντων ἐπὶ τῆς γῆς, secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere, εἰςελεύσονται πρὸς σὲ τρέφεσθαι μετὰ σοῦ, ἄρσεν καὶ θῆλυ.* Conferas 1, 20—25. Pro מִכֹּל legas וּמִכֹּל cum Samaritano et versionibus (Gunkel, cf. Ball et Kittel).

℣. 21. **Tolles igitur tecum,** accuratius LXX: *σὺ δὲ λήψῃ σεαυτῷ, ex omnibus escis, quae mandi possunt, ἃ ἔδεσθε, et comportabis apud te: et erunt tam tibi, quam illis in cibum, φαγεῖν.*

Hummelauer 261 propter opinionem suam alibi propugnatam (cf. pag. 22) scribit: „potuere alia animalia recipi, ut essent esca carnivoris in arca." Sed haec sententia contra clara verba 6, 19 et 7, 2 ss. necnon 9, 3 sustineri nequit.

℣. 22. **Fecit igitur** *Noe omnia, quae praeceperat illi Deus.* Accuratius LXX: *καὶ ἐποίησε Νῶε πάντα ὅσα ἐνετείλατο αὐτῷ κύριος ὁ θεός, οὕτως ἐποίησε.* Hoc facile praestare potuit, quia tempus sufficiens, adiutores necessarii, materia apta aderant.

Cum Noe quingentorum esset annorum, genuit filios (5, 31): quando Deus iussit, ut arcam fabricaret, filii iam uxores habebant (6, 18): ergo

pro arca aedificanda tempus 50—70 annorum statui potest (Selbst). Quod plures antiquorum cum Origene et S. Augustino putarunt (cf. Dillmann 140, Selbst 156), Noe per 100 annos arcam construxisse, cum 6, 18 vix conciliari potest. — Noe non solum a filiis et servis suis, verum etiam ab operariis conductis adiuvari potuit. Eo quod nullus servorum et aliorum operariorum salvatus sit, confirmatur illud: *omnis quippe caro corruperat viam suam super terram* (6, 12; cf. Selbst 156). — Nunc quoque in silvis vetustissimis (Urwald, foresta vergine) Americae et Australiae arbores 50, 80, 100, 120, 150 *m* altae reperiuntur. Primis autem temporibus probabilissime grandiores fuerunt (cf. pag. 123). — De arca plura asserit Lapide, quin ea argumentis confirmet.

C. **7.** ℣. **1. Dixitque Dominus ad eum,** לְנֹחַ, *πρὸς Νῶε· Ingredere tu, et omnis domus tua,* quae 6, 18; 7, 7. 13; 8, 16. 18 definitur, *in arcam: te enim vidi iustum* (6, 9) *coram me* (6, 11) *in generatione hac.* De singulari bene scribit Hummelauer: „Ibi (6, 9) Noe dicebatur iustus in omnibus, quibuscum successive vixerat, generationibus; hic unus iustus dicitur in una generatione diluvio exstinguenda."

Notant Dillmann et Strack, Noe tam propter iustitiam suam (6, 9 et 7, 1) quam ex gratia Dei (6, 8) illam supplente salvatum esse. Clarius iuxta doctrinam Concilii Tridentini (Sess. VI., can. 1. et 4.) dicimus, iustitiam, propter quam Noe in diluvio peccatores delente servatus est, fuisse opus gratiae Dei, cui cooperabatur. — Etiam septem personas ceteras iustas fuisse patet; alioquin enim cum peccatoribus periissent.

℣. **2. Ex omnibus animantibus,** מִכֹּל הַבְּהֵמָה, *mundis tolle,* תִּקַּח־לְךָ, *εἰςάγαγε πρὸς σέ, septena et septena, masculum et feminam,* אִישׁ וְאִשְׁתּוֹ: *de animantibus vero immundis duo et duo,* שְׁנַיִם שְׁנַיִם (Samaritanus, Graecus, Syrus) *masculum et feminam.* Duae phrases שִׁבְעָה שִׁבְעָה, *ἑπτὰ ἑπτά,* et שְׁנַיִם שְׁנַיִם, *δύο δύο,* sibi oppositae eadem ratione explicari debent. *Duo duo, masculum et feminam,* iuxta ℣℣. 9. et 15 s. unum masculum et unam feminam, ergo par unum significat; idcirco *septem septem, masculum et feminam,* propter paritatem septem masculos et septem feminas, ergo paria septem significat. Ita et Dillmann. De mundis plura sumenda mandantur propter sacrificia et esum carnium mox concedendum (9, 3). Distinctio mundorum et immundorum animalium iam ante Moysen atque extra populum Iudaicum observatum fuit (Dillmann, Strack).

Hebraeos pro numeralibus distributivis saepe cardinalia duplicata ponere, grammatici docent (cf. Gesenius-Kautzsch 443). Vulgata mox ad litteram (℣. 9) mox magis ad sensum (℣. 15) vertit, inserens *et,* quod tamen in nonnullis manuscriptis deest (cf. Vercellone). — Hummelauer, Hoberg *duo et duo* hic de duobus masculis et duabus feminis, sed in ℣℣. 9. et 15 s. de uno pari accipiunt, quod non licet: eadem phrasis in eodem contextu aut semper de uno masculo et una femina aut semper de duobus masculis et duabus feminis sumenda est. Strack, cui in hac re Holzinger favet, idem proponit, quod iam Lapide cum S. Ambrosio, S. Chrysostomo, Theodoreto aliisque antiquis proposuerat, videlicet Noe ex mundis tria paria et insuper unum marem pro sacrificio offerrendo in arcam inducere debuisse. At haec opinio cum ℣℣. 9. et 15 s., secundum quos *duo et duo ingressa sunt . . . masculus et femina, sicut praeceperat Dominus,* conciliari nequit. Si non tantum ad usum loquendi, sed etiam ad contextum attendimus, dicere debemus, duo individua ex immundis et quattuordecim ex mundis in arcam introducta esse. Ita Dillmann quoque textum explicat, quin ab Holzinger reprehendatur. Utrum שְׁנַיִם semel (hodiernus textus Hebraicus) an bis legamus (cf. 6, 19 s.), nihil interest (Holzinger). — Hummelauer, Hoberg ex distinctione mundorum et immundorum concludunt, iam ante diluvium esum carnium hominibus concessum fuisse. Quae tamen conclusio in textu non fundatur (Frz. Delitzsch, Dillmann) neque cum claris verbis 9, 3 congruit (cf. pag. 22).

℣. 3. Sed et, גַּם, *καί, de volatilibus caeli septena et septena, masculum et feminam,* זָכָר וּנְקֵבָה. Hic ℣. mancus est. Secundum 6, 20 textus Graecus praeferendus videtur: *ἀπὸ τῶν πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ τῶν καθαρῶν ἑπτὰ ἑπτὰ ἄρσεν καὶ θῆλυ, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν πετεινῶν τῶν μὴ καθαρῶν δύο δύο ἄρσεν καὶ θῆλυ.* Altera pars propter homoeoteleuton facillime excidere potuit; Samaritanus et Syrus eam omittunt quidem, sed habent in priore parte הַטָּהוֹר *mundis,* quod sententiam nostram confirmat. *ut salvetur semen super faciem universae terrae* (cf. pag. 138).

Textum, quem in Hebraico et Latino legimus, corruptum esse, omnes recentiores concedunt. Ball nobiscum consentit; „Romani correctores sub Pio V. dubitaverant an hoc loco assumendum esset additamentum quod habent graeci“ (Vercellone). Hummelauer et Hoberg textum Samaritanum et Syrum recipiunt subintelligentes reliqua. Holzinger cum pluribus aliis verba *Sed et* usque *feminam* postea addita asserit (cf. et Dillmann).

℣. 4. Adhuc enim, et post dies septem, כִּי לְיָמִים עוֹד שִׁבְעָה i. e. nam post dies adhuc septem (Gesenius 733) *ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus: et de-*

lebo omnem substantiam, omnem animantem (Siegfried-Stade), *quam feci, de superficie terrae* (cf. 6, 7).

℣. 5. **Fecit ergo Noe** infra septem dies *omnia, quae mandaverat ei Dominus* (℣℣. 1—3). Quae hic generatim dicuntur, in ℣℣. 6—10 atque 11—16 per partes describuntur.

℣. 6. **Eratque sexcentorum annorum,** בֶּן־שֵׁשׁ מֵאוֹת שָׁנָה, *quando diluvii aquae inundaverunt super terram, καὶ ὁ κατακλυσμὸς τοῦ ὕδατος ἐγένετο ἐπὶ τῆς γῆς,* וְהַמַּבּוּל הָיָה מַיִם עַל־הָאָרֶץ i. e. et diluvium venit, aquae super terram (cf. 6, 17).

℣. 7. **Et ingressus est** *Noe et filii eius, uxor eius et uxores filiorum eius cum eo in arcam propter,* מִפְּנֵי cf. 6, 13, *aquas diluvii,* מֵי הַמַּבּוּל.

℣. 8. **De animantibus** *quoque mundis et immundis, et de volucribus, et ex omni, quod movetur super terram* (cf. 6, 20),

Pro וְכֹל legendum est cum Samaritano, Graeco, Syro, Latino וּמִכֹּל (Kittel). — LXX sic ℣. exhibent: *καὶ ἀπὸ τῶν πετεινῶν τῶν καθαρῶν καὶ ἀπὸ τῶν πετεινῶν τῶν μὴ καθαρῶν, καὶ ἀπὸ τῶν κτηνῶν τῶν καθαρῶν καὶ ἀπὸ τῶν κτηνῶν τῶν μὴ καθαρῶν, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἑρπόντων ἐπὶ τῆς γῆς.* Conformarunt ℣. magis cum 7, 2 s.

℣. 9. **duo et duo** (cf. pag. 138) *ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus et femina, sicut praeceperat Dominus Noe.* Ex verbo i n g r e d i e n d i Lapide, quocum Selbst et Zschokke consentiunt, ad 6, 20 colligit, animalia etiam effera sponte sua venisse, „idque vel Dei instinctu vel Angelorum impulsu". Cuncta animalia naturali prorsus modo infra septem dies collecta esse, ut Hoberg 79 affirmat, vix probabile est, etiamsi quis cum Zschokke supponat, nonnulla „instinctu quodam futurae catastrophae inducta" venisse.

℣. 10. **Cumque transisissent** *septem dies, aquae diluvii inundaverunt super terram.* Accuratius LXX: *καὶ ἐγένετο μετὰ τὰς ἑπτὰ ἡμέρας* (cf. pag. 100) *καὶ τὸ ὕδωρ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐγένετο ἐπὶ τῆς γῆς.* Quae in ℣℣. 6—10 dicta sunt, in ℣℣. 11—16 magis determinantur (vide et excursum V.).

℣. 11. **Anno sexcentesimo,** בִּשְׁנַת שֵׁשׁ־מֵאוֹת שָׁנָה i. e. anno sexcentorum annorum = illo anno quo sexcenti anni completi sunt (Dillmann), ergo recte *anno sexcentesimo vitae Noe* (לְחַיֵּי־נֹחַ pro forma communi genetivi ponitur), *mense secundo,* qui iuxta

nostram computandi rationem a medio Octobri usque ad medium Novembrem currebat, *septimodecimo die mensis,* ergo initio Novembris, die illo בַּיּוֹם הַזֶּה, *τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ* (omittit Vulgata) *rupti sunt omnes fontes abyssi magnae,* תְּהוֹם רַבָּה, *et cataractae caeli apertae sunt:* duo sunt membra sibi respondentia ideoque similiter explicanda. Aquae originaliter globum circumdantes postea per firmamentum in superiores et inferiores divisae sunt (cf. pag. 8 s.). Superiores super firmamentum diffusae esse videntur (cf. pag. 9), inferiores terminis suis coercentur (cf. pag. 11). Si aquae superiores defluunt, cataractae, אֲרֻבָּה i. e. cancelli, saepta, foramina caeli seu firmamenti (cf. pag. 9); si aquae inferiores redundant, fontes earum, מַעְיְנֹת תְּהוֹם, rupti videntur seu apparent, licet firmamentum cataractis et abyssus fontibus careat: iuxta apparentiam, non iuxta intimam rerum constitutionem Scripturae loquuntur (cf. pag. 7 et 9). Ergo sensus membrorum amborum est: vehemens imber venit, mare et flumina redundarunt.

Annus antiquitus non verno, sed autumnali tempore inchoabatur (Beer-Guthe), quare mensis secundus anni non a medio Aprili usque ad medium Maium numerandus est (Dillmann 130, Hummelauer, Selbst, Strack, Zschokke). Hoberg mensem secundum in sexcentesimo anno vitae Noe intelligit; at sic maneret incertum, quo tempore anni diluvium inceperit et finierit. — LXX contra testes reliquos habent: *ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι τοῦ μηνός.* — Sicut depressionibus et levationibus factum est, ut continens ex aquis emergeret (cf. pag. 10): ita depressionibus et levationibus factum est, ut aquae continentem vel potius partem eius iterum circumdarent (similiter Hoberg, Hummelauer; cf. et excursum I. sequentem). Insuper aquae superiores cum inferioribus ad perdenda animantia iterum coniungebantur (cf. Gunkel). — תְּהוֹם non solum indivisas aquas originales (cf. pag. 4), verum etiam inferiores in locum unum congregatas significat (cf. pag. 10 s.; Buhl, Mandelkern). Hanc abyssum magnam fontes proprie non habere, patet. Idcirco Hummelauer credit, fontes esse „litora, quae vectis instar mare cohibent sed, ubi diffinduntur (Hebr.), fontis instar eiusdem aquas effundunt“. Melius tamen explicat, qui hagiographum iuxta apparentiam scripsisse asserit; sicut enim pluviae e foraminibus firmamenti, ita inundationes abyssi magnae e fontibus eius venire videntur. Iuxta Hoberg *rupti sunt omnes fontes abyssi magnae* idem est atque „ex abysso terrae aquae eruperunt“. Sed phrasis *rupti sunt omnes fontes abyssi magnae* propter parallelismum (cf. Gunkel) simili modo exponenda est quo altera *cataractae caeli apertae sunt;* atqui haec improprie et iuxta apparentiam accipi debet: ergo etiam prior. Zschokke ex Lapide

scribit: „erat ingens pluvia e cataractis coeli i. e. nubibus defluens, ita ut totus aer videretur rumpi in vastissima foramina, per quae densissimos imbres effudit“, et putat, eruptionem et inundationem abyssi „per revolutiones telluris internas (terrae motus)“, quibuscum depressiones terrae atque levationes fundi marium coniungerentur, excitatas fuisse. Quae de cataractis dicit, cum eo cohaerent, quod de aquis superioribus minus recte dixerat (cf. pag. 9).

℣. 12. **et facta est pluvia** *super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus.* Quibus verbis declaratur, quid significet *cataractae caeli apertae sunt* (Hoberg). De numero dierum videas ea, quae ad ℣. 24 et 8, 14 notantur.

℣. 13. **In articulo diei illius,** בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה i. e. „hoc ipso die i. e. de quo in superioribus actum erat“ (Gesenius), *ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ, ingressus est* vel potius ingressus erat, nam perfectum Hebraicum etiam pro plusquamperfecto aliarum linguarum ponitur (Gesenius-Kautzsch 308 s.; similiter Hoberg explicat), quod de ℣℣. sequentibus quoque valet. Ergo die septimo, quo aquae diluvii venerunt (℣. 10), iam ingressus erat *Noe, et Sem, et Cham, et Iapheth filii eius,* LXX accuratius *οἱ υἱοὶ Νῶε: uxor illius,* LXX accuratius *ἡ γυνὴ Νῶε, et tres uxores filiorum eius cum eis,* אִתָּם (Peschitta, LXX habent *μετ' αὐτοῦ,* אִתּוֹ, quod Kittel, Gunkel et Holzinger praeferunt) *in arcam* (cf. ℣. 7):

℣. 14. **ipsi** *et omne animal,* הַחַיָּה i. e. ferum, *secundum genus suum, universaque iumenta,* הַבְּהֵמָה i. e. domestica, *in genere suo* (cf. 1, 24) *et omne quod movetur,* הָרֶמֶשׂ הָרֹמֵשׂ i. e. reptile quod movetur (cf. 1, 26), *super terram in genere suo, cunctumque volatile,* הָעוֹף, *secundum genus suum,* et quidem *universae aves* proprie dictae, צִפּוֹר, *omnesque volucres,* כָּנָף i. e. insecta (cf. Dillmann, Hummelauer; LXX omittunt *universae aves omnesque volucres)*

℣. 15. **ingressae sunt** vel potius erant, וַיָּבֹאוּ, *ad Noe in arcam, bina et bina* (LXX addunt *ἄρσεν καὶ θῆλυ) ex omni carne, in qua erat spiritus vitae* (cf. pag. 129 et 134).

℣. 16. **Et quae ingressa sunt** vel potius erant, *masculus et femina ex omni carne introierunt* vel potius ingressa erant, וְהַבָּאִים . . . בָּאוּ, *sicut praeceperat ei Deus* (cf. ℣. 9): *et inclusit eum Dominus deforis,* וַיִּסְגֹּר יְהוָה בַּעֲדוֹ i. e. „et clausit Iehova post eum“ (Gesenius), qua phrasi hagiographus nobis insinuat,

Dominum effecisse, ut reliqui homines venientibus et crescentibus aquis diluvii arcam ingredi non possent, quod naturaliter possibile fuisset.

Gunkel et Holzinger opinantur, scriptorem contra omnem probabilitatem affirmare, e o d e m die Noe cum familia sua atque cuncta animalia arcam intrasse. Tamen scriptor rem tam prodigiosam non asserit; nam perfectum Hebraicum saepius pro plusquamperfecto poni, grammatici docent, uti notavimus. — Hummelauer ad *et inclusit eum Dominus deforis* minus bene scribit: „sive ipse manu sua, sive iubens Noe claudere . . . Ostenditur Dei erga Noe benigna providentia"; hoc iam Lapide dixerat adiungens, Deum extrinsecus ostium arcae bitumine oblinivisse. Hoberg putat, Deum eo clausisse quod aquas miserit, ex quibus nullus evadere potuerit; sed hanc opinionem usus loquendi non protegit. — Intra septem dies, quibus animalia et alimenta in arcam inducebantur (S. Ambrosius) atque intra priores dies diluvii (S. Chrysostomus) homines ad poenitentiam converti potuerunt (Lapide, Hummelauer). Reapse nonnulli, dum Noe arcam fabricaret, conversi et salvati sunt, quia 1 P e t. 3, 19 s. legimus: *In quo* scil. spiritu *et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam,* ὅτε ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ θεοῦ μακροθυμία, *in diebus Noe, cum fabricaretur arca,* κατασκευαζομένης κιβωτοῦ.

Noe inter diluvium 7, 17—8, 12.

℣. 17. **Factumque est diluvium,** וַיְהִי הַמַּבּוּל, *quadraginta diebus* (LXX addunt: καὶ τεσσαράκοντα νύκτας) *super terram* (cf. ℣. 12): *et multiplicatae sunt aquae,* וַיִּרְבּוּ הַמַּיִם, *et elevaverunt arcam in sublime a terra,* LXX accuratius: τὸ ὕδωρ καὶ ἐπῆρε τὴν κιβωτόν, καὶ ὑψώθη, וַתָּרָם, ἀπὸ τῆς γῆς. Sine ratione sufficiente (cf. Dillmann) Gunkel verba *quadraginta diebus* glossam dicit. Ergo per 40 dies civiles (cf. pag. 8) e fontibus abyssi et cataractis caeli (℣. 11 s.) aquae profluebant.

℣. 18. **Vehementer enim inundaverunt:** *et omnia repleverunt in superficie terrae,* LXX Hebraicum textum accuratius reddunt: καὶ ἐπεκράτει, וַיִּגְבְּרוּ, τὸ ὕδωρ καὶ ἐπληθύνετο σφόδρα, הַמַּיִם וַיִּרְבּוּ מְאֹד, ἐπὶ τῆς γῆς. *porro arca ferebatur,* וַתֵּלֶךְ, *super aquas.*

℣. 19. **Et aquae praevaluerunt nimis,** גָּבְרוּ מְאֹד מְאֹד, ἐπεκράτει σφόδρα σφόδρα, *super terram: opertique sunt,* וַיְכֻסּוּ, (LXX καὶ ἐκάλυψε = וַיְכַסּוּ etiam in ℣. 20, ubi et Vulgata congruit) *omnes montes excelsi sub universo caelo.* Videas I. excursum.

℣. **20. Quindecim cubitis** (7·875 *m*) *altior fuit aqua super montes, quos operuerat,* מִלְמַעְלָה גָּבְרוּ הַמָּיִם וַיְכֻסּוּ הֶהָרִים (cf. 6, 16) i. e. supra praevaluerunt aquae itaque operti sunt montes. Hummelauer supponit, in cacuminibus montium exstitisse „arbores quasdam quindecim fere cubitorum altitudinis; quas cum ipsis montibus submersas" cernentem Noe recte iudicasse. „totidem cubitis aquas montibus esse altiores". Sed quis altitudinem illarum arborum dimensus est? Melius Frz. Delitzsch, Dillmann, Strack sentiunt, Noe ex vestigiis aquarum in lateribus arcae super montes Armeniae requiescentis (8, 4) conclusisse, aquas 15 cubitis altiorem fuisse quam montes, super quos arca ferebatur.

Qui textum Hebraicum legerit, statim percipiet, hagiographum ℣. 17ª *Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram* necnon ℣℣. 16. et 9. consulta repetitione eorumdem verborum atque gradatione pulchra amplificare. Aquae *multiplicantur,* וַיִּרְבּוּ: arca *elevatur a terra* (17ᵇ): aquae *praevalent,* וַיִּגְבְּרוּ, et *multiplicantur vehementer,* וַיִּרְבּוּ מְאֹד: arca *fertur* super aquas (℣. 18); aquae *praevalent nimis,* גָּבְרוּ מְאֹד מְאֹד, et omnes montes excelsos operiunt: arca sublimior est (℣℣. 19 s.). Similiter Frz. Delitzsch, Hoberg, Hummelauer, Strack. — Lapide scribit: „quindecim cubitis aqua excessit omnes montes, ne gigantes longissimi aut aliud animal vastissimum in altissimi montis vertice servari posset."

℣. **21. Consumptaque est omnis caro** (cf. pag. 134) *quae movebatur super terram* (cf. pag. 137 s.), *volucrum, animantium* domesticorum, *bestiarum* ferarum, *omniumque reptilium, quae reptant super terram: universi homines,* וְכֹל הָאָדָם, *καὶ πᾶς ἄνθρωπος.*

In Hebraico singulis speciebus, quae ad genus idem *(omnis caro)* pertinent, בְּ praeponitur (Gesenius). — Vulgata ultima verba huius ℣. *universi homines* cum primis sequentis ℣. coniungit, ideoque ante *universi* coniunctionem omittit et ante *cuncta* inserit; LXX utrobique eam ponunt. Contextus tamen distinctionem Hebraici textus commendat.

℣. **22. et cuncta,** כֹּל (vide notam antecedentem), *in quibus spiraculum vitae est,* אֲשֶׁר נִשְׁמַת־רוּחַ חַיִּים בְּאַפָּיו (cf. pag. 48), *in terra,* מִכֹּל אֲשֶׁר בֶּחָרָבָה i. e. cuncta quae in sicco seu terra (cf. pag. 11), *mortua sunt.* Lapide ad ℣. 24. „horrendum hoc diluvii spectaculum" amplificat; sed pauca verba huius ℣. fortius commovent.

℣. 23. **Et delevit omnem substantiam,** *quae erat super terram* (cf. ℣. 4), *ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres caeli* (cf. 6, 7), quam sententiam LXX accuratius vertunt: *ἀπὸ ἀνθρώπου ἕως κτήνους καὶ ἑρπετῶν καὶ τῶν πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ· et deleta sunt de terra: remansit autem solus Noe, et qui cum eo erant in arca.* Videas I. excursum.

℣. 24. **Obtinueruntque,** וַיִּגְבְּרוּ i. e. praevalueruntque *aquae terram centum quinquaginta diebus.* Cum iuxta ℣. 17. diluvium (cf. pag. 137) diebus 40 factum sit, i. e. cum fontes abyssi et cataractae caeli 40 diebus apertae fuerint (℣℣. 4 et 12); et cum iam ℣. 19 s. dictum sit, omnes montes excelsos aquis coopertos fuisse: hic ℣. non ita intelligendus est, ac si aquae per 150 semper creverint (ut plerique putant) sed potius per totidem dies (comprehensis 40 diebus) terram cooperuerint seu obtinuerint, ut Vulgata bene vertit.

„Ergo primis 40 diebus fuit pluvia, qua terra et montes omnes ad 15 cubitos fuerunt obruti; deinde per sequentes centum et decem dies mansit aqua in hoc suo statu et altitudine, post quos coepit decrescere.“ Ita Lapide cum aliis.

C. 8. ℣. 1. **Recordatus autem Deus** *Noe, cunctorumque animantium,* הַחַיָּה i. e. ferarum, *et omnium iumentorum,* הַבְּהֵמָה i. e. domesticorum, *quae erant cum eo in arca:* Deus non oblitus erat quidem Noe iusti, *per contemptibile lignum iustum gubernans* (Sap. 10, 4), nihilominus hic per anthropomorphismum illius recordari scribitur, quatenus pro illo novum posuit effectum (cf. Gen. 19, 29; 30, 22; Ex. 2, 24; 6, 5; Lev. 26, 42), sequitur enim: *adduxit spiritum,* רוּחַ i. e. ventum (cf. pag. 5, notam) *super terram, et* propterea *imminutae sunt,* וַיָּשֹׁכּוּ i. e. et desederunt, *aquae.* Lapide recte notat, ventum naturali vi in tantis aquis et tam brevi tempore id efficere non potuisse.

℣. 2. **Et clausi sunt** *fontes abyssi, et cataractae caeli: et prohibitae sunt pluviae de caelo* (cf. 7, 11 s.): nimirum post quadraginta dies (vide 7, 24), quare hic ℣. uti parenthesis cum significatione plusquamperfecti sumendus est.

Opinio Hoberg 81 s. asserentis, post 150 dies fontes abyssi et cataractas caeli clausas pluviasque prohibitas esse, cum claris locis 7, 4. 12. 17 conciliari nequit. Etiam Hummelauer cum Lapide censet, elapsis 40 diebus pluviam cessasse.

℣. 3. **Reversaeque sunt,** וַיָּשֻׁבוּ i. e. redibant *aquae de terra* et quidem *euntes et redeuntes,* הָלוֹךְ וָשׁוֹב i. e. magis magisque (Gesenius-Kautzsch 346): *et coeperunt minui,* וַיַּחְסְרוּ i. e. et imminutae sunt, *καὶ ἠλαττονοῦτο τὸ ὕδωρ,* הַמָּיִם (quod Vulgata omittit) *post centum quinquaginta dies.*

Verbum הָלַךְ *ivit* hoc singulare habet „ut ire etiam translate usurpetur pro *procedere, progredi* in aliqua re, *incrementa capere.* Triplex occurrit structura *a)* c. inf. pleon. הָלוֹךְ et participio vel adi. verbali alterius verbi. Gen. 26, 13: וַיֵּלֶךְ הָלוֹךְ וְגָדֵל pr. procedebat procedendo et adolescebat i. e. procedebat quotidie in adolescendo, magis magisque adolescebat . . . *b)* Loco הָלַךְ prioris haud raro ponitur verbum ipsum, quo continetur actio incrementa capiens. Gen. 8, 3 . . . 12, 9, raro etiam ita ut pro priore הָלַךְ ponatur הָיָה. Gen. 8, 5: הָיוּ הָלוֹךְ וְחָסוֹר magis magisque decrescebant aquae. *c)* c. partic. הֹלֵךְ et partic. verbi alterius“ (Gesenius, cf. et Buhl). — Pro מִקְצֵה חֲמִשִּׁים legendum videtur מִקֵּץ הַחֲמִשִּׁים (Strack, Gunkel, Holzinger, Kittel).

℣. 4. **Requievitque,** וַתָּנַח i. e. consedit *arca mense septimo* anni, qui a medio Martio usque ad medium Aprilem currebat (cf. pag. 142), *vigesimo septimo die mensis:* ita LXX et Vulgata; sed cum Hebraico, Samaritano, Syriaco *decimo septimo* legendum est (Hummelauer 265, Hoberg), quam lectionem contextus (cf. 7, 24 et 8, 14) postulat. Consedit autem *super montes Armeniae,* עַל הָרֵי אֲרָרָט, *ἐπὶ τὰ ὄρη τὰ Ἀραράτ* i. e. super regionem montuosam „in media fere Armenia“ sitam (Gesenius).

אֲרָרָט, assyr. *Urarṭu* (Buhl, Zimmern-Guthe) tam totam Armeniam (Ier. 51, 27) quam partem eius, scil. regionem montuosam inter Araxem et lacus Wan Ormiaque sitam (4 Reg. 19, 37; Is. 37, 38) significat (Gesenius, Fürst). In hac regione est mons excelsus, aeternis nivibus tectus, quem Armeni *Ararat* vel *Massis* (magnum), Persae *Kuhi Nuch* (montem Noah) appellant. Cuius cacumen orientale seu Ararat minor 3914 *m* (Brockhaus), iuxta alios 3960 *m* (Herder), cacumen autem occidentale seu Ararat maior 5156 *m* (Brockhaus), iuxta alios 5160 vel 5211 *m* (Herder) altum est. Conferas Brockhaus' Kleines Konversations-Lexikon, Leipzig, 1905; Herders Konversations-Lexikon, Freiburg i. Br., 1902; Fürst, Gesenius, Dillmann. Quamvis textus sacer montem, super quem arca requievit, non nominet: nihil impedit, quominus cum multis aliis (cf. Dillmann) Ararat maiorem intelligamus. Opiniones illorum, qui montes in aliis partibus terrae significatos putarunt, contra usum loquendi Scripturae pugnant, ergo falsae sunt (cf. Dillmann, Hummelauer).

℣. 5. **At vero aquae,** וְהַמַּיִם, *ibant et decrescebant,* i. e. magis magisque decrescebant (cf. ℣. 3. notam) *usque ad decimum mensem,* qui a medio Iunio usque ad medium Iulium currebat: *decimo enim* (deest *enim* in Hebraico) *mense, prima die mensis,* ergo medio Iunio, *apparuerunt cacumina montium* Armeniae, super quos arca consederat.

℣. 6. **Cumque transisissent,** וַיְהִי מִקֵּץ, **quadraginta dies,** postquam cacumina montium apparuerunt, *aperiens Noe fenestram,* חַלּוֹן, *arcae, quam fecerat* (cf. pag. 136), *dimisit corvum.*

Quadraginta diebus diluvium factum est (7, 17), quod terram inundabat; apparentibus iterum cacuminibus montium Noe dies quadraginta exspectat. — Quibus circumactis explorandi causa volucres emittit. De Indis refert Plinius (6, § 83, cf. Tuch, Dillmann): „volucres secum vehunt (navigantes) emittentes saepius meatumque earum terram petentium comitantur." — Ex hoc loco Dillmann concludit, iuxta hunc scriptorem in arca unicam dumtaxat fenestram fuisse. Sed istam conclusionem neque ex vocabulo neque ex articulo probare potest; nam articulus etiam vocabulo עֹרֵב, *corvus* praefigitur, quin inde sequatur, unum solummodo corvum in arca fuisse, uti Dillmann quoque concedit: articulus determinatam illam fenestram, quam aperuit, et determinatum illum corvum, quem dimisit, significat (cf. Strack[2], Gesenius-Kautzsch 414). — Post verba *dimisit corvum,* וַיְשַׁלַּח אֶת־הָעֹרֵב (quae in Hebraico ad ℣. 7. trahuntur) Kittel ex codice Alexandrino LXX inserendum iudicat לִרְאוֹת הֲקַלּוּ הַמַּיִם, *τοῦ ἰδεῖν εἰ κεκόπακε τὸ ὕδωρ.* At lectio unius testis non praeferenda est, nisi aliae rationes gravissimae pro ea militent. Heic autem e contrario valde probabile est, scriptorem istius codicis eo offensum quod in emissione corvi non notentur, quae in emissione columbae dicuntur, versum 7. ad 8. conformasse.

℣. 7. **qui egrediebatur,** וַיֵּצֵא יָצוֹא (cf. pag. 56), *et non revertebatur,* וְלֹא שָׁב (ita etiam LXX et Peschitta), *donec siccarentur aquae super terram,* מֵעַל הָאָרֶץ, *ἀπὸ τῆς γῆς.* Debuit igitur Noe concludere, corvum tum cibos necessarios (cadavera) tum loca ad requiescendum apta in t e r r a, הָאָרֶץ, invenisse. Conferas ℣℣. sequentes.

Hodiernus textus Hebraicus et Samaritanus sonat: וַיֵּצֵא יָצוֹא וָשׁוֹב i. e. et egressus est egrediendo et revertendo, „constanter evolabat et revolabat, arcam circumvolitabat" (Hummelauer, cf. pag. 56). Quod textum Vulgatae attinet, „cum sixtini tum gregoriani correctores ancipites haeserunt, an expungenda esset particula *non;* verum vetustissima lectio a graecis inducta atque a latinis etiam patribus saepe usurpata prae-

valuit“, refert Vercellone concludens: „Habes igitur pro utraque lectione haud contemnendos testes.“ Dillmann et plurimi cum eo, lectionem Hebraicam originalem iudicant; nihilominus lectio Graeca genuina videtur, quia in inscriptionibus cuneatis iam reperitur (cf. excursum VI.) atque contextu (℣℣. 9 et 12) commendatur. Ceterum sensus ambarum lectionum idem est quoad substantiam; nam Hebraicus quoque textus significat, corvum in arcam non reversum esse (Strack, Hoberg). — Si corvus non revertebatur in arcam, antequam terra sicca esset, multo minus rediit, postquam arefacta est, quod omnes concedunt. Illo *donec, ἕως τοῦ,* עַד hagiographus simpliciter indicat, ante terminum hunc non rediisse; quid postea factum sit, ex contextu colligendum lectoribus relinquens. Similiter Matth. 1, 25 explicandus est: *Et non cognoscebat eam donec, ἕως οὗ, peperit filium suum primogenitum;* si antea non cognoscebat, multo minus postea.

℣. 8. **Emisit quoque columbam** (הַיּוֹנָה cf. ℣. 6.), *post eum, ὀπίσω αὐτοῦ,* אַחֲרָיו, sed reliqui habent *a se,* מֵאִתּוֹ: nulla lectio indicat, quando Noe columbam emiserit, nam ne ex lectione Graeca et Latina quidem sequitur, Noe columbam immediate post corvum emisisse (contra Holzinger). Versus autem sequentes 10. et 12., quibus Noe iterum, עוֹד, septem dies alios exspectasse scribitur, probabilissimum reddunt, Noe post corvum emissum quoque septem dies exspectasse et deinde columbam emisisse. *ut videret si iam* (deest *iam* in Hebraico et Graeco) *cessassent aquae super faciem terrae* vel potius a superficie humi, מֵעַל פְּנֵי הָאֲדָמָה. Corvi etiam in cacuminibus montium habitant, columbae vero in convallibus (Ez. 7, 16), in foraminibus petrae et in caverna maceriae (Cant. 2, 14): idcirco per columbam explorare voluit, utrum non solum terra, הָאָרֶץ, in genere (℣. 7), verum etiam humus ab aquis liberata esset (cf. Strack et Dillmann).

Kittel ante וַיְשַׁלַּח inserendum censet וַיָּחֶל נֹחַ שִׁבְעַת יָמִים uti in ℣. 10; similiter Budde et Kautzsch-Socin (cf. Holzinger). Melius tamen Hummelauer iudicat, textum non mutandum esse.

℣. 9. **Quae cum non invenisset,** accuratius LXX: *καὶ οὐχ εὑροῦσα ἡ περιστερά, ubi requiesceret pes eius, ἀνάπαυσιν τοῖς ποσὶν αὐτῆς,* מָנוֹחַ לְכַף־רַגְלָהּ i. e. requiem plantae pedis eius, *reversa est ad eum in arcam: aquae enim erant super universam terram,* הָאָרֶץ, cacuminibus montium utique exceptis (cf. ℣. 5 et pag. 170). Sed haec „nondum siccata fuerant“ (S. Augustinus), forsitan etiam „occupata erant limo“ (S. Chry-

sostomus): et propterea columba, quae „limum abhorret, loca amat sicca“ (Hummelauer), reversa est in arcam (cf. ℣. 7). *extenditque manum*, יָדוֹ i. e. manum suam (Sixtina, codex LXX Alexandrinus) *et apprehensam intulit in arcam*, accuratius LXX: *ἔλαβεν αὐτὴν καὶ εἰσήγαγεν αὐτὴν πρὸς ἑαυτὸν εἰς τὴν κιβωτόν.*

℣. 10. **Expectatis autem** *ultra*, עוֹד i. e. iterum, adhuc *septem diebus aliis, rursum dimisit* (וַיֹּסֶף שַׁלַּח cf. 4, 12) *columbam* eamdem (Dillmann) *ex arca.*

Pro וַיָּחֶל in hoc ℣. atque pro וַיִּיָּחֶל in ℣. 12. Kittel וַיָּחֶל, Holzinger cum Budde et Stade וַיְיַחֵל legendum putat.

℣. 11. **At illa** *venit ad eum ad vesperam*, accuratius LXX: *καὶ ἀνέστρεψε πρὸς αὐτὸν ἡ περιστερὰ τὸ πρὸς ἑσπέραν·* ergo invenerat interdiu cibum et locum siccum (cf. ℣. 9), et quidem in regionibus magis depressis, sequitur enim: et ecce, וְהִנֵּה (cf. pag. 21; omittit Vulgata cum LXX) *portans, καὶ εἶχε* (deest in Hebraico) *ramum olivae virentibus foliis in ore suo*, עֲלֵה־זַיִת טָרָף i. e. folium olivae recens, *φύλλον ἐλαίας κάρφος* (decerptum, cf. Biel et Passow). *intellexit ergo Noe quod cessassent aquae super terram*, מֵעַל הָאָרֶץ, *ἀπὸ τῆς γῆς.* Cum enim oliva non in summis, sed in magis demissis regionibus crescat, Noe colligere debuit, aquas iam multum recessisse (Dillmann).

Olivas in Armenia fuisse, Strabo 11, 14, 4; eas etiam in aqua virescere, Plinius 13, 50 testatur. Ita Tuch et Dillmann. — „Oliva, inquit S. Ambr., est insigne divinae misericordiae. Rursum oliva, inquit Perer., hieroglyphicum est pacis, victoriae, aeternitatis et felicitatis. Columba ergo haec cum ramo olivae Noe et mundo quasi securitatem ab aquis pacemque ac Dei reconciliationem afferebat“ (Lapide; videas et Dillmann).

℣. 12. **Expectavitque nihilominus** vel potius, iterum seu adhuc, עוֹד, *septem alios dies: et emisit columbam* eamdem (Dillmann), *quae non* (וְלֹא, *καὶ οὐ*) *est reversa* (יָסְפָה שׁוּב, *προσέθετο τοῦ ἐπιστρέψαι*, cf. 4, 12) *ultra*, עוֹד, *ad eum*, ergo loca sicca, ad habitandum pro se apta (cf. ℣. 9) et sufficientia invenerat. Ex quo textu non sequitur, totam superficiem terrae iam tunc siccam fuisse.

Noe post diluvium, 8, 13—9, 29.

℣. 13. **Igitur**, וַיְהִי, *καὶ ἐγένετο, sexcentesimo primo anno* (LXX addunt: *ἐν τῇ ζωῇ τοῦ Νῶε*, לְחַיֵּי נֹחַ, cf. 7, 11; quam

lectionem Kittel minus recte approbat), *primo mense,* a medio Septembri usque ad medium Octobrem currente, *prima die mensis,* ergo medio Septembri, *imminutae* vel potius siccatae, חָרְבוּ, *sunt aquae super terram,* מֵעַל הָאָרֶץ, *ἀπὸ τῆς γῆς. et aperiens* (וַיָּסַר, *καὶ ἀπεκάλυψε,* amovit) *Noe tectum arcae, aspexit, viditque quod exiccata esset superficies terrae,* וַיַּרְא וְהִנֵּה חָרְבוּ פְּנֵי הָאֲדָמָה i. e. et aspexit, et ecce exiccata erat superficies humi (cf. Ṽ. 8). Bene asserit Hoberg, Noe tectum arcae amovisse, non solum ut melius aspicere posset, sed quod persuasum sibi haberet, tectum amplius non necessarium esse.

Ṽ. 14. Mense secundo, *septimo et vigesimo die mensis arefacta est,* יָבְשָׁה i. e. exaruit *terra,* הָאָרֶץ. Mense primo erat quidem nudata aquis, sed adhuc limosa et caenosa; mense secundo perfecte a caeno et limo siccata est. Ita Lapide cum Pererio; similiter Strack. Dillmann opinatur, tempus interiacens nimis longum videri; sed post talem inundationem profecto non nimium est.

Israelitae et Arabes (Beer-Guthe), Aegyptii iam ab anno 4241 a. Chr. et Chananaei (Strack[2]) iuxta annos solares (12 menses 30 dierum; Aegyptii in fine anni 5 dies addebant, Strack[2]) tempus computabant, quare heic quoque anni solares intelligendi sunt, ubi numeratio mensium atque dierum exhibetur.

Numeratio mensium.			Numeratio dierum.
Die XVII. mensis II. incipit diluvium Die XVII. mensis VII. requiescit arca	sunt 5 menses seu dies 150	150	diebus aquae diluvii terram obtinent, postea decrescunt paulatim
Interiacent dies 73			*nec asseruntur nec negantur*
Die I. mensis X. apparent cacumina Die I. mensis I. sicca est terra	sunt 3 menses seu dies 90 cum intercalaribus 5	61	post 40 dies emittitur corvus post 7 dies primo columba post 7 dies secundo columba post 7 dies tertio columba *quae non revertitur; non affirmatur tota terra iam tunc sicca fuisse*
Interiacent dies 57			*nec asseruntur nec negantur*
Die XXVII. mensis II. arida est terra			*omnino tacetur*
In summa: dies 375			

Si annos solares accipimus ac verba versuum 12 et 13 iuxta usum loquendi intelligimus simulque attendimus, in altera numeratione quaedam nec asseri nec negari: inter utramque numerationem nulla reperitur contradictio. In qua computatione diluvium 12 menses cum 5 intercalaribus atque 10 aliis diebus = 375 dies duravit. Dillmann 130, Hummelauer 265 et Hoberg 72 affirmant, Iudaeos generatim iuxta annos lunares (= 6 menses 29 dierum et 6 menses 30 dierum, cf. Beer-Guthe) tempus computasse; sed Beer-Guthe contrarium ex mensibus et festis Hebraeorum probant. Scriptorem horum capitum speciatim iuxta annos lunares numerasse, Gunkel, Hoberg, Holzinger, Strack aliique incertum; Dillmann, Hummelauer et alii cum S. Ephrem certum iudicant, concludentes diluvium annum solarem = 365 dies (355 + 10: ita Ephrem, cf. Hoberg; aut 354 + 11: ita Dillmann et Hummelauer) durasse. Sed annus lunaris non 355, sed 354 diebus constat (Beer-Guthe cum plerisque aliis) et a 17. die mensis II., quo diluvium incepit, usque ad 27. diem eiusdem mensis anni sequentis, quo terra iam arefecta est, non 11 dies, sed 10 numerantur: ergo ex hac sententia diluvium 364 dies durasset. Si hagiographus annum lunarem intellexisset, sequeretur contradictio inter utramque numerationem. Nam quinque menses priores anni lunaris non 150 dies, sed 145 (si cum Beer-Guthe consentimus) vel 147, si cum Holzinger 76 quemlibet mensem anni lunaris = 29 dies, 12 horas et 44 minutas dicamus. Licet haec differentia parva sit et numerus 150 summatim comprehensus esse possit: tamen melius illam sententiam praeferimus, ex qua nulla sequitur contradictio, et quae cum numeratione aliorum populorum optime congruit.

℣. 15. **Locutus est autem Deus** *ad Noe, dicens:* וַיְדַבֵּר ... לֵאמֹר. Sicut Noe praeceptum ingrediendi exspectaverat (7, 9. 16), ita etiam praeceptum egrediendi exspectavit.

℣. 16. **Egredere de arca,** *tu et uxor tua, filii tui et uxores filiorum tuorum tecum.* Videas 6, 18; 7, 7. 13, quibuscum 8, 18 plene convenit; quare hic tantum alius ordo verborum observetur, non liquet. Rationes ab Hummelauer 260 et Lapide adductae in textu non fundantur.

℣. 17. **Cuncta animantia,** כָּל־הַחַיָּה (Samaritanus, Graecus, Syrus וְכָל־), *quae sunt apud te, ex omni carne* (cf. pag. 134), *tam in volatilibus quam in bestiis,* וּבַבְּהֵמָה, *et universis reptilibus, quae reptant super terram* (cf. 7, 21), *educ tecum, et ingredimini super terram: crescite et multiplicamini super eam,* וְשָׁרְצוּ בָאָרֶץ וּפָרוּ וְרָבוּ עַל־הָאָרֶץ i. e. et redundent in terra et fecunda sint et multiplicentur super terram (cf. 1, 20. 22): hic animalibus; 9, 1 hominibus benedictio originalis iterum datur. Ita Dill-

mann, Gunkel, Hoberg, Strack contra Hummelauer, qui cum S. Ephrem putat, iam hic hominibus quoque benedici, quae sententia cum textu Hebraico non convenit.

℣. 18. Egressus est ergo Noe, *et filii eius: uxor illius, et uxores filiorum eius cum eo* (cf. ℣. 16).

℣. 19. Sed et omnia animantia, וְכָל־הַחַיָּה (ita legendum cum c. 2 manuscriptis, Samaritano, Graeco *καὶ πάντα τὰ θηρία,* Syro: Kittel; textus hodiernus וְ omittit), *iumenta, et reptilia quae reptant super terram,* כָּל־הָרֶמֶשׂ וְכָל־הָעוֹף כֹּל רוֹמֵשׂ עַל־הָאָרֶץ i. e. omnia reptilia et omnia volatilia, omnia quae moventur super terram; Kittel praefert textum Graecum: *καὶ πάντα τὰ κτήνη καὶ πᾶν πετεινὸν καὶ πᾶν ἑρπετὸν κινούμενον ἐπὶ τῆς γῆς. secundum genus suum, egressa sunt de arca:* iuxta interpunctionem officialium editionum Vulgatae illa *secundum genus suum* ad antecedentia pertinent; Lapide, Gunkel et Strack לְמִשְׁפְּחֹתֵיהֶם i. e. *secundum familias suas* ad subsequentia trahunt.

℣. 20. Aedificavit autem Noe altare *Domino:* iam Abel et Cain super altaria sacrificasse, ut Lapide et Hummelauer cum aliis asserunt, demonstrari nequit; exstructio altaris hic primum commemoratur (Dillmann), quo significatur a Noe cultus quoque Dei sicuti cultura agrorum (9, 20) ad gradum perfectiorem elevatus. *et tollens* (LXX accuratius: *καὶ ἔλαβεν) de cunctis pecoribus,* הַבְּהֵמָה הַטְּהֹרָה, *et volucribus mundis, obtulit* (LXX: *καὶ ἀνήνεγκεν) holocausta super altare,* i. e. ex quolibet genere seu specie animalium mundorum (cf. pag. 139) par unum igne totum consumpsit *(ὁλόκαυστον)* nihil sibi reservans, sed omnia Deo tribuens (cf. Fürst). Fuit sacrificium undique magnificum, sed post talem liberationem non nimium (Dillmann).

℣. 21. Odoratusque est *Dominus odorem suavitatis,* i. e. benigne accepit sensus et vota sacrificiis manifestata. נִיחֹחַ *requies, delectatio, suavitas* semper cum רֵיחַ *odor, exhalatio* coniungitur, et רֵיחַ הַנִּיחֹחַ significat odorem seu exhalationem suavem sacrificiorum vel potius sensus et vota per sacrificia Deo oblata; רוּחַ in hiphʿil *odorari, recipere* rem aliquam, *delectari* re aliqua denotat (cf. Mandelkern, Gesenius, Buhl). Haec per anthropomorphismum (Exegetica 10) de Deo praedicantur neque e polytheismo (cf. excursum VI.) derivata sunt, quia etiam ab illis scriptoribus adhibentur, qui omnia polytheis-

mum redolentia sollicite arcebant (cf. Holzinger). *et ait,* וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל־לִבּוֹ i. e. et dixit Dominus in animo suo (cf. 6, 6): quid dixerit vel statuerit, postea revelavit (cf. pag. 129 et Hummelauer), alioquin hagiographus referre non potuisset. *Nequaquam ultra maledicam,* לֹא אֹסִף לְקַלֵּל עוֹד (cf. pag. 104) *terrae,* הָאֲדָמָה, *propter homines,* בַּעֲבוּר הָאָדָם i. e. in opere hominum, *διὰ τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων,* propter peccata eorum (cf. pag. 83 s.), quae causa diluvii fuerunt (6, 1 ss.); quo etiam terra (6, 13) maledicta i. e. malis affecta est (cf. pag. 74). *sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt,* כִּי יֵצֶר לֵב הָאָדָם רַע i. e. quia cogitatio (sensus et affectus) cordis hominis mala est, et quidem *ab adolescentia sua.* Hic ℣. manifeste ad 6, 5 respicit. Sed ibi cuncta cogitatio hominum diluvio deletorum mala dumtaxat describitur et quidem omni tempore; hic cogitatio hominum simpliciter mala asseritur ab adolescentia. Cum *fecerit Deus hominem rectum* (Eccl. 7, 30; Gen. 1, 31); homo autem iam *ab adolescentia sua,* i. e. ex quo ad usum rationis pervenit atque inter bonum et malum discernere potest (Dillmann), *in malum* pronus sit: concludere debemus, peccatum Adae etiam propagini eius nocuisse (cf. pag. 71), quod Strack quoque contra plerosque Protestantes recentiores tuetur. *non igitur ultra percutiam,* וְלֹא־אֹסִף עוֹד לְהַכּוֹת (cf. pag. 104) *omnem animam viventem,* אֶת־כָּל־חַי i. e. omne vivens, *sicut feci.* „Quasi dicat: Miserebor humanae infirmitatis et proclivitatis ad malum ac proinde eorum peccata deinceps non puniam generali totius orbis diluvio, sed quosque peccantes propriis et particularibus poenis castigabo.“ Ita bene Lapide; similiter Dillmann et Strack.

Sixtina et Clementina habent: *et ait;* veteres codices Latini pene omnes: *et ait ad eum* scil. ad Noe; correctores Sixtini et Clementini haerebant ancipites. Consideratis testibus universis nemo dubitabit, quin legendum sit: *et ait Dominus ad se* vel *in animo suo* (cf. Vercellone). — Holzinger cum Budde opinatur, illud *maledicam,* קַלֵּל, de diluvio dictum esse nimiam hyperbolen; qui tamen universalitatem diluvii recte intelligit (cf. excursum I.), in isto verbo nullam omnino hyperbolen detegit. — Holzinger cum Dillmann negat, in hoc ℣. peccatum originale insinuari: concedit tamen, omnes homines ex hoc ℣. ad malum pronos esse iam ab adolescentia. Quaerimus: quomodo declarari potest, quod homo a Deo *rectus* et valde bonus creatus nihilominus iam *ab adolescentia sua,*

ex quo inter bonum et malum discernere potest, *in malum* pronus sit, si peccatum Adae posteris non nocuit? — Reliquae coniecturae eius criticae neque a Kittel neque a Strack[2] attenduntur, quia non serio demonstrantur.

℣. 22. **Cunctis diebus terrae:** ita etiam Samaritanus et Graecus; Hebraicus habet עֹד כָּל־יְמֵי הָאָרֶץ i. e. amplius cunctis etc. (Holzinger, Ball, Kittel putant, forte עַד legendum esse). Ergo quamdiu terra in praesenti ordine erit (Hummelauer cum Lapide), *sementis et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, nox et dies non requiescent,* sed mutuo sibi succedent (Lapide). Erit semper vicissitudo laborum: *sementis et messis,* זֶרַע וְקָצִיר; vicissitudo tempestatum: *frigus et aestus,* וְקֹר וָחֹם; vicissitudo temporum: *aestas et hiems,* וְקַיִץ וָחֹרֶף; vicissitudo lucis et tenebrarum: *nox et dies,* וְיוֹם וָלַיְלָה (cf. Lapide). Cum vicissitudo laborum et tempestatum et temporum intra diluvium revera non fuerit, Hummelauer (contradicente Dillmann et Hoberg) non inepte infert, „forte etiam noctem et diem, atro videlicet caelo diem obscurante“, diluvio confusas fuisse.

Iuxta Dillmann et Strack tribus membris prioribus duo anni tempora designantur: hiems, quo frigus et sementis, atque aestas, qua aestus et messis fiunt. — Ex hoc textu non sequitur, ante diluvium semper eamdem amoenam temperiem, ver continuum in terra regnasse, quia 1, 14 obstat (cf. Dillmann).

C. 9. ℣. 1. **Benedixitque Deus** *Noe et filiis eius.* Animalibus 8, 17; hominibus hic benedictionem originalem dat Deus. *Et dixit ad eos: Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Vide 1, 28.

℣. 2. **Et terror vester,** וּמוֹרַאֲכֶם, *ac tremor* vester, וְחִתְּכֶם, i. e. tremor et pavor, quem incutitis (Gesenius), *sit super cuncta animalia terrae,* כָּל־חַיַּת הָאָרֶץ, *et super omnes volucres caeli, cum universis,* בְּכֹל, *quae moventur super terram,* אֲשֶׁר תִּרְמֹשׂ הָאֲדָמָה = „quibus reptat terra i. e. quae magna copia in terra reptant“ (Gesenius): *omnes pisces,* וּבְכָל־דְּגֵי i. e. cum omnibus piscibus *maris manui vestrae traditi sunt,* ita ut ad arbitrium de iis disponere iisque etiam vitam adimere possitis (cf. Deut. 19, 12; Lev. 26, 25; Dillmann). Dominium protoparentibus concessum cum pace placidissima; dominium Noe concessum cum timore et iure mactandi coniunctum erat (cf. pag. 19 et 22).

מוֹרָא = tremor a יָרֵא vereri; חַת = pavor a חָתַת fractus est, pavit: suffixa obiectiva significatione sumenda sunt (Gesenius). Domestica hominem timent et reverentur, ferae autem generatim fugiunt (Lapide). — Dillmann חַיָּה feras intelligit et putat, בְּהֵמָה non nominari, quia domestica hominem minus timent; vide tamen 8, 17. — Secundum interpunctionem Vulgatae: *cum universis quae moventur super terram: omnes pisces maris manui vestrae traditi sunt,* pisces tantum; in LXX e contrario omnia animalia enumerata in manu tradita dicuntur: *καὶ ὁ τρόμος καὶ ὁ φόβος ὑμῶν ἔσται ἐπὶ πᾶσι τοῖς θηρίοις τῆς γῆς, ἐπὶ πάντα τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ καὶ ἐπὶ πάντα τὰ κινούμενα ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς ἰχθύας τῆς θαλάσσης· ὑπὸ χεῖρας ὑμῖν δέδωκα.* Idem sensus textui Hebraico subest: „Et timor vestri et pavor vestri sit super cuncta animalia terrae et super omnes volucres caeli: cum (בְּ) omnibus quibus reptat terra et cum (בְּ) omnibus piscibus maris manui vestrae tradita sunt, scil. animalia et volucres (Dillmann, Hummelauer). — Pro בְּכֹל habent pauca manuscripta וּבְכֹל; contra pro וּבְכָל־ Latinus et Syrus וְכָל־ forte legerunt. — Pro נִתָּנוּ Samaritanus et Graecus נְתַתִּי habent (Holzinger). — Hummelauer scribit: „Neque ex nostro textu inferre licet, animalia post diluvium magis hominem esse verita, quam ante: nihil enim de eiusmodi mutatione post diluvium facta compertum habemus.“ At textus cum 1, 26. 28 comparatus talem mutationem reapse indicat (Dillmann).

℣. 3. Et omne, quod movetur et vivit, כָּל־רֶמֶשׂ אֲשֶׁר הוּא־חַי, omnia animalia quae comedi possunt (Lapide, Hoberg), *erit vobis in cibum,* vobis edere licet: *quasi olera virentia,* כְּיֶרֶק עֵשֶׂב i. e. sicut viridum herbae, *tradidi vobis omnia,* נָתַתִּי לָכֶם אֶת־כֹּל i. e. do licentiam, ut carnibus vesci possitis, quemadmodum antea licentiam dedi, ut grana et poma et viridum edere possetis (cf. pag. 22).

Hummelauer et Hoberg cum Lapide etiam hic asserunt, ex hoc ℣. non sequi, „ante diluvium homines fuisse esu carnium interdictos“ (Hummelauer). Sed contextus illam omnino sententiam comprobat, quam cum Boehmer, Dillmann, Gunkel, Holzinger, Kaulen et plerisque antiquioribus pag. 22. proposuimus, videlicet ante diluvium hominibus esum vegetabilium, postea etiam esum carnium a Deo concessum esse, quem homines mali iam antea usurpaverant. Nexus et oppositio inter 9, 3 atque 1, 29 s. manifesta est (Dillmann, Gunkel, Holzinger). Ibi legimus: ... נָתַתִּי לָכֶם אֶת־כָּל־עֵשֶׂב . . . לָכֶם יִהְיֶה לְאָכְלָה וּלְכָל־חַיַּת . . . יֶרֶק עֵשֶׂב לְאָכְלָה; hic autem: כָּל־רֶמֶשׂ אֲשֶׁר הוּא־חַי לָכֶם יִהְיֶה לְאָכְלָה כְּיֶרֶק עֵשֶׂב נָתַתִּי לָכֶם אֶת־כֹּל. Qui utrumque textum comparaverit, inveniet Deum iisdem quasi verbis, quibus pridem esum herbarum concesserat, nunc esum

animalium concedere. Opinatur quidem Hummelauer: „Uti ex v. 5. non sequitur homicidium ante diluvium fuisse licitum, ita ex v. 3. non sequitur ante diluvium homines fuisse esu carnium interdictos." Tacemus, inter occisionem hominis et bruti necnon inter concessionem et prohibitionem esse differentiam, et hoc solummodo notamus, remotum quoque contextum 1, 29 s. attendendum esse, qui nostram sententiam confirmat (cf. Dillmann, Gunkel, Holzinger cum plerisque antiquioribus).

Ṽ. 4. Excepto, quod, אַךְ i. e. tamen, *carnem cum sanguine,* בְּנַפְשׁוֹ דָמוֹ i. e. cum anima eius, sanguine eius (LXX: ἐν αἵματι ψυχῆς) *non comedetis.* Sanguis est appositio ad animam (cf. pag. 48) adiecta. Sanguis non est quidem anima seu vita ipsa, sed vita cum sanguine intime connectitur et per eum manifestatur ac praesentatur (Lev. 17, 11). Postulans ergo Deus, ne homines sanguinem cum carne (multo minus sanguinem solum) manducarent, ab illis dominus vitae ac necis agnosci voluit (Dillmann). Videas Act. 15, 20. 29.

Ṽ. 5. Sanguinem enim, וְאַךְ אֶת־דִּמְכֶם i. e. attamen sanguinem vestrum, *animarum vestrarum,* לְנַפְשֹׁתֵיכֶם i. e. sanguinem ad animas vestras pertinentem, quocum anima seu vita vestra connexa est (cf. Ṽ. 4 et Dillmann), *requiram* אֶדְרֹשׁ i. e. vindicabo: *de manu,* מִיַּד i. e. e potestate (Gesenius) *cunctarum bestiarum* requiram eum, אֶדְרְשֶׁנּוּ, *et de manu hominis, de manu viri, et fratris eius* (ita 8 manuscripta, Samaritanus, Syrus), אִישׁ אָחִיו, ἀνθρώπου ἀδελφοῦ i. e. de manu uniuscuiusque (= אִישׁ, cf. lexicon vel grammaticam) hominis, nimirum fratris eius scil. occisi (Gesenius-Kautzsch 455) *requiram,* אֶדְרֹשׁ, *animam hominis* sanguine manifestatam et praesentatam atque cum eo ablatam. Vide Ṽ. 6.

מִיַּד = e potestate vel simpliciter *ab* (cf. Dillmann, Strack). — מִיַּד הָאָדָם = מִיַּד אִישׁ אָחִיו: illud אָחִיו est appositio ad אִישׁ *unusquisque:* ergo = „de manu hominis, de manu uniuscuiusque fratris" vindicabo sanguinem effusum. Homo quilibet alium occidens appellatur frater occisi *(fratris eius),* quatenus omnes homines fratres sunt (cf. Ṽ. 6; Gesenius-Kautzsch l. c., Strack). Iuxta Buhl et Dillmann vero מִיַּד אִישׁ אָחִיו = מִיַּד אֲחִי אִישׁ = de manu fratris cuiusque = de manu proximi sui; sed Gesenius-Kautzsch talem translationem verborum improbat. Gunkel et Holzinger cum Budde אִישׁ אָחִיו = *mutuo, invicem* declarant provocantes ad Zach. 7, 10; sed de sensu istius loci non constat (vide commentarios), et in hoc Ṽ. talem expositionem Dillmann acceptabilem negat. LXX habent:

καὶ ἐκ χειρὸς ἀνθρώπου ἀδελφοῦ ἐκζητήσω τὴν ψυχὴν τοῦ ἀνθρώπου. Hummelauer coniicit, legendum esse: *de manu cuiusvis viventis* (loco *cunctarum bestiarum), tam de manu viri* (cuiuslibet) *quam de manu cognati.* Coniectura placeret, si critice probari posset, et textus Ex. 21, 28 ss. non pro lectione nobis tradita loqueretur.

℣. 6. **Quicumque,** sive bestia sive homo, *effuderit,* שֹׁפֵךְ, *humanum sanguinem,* per homines, בָּאָדָם, *fundetur sanguis illius:* quibus verbis Deus humano generi ius vindicandi homicidii contulit (Dillmann, Hummelauer, Hoberg, Strack), quod postea magis determinavit. Conferas Ex. 21, 12 ss.; Lev. 24, 17 ss.; Num. 35, 16 ss.; Deut. 19, 4 ss. *ad imaginem quippe Dei factus est homo,* LXX accuratius: *ὅτι ἐν εἰκόνι θεοῦ ἐποίησα τὸν ἄνθρωπον.* Rationem affert, cur bestia vel homo occidens hominem interfici debeat. Homines enim, ad imaginem Dei facti, sunt domini animalium et invicem fratres (cf. pag. 20). Ergo bestia vel homo sine auctoritate Dei hominem occidens laedit ordinem a Deo stabilitum, arrogat sibi ius divinum, et ideo poenam congruam luere debet. Conferas Rom. 14, 4 ss. et 13, 1 ss.

Prior pars huius ℣. in Hebraico perbelle constructa est: שֹׁפֵךְ דַּם הָאָדָם בָּאָדָם דָּמוֹ יִשָּׁפֵךְ. — Reddunt autem LXX: *ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ ἐκχυθήσεται,* legerunt igitur בַּדָּם pro בָּאָדָם; similiter pro עָשָׂה legerunt עָשִׂיתִי. — Holzinger ℣℣. 4—6 postea adiectos putat ob rationes, quas Gunkel vanas dicit.

℣. 7. **Vos autem:** alloquitur Deus Noe et filios eius, ut in ℣. 1., *crescite et multiplicamini* (℣. 1), *et ingredimini super terram* (8, 17; etiam hic 4 manuscripta, Samaritanus et versiones וְשִׁרְצוּ exhibent: Kittel), *et implete eam:* וּרְבוּ־בָהּ i. e. crescite in ea; sed probabilius (Kittel cum Ball et Nestle, cf. Gunkel) legendum est וּרְדוּ־בָהּ i. e. *καὶ κατακυριεύσατε αὐτῆς,* uti 1, 28. Dillmann, Strack aliique repetunt, quod iam Lapide dixerat, Deum ista „vetatione homicidii velle consulere generis humani propagationi".

℣. 8. **Haec quoque** *dixit Deus ad Noe, et ad filios eius cum eo,* accurate LXX: *καὶ εἶπεν ὁ θεὸς . . . λέγων.* Deus hic implet, quae antea (6, 18) promiserat.

℣℣. 9. 10. Ecce ego, וַאֲנִי הִנְנִי (cf. 6, 17), *statuam pactum meum,* מֵקִים אֶת־בְּרִיתִי (cf. 6, 18), *vobiscum,* אִתְּכֶם, *et cum* (וְאֶת־) *semine vestro post vos,* i. e. posteris vestris: [10] *et ad* (וְאֵת = et cum) *omnem animam viventem,* נֶפֶשׁ הַחַיָּה (cf. pag. 15), *quae est vobiscum, tam in volucribus,* בָּעוֹף, *quam in iumentis,* בַּבְּהֵמָה (Samaritanus, Graecus aliique וּבַבְּהֵמָה), *et pecudibus terrae,* וּבְכָל־חַיַּת הָאָרֶץ אִתְּכֶם, *cunctis, quae egressa sunt,* מִכֹּל יֹצְאֵי, *de arca, et universis bestiis terrae,* לְכֹל חַיַּת הָאָרֶץ. Deus cum hominibus et per eos cum brutis (Dillmann, Hummelauer) contractum init, eumque unilateralem (cf. tractatum de contractibus in Morali), promissione se obligans ad aliquid omittendum (℣℣. 11 ss.) in favorem eorum (cf. Lapide).

De constructione conferas 6, 2 et 7, 21 s. — Ultima verba *et universis bestiis terrae* cum LXX delenda videntur (Holzinger, Kittel), quia חַיַּת הָאָרֶץ quasi immediate praecedit; scriptorem in eodem contextu proximo idem vocabulum prius de feris, deinde de brutis generatim adhibuisse, improbabile est. Ergo Deus promittit familiae Noe et posteris eius; omnibus brutis: tam volucribus quam domesticis et feris; paucis: omnibus quae ex arca egressa sunt, hominibus ac brutis (Holzinger).

℣. 11. Statuam pactum meum vobiscum (6, 18), *et* quidem promitto quod *nequaquam ultra interficietur omnis caro* (cf. pag. 134) *aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram* (cf. pag. 137). Quibus verbis nec minores nec maiores inundationes excluduntur, sed solum diluvium tale ex quali Noe servatus est (Hummelauer, Hoberg, Strack cum Lapide).

℣. 12. Dixitque Deus: *Hoc* (cf. ℣. 13) est *signum foederis,* זֹאת אוֹת־הַבְּרִית, *quod do,* נֹתֵן, *inter me et vos,* בֵּינִי וּבֵינֵיכֶם, *et ad,* וּבֵין, *omnem animam viventem, quae est vobiscum* (cf. ℣. 11) *in generationes sempiternas,* לְדֹרֹת עוֹלָם, in generationes saeculi „quamdiu durabit hoc saeculum . . . haec vita in terris“ (Lapide). Illud *quod* non ad *foedus* (uti Dillmann, Gunkel, Strack putant), sed ad *signum* pertinet (LXX, Hoberg). Videas ℣. 13, ubi idem verbum נָתַן occurrit.

℣℣. 13—16. Arcum meum *ponam,* נָתַתִּי i. e. dedi vel do (cf. pag. 21) *in nubibus, et erit signum foederis inter me, et inter terram,* i. e. habitantes in terra (cf. 6, 13). [14] *Cumque obduxero nubibus caelum,* LXX accuratius: *καὶ ἔσται ἐν τῷ συννεφεῖν με νεφέλας ἐπὶ τὴν γῆν, apparebit,* וְנִרְאֲתָה i. e. et apparebit

(de verbo finito post infinitivum cum praepositione videas grammaticam, e. gr. Gesenius-Kautzsch 354) *arcus meus in nubibus:* non semper, quando caelum nubibus obductum est, arcus pluvius seu caelestis *(ἶρις)* apparet (vide notam infra positam), si vero apparet, [15] *et* vel tunc *recordabor,* וְזָכַרְתִּי, *foederis mei vobiscum, et cum omni anima vivente,* LXX accuratius: *τῆς διαθήκης μου, ἥ ἐστιν ἀνὰ μέσον ἐμοῦ καὶ ὑμῶν καὶ ἀνὰ μέσον πάσης ψυχῆς ζώσης,* נֶפֶשׁ חַיָּה (℣. 10), *quae carnem vegetat,* בְּכָל־בָּשָׂר, *ἐν πάσῃ σαρκί* (cf. 7, 15 s.): *et non erunt ultra aquae diluvii* (LXX accuratius: *εἰς κατακλυσμόν,* לְמַבּוּל) *ad delendum,* לְשַׁחֵת, *ὥστε ἐξαλεῖψαι, universam carnem.* [16]*Eritque arcus in nubibus, et videbo illum, et recordabor,* וְהָיְתָה הַקֶּשֶׁת בֶּעָנָן וּרְאִיתִיהָ לִזְכֹּר i. e. cumque fuerit arcus in nubibus, tunc videbo eum, ut recorder (cf. Gesenius-Kautzsch 503), *foederis sempiterni* (℣. 12) *quod pactum est* (haec verba in Hebraico et Graeco desunt) *inter Deum et* inter *omnem animam viventem universae carnis,* בְּכָל־בָּשָׂר, *quae est super terram* (℣℣. 11. 15). In hoc ℣. Deus aliis verbis et brevius idem enuntiat, quod in ℣℣. 14 s. dixerat.

℣. 17. **Dixitque Deus** *ad Noe* (℣. 8): *Hoc erit* (melius est, Sixtina, Gunkel, Strack, cf. ℣. 12.) *signum foederis,* זֹאת אוֹת־הַבְּרִית, *quod constitui,* הֲקִמֹתִי, *inter me et omnem carnem super terram,* LXX accuratius: *ἀνὰ μέσον ἐμοῦ καὶ ἀνὰ μέσον πάσης σαρκὸς ἥ ἐστιν ἐπὶ τῆς γῆς* (cf. pag. 134). Heic illud *quod* non ad *signum,* sed ad *foederis* pertinet, ut ex sequenti verbo elucet (cf. ℣℣. 9. 11). Est igitur hic ℣. recapitulatio eorum, quae ℣℣. 8—16 narrata sunt. — Arcus caelestis aptum signum foederis supra descripti agnosci debet. Nam figura sua arcum Dei sepositum (cf. Ps. 7, 13; Hab. 3, 9 ss.) seu iram Dei dimissam; positus in caelo et tangens terram coniunctionem vel amicitiam Dei hominumque (cf. Gen. 28, 12): coloribus denique, quibus fulget atque oculos et animos aspicientium recreat ac reficit, Dei gratiam, clementiam et misericordiam (Ez. 1, 28; Apoc. 4, 3; 10, 1) significat (cf. Dillmann, Gunkel, Lapide, Selbst). Tales significationes etiam Indi, Arabes et Graeci arcui pluvio attribuerunt (cf. Dillmann et Gunkel). Quorum memoriam arcus non tantum in hominibus (℣. 13), verum etiam in Deo (℣℣. 15 s.) refricare nuntiatur.

De Deo omnisciente haec non in sensu proprio, sed improprio (per anthropomorphismum) intelligenda sunt, quatenus videlicet erga homines sic se gerit ac si arcu apparente foederis seu promissionis factae admoneatur (cf. Luc. 1, 54. 72 s.).

אוֹת, *σημεῖον, signum* in Scriptura id omne appellatur, quod praeteritum vel praesens vel futurum quid indicat (cf. Buhl, Fürst, Gesenius; Gen. 1, 14; 17, 11; Ex. 31, 13; Luc. 2, 12; 21, 25). — Frz. Delitzsch, Gunkel, Holzinger cum multis aliis (cf. Dillmann) putant, iuxta textus praecedentes arcum pluvium ante diluvium non fuisse, sed post illud a Deo in nubibus positum esse; Dillmann, Hoberg, Hummelauer, Lapide et plerique Catholici antiquiores ac recentiores (Selbst) recte contrariam sententiam defendunt, iam „ante Noe et diluvium fuisse iridem. Est enim naturalis eius generatio et causa, scilicet reverberatio radiorum solis in nube rorida. Cum ergo haec fuerit ante diluvium aeque ut nunc, sequitur et iridem fuisse ante diluvium" (Lapide; similiter Dillmann 155 s.). Cum hac iride Deus novam significationem coniunxit, quam antea non habuerat: dedit eam propter proprietates eius signum foederis seu promissionis hominibus factae. — Totus Ỳ. 14. est propositio antecedens, Ỳ. 15. autem propositio subsequens (Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger contra Hummelauer, iuxta quem iam cum *apparebit* apodosis incipit), quia non semper iris apparet, quando caelum nubibus obductum est. — בְּכָל־בָּשָׂר in ỲỲ. 15. et 16. iuxta Gesenius-Kautzsch 433 est appositio, Holzinger בְּ essentiae accipit (cf. Gesenius-Kautzsch 383). — Holzinger contra ceteros Ỳ. 16. superfluam versus praecedentis repetitionem reiicere vellet. — Omnes codices Latini in Ỳ. 15. habent *delendam;* lectio officialium editionum *delendum* ex Henteniana editione 1583 orta videtur (Vercellone).

Ỳ. 18. **Erant ergo filii Noe,** *qui egressi sunt,* הַיֹּצְאִים, *οἱ ἐξελθόντες, de arca, Sem, Cham, et Iapheth* (7, 13): *porro Cham ipse est pater Chanaan,* כְּנָעַן, qui fuit quartus filius Cham (10, 6), quapropter ea, quae mox narrantur, non statim post diluvium facta sunt (Strack).

Ỳ. 19. **Tres isti filii sunt Noe:** *et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram,* וּמֵאֵלֶּה נָפְצָה כָל־הָאָרֶץ i. e. et ab his dispersa est universa terra = et ab his disseminati sunt omnes inhabitantes terram. Videas I. et III. excursum.

Ỳ. 20. **Coepitque Noe** *vir agricola exercere terram, et plantavit vineam,* וַיָּחֶל נֹחַ אִישׁ הָאֲדָמָה וַיִּטַּע כָּרֶם i. e. et coepit Noe agricola et plantavit vineam = et coepit plantare (Gesenius-Kautzsch 391; Strack). Noe igitur erat agricola uti Adam et

Cain (4, 2); ipsum primum agricolam fuisse, uti Gunkel asserit, nullum textus vocabulum indicat. Fuit tamen primus, qui *vineam* plantavit (Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hummelauer cum Lapide; negat sine ullo argumento Hoberg). Vitis iam ante diluvium quidem existebat (cf. pag. 12), sed non erat culta neque in vineta distributa: Noe coepit plantare vineam (Lapide). Vitem et culturam eius ex Armenia et Ponto in alias terras venisse, historice constat (Dillmann et Hummelauer ex Ritter, Erdkunde, X, 554. 319. 434. 485. 520).

Lapide, Tuch aliique vertunt: „coepit Noe esse agricola, coepit post diluvium terram iam siccatam colere et exercere", quae tamen versio grammatice iustificari nequit (Dillmann). Agricola, אִישׁ הָאֲדָמָה, iam ante diluvium fuit. — LXX reddunt: *καὶ ἤρξατο Νῶε ἄνθρωπος γεωργὸς γῆς, καὶ ἐφύτευσεν ἀμπελῶνα.*

Ṽ. 21. Bibensque vinum *inebriatus est,* LXX accuratius: *καὶ ἔπιεν ἐκ τοῦ οἴνου καὶ ἐμεθύσθη.* Vinum in Scriptura hic primo commemoratur (cf. Mandelkern), quapropter colligimus, homines antea uvas tantum comedisse, Noe autem incepisse ex uvis sucos exprimere (S. Chrysostomus), „nam nesciens vim vini, utpote antea non visi nec cogniti, ex eo inebriatus est; ita S. Hieronymus lib. 1. contra Iovin." Lapide; similiter Dillmann, Hummelauer et alii. *et nudatus* est *in tabernaculo suo.* „Uti solent dormientes et ebrii prae aestu disiicere tegumenta seque nudare" (Lapide; Hab. 2, 15, Dillmann).

יַיִן, assyr. *îni, οἶνος, vinum,* iuxta Gesenius „ab aestuando et effervescendo dictum", primo sucum uvarum post fervorem, deinde etiam crapulam seu ebrietatem (Gen. 9, 24; 1 Reg. 1, 14) significat. Sucus uvarum ante fervorem vocatur תִּירוֹשׁ „mustum, vinum novum, ita dictum, quia inebriat, cerebrum occupat", יָרַשׁ (Gesenius); cf. assyr. *sirâšu, širêsu* (Buhl). — „Notat S. Chrys. Noe ex vite vinum expressisse, ut eo suum et aliorum hominum post diluvium moerorem, labores et infirmitatem leniret et roboraret. Vinum enim roborat et laetificat cor hominis" (Lapide; cf. pag. 119). — שָׁכַר (cf. assyr. šikaru, šakâru, šakkuru: Buhl) = inebriavit se, non tantum significat bibere usque ad defectum rationis, verum etiam bibere usque ad satietatem vel hilaritatem (cf. Gen. 43, 34; Buhl, Fürst, Gesenius). S. Ambrosius et alii (cf. Lapide) putarunt, Noe hoc altero sensu se inebriasse; sed reliqui propter sequentia recte ebrie-

tatem sensu priore intelligunt. — „Ebrietas haec Noe non fuit peccatum, saltem mortale: quia nesciens vim vini et inexpertus, illud largius bibit: ita S. Chrysost. et Theodor.“ (Lapide).

℣. 22. Quod cum vidisset Cham *pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, καὶ εἶδε Χὰμ ὁ πατὴρ Χαναὰν τὴν γύμνωσιν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ* (LXX cum Hebraico) *nunciavit duobus fratribus suis foras,* vel potius foris, בַּחוּץ. In hoc textu aliquid consulto taceri, Hebraei, Theodoretus, Lapide, Gunkel et Holzinger merito contra Dillmann, Hummelauer, Hoberg, Strack aliosque concludunt. Nam in ℣. 18. ex omnibus posteris filiorum Noe, in ℣. hoc ex quattuor filiis Cham solus Chanaan nominatur: certe ob quamdam rationem. Deinde in ℣. 24. asseritur Noe didicisse *quae fecerat ei filius suus minor:* sed Cham nihil patri *fecerat* (Gunkel et Holzinger) neque minimus (cf. ℣. 24) fuit, verum secundogenitus, quia constanter secundo loco (cf. 5, 31; 6, 10; 7, 13; 9, 18; 10, 1. 6; Dillmann) enumeratur. Denique in ℣℣. 25—27 neque Cham neque tres filii priores, sed Chanaan dumtaxat idque ter graviter maledicitur. Tam gravi poenae etiam gravis culpa respondere debet (Gunkel). Quae cum ita sint, cum Hebraeis, Theodoreto et Lapide censemus, „quod Chanaan puer, doli tamen capax (forte enim 10 circiter erat annorum) primo viderit Noe avum suum nudatum eumque irriserit ac mox illud ipsum patri Cham renuntiarit, qui pueri petulantiam non repressit, sed probavit patremque fratribus suis ridendum proposuit“ (Lapide). Gunkel et Holzinger non inepte dicunt, peccatum Chanaan tale fuisse, quale scriptor ex verecundia tacere debuerit.

Gunkel et Holzinger affirmant, verba illa *Cham pater* esse glossam delendam, quin opinionem suam comprobent. — Cum Budde volebant Dillmann 157 et sequaces eius inter capita VI.—VIII. atque IX. contradictionem invenire effutientes, filios Noe in cc. VI.—VIII. ut viros cum uxoribus, in c. IX. autem ut pueros cum patre habitantes praesentari. At in c. IX. tres filii Noe nullo verbo in tabernaculo patris habitantes vel extra illud more puerorum ludentes describuntur. Ex eo quod Cham patrem in tabernaculo ebrium viderit et fratribus suis foras nuntiaverit, quî logice sequitur, ipsos fuisse pueros? — Iuxta Gunkel et Holzinger peccavit Chanaan (non Cham, ut Strack[2] falso citat), quatenus patrem veste exuit, quam Sem et Iapheth ei iterum reddiderunt. Sed ℣. 21. et maledictio formidolosa (Gunkel) hanc expositionem non commendant.

℣. 23. **At vero** *Sem et Iapheth pallium imposuerunt humeris suis,* וַיִּקַּח ... הַשִּׂמְלָה וַיָּשִׂימוּ i. e. et sumpserunt ... pallium (quod Noe abiecerat) et imposuerunt etc. *et incedentes,* וַיֵּלְכוּ, *retrorsum,* אֲחֹרַנִּית, *operuerunt,* וַיְכַסּוּ, *verenda, τὴν γύμνωσιν, patris sui: faciesque eorum aversae erant,* אֲחֹרַנִּית, *et patris virilia, τὴν γύμνωσιν, non viderunt.*

Pro וַיִּקַּח Graecus et Syrus forsitan וַיִּקְחוּ legerunt (cf. Kittel); sed praedicatum plura subiecta singularia antecedens etiam in singulari poni potest (Gesenius-Kautzsch 476). — שִׂמְלָה vestem in genere necnon vestem superiorem seu pallium in specie denotat, quo dormientes quoque tegebantur (cf. Ex. 22, 26 s.; Buhl, Fürst, Gesenius); illo ergo pallio, quod Noe excusserat (videas articulum et ℣. 21), Sem et Iapheth patrem iterum texerunt (Delitzsch, Strack). Si quis cum Hummelauer improbabile ducit, quod „hoc reperire poterant, quin simul in iacentem patrem oculos coniicerent", potest declarare: sumpserunt illud notum pallium (cf. pag. 148).

℣. 24. **Evigilans autem** *Noe ex vino* suo i. e. ex crapula (℣. 21), *cum didicisset* (LXX accuratius: ἐξένηψε δὲ ... καὶ ἔγνω) videlicet a filiis suis, *quae fecerat ei* (cf. ℣. 22) *filius suus minor,* הַקָּטָן i. e. minimus natu (cf. 1 Reg. 16, 11; 17, 14; Gesenius-Kautzsch 438; Delitzsch, Dillmann, Hummelauer et alii). Chanaan, qui mox maledicitur, fuit minimus filius patris Cham (10, 6) simulque minimus filius (nepos) avi Noe esse potuit.

Cum Theodoreto aliisque (cf. Hoberg, Zschokke) filium minimum non Cham, sed Chanaan intelligimus (cf. ℣. 22). Plerique tamen interpretes antiquiores et recentiores (cf. Lapide et Hummelauer, Dillmann et Strack) Chamum intelligunt, ex quo intellectu plures difficultates emergunt, quas ad ℣. 22. ascripsimus. Quae Hummelauer asserit, nimirum „consuetam enumerationem *Sem, Cham et Iapheth* non peti ex ordine aetatis ... sed geographico", atque „divinae id misericordiae" fuisse. quod Cham non in omnibus filiis, sed in solo Chanaan maledictus esset: haec vix probabilia sunt. Si Chanaan nihil fecit, cur tam graviter punitur? ordinem autem nominum chronologicum esse, etiam Dillmann et Strack retinent. Effugium Strack aliorumque dicentium, הַקָּטָן non *minimum,* sed *minorem* notare, usui loquendi contrarium est.

℣. 25. **ait,** וַיֹּאמֶר, *καὶ εἶπεν·* hoc verbum, quod in ℣. 26. repetitur, maledictionem ac benedictionem disiungit (cf. Hummelauer, Holzinger). *Maledictus* sit (cf. 3, 14. 17; 4, 11) *Chanaan:* quibus malis afficiatur, statim exponitur: *servus servorum,* עֶבֶד עֲבָדִים i. e. „servus infimus et vilissimus" (Gesenius, Lapide)

erit vel sit *fratribus suis,* videlicet Sem et Iapheth (ẙẙ. 26s.). Hic nomen fratris, אָח, latiore sensu sumitur, sicut in ẙ. 24. nomen filii, בֵּן (videas lexicon). Quae maledictio bis in benedictione fratrum repetitur.

עֶבֶד עֲבָדִים est periphrasis superlativi quemadmodum קֹדֶשׁ הַקֳּדָשִׁים *sanctum sanctorum* atque שִׁיר הַשִּׁירִים *canticum canticorum* (Gesenius-Kautzsch 438). — „Ridet Calvinus hic Papam, quod ex maledictione hac Chami (vel potius Chanaan) sumpserit sibi titulum *servus servorum;* sed errat: non enim Papa absolute se vocat servum servorum, sed, ut recte notat Rupert., cum addito *servus servorum Dei,* idque facit ex pia animi submissione" (Lapide). — Cham ipse cum reliquis filiis non maledicitur, sed neque benedicitur, quia peccantem filium non punivit atque oculos et linguam suam non custodivit (cf. pag. 163).

ẙ. 26. **Dixitque:** *Benedictus* erit vel sit, i. e. bonis cumuletur (cf. 1, 22): quis? Iuxta contextum (ẙẙ. 25 et 27) exspectandum erat, ut Sem benedictus scriberetur; at legimus in textu tradito: Benedictus *Dominus Deus Sem,* יְהוָה אֱלֹהֵי שֵׁם i. e. celebretur Iahve, Elohim Semi. Ens summum vocatur Elohim Semi, quatenus ab eo agnoscitur et veneratur ut principium et finis omnium (cf. Matth. 22, 32; Gen. 1, 1 et 28, 21); praenuntiatur laudandum ut Iahve, i. e. Deus se revelans (cf. pag. 45). Noe igitur optat ac precatur, ut familia Sem notitiam et cultum veri Dei retineat, atque ut Deus hanc familiam donis revelationis suae illustret et propterea ab hominibus celebretur qua benigne Semitis se manifestans. Explicite benedictionem Dei, implicite autem etiam benedictionem Semi optat et praenuntiat, utpote donis revelationis cumulandi (similiter Lapide, Dillmann; cf. Hummelauer, Hoberg). *sit Chanaan servus eius,* לָמוֹ i. e. eis, scil. Sem et Iapheth et posteris eorum (ẙ. 25): Sem et Semitae sint domini Chanaan et Chananaeorum.

Holzinger cum Ball et Budde וַיֹּאמֶר delendum censet, quia in ẙẙ. 26. et 27. etiam maledictio Chanaan repetitur; sed haec non est ratio sufficiens: hi ẙẙ. manifeste versui 25. opponuntur, ideoque וַיֹּאמֶר convenienter bis scribitur. — Pro בָּרוּךְ יְהוָה אֱלֹהֵי שֵׁם emendant Grätz, Gunkel, Kittel בָּרֵךְ יְהוָה אָהֳלֵי שֵׁם i. e. benedic, Iahve, tabernacula Sem; contra Holzinger cum Budde corrigit בָּרוּךְ יְהוָה שֵׁם i. e. benedictus Domini Sem (cf. 24, 31; 26, 29). At textum traditum non solum omnes

versiones confirmant, verum etiam rationes internae, quatenus difficilior est atque a ℣℣. 25. et 27. deflectit, ad quod reliquae lectiones conformantur. — *Deum benedicere* idem est ac Deum laudare seu celebrare, perfectiones eius agnoscendo aliisque nuntiando, quia homo aliis bonis ens perfectissimum cumulare nequit. — לָמוֹ = לָהֶם *eis* (Gesenius-Kautzsch 300). Plures asserunt, לָמוֹ numquam pro singulari לוֹ *ei* usurpari; Gesenius-Kautzsch l. c. bonis nixus rationibus contrariam quidem sententiam tuetur, sed profitetur, in hoc et sequenti ℣. pluralem praeferendum esse, quem Peschitta exprimit. LXX (Swete) in ℣. 26. singularem, in ℣. 27. pluralem reddiderunt.

℣. 27. **Dilatet Deus Iapheth,** יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת, *πλατύναι ὁ θεὸς τῷ Ἰάφεθ*, i. e. „Deus ampla spatia concedat Iaphetho" (Gesenius), qui ex vi nominis sui „late patens" vel „dilatans" est (cf. pag. 120). In hac benedictione Deum non Iahve, sed Elohim nominat indicans, Iaphethitas non fore populum revelationis (cf. Dillmann, Gunkel, Holzinger). Sequitur tamen: *et habitet in tabernaculis Sem,* i. e. Iaphethitae possideant habitationes et bona Semitarum, inter quae notitia et cultus veri Dei praecipua sunt. *sitque* (in Hebraico *que* deest) *Chanaan servus eius,* vel potius e i s (cf. ℣. 26).

יַפְתְּ alludere ad יֶפֶת manifestum est. — Ad verbum וְיִשְׁכֹּן *et habitet* non Deus subiectum est, ut Hoberg cum antiquioribus putat (cf. Lapide et Dillmann). Nam sic benedictio Iapheth nimis brevis esset atque iterata benedictione Sem interrumperetur. Iapheth est subiectum (Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hummelauer, Lapide, Strack). — Habitavit autem Iapheth in tabernaculis Sem, postquam Iaphethitae (Graeci et Romani) Semitas vicerunt. De pacifica cohabitatione Semitarum et Iaphethitarum phrasis non sumenda est (Gunkel), quia de hac in historia nihil invenimus (Dillmann).

Haec optatio *(sit)* et praedictio *(erit)* Noe reapse impleta est. Nam quod ad posteros C h a n a a n attinet, Chananaei ab Israelitis superati sunt (I o s. 9, 1 ss.; 17, 13; I u d. 1, 28 ss.; 3 R e g. 9, 20 s.), reliqui autem ab Iaphethitis, Graecis ac Romanis (cf. Dillmann 161), quemadmodum servus Semi atque Iaphethi praenuntiatus est Chanaan. Quod si Chamitae primis temporibus florebant et aliorum dominabantur (Hummelauer, Selbst), respondemus neque Cham neque tres filios eius priores a Noe maledictos fuisse. — Inter S e m i t a s notitia et cultus veri Dei semper conservatus est; in hoc populo Deus se re-

velavit in salutem omnium gentium, pro qua revelatione ab orbe terrarum benedicitur. — I a p h e t h i t a e super latas terrae regiones se diffundebant atque posteros Chanaan et Sem devicerunt, sed a Semitis (Israelitis) notitiam et cultum veri Dei susceperunt. — In benedictione Sem et Iapheth secundum v a t i c i n i u m M e s s i a n u m continetur (S. Augustinus, c. Faust. 12, 24, S. Hieronymus, S. Chrysostomus; Delitzsch. Hoberg, Hummelauer, Schöpfer, Strack, Zschokke et alii plurimi, cf. Dillmann). In Semitis cultus veri Dei (cf. 4, 26) necnon revelatio Domini (cf. 3, 15) futura praenuntiatur; Iaphethitis autem praedicitur, ipsos beneficiorum participes fore. quibus Semitae subiiciendi gaudent (cf. R o m. 9—11).

℣. 28. **Vixit autem** *Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis.*

℣. 29. **Et impleti sunt,** וַיִּהְיוּ (ita c. 225 manuscripta, Samaritanus, Graecus, Syrus: Kittel; alii וַיְהִי, cf. 5, 23) *omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum: et mortuus est* (cf. pag. 117 et 122).

Excursus I.

De universalitate diluvii.

Universalitas diluvii geographica non verisimilis est: universalitas vero anthropologica probabilissima. — Universalitas g e o g r a p h i c a affuisset, si aquae totam terram, totam continentem cum universis omnino montibus involvissent. Hanc non dicimus impossibilem, quia apud Deum omnia possibilia sunt (L u c. 1, 37) et miraculo fieri possunt. At miracula non gratis supponenda, sed stricte probanda sunt. Rationes autem, quae contra universalitatem geographicam afferuntur, tam graves; argumenta vero, quae pro hac universalitate proferuntur, tam levia sunt, ut universalitas diluvii geographica non verisimilis appareat. — Universalitas a n t h r o p o l o g i c a affuit, si omnes omnino homines, qui extra arcam erant, aquis diluvii deleti sunt. Hanc non dicimus certam, quia neque definitio Ecclesiae neque talis consensus Patrum neque alia argumenta tam peremptoria prostant, quae dubium prudens excludant; dicimus tamen probabilissimam.

quia sensu Ecclesiae, doctrina Patrum et testimoniis Scripturae comprobari potest. — Thesim propositam per partes demonstrabimus.

I. Universalitas geographica non verisimilis est: nam scientiae naturales eam prohibent, Traditio et Scriptura eam non docent, analogia fidei eam non postulat. *1. Scientiae naturales eam prohibent,* et quidem *a)* physica. *α)* Si aquae diluvii totam continentem involvissent, si 15 cubitis (7·875 *m*) altiores fuissent (7, 20) super omnes montes: usque ad 8848 *m* se attollere debuissent; nam iuxta Brockhaus l. c. montes Europae usque ad 4810 *m* (Montblanc), Australiae usque ad 5100 *m* (Karl-Ludwig-Berge), Africae usque ad 6010 *m* (Kilimandscharo), Americae usque ad 7040 *m* (Aconcagua), Asiae usque ad 8840 *m* (Mount Everest) assurgunt. Atqui tanta aquarum copia sine miraculo neque ex fontibus abyssi et cataractis caeli (cf. pag. 142) venire potuerunt, cum aquae indivisae 2520 *m* vel 3400 *m* dumtaxat altae fuerint (cf. pag. 4), neque infra tam breve tempus (cf. pag. 151) a continente recedere potuerunt. Ergo aquae diluvii non totam continentem, non omnes montes operuerunt, quia miracula non supponenda sunt, nisi necessitas cogat (cf. pag. 40), quod heic non accidit (videas num. 2. et 3). — *β)* Affirmant insuper periti rerum naturalium, pluviam per 40 dies in tota terra continuatam iuxta leges physicas non solum impossibilem, sed etiam cum tanto defectu caloris ac pressu aeris coniunctam esse, ut homines et bruta vivere non possent (cf. Selbst, Schöpfer). Miracula autem supponi non debent. Ergo.

Kaulen (Kirchenlexikon, XI, 344) scribit, tales aquas absolute quidem magnas fuisse, non vero relative. Nam si terram globo 0·5 *m* diametri aequiperamus, istae aquae aequiperandae sunt cum charta scriptoria super hunc globum posita. At de hoc non quaeritur; quaeritur potius, unde aquae tam copiosae venerint et quo recesserint. Responsum Kaulen, nos haec nescire, effugium est non bonum; aquae aut miraculo venerunt et recesserunt aut non involverunt totam continentem cum omnibus montibus.

b) Zoologia. Etenim *α)* Tot animalia quot diluvium geographice universale postularet, sine miraculo in arca cum cibis necessariis neque collocari neque ali neque munda et

sana conservari potuissent; atqui ad miracula sine necessitate confugiendum non est: ergo. Animalium enim terrestrium Holzammer 13.000, Schanz I, 773 vero saltem 8500 species numerat, non computatis 200.000 speciebus insectorum (Selbst 81); de immundis unum par = 2 individua, de mundis autem septem paria = 14 individua: ergo in summa plus quam 40.000 individua in arcam introducenda erant (cf. pag. 140). Assertum illud, tot millia animalium cum alimentis sufficientibus in arca collocari ibique ab octo personis per 375 dies ali et munda servari potuisse, ridiculum est. Eapropter aut negant, tot species animalium exsistere, aut asserunt, non unum et septem paria, sed individua assumenda fuisse. Verumtamen, quod ad numerum specierum spectat, „peritis in arte credendum est", nisi gravissimae obstent rationes, quas nemo hucusque protulit; supposito autem, sed non concesso (cf. pag. 139), quod 7 atque 2 individua intelligenda essent, nihilominus circiter 30.000 individua in arca collocanda atque alenda fuissent. Quomodo 8 personae per 375 dies continuos hoc praestabant? — *β)* Infra 7 dies ex omnibus speciebus individua necessaria naturaliter vix colligi potuerunt. — *γ)* Diluvio perdurante neque animalia alioquin in regionibus calidis degentia frigus neque pisces alioquin aut in dulcibus aut in salsis aquis commorantes aquam mixtam sustinere valebant. — *δ)* Quomodo post diluvium animalia ex Armenia in reliquas terras insulasque pervenerunt? — Rationes *β*—*δ* separatim sumptae leviores sunt, sed cum ratione *α* gravissima coniunctae demonstrant, diluvium geographice non fuisse universale.

2. Traditio et Scriptura eam non docent. a) Non Traditio. Verum quidem est, Patres, theologos et interpretes Ecclesiae usque ad saec. XVII. (Schanz I, 775, Zschokke) universalitatem diluvii geographicam communiter tradidisse; sed haec doctrina eorum non est Traditio sensu stricto accepta. Debemus enim bene distinguere. Si Patres consensu unanimi aliquid tradunt et quidem „ut ad fidei pertinens morumve doctrinam" (Leo XIII.) vel si explicationes ab ipsis datas directe aut indirecte „qua sensum Ecclesiae" proponunt: consensus eorum unanimis veram Traditionem Ecclesiae verumque sensum biblicum exhibet omnesque interpretes catholicos obligat. Si autem unanimi

quidem consensu locum quemdam biblicum explicant, sed hanc explicationem neque directe neque indirecte ut sensum Ecclesiae proponunt: adest quidem unanimis consensus materialis, sed non formalis; adest communis doctorum opinio illorum temporum, sed non Traditio Ecclesiae sensu stricto accepta. Et privatam istam opinionem Patrum, theologorum et interpretum relinquere possumus, ut Leo XIII. (cf. Exegeticam 62 ss.) et Pius X. (cf. pag. 40) nobis ostendunt. Geographicam vero diluvii universalitatem Patres nec directe nec indirecte qua sensum Ecclesiae vel fidei morumve doctrinam proponunt: ergo Traditio stricte sumpta hanc universalitatem non docet.

b) N o n S c r i p t u r a. Inveniuntur quidem in Genesi nonnulla, quae primo quasi aspectu universalitatem geographicam docere videntur; accuratiore tamen examine instituto prima apparentia disparet. Nam *α)* omnes homines et animalia terrestria, universa caro subter caelum, omnis substantia creata de terra corrupta aquis delenda praenuntiantur (6, 7. 11 ss. 17; 7, 4); ex omnibus animalibus paria in arcam sumenda mandantur, *ut salvetur semen super faciem universae terrae* (7, 2 s.); narrantur aquae omnia replevisse super terram, *opertique omnes montes excelsi sub universo caelo* (7, 18 ss.), consumpta omnis caro et deleta omnis substantia super terram (7, 21 ss.); et quando Noe primo columbam emisit, *aquae erant super universam terram* (8, 9). Qui loci geographicam universalitatem omnino docere videntur; at notamus: *αα)* plerumque simpliciter *terra* scribitur, non *omnis* terra. *ββ)* Ter adiectivum *universa* apponitur; sed ultimus locus clare demonstrat, illud *universam* non sensu stricto sumendum esse, quia tunc non *universa* terra aquis repleta erat (8, 5). *γγ)* Nomina *terrae* et *caeli* saepius partem dumtaxat caeli et terrae significant, e. gr. G e n. 41, 54 ss.: *in universo orbe,* בְּכָל־הָאֲרָצוֹת, *fames praevaluit . . . Crescebat autem quotidie fames in omni terra,* . . . עַל כָּל־פְּנֵי הָאָרֶץ. *Omnesque provinciae,* וְכָל־הָאָרֶץ, *veniebant in Aegyptum.* D e u t. 2, 25: *Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni caelo,* תַּחַת כָּל־הַשָּׁמָיִם, *ut audito nomine tuo paveant.* Ergo eaedem phrases etiam in descriptione diluvii non universaliter, sed particulariter accipi possunt. *δδ)* *Omnes* montes, *omnis* substantia et *omnis* caro de

illa parte caeli et terrae intelligenda sunt. — *β)* Deus voluit, ut familia Noe et species animalium terrestrium in *arca* salvarentur (6, 14 ss.; 7, 1 ss.); si diluvium non fuisset geographice universale, Noe et bruta demigratione seu mutatione loci salvari potuissent. Respondemus: Deum aliud quoque medium salvandi Noe et brutorum eligere potuisse, non negamus; voluit tamen, ut arcam exstrueret, quia ista exstructio erat continua invitatio ad poenitentiam (cf. pag. 129), et quia arca typice Ecclesiam praefigurat (videas finem excursus). — *γ)* Promissio Dei: *nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram* (9, 11. 15), non solum de diluvio geographice universali, sed etiam partiali exponi potest; nam partialia diluvia et postea quidem erant, sed non talia, quale primum fuit (vide II.).

3. Analogia fidei eam non postulat. Etiam Kaulen, l. c. 342, qui geographicam universalitatem diluvii omnibus mediis exegeticis defendendam dicit, ultro concedit, istam universalitatem ab analogia fidei seu convenientia omnium veritatum a Deo revelatarum et ab Ecclesia conservatarum (Exegetica 66 ss.) non postulari; sententiam, quae diluvium geographice partiale defendat, doctrinis catholicis non contrariam esse. — Si autem vir doctissimus adiungit, universalitatem diluvii geographicam esse credendam „cum nobis revelata sit", praecepta logica non bene observavit. De hoc enim quaeritur, utrum revelata sit necne; inquirimus, qualem universalitatem Scriptura et Traditio doceant, qualem analogia fidei catholicae postulet.

Restant ea diluenda, quae contra diluvium geographice partiale obiiciuntur. *a)* Si aquae omnes montes unius partis terrae tantum operuerunt et per 150 dies obtinuerunt (7, 19. 24), quomodo hoc sine miraculo possibile fuit? quare aquae tam altae et graves iuxta leges notissimas non diffluerunt in partes magis depressas? Ita Kaulen, l. c. 341. Reponimus: sicut in principio depressiones et elevationes factae sunt (pag. 10), ita et tempore Noe in illa parte terrae tales depressiones fieri potuerunt (quemadmodum periti rerum naturalium quoque tradunt: cf. Selbst 160), ut omnes montes excelsi illius (5156 *m*) inundati sint. Cum montes summi (8840 *m*) in globo 2 *m* diametri qua elevationes 1·5 *mm* appareant (Hasert 24), depressio 5164 *m* non tam stupenda reperitur et aliis factis (vide *c*) valde plausibilis redditur. — *b)* Apud omnes populos terrae traditiones de diluvio inveniuntur; ergo concludimus, diluvium geographice universale fuisse. At ipse Kaulen, l. c. 337, pro-

titetur, tales traditiones neque apud omnes populos inveniri (cf. Schanz I, 763 ss.) neque apud singulos memoriam diluvii universalis, sed saepius inundationis particularis esse, quare his traditionibus universalitas diluvii geographica probari nequit. — *c)* Vestigia geologica, i. e. arena marina, conchylia, fossilia animantium in montibus 4000 *m* et 5000 *m* altis necnon rupes erraticae, diluvium demonstrant. Distinguimus: demonstrant diluvium geologicum, concedimus; demonstrant biblicum, negamus, quia diluvium unius anni talia vestigia relinquere non potuit. — *d)* Kaulen 340 s. asserit, in Gen. 41, 57 natura rerum, in Deut. 2, 25 sequens sententia „qui de te audient" adiectivum *omnis* restringere; descriptionem vero diluvii iuxta supremum principium hermeneuticum sensu proprio et obvio explicandam esse. Respondemus: verba Deut. 2, 25 non sunt vertenda „qui de te audient", sed *ut audito nomine tuo paveant* (cf. Oettli et Steuernagel); et si in Gen. 41, 57 natura rerum, in descriptione diluvii scientiae naturales adiectivum *omnis* restringunt. Supremum autem principium hermeneuticum, ad quod Kaulen provocat, Leo XIII. sic inculcat „videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere" (Exegetica 103). Attendantur verba ultima.

Quae cum ita sint, inter recentiores viros doctos bonae famae perpauci tantum universalitatem diluvii geographicam defendunt, nimirum Kaulen, Trissl, Ubaldi (professor S. Scripturae in Pontificio Apollinari, † 1884, qui vir doctissimus hodie hanc sententiam vix amplexaretur); reliqui diluvium geographice partiale astruunt, e. gr. Brucker, Glaire, Güttler, Hoberg, Holzammer, Lorinser, Pianciani, Reusch, B. Schäfer, Schöpfer, Schouppe, Selbst, Serres, Strack[2], Veith, Vigouroux, Zschokke, Neteler, qui inter alia argumenta hoc infelix affert, paradisum non inundatum fuisse, cum ibi Henoch vixerit, qui nondum mortuus est (cf. pag. 90 et 124).

II. Universalitas anthropologica probabilissima est: quia sensu Ecclesiae, doctrina Patrum et testimoniis Scripturae comprobatur. *1. Testimoniis Scripturae,* et quidem *a)* Novi Testamenti. *α)* 2 Petr. 3, 5—7: *Latet enim eos hoc volentes, θέλοντας, quod caeli erant prius, ἔκπαλαι, et terra, de aqua, et per aquam, ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος, consistens Dei verbo: per quae, δι' ὧν, ille tunc mundus, ὁ τότε κόσμος, aqua inundatus periit. Caeli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem iudicii, et perditionis impiorum hominum, τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων.* In ℣℣. antecedentibus Petrus affirmat, in novissimis diebus illusores adventum Domini nega-

turos esse, asserentes: ex quo patres dormierunt, omnia perseverant sicut erant ab initio creaturae; ergo etiam perseverabunt, neque Dominus ad iudicium veniet, quia tantum temporis iam praeteriit. In his ℣℣. respondet: volentes ignorant vel non cogitant, non omnia ab initio semper mansisse, sed diluvium venisse, cui longum tempus praecessit; sic et nunc veniet iudicium, licet longum tempus praecedat. *Caeli et terra*, ex aqua et per aquam (cf. pag. 8 ss.) *verbo Dei* formati (cf. pag. 6), iam dudum erant, *ἦσαν ἔκπαλαι*, et tamen per hos, *δι' ὧν*, i. e. per caelos et terram (cf. Gen. 7, 11) iam longo tempore exsistentes, humanum genus tunc vivens, *ὁ τότε κόσμος*, *aqua inundatum periit.* Similiter *caeli et terra* nunc exsistentes conservantur quidem ut thesauri, *τεθησαυρισμένοι εἰσίν*, *eodem verbo* quo formati sunt, sed igni destinati sunt, in quo et per quem conflagrabunt (℣. 10), quando omnes iudicabuntur et impii condemnabuntur. Ex his verbis colligi potest, omnes homines Noe excepto (vide *β* et *γ*) diluvio deletos fuisse. Nam *ὁ κόσμος*, *mundus* in Novo Testamento saepe homines in terra habitantes seu genus humanum significat (Wilke-Grimm, Wahl), ergo *ὁ τότε κόσμος*, *ille tunc mundus* idem est ac genus humanum tempore Noe vivens (2 Petr. 2, 5). Idem discimus ex comparatione inter caelos et terram aquam manantes atque caelos et terram igne conflagrantes a Petro instituta (cf. Burger). Ignis in novissimo die omnes homines in terra conversantes occidet, unde inferimus, etiam aquam in terra conversantes occidisse (cf. pag. 125).

Alii interpretes (cf. Bisping, Kühl) dicunt, verba *ὁ τότε κόσμος* idem denotare ac *οὐρανοὶ καὶ γῆ* et propterea *δι' ὧν* aut de aquis e caelo et terra venientibus aut de aqua et verbo Dei explicandum esse. Haec tamen explicatio incongruens est. Nam in eodem contextu idem vocabulum eadem significatione sumendum est; atqui 2, 5 iuxta omnes interpretes *κόσμος* genus humanum significat: ergo etiam 3, 6. Deinde, si 3, 6 *ὁ κόσμος* caelos et terram significaret, sequeretur non tantum totam terram sed etiam caelos inundatos esse, quae res improbabilissima est. Praeterea *δι' ὧν* vix aquam denotat, quia *aqua* statim sequitur; esset mira constructio: *per quae*, scil. per aquas vel per verbum Dei et aquam, *ille tunc mundus*, caeli et terra, *aqua inundatus periit.* Denique in diluvio neque terra neque caelum periit. Ceterum haec explicatio multo magis quam nostra probaret, omnes homines diluvio deletos esse.

β) 2 Petr. 2, 5: *Et originali mundo, ἀρχαίου κόσμου, non pepercit, sed octavum Noe iustitiae praeconem custodivit, diluvium mundo impiorum, κόσμῳ ἀσεβῶν, inducens.* Qua sententia S. Petrus docet, Deum mundum originalem seu genus humanum primi temporis propter iniquitatem diluvio delevisse, servans tamen praeconem iustitiae (cf. pag. 129) et quidem ut octavum, i. e. cum septem aliis, tribus filiis et quattuor uxoribus. Numerale ὄγδοον, *octavum* non cum *iustitiae praeconem,* sed cum *Noe* coniungendum est, uti ordo verborum monstrat (cf. Bisping, Burger, Kühl). Cum hoc loco congruit 1 Petr. 3, 20: *in qua (arca), εἰς ἣν (κιβωτόν), pauci, id est octo animae salvae factae sunt per aquam,* i. e. aqua arcam in sublime elevans (Gen. 7, 17) servavit octo personas, qui in eam ingressi fuerant (cf. Bisping, Burger, Kühl).

Neteler cum Cetta opinatur, in arca plus quam 8 animas fuisse et salvatas esse. Ut hanc opinionem sustinere possit, affirmat, numerum *octo* et *octavum* esse glossam serius in textum intrusam, atque relativum *in qua, εἰς ἣν,* non ad *arca* in ℣. 20., sed ad *φυλακῇ* in ℣. 19. referendum esse. Verumtamen, iuxta testes criticos numerus octavus omnino genuinus retinendus est (cf. Tischendorf, N. T. Graece, edit. VIII. maior. Lipsiae, 1872, tom. II.; necnon meam editionem N. T. Graecam vel Graeco-Latinam), et iuxta grammaticos relativum cum immediate praecedente *arca* coniungendum est (vide commentarios recentiores huius loci).

γ) Luc. 17, 26 ss.: *Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus Filii hominis. Edebant, et bibebant: uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem, qua intravit Noe in arcam: et venit diluvium, et perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Lot: Edebant, et bibebant: emebant, et vendebant: plantabant, et aedificabant: qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem, et sulphur de caelo, et omnes perdidit: secundum haec erit qua die Filius hominis revelabitur.* Ex hoc loco universalitas diluvii anthropologica stricte probari nequit, si eum in se tantum consideramus, quia illud *omnes* relative de habitantibus in regione Noe sicut de habitantibus in regione Lot accipi potest. Epistolae tamen Petri insinuant, quomodo haec verba Domini intelligi debeant, nimirum absolute.

b) Veteris Testamenti. *a)* Gen. 6, 6 s.: *poenituit eum quod hominem fecisset,* עָשָׂה אֶת־הָאָדָם, *in terra . . . Delebo, inquit, hominem, quem creavi,* אֶת־הָאָדָם אֲשֶׁר־בָּרָאתִי, *a facie terrae.* Eadem verba 1, 26 s. adhibentur: *Faciamus Hominem,* נַעֲשֶׂה אָדָם, . . . *Et creavit Deus hominem,* וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם, . . . *creavit,* בָּרָא, *illum,* . . . *creavit,* בָּרָא, *eos.* Hae phrases in capite I.

totum genus humanum significant, ut antecedentia et consequentia commonstrant: ergo etiam in capite VI., ubi simpliciter repetuntur, totum genus humanum significant, iis exceptis, qui nominatim enumerantur. Nam usum loquendi inventum retineamus oportet, si non cogamur ab eo recedere (Exegetica 36); non licet, easdem phrases aliter quando primo ponuntur, aliterque quando repetuntur explicare. Ergo iuxta Gen. 6, 6 s. totum genus humanum, familia Noe excepta, deletum est.

β) Quam explicationem Gen. 9, 19 et 9, 1 ss. confirmant. Sicut 3, 20 Eva vocatur *mater cunctorum viventium,* sic secundum 9, 19 a tribus filiis Noe *disseminatum est omne genus hominum super universam terram;* atque eadem benedictione, qua Deus 1, 28 ss. protoparentibus benedixerat, 9, 1 ss. familiae Noe benedicit. Si autem familia Noe post diluvium origo generis humani fuit sicut protoparentes post creationem caeli et terrae: praeter ipsam alii homines non aderant, ergo omnes diluvio deleti fuerant.

γ) Ex Gen. 9, 3 ss. idem colligimus. Si praeter familiam Noe alii quoque homines superstites fuissent, sequeretur, Deum cum his ceteris hominibus neque foedus iniisse neque iis esum carnium concessisse (Kaulen 343). Nam cum Noe filiisque et semine eorum pactum statuit (℣. 9), ipsis esum carnium concessit (℣. 3). Tam absurda consequentia propositionem maiorem falsam esse demonstrat, cum propositio minor negari nequeat (vide explicationem ℣℣. 3 ss.).

Si *omnis caro* interficienda (6, 13. 17) et consumpta (7, 21) nuntiatur, hoc assertum iuxta ea, quae hucusque diximus, ita intelligendum est: deleti sunt omnes omnino homines omniaque bruta in terra ab hominibus inhabitata degentia, iis hominibus et brutis exceptis, qui in arca erant; bruta vero degentia in aliis terrae partibus, quae ab hominibus non inhabitatae ideoque non inundatae erant, non sunt deleta.

2. Doctrina Patrum quoque universalitas diluvii anthropologica comprobatur. Nemo infitiatur, Patres unanimi et constanti consensu universalitatem diluvii cum geographicam tum anthropologicam tradidisse. Geographicam privatim docuerunt (cf. pag. 170); anthropologicam non ut dogma fidei vel doctrinam Ecclesiae neque ut opinionem privatam, sed ut senten-

tiam cum fide Ecclesiae connexam proposuerunt. Facto isto, quod extra arcam omnes perierunt, praefiguratum docuerunt, omnes perituros esse, qui voluntarie extra Ecclesiam constituti fuerint. Si autem Patres sententiam quamdam ut cum fide Ecclesiae connexam tradunt, tam magna est eorum auctoritas (Exegetica 65), ut ea rectus alicuius textus intellectus probetur.

Tres tantum Patres loquentes inducamus. „Si quis in arcam Noe non est ingressus, inquit S. Fulgentius † 533 (de remiss. peccat., I, 20), non est salvatus diluvio, sed necatus, nec salutem invenit in aqua, sed mortem. Aqua quippe illa, in qua praefigurabatur baptismatis sacramentum, quoscumque in arca reperit, a terra suspensos ad caelestia sublimavit; residuos autem oppressos occidit, quos foris invenit . . . In illa arca . . . praefigurabatur Ecclesia." S. Hieronymus † 420 scribit (adv. Iovin., I, 17): „Noe, qui quasi secunda radix humano generi servabatur, utique cum uxore et filiis debuit reservari. Quamquam in hoc mysterium Scripturarum sit. Arca illa iuxta Apostolum Petrum typus Ecclesiae fuit, in qua octo animae salvae factae sunt." Breviter, sed nervose S. Cyprianus † 258 (de unit. Eccl., 6) asserit: „Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit." — Si Patres diserte dicerent, hanc explicationem esse intelligentiam Ecclesiae vel dogma fidei, auctoritas eorum summa esset et causam finiret: sed hoc non dicunt.

3. *Sensu Ecclesiae* probatur. Ecclesia sensum suum, anthropologicam diluvii universalitatem retinentem, non quidem decidendo, bene vero simpliciter docendo (cf. Exegeticam 60) manifestavit.

In Catechismo Concilii Tridentini, Pii V. et Clementis XIII. iussu edito, haec legimus (p. I., c. X., n. XIX.): „Illustrem significationem habet ‚Arca Noe', quae ob eam rem tantum ‚divino iussu constructa est', ut nullus dubitandi locus relinquatur, quin Ecclesiam ipsam significet, quam Deus sic constituit, ut quicumque per baptismum illam ingrederentur, ab omni mortis aeternae periculo tuti esse possent; qui vero extra illam essent, quemadmodum iis evenit, qui in arcam recepti non sunt, suis sceleribus obruerentur." Et in „Compendio della Dottrina Cristiana" a Pio X. praescripto (cf. pag. 40) sequentia traduntur: „Iddio . . . punì il genere umano con un diluvio universale . . . Tutti quanti gli uomini morirono annegati; non si salvarono che Noè e la sua famiglia", i. e. „Deus . . . punivit genus humanum diluvio universali . . . Omnes ad unum homines mortui sunt aqua mersi; non salvati sunt nisi Noe et familia eius."

Uti diximus, Ecclesia sensum suum non decidendo seu definiendo, sed tantum simpliciter docendo manifestavit; Patres explicationem suam non ut intelligentiam Ecclesiae vel dogma fidei, sed ut sententiam cum fide connexam proposuerunt: sensus locorum Scripturae supra citatorum non authentice determinatus est: propterea universalitas diluvii anthropologica certa vocari nequit, uti iam in principio diximus; est tamen probabilissima, quod argumenta prolata commonstrant, et a catholico interprete retinenda iuxta num. XIII. Brevis Pii X. d. d. 27. Martii 1906: „Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit, numquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiae vel minimum discedere.“

Beck, Breitung, Güttler, Hummelauer, Rohling, Schanz, Schöpfer, Scholz aliique praesertim Galli, quorum nomina apud Hummelauer et Schanz I, 776 invenis, contra Patres, interpretes antiquiores, Hoberg, Holzammer, Kaulen, Strack[2] aliosque magis minusve clare etiam anthropologicam diluvii universalitatem negarunt et contra argumenta nostra varia obiecerunt, quorum pleraque Schöpfer collecta exhibet et a nobis examinanda sunt. *a)* Contra testimonia Scripturae. *α)* Qui concedit, ex locis Scripturae geographicam universalitatem demonstrari non posse, neque anthropologicam ex Scriptura probare potest. Hoc falsum est. Loci enim supra citati non geographicam quidem, sed nihilominus anthropologicam universalitatem docent, si iuxta usum loquendi et contextum explicantur. *β)* Scriptor Genesis refert solummodo, qualem opinionem Noe in hac quaestione habuerit, quae opinio falsa esse potest. At hagiographus nullo verbo indicat, se opinionem Noe tantum referre, sed suam sententiam proponit. Quid inde sequatur, pag. 37 scripta sunt. *γ)* Loci N. T. ex locis V. T. intelligendi et explicandi sunt. Sed hermeneutica e contrario postulat, ut loci minus clari V. T. ex locis magis claris N. T. explicentur (cf. Exegeticam 43 s.). Si igitur in N. T. universalitas anthropologica docetur (cf. pag. 172 ss.), eadem ratione etiam V. T. intelligendum est, cum Deus V. et N. T. inspirans sibi contradicere nequeat. Ceterum nonnulli loci V. T. quoque anthropologicam universalitatem docent, si iuxta contextum exponuntur (cf. pag. 174 s.). — *b)* Contra consensum unanimem et constantem Patrum *α)* urgent, inquirendum esse, utrum universalitas anthropologica diluvii ad substantiam typi pertineat necne. Sed haec inquisitio superflua est, quia Patres r e a p s e (ut omnes concedunt) ex interitu o m n i u m omnino hominum extra arcam versantium probarunt, n u l l u m omnino hominem salvari posse, qui voluntarie extra Ecclesiam constitutus sit. *β)* Patres universalitatem geographicam docuerunt et consequenter etiam anthropologicam statuere debuerunt. Si nos cum plurimis aliis geographicam universalitatem reiicimus, etiam anthropologicam reiicere possumus. Comparatio claudicat. Nam anthropologicam universalitatem ut c u m f i d e

connexam, geographicam vero ut opinionem suam vel sui temporis proponunt: quare hanc quidem repudiare possumus, non vero illam, quia improbabilissimum est, Patres unanimiter et constanter in tali causa errasse. — *c)* Contra sensum Ecclesiae. *α)* Ecclesia definitiva sententia hanc quaestionem non decidit, ergo nulla adest obligatio statuendi universalitatem anthropologicam. Respondemus: obediens filius Ecclesiae non solum infallibilibus, sed etiam ceteris iudiciis et sententiis magisterii authentici se subiicere debet (cf. Exegeticam 86 et 89). *β)* Plures interpretes moderni universalitatem anthropologicam negant, et opinio eorum in Ecclesia toleratur. Bene, sed Ecclesia ipsa universalitatem istam affirmat, utique simpliciter tantum docendo (cf. pag. 176).

Ratio principalis, ob quam plures interpretes moderni anthropologicam universalitatem diluvii negant, haec est, ut diversitatem linguarum et familiarum generis humani facilius declarare possint. Concedit tamen Schanz I, 778, neque ethnographiam neque anthropologiam nos cogere, ut universalitatem anthropologicam diluvii negemus. Atqui Leo XIII. inculcat, „a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere“ (cf. Exegeticam 103). Ergo universalitas anthropologica, quam sensus obvius locorum supra citatorum astruit, retinenda videtur.

Diluvium typus baptismatis, arca typus Ecclesiae est. *a)* 1 Petr. 3, 21 legimus: ὃ (scil. ὕδωρ) *καὶ ὑμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα* i. e. aqua, quae nunc vos salvat ut baptisma, praefigurata fuit per aquam diluvii. Etenim *α)* per aquam diluvii octo animae in arcam ingressi sunt (Gen. 7, 7) et in illa servabantur; per aquam baptismatis homines in Ecclesiam ingrediuntur et in illa salvantur. *β)* Noe cum familia sua Deo praecipienti credidit et obedivit (Gen. 6, 14 ss.) itaque salvus factus est per aquam (Hebr. 11, 7); etiam Christiani Deo praecipienti credere et obedire debent, ut salvi fiant per baptisma (Trid., sess. VI., can. VII. et VIII.). *γ)* Diluvium peccatores delevit et novum genus produxit (Gen. 7, 23); baptisma quoque peccatorem delet et novam creaturam prodire facit (Rom. 6, 4 ss.). Videas Selbst hic; Bisping, Burger, Kühl ad 1 Petr. — *b)* Arcam typum Ecclesiae fuisse, Patres consensu unanimi docent. *α)* Arca fuit contemptibile quidem lignum, sed a Deo gubernatum (Sap. 10, 4); Ecclesia quoque contemptibilis videtur (1 Cor. 1, 17—31), sed a Deo gubernatur (Matth. 28, 20). *β)* Una porta in arca fuit, per unam ianuam in Ecclesiam intrare debent omnes, videlicet per baptisma (cf. Dogmaticam). *γ)* Impetus aquarum arcam in sublime tulerunt; persecutiones, quae in Psalmis cum aquis comparantur, Ecclesiam sublimiorem reddunt. Similiter Selbst, qui 182 addit, Noe iustitia et sanctitate, aedificatione arcae, praedicatione poenitentiae, oblatione sacrificii et significatione nominis etc. typum Christi fuisse.

Excursus II.

De numero hominum deletorum.

Si homines primis temporibus sic aucti fuissent, uti nunc augentur, tempore diluvii irruentis plura „decies centena milia" hominum in terra vixissent (cf. Holzammer LIV, Hoberg 60, Selbst 150, Güttler, Naturforschung und Bibel 232, Iacob, Unsere Erde 490) atque aquis diluvii deleti fuissent, quod quasi incredibile videtur.

Illi viri docti, qui diluvium anthropologice partiale statuunt, ex hac difficultate facile se expediunt dicentes, partem tantum hominum exstinctam fuisse; at universalitas anthropologica probabilissima est, ut in excursu I. demonstravimus. Qua de causa cum Hoberg aliisque probabilius censemus, homines primis temporibus non tantopere excrevisse, quantopere nunc augentur. Et revera textus capitum praecedentium, si sensu obvio intelligitur, non tantum numerum hominum innuere videtur, quantum hodierna ratio propagandi postularet.

Si quis autem nihilominus asserat, reapse plura „decies centena milia" tunc in terra vixisse et aquis diluvii suffocata fuisse, merito ad sequentia provocare potest: *a)* non omnes damnati sunt, sed nonnulli poenitentiam egerunt (cf. pag. 144). *b)* Deus etiam reliquos per multos annos ad poenitentiam invitaverat (cf. pag. 129). *c)* Pro iis, qui longanimitatem et patientiam et bonitatem Dei contemnunt (cf. Rom. 2, 4), *horrendum est incidere in manus Dei viventis* (Hebr. 10, 31).

Excursus III.

De unitate generis humani.

Omnes homines totius orbis terrarum ab unico pari descendunt: homines, qui usque ad diluvium vixerunt, ab Adam et Eva descenderant, ut pag. 86. probavimus; homines autem, quibus terra post diluvium inhabitatur, omnes a Noe et uxore eius descendunt, quod hic demonstrandum est. Primo argumenta afferenda, deinde obiectiones diluendae erunt.

a) Omnes homines, quibus terra inhabitatur, a Noe et uxore eius descendere, sequitur *α)* ex universalitate anthropologica diluvii, quam in excursu I. probabilissimam invenimus. *β)* Ex Gen. 9, 19: *Tres isti filii sunt Noe: et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram*, vel ab his inhabitata est universa terra. Haec verba, si absolute ea sumimus, significare possent, partem continentis a posteris Noe inhabitatam fuisse; si tamen cum contextu remoto ea conferimus, quem in excursu I. proposuimus, reapse significant, homines totum orbem terrarum incolentes a Noe descendere. *γ)* Cum his congruit, quod familia Noe eodem prorsus modo benedicta sit, quo Deus protoparentibus benedixerat (cf. 9, 1 coll. 1, 28). *δ)* Patres denique consensu unanimi et con-

stanti docuerunt, omnes homines a Noe et filiis eius descendere, qui soli ex diluvio servati sint.

b) Obiectiones praesertim ex diversitate familiarum et linguarum generis humani petuntur. *α)* Linné, cui recentiores Galli assentiunt, Americanos rubros, Europaeos albos, Asianos flavos, Africanos nigros; Blumenbach cum plurimis asseclis familiam Caucasiam, Mongolicam, Aethiopicam, Americanam, Malaicam; Peschel denique septem classes hominum distinguit (cf. Schanz I, 708 s.). Inter istas familias differentias essentiales seu specificas non adesse, patet. Nam omnes homines ex corpore et anima constant; corpus omnium eiusdem structurae essentialis est; anima omnium intellectu et libera voluntate praedita necnon religionis et moralitatis capax est. Adsunt tamen differentiae accidentales: diversus color, diversa formatio corporis, praesertim cranii, diversitas intellectualis et moralis. Hae vero differentiae accidentales unitati generis humani opponi nequeunt, quia „ex variis externis circumstantiis: ex climate, vivendi ratione, habitudinibus acquisitis“ explicari possunt (Zschokke 32, Schanz I, 709 ss.). *β)* Diversitati linguarum adversarii unitatis generis humani olim multum institerunt asserentes, linguas tam diversas ex una derivari non posse. Nunc „tamen philologia comparativa plura vincula affinitatis earum iam demonstravit, quae communem aliquam originem prodit“ (Zschokke 32), et diversitas linguarum unitati generis humani non amplius serio opponi potest (Schanz I, 730 ss.).

Excursus IV.

De annis diluvii et mundi.

a) Si de annis mundi inquirimus, inter universitatem rerum et genus humanum distinguere debemus. *α)* Quot anni effluxerint, ex quo Deus mundum i. e. universitatem rerum condidit, nullo modo definire possumus. Nam indeterminatum est temporis spatium, quod inter creationem primam (Gen. 1, 1. 2) atque secundam (℣℣. 3—31) defluxit; incertum est, quamdiu dies hexaemeri seu periodi singulae duraverint. *β)* Sed neque determinare possumus, quod anni circumacti sint, ex quo Deus hominem creavit. In genealogiis enim non solum numeri diversi occurrunt (cf. pag. 122), verum etiam membra intermedia omittuntur. Ecce. Matth. 1, 8 inter Ioram et Oziam consulto (cf. ℣. 17) Ochozias, Ioas et Amasias omittuntur (cf. 4 Reg. 8, 24; 11, 2; 12, 1; 14, 1); Gen. 11, 12 inter Arphaxad et Sale omittitur Cainan (cf. Luc. 3, 36). Similiter in aliis quoque genealogiis, praesertim inter Noe et

Abraham, membra intermedia omissa esse possunt, quapropter ex iis aetas generis humani certo determinari nequit. „Etiam rationes, quas historici ex chronologia Babyloniorum, Aegyptiorum, Sinensium et Indorum, utpote magna ex parte (antediluviano tempore) fabulosa et mythica, astronomi ex zodiacis et planisphaeriis aegyptiis et tabulis astronomicis aliarum gentium, physici ex evolutione terrae et entium organicorum, e fossilibus, ossibus humanis e speluncis ossiferis repertis, vestigiis humanae habitationis praehistoricis, praeprimis ex habitationibus lacustribus, climaticis phaenomenis, ex sic dictis periodis geognosiae petunt ... nullo solido nituntur fundamento" (Zschokke 28).

De annis, qui inter Adam primum et secundum (Christum) praeterierunt, multae opiniones exstant, quarum nonnullas enumeramus. Praeterierunt 3984 (Kepler), 4004 (Usher), 4157 (Keil), 4220 vel 4225 (Hebraicus et Latinus), 4713 (Scaliger), plus quam 5000 (Septuaginta, Philo, Eusebius Caesar. aliique), 6000—7000 (recentiores), 100.000 (Vogt, Büchner, Wallace) etc. Videas Hurter II, 235; Schanz I, 741, Schöpfer 85 ss., Selbst 148 ss., Zschokke 28 et antiquiora opera in his libris citata.

b) Annus diluvii iuxta textus biblicos aut 1307 aut 1656 aut 2242 aut 2256 ab homine creato esset, quemadmodum pag. 122 monstratur. Si hos numeros ab iis deducimus, quos iidem loci biblici inter Adamum primum et secundum statuunt, diluvium c. 2500—3000 a. Chr. venisset. Sed huic computationi gravissima ratio obstat. Vestigia enim variarum linguarum usque ad 3000 a. Chr. reperimus; a confusione autem linguae originalis (11, 1 ss.) probabiliter plura saecula transierunt, donec linguae variae excolerentur (Schanz I, 738 s.): ergo confusio linguarum et eo magis diluvium ante 3000 a. Chr. factum sit oportet, 4000 (Egbert) vel 5000 (Schöpfer) a. Chr. Confer Schanz I, 766, qui cum aliis rem incertam vocat.

Cum apud Aegyptios et Babylonios iam c. 4000 a. Chr. „cultus atque humanitas" floruerit (Zschokke 358, Schöpfer 578, Schanz I, 755), terram c. 5000 a. Chr. diluvio inundatam, et primum hominem c. 7000 a. Chr. creatum esse censemus. Qua sententia supposita utique concedere debemus, inter Noe et Abraham plura membra intermedia omissa fuisse.

Excursus V.

De compositione narrationis.

Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack[2] aliique multi asserunt, redactorem (R) narrationem Iahvistae (I) et scriptoris codicis presbyterorum (P) in unam conflasse, pauca mutando.

Strack[2], qui aliorum opiniones colligit, Iahvistae sequentia tribuit: 6, 1—8 (depravatio morum et Dei decretum delendi hominem, Noe excepto); 7, 1—5. 7—10. 12. 16^{b} (praeceptum Domini, ut Noe cum domo sua simulque cum septenis et binis animalium arcam intret, eo quod post 7 dies pluvia 40 dierum omnia delenda sint; Noe praeceptum implet, pluvia venit, Dominus salvandos includit); 7, 17. 22. 23 (diluvium 40 dierum, et aquae elevant arcam; omnia animantia extra arcam exsistentia delentur); 8, 2^{b}. 3^{a}. 6—12. 13^{b} (pluvia remittit et aquae revertuntur; volucres emittuntur; Noe aperit tectum et videt terram exsiccatam); 8, 20—22 (Noe sacrificia offert, et Deus in corde suo statuit, tali inundatione non amplius terram percutiendam esse); 9, 18—27 (maledictio et benedictio Noe). — Scriptori codicis presbyterorum: 6, 9—22 (praeceptum Dei, ut Noe arcam aedificet eamque cum familia et binis cunctorum animalium necnon cum escis intret, eo quod aquae diluvii adducendae sint; Noe praeceptum implet); 7, 6. 11. 13—16^{a} (anno sexcentesimo vitae Noe aquae diluvii ex fontibus abyssi et cataractis caeli veniunt, Noe cum familia et binis omnium animalium arcam intrat); 7, 18—21 (aquae omnia replent, arca fertur super aquas, omnis caro consumitur); 7, 24; 8, 1. 2^{a}. 3^{b}—5. 13^{a}. 14 (aquae 150 diebus terram obtinent, imminuuntur clausis fontibus et cataractis necnon spiritu flante post 150 dies; sexcentesimo primo anno terra arefacta est); 8, 15—19 (Noe iussu Dei cum familia et animalibus egreditur); 9, 1—17 (Dei benedictio et pactio); 9, 28. 29 (mors Noe). — Redactori mutanti: 7, 3 (de volatilibus caeli assumendis); 7, 7—9 (Noe cum familia et binis animalium in arcam ingreditur); 7, 22. 23 (interitus omnium animantium).

Ad sententiam suam confirmandam provocant ad mutationem nominis Dei (Elohim et Iahve) et diversum usum loquendi, de quibus rationibus in introductione plura scripsimus; provocant ad repetitiones et contradictiones. At, verae contradictiones (cf. Exegeticam 114) non adsunt neque quoad numerum animalium assumendorum (cf. pag. 138 ss.) neque quoad tempus diluvii (cf. pag. 151 s.) neque quoad causas eius. Si enim 7, 12 pluvia facta asseritur, hoc asserto fontes abyssi rupti 7, 11 iuxta leges logicas non negantur. Repetitiones adesse, quilibet videt. Si quis propter has dixerit, scriptorem

Genesis Deo movente et illustrante duo documenta litterarum in unam narrationem redegisse et quidem ita ut verba eorum religiose servaret, non est quidem cur reprehendatur (Hummelauer 23, Schanz I, 760); sed tantum abest, ut ista narrationis distractione omnes difficultates e medio tollat, ut potius novis se involvat.

Etiam facta ista distractione remanent repetitiones et contradictiones suppositae. Nam Iahvista bis (7, 12. 17) narrat, diluvium per 40 dies factum esse, et scriptor codicis presbyterorum bis (7, 6. 11) annum Noe notat, quo diluvii aquae venerunt (cf. Hummelauer 22). Et si 7, 2 *(septena et septena)* Iahvistae contradicerent 6, 19 s. et 7, 14 ss. *(bina et bina)* scriptoris codicis presbyterorum: Iahvista sibi ipsi quoque contradiceret, cum 7, 8 s. *bina et bina* vel duo et duo in arcam ingressa scribat, *sicut praeceperat Dominus;* redactorem haec mutasse, demonstrari nequit. Porro et post distractionem in ipso P numeratio diversa offendit; numerat enim iuxta menses, sed etiam iuxta dies (7, 24 et 8, 3), quam numerationem I ascribunt: esset igitur P subdistinguendus (cf. Hoberg 74), quod concedere nolunt. Denique qui narrationem biblicam ex duabus conflatam affirmat, concedere debet, unam narrationem originalem a duobus scriptoribus in duas discerptas et transformatas, a redactore autem iterum in unam conglutinatam fuisse (Hummelauer 27). Nam continua narratio Babylonia c. 2000 a. Chr. litteris mandata, a qua narrationem biblicam haustam esse asserunt, tum quae I tum quae P tribuunt, iam unita continet (Hummelauer 25, Strack² 37; vide excursum sequentem). Quibus consideratis Hummelauer 27 concludit: „nulla relinquitur ratio, cur Generationes Noe unam et individuam negemus esse unius auctoris narrationem"; Hoberg 74 similiter.

Excursus VI.

De affinitate narrationis biblicae et narrationum Gentium.

Apud plerasque Gentes, Aegyptiis et Arabibus tamen exceptis ut videtur (cf. Ieremias 124), descriptiones inundationis cuiusdam (cf. pag. 171 s.) repertae sunt. Andrée (Die Flutsagen ethnographisch betrachtet, Braunschweig, 1891) sexaginta narrationes collegit et censet, 40 esse originales et 20 magis minusve a Babylonia dependentes; sed Ieremias 124 hanc dependentiam non agnoscit. In sequentibus primo narrationes celebriores Gentium afferemus et deinde causam affinitatis earum cum narratione biblica investigabimus.

I. Narrationes Gentium et quidem 1. Babyloniorum. Plures recensiones inventae sunt, quarum praecipuae in carmine epico Gilgameš (cf. pag. 91) et apud Berosum (cf. pag. 26) habentur. Iuxta istud carmen venit Gilgameš in insulam beatorum ad proavum suum Utnapištim (= Xisuthros, cf. pag. 126, qui etiam Atraḫasîs vocabatur) et interrogans eum, quomodo in insulam beatorum, ad deos venisset, haec audivit. Utnapištim in urbe Šurippak ad Euphraten vixit, cum dii magni Anu, Bel, Ninib, Ennugi in concilio deorum constituerent, homines propter peccata eorum (Schrader-Zimmern 546, Nikel 177) aquis diluvii delendos esse. Sed Ea, deus oceani, haec cultori suo Utnapištim per somnium revelavit imperans, ut navim exstrueret et animalia cuiuslibet generis secum in eam introduceret atque civibus interrogantibus responderet, se urbem Beli sibi inimici relicturum et ad Eam dominum suum profecturum, ipsos vero post discessum suum a Belo benedicendos esse. Obediens navim 120 cubitos altam (ceterae mensurae non patent) aedificat, mansiunculas facit; aquam, contum, bitumen, oleum, argentum et aurum, animalia cuiuslibet generis, familiam suam et opifices in navim assumit, quam a deo solis monitus vespere ingreditur, claudit ac gubernatori tradit. Mane sequenti diluvium tam horribile venit, ut etiam dii timerent, in caelum superius ascenderent ibique sederent ut canes atque plorarent; per sex dies perduravit, die septimo requies et tranquillitas maris facta est. Eodem die VII. Utnapištim foramen navis aperuit et lucem diei vidit; die VIII. navis in monte Niṣir requievit. Alii sex dies transierunt. Die VII. columbam emittit, quae revertitur; hirundinem emittit, quae etiam revertitur; corvum emittit, qui non revertitur. Nunc Utnapištim e navi egreditur et sacrificia offert; dii odorem suavitatis odorantur et ut muscae circa sacrificantem congregantur. Bel vero navim videns irascitur, quod Utnapištim salvatus sit, sed ab Ea increpatur, quod tale diluvium miserit; resipiscens igitur Bel salvato et uxori eius benedicit, eos diis similes reddit et in insulam beatorum transfert. — Iuxta Berosum deus Kronos Xisuthro in somnio manifestat, die XV. Daisii (= Iunii, Beer-Guthe 442) homines aquis delendos esse, et mandat ei, ut omnia scripta in urbem Sippara transferat ibique in terra recondat, deinde navim construat, in ea familiam, cognatos, animalia et cibos collocet atque interrogantibus dicat, se ad deos navigaturum esse, ut pro salute hominum oret. Xisuthrus navim 5 stadia longam et 2 stadia latam (1 stadium = 192 *m*, cf. Siegfried-Guthe, Kortleitner, Zeller) fabricat, quam omnes supra nominati intrant. Quo facto diluvium venit. Aquis decrescentibus volucres emittit, quae redeunt; post dies aliquot iterum volucres emittit, quae revertuntur pedes luto inquinatos habentes; tertio emissae non revertuntur. Propterea Xisuthrus in navi foramen aperit illamque in monte requiescere videt. Egreditur ipse, uxor, filia, gubernator; Xisuthrus in terra prostratus adorat, altare erigit et sacrificat, cum uxore et filia et gubernatore transfertur. Reliqui egredientes non inveniunt eum; sed vox de caelo revelat illis, Xisuthrum cum suis ob

pietatem ad deos translatum esse, simulque monet eos, ut pii sint in terra, in Babyloniam redeant, in Sippara scripta effodiant et hominibus tradant, ipsos nunc esse in Armenia. Illi sacrificant, in Babyloniam proficiscuntur, mandata observant et terram inhabitant. Ligna et bitumen navis ab hominibus ad morbos impediendos adhibiti asseruntur. Videas Ieremias 125 ss., Nikel 174 ss., Schrader-Zimmern 543 ss., Winkler 84 ss. — 2. Indorum. Piscis viro pio, nomine Manu, manifestavit, propter peccata hominum diluvium venturum esse, et praecepit, ut navim aedificaret et suo tempore intraret: quod Manu et perfecit. Diluvio irruente navim ad cornu piscis iterum apparentis alligavit et sic a pisce per aquas in montem altum adductus est. A Manu postea omnes homines orti sunt. Videas Ieremias 131 ss. — 3. Syrorum. Homines propter peccata delendi fuerunt. Xisuthrus-Deucalion cum uxoribus et liberis et animalibus omnis generis in cista magna servatur. Apertis cataractis caeli et fontibus abyssi omnis terra inundata et omnes homines interfecti sunt. Terra iterum arefacta de cista egressus altaria et templum aedificavit. Confer Ieremias 130 s. — 4. Graecorum, qui narrationem Syrorum adoptarunt et sibi accommodarunt. Iuppiter genus humanum vult perdere; Prometheus filio suo Deucalioni mandat, ut cistam construat, cibos inferat, et cum uxore Pyrrha intret. Post novem dies et noctes diluvii cista in monte requiescit, ipse egreditur et Iovi sacrificat, qui efficit, ut lapides a Deucalione super caput retro iactati in homines convertantur. Confer Ieremias 133.

II. Affinitas narrationis biblicae cum narrationibus Gentium propinquior est (Bezold, Keilinschriften 36) quam illa cosmogoniarum (cf. pag. 25 ss.) et solummodo ex communi fonte monotheistico a Gentibus perturbato perfecte declarari potest; nam praeter similitudines manifestas etiam differentia maxima (ungeheuer groß, Gunkel 66) inter narrationem biblicam et gentilem oculis incurrit, quae alio modo explicari nequit.

Similitudines sunt sequentes: propter peccata hominum diluvium venit, ex quo unus cum suis ob pietatem servatur; arca in mansiunculas distributa, bitumine instructa, animalibus et cibis repleta est; arca in monte requiescit, volucres emittuntur, servatus sacrificia offert et a Deo benedicitur. — Ex dissimilitudinibus graviores tantum noto: in narratione biblica arca ut cista trium tabulatorum, in Babylonia ut navis sex tabulatorum describitur; cista familiâ Noe, animalibus, cibis, navis autem aliis quoque hominibus, auro et argento repletur; emissio volucrum diverso narratur modo; descriptio biblica homines benedictos, descriptio Babylonia vero paucos inter deos translatos nuntiat; arcum in nubibus positum tacet narratio gentilis; denique omnes narrationes Gentium polytheisticae, biblica autem monotheistica est: ibi plures dii, et quidem ad libidinem agentes, mentientes, se invicem et homines de-

cipientes, irascentes et invidentes, timentes ut canes, delectati ut muscae proponuntur; hic unus Deus, sanctus et iustus, omnia sciens et omnipotens. Conferas Gunkel, Holzinger, Ieremias 145.

1. Quod nonnulli dixerunt, nimirum narrationem biblicam *a) directe et immediate ex narratione Babylonia desumptam* esse, aut tempore exilii (Frd. Delitzsch et Haupt, cf. Gunkel) aut tempore dominationis Assyriae in Iuda (Budde et Stade, cf. Gunkel), nunc ab ipsis Gunkel, Holzinger, Ieremias 144 improbabilissimum vocatur. Et re vera. Spiritus hagiographorum placitis Gentium tam contrarius est, ut hagiographi mythos Babylonios non assumpsissent et retractassent, sed potius abhorruissent (Gunkel 67). — Propterea Beer-Guthe, Gunkel, Holzinger, Schrader-Zimmern 559 s. asserunt, narrationem biblicam *b) indirecte et mediate ex narratione Babylonia desumptam esse.* Statuunt, istos mythos iam tempore antiquo ad Phoenices et Chananaeos pervenisse, forte cum mythis Phoenicum et Arabum de connubiis deorum et hominum et filiis eorum giganteis (cf. Gen. 6, 1—4) coniunctos, pedetentim evolutione naturali ab elementis polytheisticis et mythologicis purgatos et sic ab Israelitis susceptos esse: et ideo in descriptione biblica non historiam, sed fabulam contineri (ita Bezold, Keilinschriften 37, quoque). Cui sententiae haec opponimus: *α)* Mythos Babylonios Phoenices et Chananaei a polytheismo purgare non potuerunt, quia ipsi polytheismo immersi erant; sed neque Israelitae naturali evolutione id praestare poterant, uti pag. 28 s. scripsimus: ergo nulla ratione declaratur, quare narratio biblica, ex narrationibus Gentium polytheisticis hausta, monotheistica esse possit. *β)* Christus (Matth. 24, 37 ss.), Petrus Apostolus (1. ep. 3, 19 s. et 2. ep. 2, 5; 3, 6), sancti Patres omnes docuerunt, in narratione biblica historiam, non fabulam contineri: ergo ex mythis Gentium deprompta esse nequit, quia alioquin fabula esset, quemadmodum viri nominati affirmant.

2. Bezold l. c. bene asserit, affinitatem inter narrationem biblicam et Babyloniam tantam esse, quanta solum aut ex mutuatione aut ex communi traditione originali explicari possit. Atqui neque narratio biblica ex Babylonia mutuata est, ut vidimus. neque Babylonia c. 2000 a. Chr. litteris mandata ex biblica

c. 1500 scripta hauriri potuit. Ergo *ambae narrationes ex eadem monotheistica traditione originali fluxerunt:* „quae apud Babylonios quidem in plurimis est adulterata, apud Hebraeos pura perseveravit“ (Hummelauer 27, Döller 23, Nikel 184 ss.; cf. etiam Strack[2] 37). Ita similitudines et differentia perfecte explicantur (cf. pag. 35).

Excursus VII.

De Noe et filiis eius.

Gunkel 71 et Holzinger 91 cum Dillmann 156 s. inter Gen. 9, 18 ss. atque Gen. 5, 31; 6, 9 ss. necnon in versibus 18—27 capitis IX. contradictiones adesse sentiunt; sed rationes eorum facile diluuntur.

Affirmant: *a)* Noe agricolam, plantatorem vineae, inebriatum et nudatum (9, 20 s.) non esse eamdem personam ac Noe iustum et perfectum (6, 9; 7, 1). At vir sanctus quoque agrum colere, vineam plantare et ex vino, cuius vim nesciebat, inebriari potuit, quin peccaret (cf. pag. 163). Noe fuisse potatorem acrem (scharfe Zecher), ut Holzinger scribit, atque primum agricolam (contra Gen. 2, 15; 3, 17 ss.), ut Gunkel dicit, sacer textus nullo verbo indicat. — *b)* Filios Noe proponi 6, 18 ss. uxoratos, 9, 22 s. ut pueros in tabernaculo patris habitantes; praesertim Chanaan qua puerum dissolutum et effrenatum se gessisse. Respondemus: ex 9, 22 s. nulla ratione sequitur, Sem, Cham et Iapheth fuisse pueros in tabernaculo patris habitantes (cf. pag. 163); Chanaan uti puerum dissolutum se gessisse, nos quoque diximus (cf. pag. 163); Cham vero nihil extraordinarii fecit (Holzinger 90). — *c)* Cham peccasse, sed mirum in modum Chanaan puniri. De hac re pag. 163 locuti sumus. — *d)* Cham 9, 24 vocari filium minorem, in reliquis autem locis filium secundogenitum. Etiam hanc obiectionem pag. 163 tractavimus.

4. Sectio. Generationes filiorum Noe, 10, 1–11, 9.

Hagiographus refert *a)* tabulam gentium (10, 1—32), eamque Iaphethitarum (10, 2—5), Chamitarum (10, 6—20), Semitarum (10, 21–31). *b)* Dispersionem gentium (11, 1—9), narrans aedificationem turris (11, 1—4) et confusionem linguae (11, 5—9).

C. **10.** ℣. **1. Hae sunt,** וְאֵלֶּה, *Αὗται δέ, generationes* (cf. pag. 43) *filiorum Noe, Sem, Cham, et Iapheth* (cf. pag. 120): *natique sunt eis filii post diluvium:* haec verba indicare videntur, Sem, Cham et Iapheth ante diluvium non genuisse (Caietanus).

℣. 2. **Filii Iapheth:** videas excursum. *Gomer, Γάμερ,* גֹּמֶר, assyr. Gimirrai, *Κιμμέριοι* (cf. Passow) intra Armeniam et Pontum Euxinum (Ieremias; cf. Ez. 38, 6), *et Magog* i. e. Scythae ex septemtrione Ponti Euxini (Iosephus Flavius et plerique interpretes recentiores), *et Madai* i. e. Medi, *et Iavan, Ἰωύαν,* יָוָן i. e. Iones, Graeci, *et Thubal,* assyr. Tabal i. e. Tibareni a meridie Ponti Euxini, *et Mosoch,* מֶשֶׁךְ, assyr. Mušku i. e. Moschi ex oriente Ponti Euxini degentes (cf. Kiepert, Atlas antiquus): de his quasi omnes interpretes consentiunt. *et Thiras* i. e. aut Thraces (Iosephus Flavius aliique) aut probabilius Tyrseni in oris et insulis maris Aegaei consistentes (Dillmann, Holzinger, Ieremias).

℣. 3. **Porro filii,** וּבְנֵי, *Gomer, Γάμερ· Ascenez,* אַשְׁכְּנַז, *Ἀσχανάζ,* assyr. Ašgûza, Iškûza, probabilius Phrygiam et Mysiam (Dillmann) vel Armeniam (cf. Ier. 51, 27) *et Riphath* Paphlagoniam (Iosephus Flavius, Hummelauer, Hoberg) *et Thogorma,* תֹּגַרְמָה, *Θεργαμά, Θοργαμά,* Armeniam (communis sententia) incolebat.

℣. 4. **Filii autem,** וּבְנֵי, *Iavan, Ἰωύαν· Elisa,* אֱלִישָׁה, probabilius in Sicilia et Italia infima (Dillmann, Strack[2]), non in Peloponneso (Hummelauer) aut Carthagine (Ieremias), *et Tharsis* in Hispania Baetica (communis sententia), *Cetthim,* כִּתִּים, *Κήτιοι* in insula Cypro (communis sententia) *et Dodanim* in insula Rhodo (communior sententia) habitabant.

Pro דֹּדָנִים, quod et Peschitta exhibet, cum Samaritano et Graeco, *Ῥόδιοι,* legendum videtur רֹדָנִים (Kittel, Dillmann, Holzinger, Strack). Qui *Dodanim* retinent, Dardanios „Macedoniam inter et Illyriam, imprimis autem circa Troiam“ intelligunt, ut Hummelauer et Hoberg.

℣. 5. **Ab his** filiis Iavan (S. Hieronymus, Dillmann, Ieremias aliique) *divisae* vel separatae *sunt insulae gentium* vel potius habitatores insularum et litorum, אִיֵּי, maris mediterranei (Buhl, Ieremias). — Hic ex ℣℣. 20. 31. omnino inserendum videtur: *Hi sunt filii Iapheth,* אֵלֶּה בְּנֵי יֶפֶת (Kittel, Dillmann, Gunkel, Strack[2]), et quidem *in regionibus suis,* בְּאַרְצֹתָם, *unusquisque,* אִישׁ, *secundum linguam suam,* לִלְשֹׁנוֹ, *et familias suas,* לְמִשְׁפְּחֹתָם, *in nationibus suis,* בְּגוֹיֵהֶם. Textus Hebraicus in ℣℣. 5. 20. 31. easdem voces exhibet, quas Vulgata varie reddit.

Filii seu descendentes ab Iapheth (2—5), Cham (6—19), Sem (22—30) fuerunt distincti iuxta familias, לְמִשְׁפְּחֹתָם (Vulgata hic *familias*, *℣℣*. 20. 31. *cognationes* vertit), quas constituebant, et linguas, לִלְשֹׁנֹתָם, quibus loquebantur, necnon terris seu regionibus, בְּאַרְצֹתָם, in quibus habitabant, et populis, בְּגוֹיֵהֶם (Vulgata hic *nationibus*, *℣℣*. 20. 31. *gentibus* reddit), quos efficiebant. Hummelauer 293 ss. his vocibus tria momenta distinctionis populorum, nimirum momentum ethnographicum, geographicum, linguisticum expressa videt.

Hummelauer et Hoberg negant quidem, hunc *℣*. emendandum esse: sed non solum *℣℣*. 20. et 31. congruentes, verum etiam textus huius *℣*. valde probabile reddit, mutationem quamdam factam esse. Nam verba בְּאַרְצֹתָם cum אִיֵּי הַגּוֹיִם necnon אִישׁ לִלְשֹׁנוֹ cum sequentibus non bene conveniunt. Holzinger idcirco quattuor verba priora textus Hebraici pro glossa habet; sufficit tamen emendatio supra facta. Forsitan tota pars altera huius *℣*., quae post הַגּוֹיִם sequitur, cum *℣℣*. 20. et 31. conformanda est.

℣. **6. Filii autem Cham:** videas excursum. *Chus*, כּוּשׁ (assyr. ***Kûsu***, bab. ***Kûšu***, Amarna ***Kaši***, ***Kasi***, aegypt. *Kôš*: Buhl), qui in Nubia (Aethiopia; cf. 2, 13), *et Mesraim*, מִצְרַיִם (assyr. ***Muṣur***, ***Muṣri***, Amarna ***Miṣrî***, ***Misri***, ***Miṣṣari***: Buhl), qui in Aegypto, *et Phuth*, פּוּט, qui in Libya, *et Chanaan*, כְּנָעַן, qui intra Iordanem et mare habitavit. Conferas Dillmann, Hummelauer, Ieremias aliosque.

Iuxta Buhl exitus vocabuli מִצְרַיִם probabiliter localis est; Gesenius et Dillmann tamen bene asserunt, formam dualis esse et quidem probabiliter propter divisionem terrae in superiorem et inferiorem Aegyptum, de qua iam antiquissima documenta loquuntur; Fürst putat, dualem probabiliter ideo positum esse, quod Aegyptus per Nilum in duas partes dividatur vel intra montes continuos sita sit; cum Gesenio probabile ducimus, מָצֵר vel מָצוֹר idem significare ac fines, terminum vel terram munitam: recentiores autem rem omnino incertam dicunt. — Secundum Hummelauer, Hoberg, Ieremias aliosque „fere constat Phuth esse gentem Punt, quae in litore Africae Somali et in obiecto Arabiae litore sedes habebat" (Hummelauer); Strack[2] dubitat, Dillmann et Holzinger autem probabilius censent, Phuth in Libya fuisse, quam sententiam antiquiores cum LXX et Iosepho tenent et ordo enumerationis confirmat. — כְּנַעַן (aegypt. *Kanʿna*, Amarna *Kinahi*, *Kinahni*, *Kinahna*: Buhl) probabiliter depressionem vel humiliationem (a כָּנַע depressit, fregit, humiliavit) signi-

ficat (Gesenius) atque filio Cham et terrae ab eo inhabitatae merito attribui potest; ad quam etiam Philistaea et Phoenice pertinebant (cf. Guthe, Hoberg).

℣. 7. **Filii,** וּבְנֵי, *υἱοὶ δέ*, filii autem (Sixtina) *Chus: Saba,* סְבָא, in Meroe, (plerique cum Iosepho) vel ad sinum Arabicum (Dillmann, Strack[2]), *et Hevila,* חֲוִילָה, ad sinum Eualiten, ubi urbs Eualis (Dillmann, Hummelauer, Hoberg, Strack[2]), *et Sabatha,* סַבְתָּה, intra Chatramotitas in Arabia australi (Dillmann, Strack[2], Tuch) vel ad Astaboram, partem Nili (Hummelauer, Hoberg), *et Regma, Ῥεγμά, Ῥεγχμά,* רַעְמָה, inter Minaeos et Chatramotitas in Arabia (Dillmann, Strack[2]), *et Sabatacha,* סַבְתְּכָא, probabiliter in Arabia australi (ut ordo enumerationis insinuat) habitavit. *Filii,* וּבְנֵי, *υἱοὶ δέ, Regma: Saba,* שְׁבָא, in illa parte Arabiae, cuius urbs principalis Mariaba seu Saba vocabatur (sententia communis), *et Dadan,* דְּדָן, probabiliter primitus etiam in Arabia australi (Strack[2]) habitavit. Omnes interpretes recentiores notant, de his nominibus plura incerta esse (cf. Dillmann et Holzinger, Ieremias, necnon Kiepert, Atlas antiquus).

℣. 8. **Porro Chus genuit Nemrod,** נִמְרֹד, *Νεβρώδ*. Quod conditor regni in terra Sennaar (℣. 10) filius Chus scribatur, mirum non est, quia Chusitae, postea in Aethiopia et Arabia habitantes, prius eamdem cum ceteris posteris Noe regionem incolebant (11, 2; Hummelauer). *ipse coepit* (cf. 9, 20; 4, 26 et notam infra positam) *esse potens,* גִּבֹּר i. e. praevalens *in terra,* בָּאָרֶץ, idque in feris (℣. 9) atque hominibus (℣. 10 ss.), uti hagiographus ipse declarat (Hummelauer, Hoberg).

Gunkel et Holzinger cum aliis opinantur, hagiographum in hoc loco *Chus* cum Kaššu, qui c. 1500—1250 in Babylonia regnabant, confudisse; sed haec opinio gratuita est (Hummelauer). — Significatio nominis *Nemrod* incerta est (Buhl, Dillmann, Fürst); forsitan cum מָרַד *rebellavit* cohaeret (Fürst). In cuneatis inscriptionibus hoc nomen nondum inventum est (Dillmann, Gunkel); Nemrod eumdem esse ac Gilgameš = Izdubar, quemadmodum plures putarunt (Buhl, Gunkel, Ieremias 158 s.) demonstrari nequit (Dillmann). Ceterum nihil nos impediret, quominus concederemus, traditionem in Genesi pure conservatam reperiri quoque in illo carmine epico, quo Gilgameš = Izdubar venator et rex in Arach mythologice celebratur (cf. pag. 35 et 95 et Hoberg 105 s.). — Item incertum est (Hummelauer, Hoberg 97), utrum Nemrod immediate an mediate filius Chus fuerit. Mutatio constructionis in ℣℣. 8. et 9. ob

sequentes ℣℣. 13 ss. vix invocari potest; propter circumstantias vero historicas cum Hoberg 106 probabilius ducimus, Nemrod non immediatum filium Chus fuisse: nam homines non statim in terram Sennaar venerunt ibique urbes aedificabant (cf. 11, 2), neque ante confusionem linguarum diversa regna condebantur (cf. 11, 4. 9). — Istud *coepit* innuit, Nemrod primum fuisse praevalentem in feris atque hominibus, primum regni conditorem (cf. 4, 26; 9, 20; Dillmann, Holzinger). Hummelauer quidem putat, illud *coepit* non necessario significare, Nemrod absolute primum fuisse, sed primum post diluvium; at loci supra citati nostram confirmant sententiam. — גִּבֹּר vel גִּבּוֹר ab גָּבַר *invaluit, praevaluit* denotat praevalentem fortitudine vel strenuitate vel opibus (Buhl, Gesenius). Plerumque in laudem, nonnumquam, e. gr. Ps. 51, 3 in vitium accipitur. Dillmann et Holzinger cum S. Hieronymo, Lapide aliisque veteribus etiam hic in malam partem interpretantur dicentes, Nemrod primum fuisse tyrannum, qui alios oppresserit et sibi servire coegerit. Quod si Hummelauer eis obiicit, eamdem vocem bis in eodem contextu recurrentem eodem sensu intelligendam, ergo etiam in ℣. 9. *potens venator* de tyrannide intelligendum esse, quod absurdum est, reponimus: nota communis, quam in ℣℣. 8. atque 9. sine absurditate retinere possumus ac debemus, est vis seu violentia, qua Nemrod cum feras tum homines devicit et subegit. — LXX in utroque ℣. reddunt *γίγας*, „scilicet tum mole corporis tum robore tum audacia tum superbia et crudelitate, inquit S. Augustinus; videtur ergo Nemrod fuisse primus post diluvium gigas“ (Lapide). Videas pag. 131.

℣. 9. et erat, הוּא־הָיָה, *οὗτος ἦν, robustus venator,* גִּבֹּר־צַיִד i. e. potens in venatu et quidem *coram Domino,* לִפְנֵי יְהוָֹה, iuxta iudicium Dei (cf. 6, 11), ergo vere et certe (Lapide, Hummelauer, Strack[2]). *Ob hoc exivit proverbium,* עַל־כֵּן יֵאָמַר i. e. *διὰ τοῦτο ἐροῦσιν*, quibus verbis proverbia proferuntur (Genesius-Kautzsch 315). Proverbium fuit: *Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.* Nemrod tam potens venator fuit, ut potentia aliorum venatorum ab hominibus hac comparatione celebraretur.

Lapide cum Caietano et aliis iudicat, Nemrod non tam ferarum quam hominum venatorem fuisse. Sed haec sententia cum usu loquendi V. T. conciliari nequit (cf. Mandelkern vel lexica). — Illud *coram Domino* Hoberg de Dei nutu et beneplacito explicat; Holzinger vel cum S. Augustino *contra Dominum,* vel cum Melchiore Cano *sub dio* vertere vellet: quas explicationes iam Lapide enumerat atque recte repudiat utpote usui loquendi contrarias. Dillmann ad Ion. 3, 3 et Act. 7, 20 provocans sentit, *coram Domino* pro superlativo adhibitum esse; at in locis citatis לִפְנֵי יְהוָֹה non legitur, ergo claudicat comparatio. — Dillmann, Gunkel, Holzinger asserunt, ℣. 9. non bene in contextum quadrare, et in ℣. 10. non

℣. 9., sed ℣. 8. continuari; at tota difficultas evanescit, si ℣. 9. interpositionem seu parenthesim dicamus (Hoberg). Iidem viri fatentur, reges Babylonios et Assyrios etiam venatores fuisse et tales in inscriptionibus nobis proponi: ergo hic textus cum istis documentis optime congruit, neque cum Holzinger venatorem Nemrod a conditore urbium distinguamus oportet.

℣. **10. Fuit autem,** וַתְּהִי, *καὶ ἐγένετο, principium,* רֵאשִׁית, *regni eius Babylon, et Arach, et Achad, et Chalanne, in terra Sennaar.* Urbes iam antea fuerant (cf. 4, 17), Nemrod autem primus plures in unum coniunxit *regnum,* alias suo imperio subiiciens, alias ipse aedificans. — *Principium* imperandi cepit in *terra Sennaar.* Sennaar, שִׁנְעָר, totam Babyloniam significat, quae in meridionalem (Šumer) et septemtrionalem (Akkad) divisa fuit. Ieremias 160 putat, Sinear idem esse ac Šumer; Zimmern-Guthe autem censent, Sinear idem esse ac aegypt. Sangar vel Šanḥar in tabulis Amarna (cf. pag. 28); alii tamen recte dubitant (cf. Buhl, Dillmann, Holzinger). De *Babylone,* Babel, בָּבֶל, in Babylonia septemtrionali videas 11, 9. *Arach,* אֶרֶךְ, Ὀρεχ, Ὀρχοή, in cuneatis inscriptionibus Uruk vel Arku, nunc Warka, in Babylonia meridionali fuit (Ieremias 163, Zimmern-Guthe). *Achad,* אַכַּד, Ἀρχάδ, fuit urbs in Babylonia septemtrionali, forsitan illa, quae in cuneatis inscriptionibus Agade nominatur (Ieremias 164, Zimmern-Guthe). *Chalanne,* כַּלְנֵה, in cuneatis inscriptionibus nondum repertum est; Iensen censet, כֻּלָּבָה legendum esse (Ieremias 164, Zimmern-Guthe), alii cum Delitzsch, Paradies 225 opinantur, Chalanne eamdem esse ac Kulunu = Zirlab (cf. Holzinger, Strack[2]). — Hae urbes non a Nemrod aedificatae dicuntur uti urbes in ℣℣. 11 s. enumeratae, quare (cum Gunkel et Hoberg contra Holzinger) colligimus, eas iam prius exstitisse, sed a Nemrod subactas et copulatas fuisse itaque originalem eius civitatem constituisse (cf. ℣. 8).

Hummelauer 317 scribit: „Venatorem autem illum, a quo tam efficaciter a leonibus aliisque feris protegerentur, libenter eius aevi homines regem agnovere. Demonstrant haec aevum, quo nondum bellis se internecare homines assueverint.“ Videas tamen ℣. 8. explicationem.

℣℣. **11. 12. De terra illa,** scil. Sennaar, *egressus est Assur.* Heic quaeritur, qualis casus sit Assur: utrum nominativus an accusativus. Plerique veteres iudicarunt, esse nominativum

(oppositum N e m r o d), ergo Assur (cf. Ꝟ. 22) e terra Sennaar egressum esse (cf. Lapide et Hummelauer); potest tamen etiam accusativus loci esse (oppositum S e n n a a r) indicans, quo Nemrod ierit (Gesenius-Kautzsch 377). Et haec sententia recentiorum probabilior est, quia contextu commendatur. Etenim in Ꝟ. 10. principium regni Nemrod narratur, ergo in hoc Ꝟ. descriptio progressus eius exspectanda est (Dillmann, Hummelauer, Hoberg), atque M i c h. 5, 6 *terra Assur* vocatur *terra Nemrod.* De terra et urbe Assur, אַשּׁוּר, nunc Kalʿat Schergat vel Kalʿa Šerkat, quae non dicitur a Nemrod aedificata, videas Ꝟ. 22. et pag. 54 s. *et aedificavit Niniven, et plateas civitatis, et Chale.* [12]*Resen quoque inter Niniven et Chale: haec est civitas magna.* In ripa orientali Tigris, ubi nunc Nebi Iunus et Kuiundschik conspiciuntur, fuit *Ninive,* נִינְוֵה, *Νινευή, Νινευί,* in cuneatis inscriptionibus Ninua, Ninâ (Buhl, Ieremias 164 ss.; Zimmern - Guthe); pro *plateas civitatis* in Graeco *Ῥοωβώς (Ῥοωβώθ) πόλιν,* in Hebraeo רְחֹבֹת עִיר legimus, quod urbem significat forsitan in ripa occidentali Tigris sitam, ubi nunc Mosul est, assyr. rêdit Ninâ appellatam (Ieremias 167, Strack², Zimmern-Guthe); *Chale,* כָּלַח, *Χαλάχ,* in cuneatis inscriptionibus Kalḫu, Kalaḫ, cuius reliquiae Nimrud nominantur (Ieremias 167, Zimmern-Guthe); *Resen,* רֶסֶן, *Δάσεμ, Δασή* fuit *inter Niniven et Chale,* ergo nunc inter Kuiundschik et Nimrud quaerenda est (Dillmann). Ultima verba *haec est civitas magna,* הִוא הָעִיר הַגְּדֹלָה non pertinent ad Resen, cuius situs non ex aliis urbibus descriptus esset, si tam magna fuisset; referenda sunt potius ad quattuor urbes a Nemrod aedificatas, quae simul magnam continebant civitatem (Dillmann, Hummelauer, Hoberg); Ieremias et Strack² opinantur, ista verba esse glossam serius adiectam, sed opinionem suam non probant.

Dillmann, Gunkel aliique affirmant, hagiographum antiquissimam urbem *Assur* ignorare; sed אַשּׁוּר non solum terram, verum etiam et quidem primitus u r b e m significat (cf. pag. 54 et Hummelauer). — Quae hic docentur, nimirum Assyriam a Babylonia dependentem fuisse, profana documenta confirmant (Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger). — Gunkel bene repudiat opiniones eorum, qui astruerunt, versus 8—12 originaliter post 6, 4 (Budde) aut post 11, 9 (Dillmann) collocatos fuisse, cum demonstrari nequeant.

℣℣. 13. 14. **At vero Mesraim,** וּמִצְרַיִם, *καὶ Μεσράιν, genuit Ludim,* לוּדִים, *τοὺς Λουδιείμ,* in Africa septemtrionali (Buhl, Socin-Guthe), *et Anamim,* עֲנָמִים, Samaritanus עינמים, *Ἐνεμετιείμ, Αἰνεμετιείμ,* in Aegypto (Buhl) forsitan in Delta (Wiedemann-Guthe), *et Laabim,* לְהָבִים, *Λαβιείμ,* Libyes (Buhl, Dillmann, Hummelauer), *Nephthuim,* נַפְתֻּחִים, *Νεφθαλείμ, Νεφθαλιείμ,* in Aegypto inferiore, quae Mesraim sensu strictiore appellabatur (cf. pag. 189, Buhl, Hummelauer), [14]*et Phetrusim,* פַּתְרֻסִים, *Πατροσωνιείμ,* aegypt. p-to-rês, cuneat. Paturisi, habitantes in פַּתְרוֹס i. e. Aegypto superiore (Buhl, Wiedemann-Guthe), *et Chasluim,* כַּסְלֻחִים, *Χασμωνιείμ,* in Aegypto (Buhl), forsitan inter Delta et Philisthaeam (Wiedemann-Guthe): *de quibus egressi sunt* (cf. ℣. 11) *Philisthiim,* פְּלִשְׁתִּים, *Φυλιστιείμ,* incolentes in פְּלֶשֶׁת, assyr. Palastu, Pilistu i. e. terra inter occasum brumalem et meridiem Palaestinae adiacenti (Buhl), *et Caphtorim,* כַּפְתֹּרִים, *Γαφθοριείμ, Χαφθοριείμ,* quorum regio ignoratur (Wiedemann-Guthe); Dillmann, Hummelauer, Strack[2] Cretam, Ebers (cf. Buhl) Delta cogitant.

Pro לוּדִים Stade לוּבִים, Libyes ponere vellet, quod propter sequens לְהָבִים acceptari nequit (Holzinger). — Pro נַפְתֻּחִים nonnulli פְּתֻמְחִים proposuerunt (cf. Kittel). Graecus *Νεφθαλιείμ* post *Λουδιείμ* habet: Sixtina cum Hebraeo et Graeco particulam *et* nomini *Nephthuim* praemittit, quam Clementina cum manuscriptis Latinis omittit (Vercellone). — Kittel dubitat, utrum prima verba ℣. 14. וְאֶת־פַּתְרֻסִים serius addita an originalia sint: similiter Ieremias 167 cum Müller, qui alia quoque nomina mutat, sed sine ratione sufficienti. — Propter Deut. 2, 23 hebr., Amos 9, 7 hebr., Ier. 47, 4 hebr. non improbabile est, ultima verba *et Caphtorim* ante illa *de quibus egressi sunt Philisthiim* ponenda esse (Kittel, Strack[2]), quamvis non sit necessarium (Hoberg), quia loci citati cum hoc ℣. conciliari possunt (videas commentarios locorum), et lectio difficilior generatim retinenda est. Holzinger cum Wellhausen et Budde verba *de quibus egressi sunt Philisthiim,* Ieremias contra *et Caphtorim* glossam dicit, at sine ratione sufficienti.

℣℣. 15—18ª. **Chanaan autem genuit** *Sidonem,* צִידֹן, in cuneatis inscriptionibus et in Tell Amarna Ṣîdûnu, *primogenitum suum,* a quo Sidonii seu Phoenices (cf. Buhl, Guthe). *Hethaeum,* וְאֶת־חֵת, *καὶ τὸν Χετταῖον,* a quo חִתִּים, aegypt. Ḫi-tì, Ḫe-tà, cuneat. Ḫatti, a septemtrione Palaestinae et in meridionali Palaestina (Buhl, Zimmern-Guthe). [16] *et Iebusaeum,*

הַיְבוּסִי, in Ierusalem et in circuitu eius (Buhl, Socin-Guthe). *et Amorrhaeum,* הָאֱמֹרִי, aegypt. Amarra, in Tell Amarna Amurri, ab oriente Palaestinae et in Palaestina meridionali (Buhl, Socin-Guthe), *Gergesaeum,* וְאֵת הַגִּרְגָּשִׁי, καὶ τὸν Γεργεσαῖον (etiam Sixtina habet *et* contra plurima manuscripta Latina), quorum habitatio ignota est (Socin-Guthe cum reliquis), [17] *Hevaeum,* וְאֶת־הַחִוִּי, καὶ τὸν Εὐαῖον (Sixtina quoque contra plurima manuscripta Latina *et* habet) a septemtrione Palaestinae et in media Palaestina (Buhl, Socin-Guthe), *et Aracaeum,* הָעַרְקִי, Ἀρουκαῖον, habitatorem urbis Ἄρκη, cuneat. Arkâ, in Tell Amarna Irkata, serius Caesarea Libani, nunc Tell ʿArka (Buhl, Socin-Guthe), *Sinaeum,* וְאֶת־הַסִּינִי, καὶ τὸν Ἀσενναῖον, ad Libanum habitantem (Buhl), [18] *et Aradium,* הָאַרְוָדִי, habitatorem urbis et insulae Aradi, assyr. Armada, Arvada, in Tell Amarna Arwada, nunc Ruâd, a septemtrione Tripolis (Buhl, Socin-Guthe), *Samaraeum,* וְאֶת־הַצְּמָרִי, καὶ τὸν Σαμαραῖον, habitatorem urbis Σίμυρα, aegypt. Ṣamar, in Tell Amarna Sumur, assyr. Ṣimirra, nunc Sumra, a septemtrione Tripolis (Buhl, Socin-Guthe), *et Amathaeum,* הַחֲמָתִי, Ἀμαθί, habitatorem urbis חֲמָת, cuneat. Amâtu, Ḫammâtu, aegypt. ḥmtu, ḥamâti, serius Epiphania, nunc Ḥamât ad Orontem (Buhl, Zimmern-Guthe). Inspicere poteris etiam Dillmann, Holzinger, Hummelauer aliosque interpretes.

℣℣. 18ᵇ. 19. **et posthaec disseminati sunt** *populi Chananaeorum,* הַכְּנַעֲנִי, Χαναναίων. [19] *Factique sunt termini Chanaan,* הַכְּנַעֲנִי, Χαναναίων. Ambae sententiae coniungendae sunt (Gunkel, Hummelauer): postquam *disseminati sunt* (cf. 9, 19) *populi* seu tribus *Chananaeorum,* illam dumtaxat regionem totam possidebant descendentes a Chanaan, quae in sequenti circumscribitur: in ceteris regionibus aliae quoque gentes una cum Chananaeis habitabant (Hummelauer, Hoberg). Termini igitur terrae Chanaan sensu strictiore fuerunt *venientibus a Sidone Geraram usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam et Gomorrham, et Adamam, et Seboim usque Lesa,* ἀπὸ Σιδῶνος ἕως ἐλθεῖν εἰς Γεραρὰ καὶ Γαζάν, ἕως ἐλθεῖν ἕως Σοδόμων καὶ Γομόῤῥας, Ἀδαμὰ καὶ Σεβωὶμ ἕως Λασά. Haec pars versiculi, quae in Latino et Graeco obscura est, ex Hebraico clarescit: מִצִּידֹן בֹּאֲכָה גְרָרָה עַד־עַזָּה בֹּאֲכָה סְדֹמָה ... עַד־לָשַׁע i. e. a Sidone

versus Geraram usque Gazam, versus Sodomam ... usque Lesam. Ergo terminus a quo fuit *Sidon* in septemtrione, termini vero ad quos in meridie fuerunt *Gaza,* si quis cursum suum Geraram seu in occidentem dirigebat, atque *Lesa,* si quis cursum suum Sodomam et Gomorrham, et Adamam, et Seboim dirigebat: Gerara et Sodoma etc. plagas caeli in meridie, Gaza et Lesa autem ipsos terminos terrae indicant (similiter Hoberg, Hummelauer, Dillmann, Strack[2]); עַד־עַזָּה atque עַד־לָשַׁע non inepte apposita sunt (contra Holzinger). — *Gaza,* assyr. Ḫazzatu, Ḫazzutu, Ḫaziti, Amarna Azzati, Ḫazati, aegypt. Gaṣatu, nunc Ṛazze, Ghazze, fuit urbs Philisthaeae celeberrima c. 4 *km* a mari distans (Buhl, Guthe); *Gerara,* nunc Ǵerâr, wadi Ǵerûr a meridie Gazae c. 13 *km* distantis erat (Buhl, Guthe); de *Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim* videas 14, 2 ss.; 19, 24 ss.; *Lesa,* לֶשַׁע vel *Lasa* (Sixtina) לָשַׁע in pausa, iuxta analogiam sententiarum a septemtrione Sodomae etc. quaerenda est, sicut Gaza a septemtrione Gerarae est; S. Hieronymus cum Iudaeis censet, Lesam eamdem esse ac Callirrhoen ab oriente maris mortui sitam.

Sixtina cum pluribus manuscriptis Latinis habet *et per hos,* Clementina autem cum aliis manuscriptis Latinis (cf. Vercellone) *et posthaec,* וְאַחַר, *καὶ μετὰ τοῦτο.* — Holzinger ℣. 18b ita interpretatur, ut dicat Chananaeos primitus in Phoenica et Coelesyria habitasse et postea in Palaestinam venisse, quod concedere possumus, quin contradictionem inter hunc ℣. et antecedentes deprehendamus. Videas excursum. — בֹּאֲכָה, *ἕως ἐλθεῖν,* donec venias, directionem significat = versus (Dillmann, Strack[2]). — De pronuntiatione עַזָּה, *Γαζά* et עֲמֹרָה, *Γομόῤῥα* conferas 4, 18, pag. 108. — Holzinger illa *usque Gazam,* et *usque Lesa* necnon *et Gomorrham, et Adamam, et Seboim;* Gunkel cum Wellhausen ℣℣. 16—18a serius addita esse opinantur, sed opinionem suam non comprobant. Wellhausen לֶשַׁע mutare vellet in לֵשָׁה vel לֶשֶׁם ita ut Lais-Dan terminum septemtrionalem intelligere deberemus, at in hoc sensu בֹּאֲכָה repetendum erat (Holzinger); Kittel putat, pro לָשַׁע fortasse בֶּלַע, בָּלַע, Bala-Segor (cf. 14, 2; 19, 22) legendum esse; sed ista urbs a meridie Sodomae etc. sita fuit. — Fines naturales, videlicet mare et Iordanis omittuntur (Hoberg).

℣. 20. Hi sunt filii Cham *in cognationibus, et linguis, et generationibus, terrisque et gentibus suis.* Videas ℣. 5. Illud *et generationibus* correctores Pii V. ad fidem Hebraei et Graeci

necnon omnium versionum antiquarum recte expunxerant (Vercellone), nihilominus impressum est.

℣. 21. De Sem quoque *nati sunt* scil. filii, וּלְשֵׁם יֻלַּד גַּם־הוּא i. e. *καὶ τῷ Σὴμ ἐγενήθη καὶ αὐτῷ*, *patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheth maiore.* Antequam genealogiam Semi (℣℣. 22 ss.) texit, duo notat hagiographus. Primum quidem, Semum fuisse *fratrem Iapheth* non solum natura, verum etiam mente et voluntate (cf. 9, 23) idque *maiorem* vel potius *maximum* natu, הַגָּדוֹל (cf. pag. 163 s., Gesenius-Kautzsch 438, Holzinger), quod ascribit, ne quis putet Semum propter sequentia (11, 10 ss.) ultimo loco positum, natu minorem esse Chamo et Iaphetho. Secundum autem notat, Semum fuisse *patrem omnium filiorum Heber,* i. e. omnium ab Iectan (10, 26 ss.) et Phaleg (11, 18 ss.) descendentium, inter quos Abraham, Isaac et Iacob fuerunt (vide excursum), patres populi electi, quibus promissio Semo facta (cf. pag. 165 ss.) renovabatur (cf. Strack[2]).

LXX vertunt: *ἀδελφῷ Ἰάφεθ τοῦ μείζονος,* quam lectionem etiam accentus Masoreticus innuit, sed contextus (cf. pag. 164) falsam monstrat (Dillmann). — Si Sem tertio loco positus fuit primogenitus, colligere possumus, Cham secundogenitum et Iapheth tertiogenitum fuisse (cf. Holzinger). — Propter 9, 22—27 Sem non cum Cham sed cum Iapheth comparatur.

℣. 22. Filii Sem (vide excursum): *Aelam,* עֵילָם, *Αἰλάμ, Ἐλάμ,* a quo populus et terra a septemtrione sinus Persici et ab oriente Tigris inferioris nominabatur (Hoberg, cf. Buhl, Zimmern-Guthe); assyr. Elamtu, serius Susiane vocabatur; partes terrae Elymais et Anzan fuerunt (Strack[2]). Si ex inscriptionibus constat, tunc linguam Elymaeorum non Semiticam fuisse (Holzinger, Strack[2]) non sequitur, primos inhabitatores terrae non Semitas exstitisse (cf. Hoberg, Dillmann). Etenim, „plurima per totam Susianam reperiebantur loca, ait Hummelauer, quorum nomina sunt omnino semitica (cf. Del. Par. p. 320 sqq.), unde sat probabile apparet regionem primitus, saltem magna ex parte, in Semitarum manibus fuisse.“ *et Assur,* a quo urbs et terra Assur (cf. pag. 54), *et Arphaxad,* אַרְפַּכְשַׁד, a quo forsitan Ἀῤῥαπαχῖτις (Socin-Guthe) vel probabilius Chaldaea-Babylonia (Hummelauer, Holzinger, Ieremias 170), *et Lud,* לוּד, a quo incolentes regionem Lubdi a septemtrione

montis Masii intra Tigrim et Euphraten superiorem, quae in cuneatis inscriptionibus reperitur (Ieremias 170 cum Iensen): minus probabiliter (Holzinger) alii multi Lydos intelligunt (Buhl, Socin-Guthe, cf. Gunkel, Hummelauer), *et Aram,* אֲרָם (cuneat. Aramu, Arumu, Arimu), a quo Aramaei intra Taurum, Chaboram, Arabiam desertam, Palaestinam, Libanum et Amanum degentes (Zimmern-Guthe aliique).

Post *Aram καὶ Καινάν* addunt Graeci codices Bodleianus et Coislinianus cum minusculis et versione Bohairica (cf. Brooke).

℣. 23. **Filii Aram:** *Us,* עוּץ, *Οὔζ, Ὦς, et Hul,* חוּל, *et Gether,* גֶּתֶר, *Γατέρ, et Mes,* מַשׁ, *Μοσόχ.* Mes probabiliter ad montem Masium habitavit; regiones reliquorum ignoramus (cf. Buhl, Socin-Guthe).

℣. 24. **At vero Arphaxad,** וְאַרְפַּכְשַׁד, *genuit Sale,* שָׁלַח, *de quo ortus est Heber,* וְשֶׁלַח יָלַד אֶת־עֵבֶר. Septuaginta habent: *καὶ Ἀρφαξὰδ ἐγέννησεν τὸν Καινάμ, καὶ Καινὰμ ἐγέννησεν τὸν Σάλα, Σάλα δὲ ἐγέννησεν τὸν Ἔβερ* (Brooke): videas 11, 12 ss., ubi eadem recurrunt.

Hummelauer cum Dillmann, Holzinger, Strack² putat, hunc ℣. a redactore propter 11, 12 ss. additum fuisse. Quod autem Holzinger affirmat, nimirum iuxta 10, 21 Heber fuisse filium immediatum Semi, neque usu loquendi neque contextu demonstrari potest. — De עִבְרִי vide 14, 13.

℣. 25. **Natique sunt Heber** *filii duo: nomen uni Phaleg,* פֶּלֶג, *eo quod in diebus eius divisa sit terra,* נִפְלְגָה הָאָרֶץ i. e. confusione linguarum genus humanum super terram habitans in cunctas regiones dispersum est (cf. 9, 19; 11, 1. 4. 8 s.; Gunkel, Hoberg, Strack²). *et nomen fratris eius Iectan,* יָקְטָן i. e. diminutus vel parvus, arab. Kachtan (Fürst, Gesenius). Qui ab Iectan descendant, statim exponitur; posteri autem Phaleg, inter quos ipse Abram fuit, 11, 18 ss. enumerantur (cf. excursum).

Pro יֻלַּד (cf. pag. 13 et 108) habent Samaritanus et Graecus ילדו (Kittel). — Nonnulli (cf. Dillmann, Hummelauer Holzinger) putarunt, forsitan non de confusione linguarum et dispersione generis humani, sed de divisione terrae hagiographum loqui: „Noe divisisse terram inter suos nepotes singulisque certas assignasse sedes . . . etsiamsi nullus id testis

referret" (Hummelauer). Contextus tamen priori sententiae favet, qui etiam innuere videtur, divisionem factam esse, quo tempore Phaleg nasceretur (cf. Hummelauer).

℣℣. 26—29. Qui Iectan, וְיָקְטָן, *genuit Elmodad,* אַלְמוֹדָד, *et Saleph,* שָׁלֶף, *et Asarmoth,* חֲצַרְמָוֶת (ita Orientales, חצר־מות Occidentales, cf. Kittel), *Iare,* וְאֶת־יָרַח, *καὶ Ἰάραδ,* [27] *et Aduram,* הֲדוֹרָם, *Ὀδορρά, et Uzal,* אוּזָל (Samaritanus et Graecus איזל. cf. Kittel), *et Decla,* דִּקְלָה, [28] *et Ebal,* עוֹבָל (omittunt LXX), *et Abimael,* אֲבִימָאֵל, *Saba,* וְאֶת־שְׁבָא, *καὶ Σαβεῦ,* [29] *et Ophir,* אוֹפִר, *Οὐφείρ, et Hevila,* חֲוִילָה, *et Iobab,* יוֹבָב. *omnes isti, filii Iectan.* Gentes ab his filiis descendentes in Arabia meridionali habitasse, plerique interpretes recentiores admittunt; quas vero partes incoluerint, valde incertum est (Buhl, Socin-Guthe, Dillmann, Hummelauer), quare pauca notamus. *Asarmoth* = Chatramotitae, nunc Ḥaḍramût; *Uzal* = Ṣanʿâ in Iemen (Buhl, Socin-Guthe); *Ophir* quoque in Arabia meridionali (cf. Dillmann), iuxta alios in Africa vel India quaerenda est (cf. Holzinger).

℣. 30. Et facta est habitatio eorum *de Messa,* מִמֵּשָׁא, *pergentibus usque,* בֹּאֲכָה, *Sephar montem orientalem* (cf. ℣. 19). Si Messam, *Μασσηέ,* cum Gesenius et Buhl Mesenen inter ostia Pasitigridis sitam intelligimus atque Sephar, סְפָר in Ḥaḍramût (Buhl) et montem orientalem in oriente quaerimus, habemus etiam hic, uti in ℣. 19., terminum a quo in septemtrione et terminos ad quos in meridie eosque ad occidentem et ad orientem; alii tamen aliter sentiunt (cf. Dillmann et Holzinger). „Pro certo sumendum est, הַר הַקֶּדֶם non per appositionem coniunctum esse cum סְפָרָה, sed tertium quendam locum esse, ad quem terminus porrigatur" (Gesenius).

℣. 21. Isti filii Sem *secundum cognationes et linguas, et regiones in gentibus suis.* Conferas ℣℣. 5. et 20. Pro לְגוֹיֵהֶם legendum est בְּגוֹיֵהֶם quemadmodum in ℣℣. 5. 20. 32 legimus (Kittel).

℣. 32. Hae familiae Noe, אֵלֶּה מִשְׁפְּחֹת בְּנֵי־נֹחַ, *αὗται αἱ φυλαὶ υἱῶν Νῶε* (cf. ℣. 5), *iuxta populos et nationes suas,* לְתוֹלְדֹתָם בְּגוֹיֵהֶם i. e. iuxta generationes suas (cf. ℣. 1) in gentibus suis (cf. ℣. 5). *Ab his* scil. familiis filiorum Noe *divisae sunt gentes,* הַגּוֹיִם (*νῆσοι τῶν ἐθνῶν,* LXX cf. ℣. 5), *in terra post diluvium.* Hic finis tabulae gentium principium (℣. 1), immo 9, 19 respicit.

Excursus.

Generalia quaedam de tabula gentium.

Primo quidem tabulam gentium synoptice proponemus supplentes posteros Phaleg, ut uno in conspectu omnes videantur; deinde de varia forma nominum, numero gentium, auctoritate historica tabulae, distinctione fontium, relatione huius tabulae ad tabulas aliorum populorum loquemur.

Iapheth

- Gomer
  - Ascenez
  - Riphath
  - Thogorma
- Magog
- Madai
- Iavan
  - Elisa
  - Tharsis
  - Cetthim
  - Dodanim
- Thubal
- Mosoch
- Thiras

Cham

- Chus
  - Saba, סְבָא
  - *Hevila*
  - Sabatha
  - Regma
    - *Saba,* שְׁבָא
    - Dadan
  - Sabatacha
  - Nemrod
- Mesraim
  - *Lud*im
  - Anamim
  - Laabim
  - Nephthuim
  - Phetrusim
  - Chasluim
    - Philisthiim
  - Caphtorim
- Phuth
- Chanaan
  - Sidon
  - Hethaeus
  - Iebusaeus
  - Amorrhaeus
  - Gergesaeus
  - Hevaeus
  - Aracaeus
  - Sinaeus
  - Aradius
  - Samaraeus
  - Amathaeus

Sem

Aelam — Assur — Arphaxad — *Lud* — Aram

Arphaxad: Cainan, Sale, Heber

Aram: Us, Hul, Gether, Mes

Heber:

Phaleg (11, 18 ss.) — Iectan (10, 26 ss.)

Phaleg: Reu, Sarug, Nachor, Thare

Iectan: Elmodad Saleph Asarmoth Iare Aduram Uzal Decla Ebal Abimael *Saba,* שְׁבָא Ophir *Hevila* Iobab

Thare:

Abram — Nachor (22, 20 ss.) — Aran

Aran: Lot (19, 37 s.)

Lot: Moab — Ammon

Nachor: Hus Buz Camuel Cased Azau Pheldas Iedlaph Bathuel

Abram:

Ismael (16, 16; 25, 12 ss.) — Isaac (21, 1 ss.) — filii Ceturae (25, 1 ss.)

Isaac: Esau (25, 20 ss.; 36, 1 ss.) — Iacob (29, 32—30, 24; 35, 18. 23 ss.)

Iacob: Ruben Simeon Levi Iuda Dan Nephthali Gad Aser Issachar Zabulon Dina Ioseph (41, 50 ss.) Beniamin

Ioseph: Manasses — Ephraim

a) De varia forma nominum. Nomina sunt vel singularia individuis propria, e. gr. 8—12. 21—29, vel patronymica seu gentilicia, e. gr. 16—18, vel pluralia, e. gr. 13 et 14 (cf. Gunkel 78, Hoberg 99). Differentia non grandis est. Nominantur enim aut individua, quae populos in regionibus habitantes procrearunt, aut gentes, quae ab individuis descenderunt, vel etiam regiones et urbes, in quibus habitarunt. Videas lit. c. necnon 9, 18 et 10, 15.

b) De numero gentium. Iudaei tradunt, in tabula 70 gentes enumerari, quod verum est, si Philisthiim de Chasluim egredientes non numerentur: descenderunt ab Iapheth 14, a Cham 30, a Sem 26; posteri Phaleg in hac tabula omittuntur. — Quaerunt interpretes, utrum omnes

gentes terrae in hac tabula contineantur necne. Respondemus: certum est, non omnes gentes nominari, cum Americani, Sinenses, Mongoli, Melanesii, Nigritae aliique desint (Hummelauer 293); explicite ii tantum enumerantur, quibuscum Israelitae conversabantur vel quos aliunde cognoverant. Nihilominus probabilissimum est, omnes gentes terrae in hac tabula implicite contineri. Haec assertio ex iis sequitur et probatur, quae de anthropologica universalitate diluvii (cf. pag. 172 ss.) et unitate generis humani (cf. pag. 179 s.) scripsimus. Si omnes ad unum homines in aquis mortui nec salvati sunt nisi Noe et familia eius (cf. pag. 176); si a tribus filiis Noe disseminatum est omne genus hominum super universam terram (cf. 9, 19 et pag. 179): consequens est, omnes gentes terrae in hac tabula implicite contineri, quatenus non exsistunt homines, qui a tribus filiis Noe non descenderint (similiter Hoberg 98). Qui autem anthropologicam universalitatem diluvii negant, consequenter etiam negare debent, omnes gentes nunc viventes a tribus filiis Noe descendere atque in tabula gentium a filiis Noe descendentium contineri.

c) De auctoritate historica tabulae. Non est mirandum, quod ii qui hanc tabulam a scriptoribus saec. IX. et VI. a. Ch. contextam fuisse asserunt, de auctoritate eius historica male sentiant; quis enim istis saeculis vivens scire potuit, quomodo antiquissimis temporibus gentes et civitates formatae sint? Qui vero tenet, Moysen c. 1500 a. Ch. (videas introductionem in Genesim) ex traditionibus vel etiam documentis antiquis tabulam conscripsisse, plenam illi auctoritatem attribuet. Cum enim homines primis temporibus tot saecula vixerint (cf. tabellam antecedentem et subsequentem), septuaginta nomina et facta paucissima facile memoria retinere atque usque Moysen tradere potuerunt (cf. pag. 124), qui Deo inspirante „ea omnia eaque sola quae ipse iuberet“, et recte mente concepit et fideliter conscribere voluit et apte infallibili veritate expressit (cf. pag. 35 ss. et 216).

Audiamus, quid Dillmann, Gunkel et Holzinger sine argumentis proferant. Iuxta Dillmann 165 s. accurata factorum memoria iam longe oblitterata fuit, quando tales genealogiae componebantur; origo populorum singulorum in tenebris temporis praehistorici iacet; divisio omnium

hominum in tres familias non tradita, sed ex quadam causa nobis non satis patenti conficta est. Gunkel 78 s. quoque asserit, in tabula non traditionem, sed commentationem (reflexionem) quamdam contineri: incertum esse, quomodo populi originales orti sint; omnino falsum esse, quod populi ex familiis vel ex una familia processerint (videas contra pag. 179); de origine populorum nos non habere traditionem historicam: inter scriptores tabulae et originem gentium immensum spatium interesse. Secundum Holzinger 109 tabula crassos monstrat errores; at quomodo hoc affirmari potest, cum ex primis temporibus alia documenta historica nobis desint (cf. Dillmann 170)? — Dillmann et Holzinger consilium scriptorum tabulae pretiosum iudicant, quo populo electo locum inter populos terrae assignaverint, unitatem generis humani et propinquitatem omnium populorum docuerint, salutem ac coniunctionem eorum in regno Messiae praenuntiaverint: tamen Gunkel 79 s. has opiniones reiicit. — Ex eo quod Ṽ. 19. Sodoma, Gomorrha, Adama et Seboim nominentur, quamvis tempore Moysis non amplius exstiterint, Hoberg 98 concludit, Moysen documenta antiqua adhibuisse.

d) D e d i s t i n c t i o n e f o n t i u m. Gunkel 76 s. decisum putat, tabulam ex duplici fonte fluxisse, atque rationes sequentes affert: *α)* Tota tabula duplex initium habet, 9, 18[a]. 19 et 10, 1[a]. Sed non est verum. Nam ibi legimus: ***Erant ergo filii Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, et Iapheth . . . Tres isti filii sunt Noe: et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram;*** hic autem: ***Hae sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, et Iapheth.*** Non invenies duplex initium tabulae, si hos ṼṼ. iuxta principia hermeneutica explicaveris: videas explicationem. *β)* Tabula Sem etiam duplex initium habet, 10, 21 et 22. Iterum non est verum; videas explicationem versuum. *γ)* Saba et Hevila 10, 7 filii Chus, 10, 28 et 29 autem filii Iectan nominantur. Reponimus: si eadem nomina occurrunt, iuxta praecepta logica et experientiam non sequitur, easdem personas vel gentes illis designari; Hoberg 97 in hac re signum propinquitatis et confusionis (coalitus) gentium invenit. *δ)* Habentur formulae ieiunae (10, 5. 20. 31. 32) et fabulae resonantes (10, 8. 9). Attamen, in ṼṼ. 8 et 9 fabulas resonare, non tantum asserendum, sed etiam probandum erat; istae formulae autem recte repetuntur, quia non omnes gentes a filiis Noe descendentes nominatim enumerantur. Tales rationes sunt exiles. Videas introductionem in Genesim.

e) D e r e l a t i o n e h u i u s t a b u l a e a d t a b u l a s a l i o r u m p o p u l o r u m. Alii quoque populi (Aegyptii, Assyrii, Babylonii, Persae) similes tabulas nobis reliquerunt. Sed in his tabulis illae dumtaxat gentes recensentur, quibuscum isti populi mercaturae ratione coniuncti fuerunt, vel quae devictae fuerant; unitas generis humani et cognatio omnium gentium non attingitur. Differunt igitur hae tabulae a tabula biblica. Videas Dillmann 164, Strack 43, Selbst 182.

Dispersio gentium, 11, 1—9.

C. **11.** ℣. **1. Erat autem terra,** וַיְהִי כָל־הָאָרֶץ, *καὶ ἦν πᾶσα ἡ γῆ* i. e. omnes homines in terra habitantes (cf. Exegeticam 4), ut verba sequentia monstrant, *labii unius,* שָׂפָה אֶחָת, *χεῖλος ἕν, et sermonum eorundem,* וּדְבָרִים אֲחָדִים, *καὶ φωνὴ μία πᾶσιν·* i. e. utebantur eisdem verbis, דְּבָרִים, et habuerunt eamdem locutionem, שָׂפָה, modum loquendi (Dillmann, Gesenius).

De constructione *et erat omnis terra labium unum et verba eadem* videas Gesenius-Kautzsch 459 s. LXX addunt *πᾶσιν*, ut eam faciliorem reddant. — De differentia inter שָׂפָה et דְּבָרִים varii varie sentiunt. Secundum S. Chrysostomum aliosque synonyma sunt; iuxta Gunkel שָׂפָה totum, דְּבָרִים partes significat; Hoberg et Zschokke cum Kaulen (Die Sprachverwirrung zu Babel. Mainz, 1861, pag. 12) דְּבָרִים elementum lexicale, radices verborum, שָׂפָה formationem et structuram grammaticalem declarant, quae sententia valde probabilis videtur; aliam opinionem improbabilem (cf. Buhl, Fürst, Gesenius) apud Hummelauer 304 ss. invenies. Vide ℣. 7, notam. — Quaenam fuerit lingua originalis, omnino ignoramus. S. Gregorius Nyss. eam periisse dicit, quod probabilissimum est; Theodoretus linguam Syriacam, SS. Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, Iudaei, Hävernik, Gerlach, Baumgarten aliique multi linguam Hebraeam fuisse contendunt (cf. Lapide, Dillmann, Hummelauer, Strack[2]): at lingua Hebraea ne inter Semiticas quidem antiquissima est, uti philologi docent. — Non solum illi, qui anthropologicam diluvii universitatem negant (cf. pag. 177), verum etiam alii putant, in Babel non omnium hominum, sed partis dumtaxat linguam confusam esse; sed Dillmann 202 hanc opinionem utpote contextui contrariam merito reiicit.

℣. **2. Cumque proficiscerentur,** וַיְהִי בְּנָסְעָם, *καὶ ἐγένετο ἐν τῷ κινῆσαι αὐτούς, de oriente,* מִקֶּדֶם (cf. 2, 8; 3, 24), *invenerunt campum,* בִקְעָה, *πεδίον,* planitiem *in terra Sennaar* (cf. 10, 10), *et habitaverunt in eo.*

מִקֶּדֶם absolute significare potest: *de* oriente (Gunkel, Hummelauer, Hoberg), *ad* orient*em* (13, 11; Buhl, Dillmann, Strack), *in* oriente (2, 8; 3, 24; cf. Holzinger). Significatio *in* oriente cum antecedentibus optime congruere videtur. Homines de Armenia (cf. pag. 147) descendentes venerunt quidem a septemtrione in terram Sennaar, migrabant tamen in plaga orientali. Si quis autem significationem *de* oriente praeferre voluerit, cum Hummelauer supponere debet „minime asseri de Ararat immediate, recto itinere et per abrupta montium in Mesopotamiam descendisse. Facilior de Ararat in Araxis vallem et in Mediam patebat

accessus, inde per montium Gordyaenorum fauces et ab oriente in Babyloniam descensus". Significatio *ad* orientem hic propter contextum admitti nequit.

Ꝟ. 3. Dixitque alter ad proximum suum, אִישׁ אֶל־רֵעֵהוּ i. e. alter alteri (Gesenius): *Venite,* הָבָה, *δεῦτε*, agite (vide verbum יָהַב), *faciamus lateres,* נִלְבְּנָה לְבֵנִים, *πλινθεύσωμεν πλίνθους*, *et coquamus eos igni,* וְנִשְׂרְפָה לִשְׂרֵפָה i. e. et uramus ustione (Gesenius, Buhl). *Habueruntque lateres pro saxis,* LXX accuratius *καὶ ἐγένετο αὐτοῖς ἡ πλίνθος εἰς λίθον*, *et bitumen pro caemento,* LXX accuratius *καὶ ἄσφαλτος ἦν αὐτοῖς ὁ πηλός*. Narrantur res utiliter inventae. Ex argilla alba et cretacea (Gesenius, Fürst) campi Sennaar fingebant homines quae loco saxorum in montanis exsistentium adhibere possent et igne indurabant; loco caementi, חֹמֶר, luti vel arenati utebantur asphalto, quae etiam in Sennaar praesto erat. Aedificia Babylonia ex his rebus exstructa fuisse, reliquiae eorum demonstrant.

Assonationes נִלְבְּנָה לְבֵנִים et נִשְׂרְפָה לִשְׂרֵפָה et לְבֵנָה לְאָבֶן et הַחֵמָר לַחֹמֶר patent; iuxta Hummelauer hoc tetrastichon „fortasse postmodum ab hominibus lateres coquentibus decantabatur". — לְבֵנָה, assyr. libittu, probabilius est „dictus ab argilla alba et cretacea" (Gesenius, Fürst), conferas לָבֵן albus fuit (Buhl); minus probabiliter ab assyr. laban = premere (Delitzsch, cf. Holzinger). Adhibebantur lateres sole siccati aut igne cocti, qui meliores fuerunt (cf. Buhl et Fürst). Si Gunkel etymologiam et praecepta logica melius observasset, non scripsisset, iuxta scriptorem huius Ꝟ. nomen „lateris" ante rem iam fuisse: nam לְבֵנִים = alba (cf. Holzinger).

Ꝟ. 4. et dixerunt: *Venite,* הָבָה, *δεῦτε* (cf. Ꝟ. 3), *faciamus* seu aedificemus, נִבְנֶה, *nobis civitatem,* עִיר, *et turrim,* וּמִגְדָּל, *cuius culmen pertingat ad caelum: et celebremus nomen nostrum,* וְנַעֲשֶׂה־לָּנוּ שֵׁם i. e. conciliemus nobis famam (Gesenius), *antequam,* *πρὸ τοῦ*, hebr. פֶּן i. e. ne (cf. pag. 69) *dividamur in universas terras,* LXX accuratius *ἐπὶ προσώπου πάσης τῆς γῆς*. Iuxta textum Graecum et Latinum homines volunt quidem dividi, sed antea sibi famam conciliare; iuxta Hebraicum autem nolunt dividi et propterea unitis viribus centrum sibi constituere, quo simul viri famosi (cf. 6, 4) reddantur: fuerunt igitur inobedientes Deo, qui dispersionem iusserat (1, 28; 9, 1).

simulque superbi, uti protoparentes (cf. pag. 57 et 71 s.; Dillmann 203).

Sententiam וְרֹאשׁוֹ בַשָּׁמַיִם bene reddunt LXX: οὗ ἡ κεφαλὴ ἔσται ἕως τοῦ οὐρανοῦ (cf. Gesenius-Kautzsch 460 et lexicon ad בְּ). — Utrum שֵׁם etiam signum seu monumentum denotare possit, quemadmodum Budde, Fürst aliique asserunt, an non, saltem dubium est (cf. Hummelauer, Holzinger). — Gunkel sequentia affirmat: *a)* in hoc loco (contra 4, 17) aedificatio primae civitatis narratur (86); at ne unica quidem voce textus hoc probare potest. *b)* Homines urbem exstruere voluerunt, in qua omnes habitare possent (90 s.); sed textus non indicat, omnes homines in hac urbe habitare voluisse (cf. pag. 107). *c)* Cogitarunt turrim excitare, quae revera caelum tangeret et ideo ubique terrarum conspici posset (87 s. 91); sed iudicium Dei *nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant* (℣. 6) verba hominum hyperbolice prolata esse docet: nam alioquin Deus confirmaret, turrim reapse usque ad caelum pertingentem esse possibilem, quod absurdum est. — Lapide, Hummelauer aliique putant, „ex hac fabrica natam esse fabulam gigantum bellum caelo inferentium“ (Lapide).

℣. 5. **Descendit autem Dominus ut videret,** לִרְאֹת, ἰδεῖν. Sacrae Litterae iuxta nexum rerum (cf. Exegeticam 43 s.) et analogiam fidei (ibi 66 ss.) exponendae sunt; atqui alii loci Scripturae et divina Traditio clarissime docent, Deum esse omnipraesentem et omniscientem (cf. tractatum de Deo uno): ergo verba huius ℣. non proprie, sed improprie (per anthropomorphismum, cf. Exegeticam 10 et 102 s.) intelligenda sunt. Sensus est: „Deus exacte, serio, lente et mature inspexit et consideravit . . . perinde ac si e caelo in terram Sennaar descendisset, uti faceret homo“ (Lapide ex S. Augustino). Dominus igitur vidit *civitatem et turrim, quam aedificabant* (cf. ℣. 8) *filii Adam,* et quidem eo consilio, ut famosi redderentur neve dividerentur (℣. 4). Homines voluntati Dei obsistentes et „nunc superbe in caelum sua fabrica conscendere“ molientes (Lapide) cum emphasi *filii Adam,* בְּנֵי הָאָדָם i. e. terreni, de terra sumpti et in pulverem convertendi (cf. pag. 49) appellantur.

℣. 6. **et dixit,** וַיֹּאמֶר יְהוָה, καὶ εἶπεν κύριος. Haec in caelo locutus est, quod ℣. 7 *(descendamus)* comprobat: ergo Dominus illuc reversus est (si in anthropomorphismo perseveramus) postquam civitatem et turrim viderat. Scriptura tacet hanc

reversionem sicut in ℣℣. 3. 4. 7. exsecutionem propositi omittit (cf. Gunkel 85 et 91). *Ecce* (cf. pag. 21), *unus est populus, et unum labium omnibus:* una eademque lingua omnes posteri filiorum Noe copulantur, in unius gentis corpus coalescunt, et propter hanc unitatem nolunt dividi, desiderant centrum unionis, sunt valentes et confidentes viribus suis. *coeperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant, καὶ τοῦτο ἤρξαντο ποιῆσαι, καὶ νῦν οὐκ ἐκλείψει ἐξ αὐτῶν πάντα ὅσα ἂν ἐπιθῶνται ποιῆσαι.* Sensus harum versionum videtur esse: non requiescent homines uniti, donec opus inchoatum (civitatem et turrim) compleverint; in Hebraeo autem legimus: וְזֶה הַחִלָּם לַעֲשׂוֹת וְעַתָּה לֹא־יִבָּצֵר מֵהֶם כֹּל אֲשֶׁר יָזְמוּ לַעֲשׂוֹת i. e. et hoc est initium faciendi, et nunc non praeclusum erit ab eis omne quod cogitaverint facere (cf. Gesenius-Kautzsch 437), aliis verbis: non tantum hoc, verum etiam alia opera superbiae et inobedientiae perficient, „non erunt limites audaciae“, cf. 3, 22 (Hummelauer cum Kaulen).

De הֵן cum sequente substantivo videas Gesenius-Kautzsch 477 s. — De זֶה pro זֹאת ibi 398. — De הַחִלָּם cum pathach ibi 181. — De יָזְמוּ pro יָזֹמּוּ ibi 182. — Holzinger cum Gunkel 88 et 90 asserit, Deum augmentum virtutis hominum timuisse et invidia commotum linguam eorum confudisse. Praetermittimus, quod hic locus ita explanandus sit, ut explanatio aliis locis Deo absolutam potentiam et bonitatem tribuentibus (cf. tractatum de Deo uno) non contradicat (Exegetica 43), et solum notamus, assertionem istam nullo textus vocabulo confirmari posse.

℣. 7. **Venite igitur,** הָבָה, *δεῦτε* (cf. ℣℣. 3 s.): verbum cohortationis hominum a Deo per ironiam repetitur (Lapide, Delitzsch, Dillmann); *descendamus* (cf. ℣. 5), *et confundamus ibi,* וְנָבְלָה שָׁם, *linguam eorum,* שְׂפָתָם, *ut non audiat,* אֲשֶׁר לֹא יִשְׁמְעוּ, ut non intelligat (cf. Gen. 42, 23; Isa. 33, 19; 36, 11; Ier. 5, 15 etc.; Buhl, Dillmann) *unusquisque vocem proximi sui,* אִישׁ שְׂפַת רֵעֵהוּ (cf. ℣. 3), quod de singulis cognationibus accipiendum est, non de singulis hominibus, quia sic nulla hominum societas fuisset (Lapide).

De נָבְלָה pro נָבֹלָּה cf. Gesenius-Kautzsch 182. — Iuxta eundem אֲשֶׁר tam finalis (317. 514) quam consecutiva (515) coniunctio sumi potest. — Pluralis *descendamus, et confundamus* non indicat, Deum ad

alios deos (Gunkel, Holzinger) vel ad Angelos (S. Augustinus aliique, cf. Lapide), sed ad ceteras Trinitatis personas locutum fuisse. Videas quae ad 1, 26 et 3, 22 scripta sunt. — Quomodo Deus „unam linguam omnium hominum in varias" dispescuerit, nescimus. Lapide scribit: „Elementa primaevae linguae, puta litterae, apud omnes gentes et linguas eaedem manserunt, sed aliter et aliter combinatae et traiectae, quod est confundere et commiscere. Sic et syllabae multae, quin et dictiones eaedem manserunt, sed aliud et aliud hac, aliud illa lingua significant, ut *sus* Latinis porcum, Hebraeis equum, Flandris silentium significat." — Consentit Zschokke: „Quum Scriptura de confusione sermonum tacet, essentia linguarum varietatis in diversa forma reponi videtur, servata identitate radicum linguae primaevae . . . Haec confusio linguarum erat repentina et miraculosa, nec naturali modo explicari potest, ac si ex dissensione animorum ac dispersione sensim variae linguae enatae fuissent; nam confusio linguarum non fuit effectus, sed causa dissensionis et dispersionis, ita ut omnes diversas terras quaerere coacti sint. Consentit philologia moderna, quae unitatem labii originalem testatur et diversitatem linguarum non temporali evolutioni, sed violentae quassationi tribuendum esse docet." Videas et Selbst 190 s. Hagiographus autem non affirmat, varias linguas, in quas Deus originalem diviserat, statim excultas fuisse; possumus igitur naturalem post divisionem progressum admittere (cf. Dillmann 207). — Lapide adiungit: „Nota, quomodo superbia fabrorum meruerit linguarum divisionem, quarum unionem in Pentecoste meruit humilitas Apostolorum, inquit S. Gregor. hom. 30. in Evangelia."

℣. 8. **Atque ita divisit,** וַיָּפֶץ, *καὶ διέσπειρεν, eos Dominus ex illo loco,* מִשָּׁם, *ἐκεῖθεν, in universas terras,* עַל־פְּנֵי כָל־הָאָרֶץ, *ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς·* communi enim locutione in varias linguas divisa etiam una gens in varios populos partita est, qui regiones diversas sibi eligebant (cf. Dillmann 203) neque amplius centrum commune desiderabant; sequitur: *et cessaverunt aedificare civitatem;* Samaritanus et LXX addunt: וְהַמִּגְדָּל, *καὶ τὸν πύργον.*

„Addit Epiph. et Sibylla ac Abydenus apud Ioseph. et Euseb. l. 9. de praepar. Evang. c. ult., Deum turrim hanc procellis et ventis deiecisse, eamque aedificatores ipsos obruisse" (Lapide). Eadem repetunt Dillmann et Stade (cf. Holzinger). — Haec divisio facta est in diebus Phaleg (cf. pag. 198), ergo in quinta generatione post diluvium. Videas tabellam pag. 201 collocatam, sed ea quoque quae pag. 216 habentur.

℣. 9. **Et idcirco,** עַל־כֵּן, *διὰ τοῦτο, vocatum est,* קָרָא, *nomen eius Babel,* בָּבֶל i. e. *σύγχυσις,* confusio. „Etymon huius nominis . . . propositum a בָּלַל, ut בָּבֶל sit i. q. בַּלְבֵּל confusio.

linguae Hebraeae et Syriacae rationibus plane accommodatum est" (Gesenius). *quia ibi confusum est,* בָּלַל יְהוָה, συνέχεεν κύριος, *labium,* שְׂפַת, *universae terrae,* כָּל־הָאָרֶץ (cf. Ṽ. 1): *et* hac confusione linguarum *inde dispersit eos* i. e. homines (cf. Ṽ. 1) *Dominus super faciem cunctarum regionum,* כָּל־הָאָרֶץ, πάσης τῆς γῆς (cf. Ṽ. 8).

Illud Germanicum *man* in Hebraico etiam 3. sing. masc. exprimitur: קָרָא scilicet הָאִישׁ vel הַקֹּרֵא (Gesenius-Kautzsch 468). — Gunkel etymologiam nominis Babel pulcherrimam quidem, sed philologice puerilem vocat; Fürst vero formam בָּבֶל ex aram. בַּלְבֵּל *confusio* ab aram. בַּלְבֵּל = hebr. בָּלַל *confundere* grammatice rectam iudicat; et doctissimus Gesenius ad טוֹטָפָה pro טַפְטָפָה a טוּף, ad גֻּלְגֹּלֶת a גָּלַל, ad צְלָצְלִים a צָלַל provocat. Non obstat, quod Babylonii cuneat. Bâbîl vel Bâbîlu (cf. Buhl, Dillmann, Holzinger) portam seu aulam dei interpretati sint: intellexerunt nomen suo modo, uti Gunkel quoque concedit; ipsis etymologiam supra propositam displicuisse, per se patet (cf. Holzinger). Neque obstat, quod Babylonia olim *tintira* = nemus vitae appellata fuerit (cf. pag. 91), nam textus hoc tantum dicit, quomodo urbs post confusionem linguarum nominata sit. — Urbis Babel reliquiae apud Hillah supersunt (Gesenius, Ieremias 160 ss., Zimmern-Guthe); eminent Bābil, el-Ḳaṣr, Amrān ibn ʿAlī in sinistra, et Birs Nimrūd in dextera ripa Euphratis (Zimmern-Guthe). Plerique opinantur, Birs Nimrūd = Ezida esse reliquias „turris Babyloniae"; at Birs Nimrūd in urbe Borsippa fuit, quae in cuneatis inscriptionibus a Babel distinguitur. Quare probabilius in Bābil vel Amrān ibn ʿAlī vel in alio loco ruinae istius turris quaerendae sunt (cf. Dillmann 204 s.; Nikel 200, Strack²). — A *Babel* regnum Nemrod (cf. 10, 10 et pag. 192) initium sumpsit; civitatem et turrim autem ab ipso Nemrod aedificatam fuisse, ut plures putarunt (cf. Lapide, Nikel 191) contextu refutatur (cf. pag. 192).

Excursus.

De ratione et auctoritate huius narrationis.

1. De ratione. a) Holzinger 112 scribit, hanc narrationem cum praecedentibus conciliari non posse, et sequentes rationes affert: *α)* Iuxta tabulam gentium varii populi naturali modo, iuxta hanc vero narrationem extraordinario facto Dei orti sunt. Veruntamen, in c. X. varii populi utique orti describuntur; ortum vero eorum pure naturalem fuisse, nullum textus verbum indicat. In c. X. factum astruitur, in c. XI. autem, ad quod 10, 25ᵇ delegat, modus exponitur (cf. pag. 201). *β)* Secundum 10, 8. 10 probabiliter Nemrod, non multitudo hominum

Babel aedificavit. Sed hanc explicationem falsam esse, iam pag. 209 diximus. *γ)* Haec narratio neque ante diluvium, uti patet, neque post illud collocari potest, cum Sem, Cham et Iapheth non sint *omnis terra*, atque multitudo civitatem et turrim aedificans non sit una familia. Sed omnes homines revera a tribus filiis Noe descendunt (cf. pag. 179), et in quinta generatione (cf. pag. 208) non amplius una familia fuit. Conferas quoque quae pag. 216 notata sunt. — *b)* Gunkel 85 hanc narrationem ex duplici fonte fluxisse, sequentibus probare conatur: *α)* iuxta ℣. 5. Dominus iam in terram descenderat, iuxta ℣. 7. iterum descendit. At Stade et Gunkel (ibi) aliique admittunt, reversionem Domini omissam esse; videas pag. 207 dicta. *β)* In ℣. 4. duplex finis operantium non sociabilis assignatur: ut facerent sibi nomen neve dividerentur. At logica et psychologia docent, finem duplicem animis hominum obversari posse. *γ)* In ℣. 8. nexus aptus deest: Dominus homines divisit, et ipsi aedificare cessaverunt. Optimus nexus adest: ex confusione linguarum divisio populorum, et ex hac divisione intermissio operis secuta est. Videas explicationem. *δ)* Secundum ℣. 9. Dominus confudit linguas hominum et dispersit homines. Haec bene connectuntur, uti mox notavimus, neque duplicem produnt fontem. *ε)* In ℣. 3. duplex materia aedificantium insinuari videtur. Qui istum versum iuxta usum loquendi et contextum explanaverit, unam tantum materiam insinuatam inveniet. — Talia argumenta logice diiudicata parum vel nihil probare reperiuntur.

2. *De auctoritate. a)* Gunkel 89. 91, Holzinger 113 aliique edicunt, hanc narrationem nullius esse pretii scientifici et historici, immo ne religiosi quidem (Holzinger), sed esse poeticam et fabulosam declarationem, quomodo urbs et turris Babel aedificata, linguae divisae et gentes dispersae sint: nullius pretii historici, cum memoria hominum illud tempus antiquissimum non attingat (Gunkel); nullius pretii religiosi, cum narratio ex polytheistica transformata sit (Holzinger). Hi viri asserunt, narrationem origine Babyloniam et polytheisticam in variis terris peregrinatam esse, ad notitiam Israelitarum venisse, ab illis de polytheismo aliisque sententiis partim purgatam atque monotheismo conformatam ac demum in Bibliam assumptam esse. Contra hanc opinionem ponimus: *α)* Apud Babylonios similis narratio non invenitur, quod peritissimi Dillmann 205, Nikel 191, Schrader-Zimmern 396. Strack² 46 confitentur. *β)* Narrationem primitus polytheisticam fuisse, demonstrari nequit. Dicunt quidem (Holzinger cum Gunkel, Stade et Budde), Iahve invidia ductum et in plurali loquentem ad Olympum ethnicorum pertinere, aliasque sen-

tentias polytheisticas omissas esse. At haec non solum gratis asserenda, verum etiam invicte probanda erant, quod non fecerunt. Videas explicationem versuum. *γ)* Denique si supponamus, narrationem primitus polytheisticam fuisse, Israelitae eam naturali modo, ut viri illi volunt, de polytheismo purgare atque monotheismo conformare non potuissent, quemadmodum pag. 28. ostendimus. — *b)* Nos tenemus, Moysen (cf. introductionem) hanc narrationem, Deo inspirante, ex traditione antiqua sumpsisse. Memoria facti tam publici quam extraordinarii propter longaevitatem Patriarcharum (videas tabulam antecedentem et subsequentem) facile usque ad Moysen pure conservari potuit, immo debuit, ita ut narratio Deo movente et illustrante litteris consignata plenam fidem mereatur (cf. pag. 37 et 216).

Apud Afros, Americanos, Armenios, Coreanos, Graecos, Indos, Persas inveniuntur narrationes polytheisticae aedificationem turris (et civitatis) et divisionem linguarum referentes (cf. Lüken 314 ss.; Nikel 195 ss.). Quominus autem narratio biblica ex iis hausta dicatur, semper id obstat quod Israelitae narrationes polytheisticas naturali modo, uti supponunt, de polytheismo purgare nequiverint (cf. pag. 28). Relinquitur, ut concedamus, traditionem primitivam a variis populis variatam esse (cf. pag. 35).

5. Sectio. Generationes Sem, 11, 10—26.

Enumerantur novem vel potius decem posteri Sem, qua enumeratione historia totius generis humani absolvitur simulque historia populi electi praetexitur.

℣. 10. Hae sunt generationes Sem: Vide pag. 43 s. *Sem erat centum annorum,* בֶּן־מְאַת שָׁנָה, *υἱὸς ἐτῶν ἑκατόν, quando genuit,* וַיּוֹלֶד, *Arphaxad* (cf. 10, 22), *biennio,* שְׁנָתַיִם, *post diluvium.* Sem biennio post diluvium 100 annorum fuisse, locis praecedentibus refutari videtur. Nam 5, 31 (hebr. 32) legimus: *Noe vero cum quingentorum esset annorum,* בֶּן־חֲמֵשׁ מֵאוֹת שָׁנָה, *genuit Sem, Cham, et Iapheth;* 7, 6 vero: *Eratque sexcentorum annorum,* בֶּן־שֵׁשׁ מֵאוֹת שָׁנָה, *quando diluvii aquae inundaverunt super terram;* 8, 13 s. autem: *sexcentesimo primo anno . . . arefacta est terra:* ergo biennio post diluvium Sem 102 annorum fuisse apparet. Si tamen supponamus, Sem anno 501. ad finem vergente (quando Noe adhuc filius 500 annorum fuit) natum esse ideoque anno 502. ad finem vergente primum

vitae annum complesse: currente secundo post inchoatum diluvium anno filius 100 annorum completorum erat, i. e. 101. annum agebat (similiter Strack² cum Bengel). Quod ad 5, 3 ex S. Augustino et Hummelauer ascripsimus, hic contra Dillmann et sectatores eius repetimus: non primogeniti, sed maiores Abrahae et Salvatoris recensentur; uti 5, 3 Cain et Abel, sic in hoc loco Aelam et Assur (10, 22) tacentur. Si igitur Gunkel asserit, in 10, 22 et 11, 10 duplicem adesse traditionem, eo quod Arphaxad ibi tertiogenitus, hic vero primogenitus proponatur: haec ratio vana est.

Phrasin אַחַר הַמַּבּוּל, *post diluvium* significare inchoatum, non finitum diluvium ex 9, 28 s. (contra Dillmann et Holzinger) demonstramus, iuxta quem locum Noe post diluvium 350 annis, in summa autem 950 annis vixit; atqui inchoante diluvio iam erat filius 600 annorum (7, 6): ergo 350 anni ab inchoato diluvio numerantur. — Lapide, Tuch, Delitzsch gratis asserunt, in 5, 31 (hebr. 32) numerum 500 non accurate, sed summatim pro 502 positum esse. Dillmann, Hummelauer, Hoberg, Holzinger cum Budde verba *biennio post diluvium* delenda censent utpote serius apposita et ceteris locis contraria. Attamen, verba illa in omnibus testibus criticis inveniuntur et lectionem difficiliorem efficiunt, quare iuxta principia critica deleri nequeunt et ab ipso Gunkel retinentur. — Nativitas Aelam et Assur et Arphaxad eidem anno assignantur (conferas 10, 22 et 11, 10 necnon 5, 31 et 11, 26), secundo anno post inchoatum, primo autem post finitum diluvium. — Iuxta dicta annos tabellae sequentis computavimus ab 1658, 1309, 2244, *2258* incipientes (cf. pag. 122).

℣. **11. Vixitque** *Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: et genuit filios et filias.* LXX addunt: *καὶ ἀπέθανεν;* Samaritanus notat insuper *omnes dies* vitae (cf. 5, 5. 8. 11 ss.); similiter in ℣℣. 13. 15. 17. 19. 21. 23. 25. fit.

℣℣. **12. 13. Porro Arphaxad vixit,** חַי, *triginta quinque annis* (ita Hebr.; Sam. LXX contra 135), *et genuit Sale* (10, 24). [13] *Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis* (ita plerique codices Latini et Sam.; Hebr. autem 403): *et genuit filios et filias.* Vide ℣. 11. Septuaginta (cf. Brooke) hunc textum exhibent: *Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ ἑκατὸν τριάκοντα πέντε ἔτη, καὶ ἐγέννησεν τὸν Καινάν.* [13] *καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Καινὰν ἔτη τετρακόσια τριάκοντα* (Bodleianus, Cottonianus aliique 330), *καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας, καὶ ἀπέθανεν. Καὶ ἔζησεν Καινὰν ἑκατὸν τριάκοντα ἔτη,*

καὶ ἐγέννησεν τὸν Σάλα. καὶ ἔζησεν Καινὰν μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Σάλα ἔτη τριακόσια τριάκοντα, καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας, καὶ ἀπέθανεν. Ergo inter Arphaxad et Sale *Cainan* inseritur, ita ut etiam genealogia Sem 10 membris constet sicut genealogia Adam (5, 1 ss.; cf. pag. 122). Quem textum LXX genuinum iudicamus, quia S. Lucas eum confirmat testans (3, 36): *qui (Sale) fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.*

Plures interpretes recentiores (Budde, Delitzsch, Dillmann, Gunkel, Holzinger, Tuch) consentiunt quidem, textum Hebraicum originaliter 10 membra habuisse, sed vario modo id explicant. Iuxta Budde et Holzinger *Noe* primum, iuxta Delitzsch et Tuch *Abraham* decimum membrum fuit; iuxta Dillmann membrum quoddam ignotum excidit: iuxta omnes autem LXX pro Noe vel Abraham vel alio membro omisso Cainan interposuerunt. Sed Dillmann 208 confitetur, nullam harum opinionum comprobari posse. — Colombier cum aliis (cf. Lapide et Hummelauer 346) affirmat, nomen Cainan textui a S. Luca insertum nihil aliud probare nisi hoc nomen infuisse codicibus LXX eius aevi, utique corruptis. Hoc negamus. Si Lucas ipse Cainan progenitoribus Christi ascripsit, revera talis esse debuit, quia alioquin ut hagiographus errasset, quod impossibile est (cf. pag. 37). — Ideo alii (Lapide, Calmet, Fillion, Hummelauer, Hoberg) censent, in textu citato nomen Cainan non a Luca originaliter scriptum, sed a quodam librario serius adiectum fuisse. At secundum principia critica textus Lucae incorruptus iudicandus est (cf. Tischendorf vel meam editionem N. T. criticam; vide pag. 174). — Obiiciunt quidem, nomen Cainan in testibus ceteris deesse; idem nomen 5, 9 ss. reperiri; numeros ascriptos eosdem esse ac Sale appositos (Dillmann, Hummelauer). Sed silentium testium ceterorum explicitum testimonium Lucae infirmare nequit (cf. Exegetica 120 s. eadem nomina alibi quoque occurunt (cf. pag. 126); utrum numeri Sale in LXX appositi sint genuini necne, valde dubium est (vide excursum).

℣. 14. **Sale quoque vixit,** חַי, *triginta annis* (ita Hebr.; Sam. LXX contra 130), *et genuit Heber* (10, 24).

℣. 15. **Vixitque** *Sale postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis* (ita Hebr.; Sam. 303, LXX autem 330): *et genuit filios et filias.* Vide ℣. 11.

℣. 16. **Vixit autem Heber,** וַיְחִי־עֵבֶר (etiam in sequentibus) *triginta quattuor annis* (ita Hebr.; Sam. LXX contra 134), *et genuit Phaleg* (10, 25).

℣. 17. **Et vixit** *Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis* (ita Hebr.; Sam. 270, LXX autem 370): *et genuit filios et filias.* Vide ℣. 11.

℣. 18. **Vixit quoque Phaleg** *triginta annis* (ita Hebr.; Sam. LXX autem 130), *et genuit Reu,* רְעוּ i. e. amicum (Gesenius, Fürst), *Ῥαγαύ.*

℣. 19. **Vixitque** *Phaleg postquam genuit Reu, ducentis novem annis* (ita Hebr. LXX; Sam. 109), *et genuit filios et filias.* Vide ℣. 11.

℣. 20. **Vixit autem Reu** *triginta duobus annis* (ita Hebr.; Sam. LXX vero 132), *et genuit Sarug,* שְׂרוּג i. e. palmitem (Gesenius) vel fortitudinem (Fürst), *Σερούχ.*

℣. 21. **Vixit quoque** *Reu postquam genuit Sarug, ducentis septem annis* (ita Hebr. LXX; Sam. 107): *et genuit filios et filias.* Vide ℣. 11.

℣. 22. **Vixit vero Sarug** *triginta annis* (ita Hebr.; Sam. LXX contra 130), *et genuit Nachor,* נָחוֹר i. e. anhelantem (Gesenius) vel concidentem (Fürst).

℣. 23. **Vixitque** *Sarug postquam genuit Nachor, ducentis annis* (ita Hebr. LXX; Sam. 100): *et genuit filios et filias.* Vide ℣. 11.

℣. 24. **Vixit autem Nachor** *viginti novem annis* (ita Hebr.; Sam. LXX autem 79), *et genuit Thare,* תֶּרַח i. e. iter vel mansionem itineris (Gesenius, cf. Fürst), *Θάρα.*

℣. 25. **Vixitque** *Nachor postquam genuit Thare, centum decem et novem annis* (ita Hebr.; Sam. 69, LXX vero 129): *et genuit filios et filias.* Vide ℣. 11.

℣. 26. **Vixitque Thare** *septuaginta annis, et genuit Abram,* אַבְרָם (cf. 17, 5), *et Nachor* (℣. 22), *et Aran,* הָרָן i. e. montanum (Gesenius) vel fortem (Fürst). — Secundum ℣. 32. vixit Thare, postquam genuit Abram, 135 annis iuxta Hebr. et LXX; 75 iuxta Sam.

Ex eo quod Nachor in ℣. 24. a v u s Abrahae, in ℣. 26. autem f r a t e r eius dicitur, Gunkel iterum duplicem (contrariam) traditionem adesse concludit. Verumtamen ut valeret conclusio, debuerat non solum supponere, sed etiam demonstrare, u n i c a m dumtaxat personam nomen Nachoris habuisse. — Idem putat, sed non comprobat, תֶּרַח esse nomen dei Tarḫu.

Excursus.

Generalia quaedam de genealogia Sem.

1. Genealogia Sem genealogiae Adae in capite V. contextae tam similis quam dissimilis reperitur.

a) Similis est quoad *α)* initium, *β)* variantes numeros, *γ)* conclusionem: ibi (5, 31) narratur Noe 500 annorum genuisse Sem, Cham, Iapheth; hic narratur Thare 70 annorum genuisse Abram, Nachor, Aran. *b)* Dissimilis est *α)* quoad formulam וַיְחִי, quae in illa semper, in hac autem a ℣. 16. adhibetur, non in ℣℣. 10. 12. 14. Si quis regulam discerpendi textus constantissime servare vellet, pro his ℣℣. alium scriptorem supponere deberet, quamvis Dillmann 211 sine ratione id neget. *β)* Dissimilis est etiam quoad annos et finem vitae, qui in hac genealogia non explicite notantur, licet addendo inveniantur. Gunkel putat, hagiographum eos omittens insinuare velle, hanc genealogiam minoris pretii esse quam illam.

2. De numeris quoque hic tractandum est, et quidem de diversitate (cf. tabellam in fine huius excursus collocatam) atque genuinitate eorum.

a) De diversitate. Quantum ad annos *α)* gignendi attinet, Hebr., Sam., LXX de Sem et Thare consentiunt; pro Nachor autem Sam. et LXX numerum Hebr. 50 annis, pro reliquis 100 annis auxerunt. Quantum vero attinet ad annos *β)* ceteros vitae, Samaritanus cum Hebraeo de Sem iterum convenit; at pro Heber 160, pro Arphaxad, Sale, Phaleg, Reu, Sarug 100, pro Thare 60, pro Nachor 50 annis numerum Hebr. minuit. Contra LXX de Sem, Phaleg, Reu, Sarug, Thare cum Hebraeo congruunt; pro Arphaxad 27 et pro Nachor 10 annis numerum Hebr. augent; pro Sale 73 et pro Heber 60 annis minuunt. *b)* De genuinitate. Hoberg cum Hummelauer numeros Samaritani genuinos putat; nos tamen cum Dillmann numeros textus Hebraei (quocum Vulgata consonat, si ℣. 13. excipiatur) in genere genuinos iudicamus, nam: *α)* cur anni gignendi a Sam. et LXX aucti sint, optime explicare possumus (vide num. 3); non autem, cur ab Hebraeis deminuti sint, quia minores numeri difficultates maiores continent. *β)* A numeris Hebraeis abest illa congruentia atque aequalitas, quae numeros Samaritani et LXX suspiciosos reddunt (cf. pag. 121 et Holzinger). In specie autem textui Hebraeo cum LXX *Cainan* inserimus (cf. ℣. 12 s.) atque Thare post natum Abraham non 205, sed cum Samaritano ***145*** annis vixisse (cf. ℣. 32) tenemus.

3. Quot anni inter inchoatum diluvium et nativitatem Abrahae effluxerint, invenimus, si annos quibus patriarchae singuli genuerunt addamus atque a summa subtrahamus 98 annos quos Sem ante diluvium transegerat (cf. pag. 212).

Summa annorum: Hebr. 390, Sam. 1040, Sept. 1170. Si 98 deducimus, remanet: Hebr. 292, Sam. 942, Sept. 1072. Quos numeros si ad annum diluvii Hebr. 1656, Sam. 1307, Sept. 2242 vel *2256* addimus, habemus annum nativitatis Abrahae: Hebr. 1948, Sam. 2249, Sept. 3314 vel *3328* (videas tabellam quoque). — Iuxta textum Hebraicum et Vulgatae eo tempore, quo Abraham natus est (1948) non solum Sem († 2158) et omnes filii eius (cf. tabellam), verum etiam Noe († 2006) adhuc in vivis erat.

Attamen ea quae pag. 181 scripta sunt, cogunt nos ut nonnulla membra praetermissa dicamus iuxta principium hermeneuticum, ad quod pag. 172 appellavimus. Hummelauer et Hoberg quidem contradicunt; sed infra tam paucos annos illi populi et civitates formari non potuerunt, quos Scripturae et documenta profana loquuntur (cf. Dillmann 210).

4. De auctoritate genealogiae Hummelauer 341 bene notat, hagiographum non „mythos . . . expressisse, qui apud Hebraeos tunc temporis circumferrentur"; Moyses recenset e contrario individua (Hummelauer, Hoberg), decem patriarchas postdiluvianos, qui reapse exstiterunt atque proavi Abrahae, immo Iesu Christi facti sunt, quod S. Lucas (3, 34 ss.) testatur.

5. Longaevitatem patriarcharum splendorem gloriae paradisi fuisse magis magisque, post diluvium praecipue, obsolescentem (cf. pag. 124), hic comprobatum videmus. Patriarchae enim antediluviani omnes plus quam 700 annis vixerunt (cf. pag. 122); ex postdiluvianis autem solus Sem 600, Heber et Cainan, Arphaxad et Sale plus quam 400, Phaleg et Reu et Sarug plus quam 200, Nachor et Thare (cf. pag. 221 s.) plus quam 100 annis vixerunt, ut in tabella ex adverso posita videmus.

A b r a h a m 175, Isaac 180, Iacob 147 (G e n. 25, 7; 35, 28; 47, 28), L e v i 137, Caath 133, Amram 137 (E x. 6, 16 ss.), M o y s e s 120 (D e u t. 34, 7) annis vixit.

Patriarcha	Genuit						Vixit			Obiit					
anno	vitae			mundi			postea			vitae			mundi		
iuxta	H	S	LXX	H	S	LXX	H	S	LXX	H	S	LXX	H	S	LXX
11. Sem . .	100	100	100	1658	1309	2244 / *2258*	500	500	500	600	600	600	2158	1809	2744 / *2758*
12. Arphaxad	35	135	135	1693	1444	2379 / *2393*	403	303	430	438	438	565	2096	1747	2809 / *2823*
13. Cainan .	.	.	130	.	.	2509 / *2523*	.	.	330	.	.	460	.	.	2839 / *2853*
14. Sale . .	30	130	130	1723	1574	2639 / *2653*	403	303	330	433	433	460	2126	1877	2969 / *2983*
15. Heber .	34	134	134	1757	1708	2773 / *2787*	430	270	370	464	404	504	2187	1978	3143 / *3157*
16. Phaleg .	30	130	130	1787	1838	2903 / *2917*	209	109	209	239	239	339	1996	1947	3112 / *3126*
17. Reu . .	32	132	132	1819	1970	3035 / *3049*	207	107	207	239	239	339	2026	2077	3242 / *3256*
18. Sarug .	30	130	130	1849	2100	3165 / *3179*	200	100	200	230	230	330	2049	2200	3365 / *3379*
19. Nachor .	29	79	79	1878	2179	3244 / *3258*	119	69	129	148	148	208	1997	2248	3373 / *3387*
20. Thare .	70	70	70	1948	2249	3314 / *3328*	135	75	135	205	145	205	2083	2324	3449 / *3463*
Abrahae nativitas . . .	.	.	.	1948	2249	3314 / *3328*									

II. Historia populi electi, 11, 27—50, 25.

Altera quoque pars Genesis ab hagiographo in sectiones quinque dividitur, quarum unaquaeque etiam nomine *generationis* incipit, videlicet in generationes Thare (11, 27—25, 11), generationes Ismael (25, 12—18), generationes Isaac (25, 19—35, 29), generationes Esau (36, 1—43), generationes Iacob (37, 1—50, 25).

1. Sectio. Generationes Thare, 11, 27—25, 11.

A familia Thare (11, 27—32) exordiens narrat *a)* Abrae vocationem (12, 1—14, 24). Refert praeceptum Domini (12, 1—3), Abrae emigrationem (12, 4—9), iter in Aegyptum (12, 10—20), reditum ex Aegypto (13, 1—4), discessionem Lot (13, 5—13), benedictionem Abrae (13, 14—18), invasionem Elamiticam (14, 1—12), victoriam Abrae (14, 13—17), benedictionem Melchisedech (14, 18—24). Narrat *b)* Abrae pactionem (15, 1—21, 34): foedus cum Deo ictum (15, 1—21), filium ancillae susceptum (16, 1—16), pactum confirmatum (17, 1—27), apparitionem Domini (18, 1—33), fata pentapoleos et Lot (19, 1—38), filium liberae acceptum (20, 1—21, 34). Narrat *c)* Abrahae consummationem (22, 1—25, 11), describens obedientiae praemium (22, 1—19), Rebeccae consanguineos (22, 20—24), monumenti possessionem (23, 1—20), Isaac matrimonium (24, 1—67), finem Abrahae (25, 1—11).

℣. 27. **Hae sunt autem generationes Thare:** Vide pag. 43 s. *Thare genuit Abram, Nachor, et Aran* (cf. ℣. 26). *Porro Aran genuit Lot,* לוֹט i. e. occultatum (forsitan, cf. Fürst, Gesenius). Conferas repetitiones 5, 1 ss. et 6, 10 factas.

℣. 28. **Mortuusque est Aran** *ante,* עַל־פְּנֵי, ἐνώπιον, in conspectu (Buhl, Dillmann), *Thare patrem suum, in terra nativitatis suae,* בְּאֶרֶץ מוֹלַדְתּוֹ, *in Ur Chaldaeorum,* בְּאוּר כַּשְׂדִּים. Chaldaei, Kaldu (cf. 10, 22) ad sinum Persicum et ad dexteram ripam Euphratis habitarunt (cf. Kiepert, Atlas antiquus, Zimmern-Guthe), ubi reliquiae antiquissimae urbis Uru, lunam colentis, repertae sunt et el-Muḳaijar (al-Maʿāïr vel el-Mugheir) vocantur (cf. Buhl, Zimmern-Guthe, Strack[2]). Cum quibus concinit testimonium Achioris, ducis omnium filiorum Ammon

(19, 38), affirmantis: *Populus iste ex progenie Chaldaeorum est* (Iudith 5, 6); necnon oratio filiorum Israel dicentium: *Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abram, et eduxisti eum de igne Chaldaeorum,* מֵאוּר כַּשְׂדִּים, *et posuisti nomen eius Abraham* (2 Esdr. 9, 7).

Ista nota, Aran coram Thare mortuum esse, mortem filii pro patre acerbam fuisse insinuat. Hebraeorum traditio fert, Aran a Chaldaeis in ignem iniectum et ab eo consumptum esse, eo quod non tantae fidei esset quantae Abraham erat (cf. ℣. 31, Lapide, Hummelauer). — Altera nota, scilicet ipsum mortuum esse in terra nativitatis suae, reliquis ex Ur egredientibus eum opponit. — LXX pro בְּאוּר legebant בְּאֶרֶץ, quia *ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Χαλδαίων* reddiderunt. — Contra plerosque interpretes recentiores Strack[2] asserit, *Ur Chaldaeorum* non in meridie, sed in septemtrione quaerendam esse, et hoc assertum sequentibus rationibus (cf. Dillmann) vult probare: *a)* Gen. 11, 11 (Arphaxad) et 11, 20 (Sarug) septemtrionem innuunt. At, quidquid sit de Sarug, saltem Arphaxad Chaldaeam-Babyloniam significare potest, uti ad 10, 22 diximus, et Strack[2] ipse non improbabile iudicat. *b)* Haran et Mesopotamia patria Abrahae repraesentatur in Gen. 12, 1; 24, 4. 10; 27, 43; 28, 10; 29, 4s. Reponimus: secundum ea, quae ad ℣. 31. dicentur, Thare cum Abram et Lot ex Ur egressus in Haran Mesopotamiae sedem suam constituit, quo etiam Nachor postea demigravit, quod Strack[2] 50 quoque concedit. Merito igitur Haran et Mesopotamia terra et urbs Abrahae et cognatorum eius vocatur. *c)* Bathuel, filius Nachoris (22, 23), et Laban, filius Bathuelis (24, 29) Syri de Mesopotamia in Gen. 25, 20; 28, 5 appellantur. Utique, et bene quidem latiore saltem sensu; videas litt. praecedentem. *d)* Is. 41, 9 refutat opinionem, ex qua Ur in meridie fuit. Sed iste locus critice et exegetice iudicatus nostrae sententiae contrarius non est. — Strack[2] putat, Ur Chaldaeorum esse castellum Ur prope Nisibin et ibi quoque Chaldaeos fuisse, quam opinionem Dillmann vix probabilem censet. — Dillmann autem probabile iudicat, *in Ur Chaldaeorum* vel saltem *Chaldaeorum* esse glossam serius adiectam; Holzinger tamen recte contradicit, quia principia critica sunt contraria.

℣. 29. **Duxerunt autem,** וַיִּקַּח (cf. pag. 164), *Abram et Nachor* לָהֶם, *ἑαυτοῖς uxores: nomen uxoris Abram, Sarai,* שָׂרָי (cf. 17, 15): *et nomen uxoris Nachor, Melcha,* מִלְכָּה i. e. consilium (Gesenius, Fürst), *filia Aran patris Melchae, et patris Ieschae,* יִסְכָּה. Melcha filia illius Aran fuit, qui non solum pater eiusdem Melchae, verum etiam Ieschae exsistebat. Quare Iescha nominetur, nescimus. Forsitan, quia nupsit fratri Lot (Ewald, cf. Dillmann, Strack[2]), forsitan, quia Aran defunctus

Lot. Melcham et Iescham dumtaxat genuerat. Sarai alio nomine Iescham vocatam fuisse, usu loquendi et contextu reprobatur.

„Communiter igitur iam sentiunt auctores, ait Hummelauer, eandem esse Iescham quae Sarai." Hoberg utique consentit, et Lapide iam antea scripsit; at Gunkel et Holzinger, Strack[2] non consentiunt, et Dillmann diserte negat, idque bene. Nam Gen. 20, 12 Abraham testatur: *vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meae, et duxi eam in uxorem*, quare 11, 31 nurus quoque Thare appellari potest. Haec verba stricte intelligenda esse, contextus (20, 2 et 5) docet. Ergo Sarai non filia Aran, sed Thare fuit. Praeterea, quomodo Sarai decennio solum iunior quam Abraham (17, 17), filia Aran esse potest, quem Thare septuagenarius genuit (11, 26)? Lapide (et cum eo Hummelauer, Hoberg) quidem asserit, Aran longe ante Abram genitum esse, ita ut filia Iescha decennio solum iunior esset quam Abram; sed videamus, quomodo hanc opinionem cum 11, 26 conciliet. „Sensus ergo est, inquit: vixit Thare 70 annos et iam tum genuerat Aran et Nachor, ipsum vero Abram praecise genuit anno 70." Haec expositio violenta, immo falsa est, si ad usum loquendi et contextum respicimus: ergo etiam opinio, quae illi innititur.

℣. 30. **Erat autem Sarai** *sterilis, nec habebat liberos.* Hoc ob sequentia (16, 1 ss.; 17, 15 ss.; 18, 9 ss.; 21, 1 ss.) notatur. Videas Luc. 1, 7 ss.

℣. 31. **Tulit itaque,** וַיִּקַּח, καὶ ἔλαβεν, *Thare Abram filium suum, et Lot filium Aran, filium filii sui, et Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui* (cf. ℣. 29), *et eduxit eos de Ur Chaldaeorum* (cf. ℣. 28), *ut irent in terram Chanaan* (cf. 10, 19): *veneruntque usque Haran, et habitaverunt ibi.* Haran, Charan, Χαρράν, חָרָן, assyr. Ḫarrânu, Ḫarrān urbs Mesopotamiae, lunam colens, fuit (Buhl, Zimmern-Guthe, Ieremias 184). — Hoc iter etiam in Ios. 24, 2 s., Iudith 5, 6 ss., Act. 7, 2 ss., Hebr. 11, 8 narratur, ex quibus discimus sequentia: Thare cum familia sua in terra Chaldaeorum deos patrum suorum sequi noluit, sed unum Deum colebat (Iudith); Deus gloriae in eadem terra Chaldaeorum Abrahae apparuit dicens: Exi de terra tua . . . in terram, quam monstravero tibi (Gen., Act.). Abraham obediens (Hebr.) non solus exire voluit, sed etiam patrem ad egrediendum permovit (Lapide, Hummelauer): nescientes, quo ire debeant (Hebr.), in Chanaan, de cuius fertilitate fortasse audierant (Strack[2]) proficiscuntur et communem viam petentes (Ieremias 184) in Haran veniunt ibique

Deo praecipiente manent (Iudith). In ista urbe Thare cum Nachor diis alienis serviebat (Ios., Lapide), quo mortuo Abraham a Deo in terram Chanaan adductus est (Gen., Ios., Act.).

Exscribimus locos citatos. Achior, dux omnium filiorum Ammon (posterorum Lot), testatur: *hic (populus) primum in Mesopotamia habitavit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in Terra Chaldaeorum. Deserentes itaque ceremonias patrum suorum, quae in multitudine deorum erant, unum Deum caeli coluerunt, qui et praecepit eis ut exirent inde, et habitarent in Charan* (Iudith 5, 6 ss.). S. Stephanus in concilio Iudaeorum dixit: *Deus gloriae apparuit patri nostro Abrahae cum esset in Mesopotamia, prius quam moraretur in Charan, et dixit ad illum: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi. Tunc exiit de terra Chaldaeorum, et habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis* (Act. 7, 2 ss.). S. Paulus tradit: *Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: et exiit, nesciens quo iret* (Hebr. 11, 8). Iosue denique ad populum sic locutus est: *Haec dicit Dominus Deus Israel: Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, et Nachor: servieruntque diis alienis. Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiae finibus: et adduxi eum in Terram Chanaan* (Ios. 24, 22 s.). — Iuxta traditionem Iudaeorum, quam S. Hieronymus et Lapide approbant, Abraham a Chaldaeis in ignem iniectus, sed per miraculum ex eo liberatus est (cf. ℣. 28). — Quo anno vitae Abraham ex Ur egressus sit et quot annos in Haran habitaverit, ignoramus; ex 12, 4 hoc tantum scimus, ipsum 75 annorum fuisse, cum de Haran egrederetur. Opinionem eorum, qui dicunt, mox post adventum Thare mortuum esse et Abraham Haran reliquisse, verba *habitaverunt ibi,* וַיֵּשְׁבוּ שָׁם (cf. 11, 2) non commendant. — Pro וַיֵּצְאוּ אִתָּם i. e. et egressi sunt cum eis legendum est cum Samaritano, Graeco, Latino וַיֹּצֵא אֹתָם i. e. et eduxit eos (Kittel aliique). — Nachor non in Ur Chaldaeorum mortuum esse, ℣. 28. insinuat; etiam ipsum postea in Haran habitasse, loci supra citati comprobant.

℣. 32. Et facti sunt dies Thare *ducentorum quinque annorum* (ita Hebr. LXX; Sam. 145), *et mortuus est* תֶּרַח, *Θάρα in Haran.* Ergo Thare, postquam genuit Abram, Nachor, Aran (℣. 26), iuxta Hebr. LXX vixit 135, iuxta Sam. 75 annis. Propter Act. 7, 4 in hoc loco numeros Samaritani praeferimus (cf. Budde, Dillmann, Gunkel, Holzinger).

Thare mortuus est Hebr. 1878 + 205 = 2083, Sam. 2179 + 145 = 2324, Sept. 3244 + 205 = 3449 vel *3258 + 205 = 3463.* Abraham ex Haran exiit Hebr. 1948 + 75 = 2023, Sam. 2249 + 75 = 2324, Sept. 3314 + 75 = 3389 vel *3328 + 75 = 3403.* Ergo iuxta numeros Hebraeos, quos generatim

genuinos iudicamus (cf. pag. 215), Thare 60 annis post emigrationem Abrahae mortuus est. E contrario Act. 7, 4 legimus, Abraham, *postquam mortuus est pater eius,* translatum esse in Chanaan. Qua de causa pro 205 (Heb. LXX) legimus hic 145, et optime omnia quadrant. Nam 1878 + 145 = 2023 = annus mortis Thare atque emigrationis Abrahae.

C. **12. ℣℣. 1. 2. Dixit autem Dominus ad Abram:** *Egredere,* לֶךְ־לְךָ i. e. exi tibi vel ad commodum tuum, *de terra tua* Chaldaea, *et de cognatione tua,* וּמִמּוֹלַדְתְּךָ i. e. de nativitate tua vel loco nativitatis tuae, Ur Chaldaeorum (cf. 11, 28; Hummelauer), *et de domo patris tui* Thare, *et veni* (desunt haec verba in Hebraico et Graeco) *in terram, quam monstrabo tibi.* ²*Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi* (cf. pag. 16), *et magnificabo nomen tuum* (cf. 11, 4) *erisque,* וֶהְיֵה, *benedictus,* בְּרָכָה i. e. benedictio. — Hoberg et alii cum S. Hieronymo sentiunt, Abram bis a Deo vocatum esse, scilicet in Ur Chaldaeorum atque in Haran; sed praecepta grammaticae Hebraeae permittunt, ut illud *dixit,* וַיֹּאמֶר plusquamperfectum reddamus, ergo dixerat scilicet in Ur (cf. pag. 218), quam sententiam S. Augustinus, Lapide, Hummelauer amplectuntur: non obstant 24, 4. 7 (cf. 15, 7 et pag. 219 contra Dillmann et Holzinger). Illud וּמִמּוֹלַדְתְּךָ non de cognatione, sed de loco nativitatis accipiendum esse, contextus manifestat, nam Abram, cuius obedientia in sequentibus celebratur, Lot filium fratris sui secum duxit (℣. 3; Hummelauer). Iubetur autem exire de terra et urbe idololatra (cf. pag. 218) necnon de domo patris idololatra (cf. pag. 220 s. et 31, 30); terra vero, in quam ire debeat, non nominatur, ut obedientia Abrae pretiosior reddatur (S. Augustinus, Civ. 16, 15, Hummelauer, Strack, Gunkel, Dillmann). „Ecce quot verbis, tot stimulis pungit, exercet et acuit Deus fidem et obedientiam Abrahae“ (Lapide). Pro qua obedientia Deus promittit (simul tamen fidem et spem probans) fore ut Abram, cuius uxor sterilis erat (cf. 11, 30), posteros plurimos *(gentem magnam)* habeat et tam ipse quam posteri bonis cumulentur *(benedicam tibi),* famosi *(magnificabo nomen tuum)* evadant, immo benedictio fiant, i. e. tam abundanter bonis cumulati, ut in alios quoque bona eorum redundent (Hummelauer, Strack). Quomodo hoc futurum sit, in ℣. 3. exponitur (Holzinger).

„Nota, Deum Abrahae aliisque Prophetis tripliciter esse locutum: scilicet aliquando per somnia a se immissa, ut patet cap. 15. v. 12.; aliquando per Angelos voce sensibili; aliquando per locutionem spiritualem in mente et phantasia, quo modo Abrahae hic locutus est Deus“ (Lapide). — Gunkel scribit, locum nativitatis et rationes emigrationis taceri. Sed locus reapse nominatur, ut vidimus, et rationes ex circumstantiis historicis supra expositis elucent. — Lapide cum aliis ex his ℣℣. colligit, nos Deo obedire debere prompte et libenter, simpliciter, hilariter, humiliter, viriliter et constanter, indifferenter, perseveranter. — Idem *sis benedictio* sic interpretatur: „Ita plene per omnia sis benedictus, ut videaris esse ipsa benedictio, utque homines cuipiam benedicere volentes te in exemplum statuant dicentes: Fiat tibi, benedicat tibi Deus sicuti fecit Abrahae“. Hanc interpretationem Gunkel adoptat, Dillmann cum nostra coniungit. — Ad וֶהְיֵה nota, imperativum cum ו copulativo post iussivum significare consequentiam certo venturam vel intentam (Gesenius-Kautzsch 325 s.).

℣. 3. **Benedicam,** bona afferam *benedicentibus,* bona optantibus et afferentibus *tibi* (cf. pag. 16), *et maledicam,* mala afferam *maledicentibus* (cum Samaritano, Graeco, Syro, Latino, paucis manuscriptis Hebraeis וּמְקַלְלֶיךָ non וּמְקַלֶּלְךָ punctandum est; cf. Gunkel, Kittel contra Dillmann, Strack[2]), mala optantibus et afferentibus *tibi* (cf. pag. 74), *atque IN TE benedicentur universae cognationes terrae,* i. e. tu et posteri tui, praesertim Christus eritis fons bonorum pro omnibus hominibus (Lapide, Hummelauer, Hoberg). — Tertium vaticinium Messianum in his verbis continetur, quo secundum (cf. pag. 166 s.) atque primum (cf. pag. 75 ss.) magis determinantur. Per Abraham et posteros eius notitia et cultus veri Dei conservatus est, ipsis Deus se revelavit, ex ipsis semen promissum processit.

In Hebraico hic legimus: וְנִבְרְכוּ בְךָ כֹּל מִשְׁפְּחֹת הָאֲדָמָה. Eadem Deus 28, 14 Iacobo locutus est, in fine tamen addens: וּבְזַרְעֶךָ *et in semine tuo.* De Abraham 18, 18 ait: וְנִבְרְכוּ־בוֹ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ atque 22, 18 iurat: וְהִתְבָּרְכוּ בְזַרְעֲךָ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ, quod 26, 4 Isaaco repetit. Quos locos non tantum Septuaginta, Patres et interpretes Ecclesiae (cf. Dillmann), sed etiam Apostoli (Act. 3, 25 s.; Gal. 3, 8. 14. 16) passive de salute Messiana interpretantur. „Per Christum filium tuum, o Abraham, perque fidem in Christum, inquit Lapide, omnes gentes benedicentur, id est iustificabuntur, fientque amici et filii Dei ac consequenter heredes regni Dei . . . Sicut enim omnes omnino gentes in Adamo maledictae et mortuae sunt; ita et in Christo omnes benedictae et iustificatae sunt.“

Hanc interpretationem possibilem esse, Holzinger candide fatetur; Dillmann insuper concedit, talem sententiam bene in contextum quadrare, et niph'al in 12, 3; 18, 18; 28, 14 passive sumi posse (cf. Gesenius-Kautzsch 137): opponit tamen, in 22, 18 et 26, 4 hithpa'el haberi, ergo verbum in omnibus quinque locis reflexive sumendum esse. Respondemus: etiam hithpa'el passive accipi potest (cf. LXX et Gesenius-Kautzsch 149): si quis autem tam niph'al quam hithpa'el reflexive sumere voluerit, declarare potest: „se benedicere, sibi benedictionem procurare" (Hoberg) vel „se benedictos sentire, benedictionem accipere" (Strack[2]) in Abraham et semine eius. Gunkel nostrae interpretationi opponit, textum non de rebus futuris sed praesentibus loqui, et sententiam sic universalem in Ꝟ. 3b contrariam esse sententiae in Ꝟ. 3a partium studium redolenti. At Gunkel supponit quidem sed non probat, textum de rebus praesentibus et impletis, non vero de futuris et implendis loqui; neque ex verbis Ꝟ. 3a *Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi* iuxta praecepta logica sequitur, Iahve esse deum nationalem cum studio partium iudicantem. — Gunkel aliique Ꝟ. 3b eodem modo quo Ꝟ. 2b interpretantur et variantem ex alio fonte declarant; ex suppositione autem, quod textus de rebus praesentibus loquatur, eum scriptum esse colligunt, cum populus Israel gloria floreret. Verumtamen interpretatio et suppositio falsa sunt (cf. Act. 3, 25 s.; Gal. 3, 8. 14. 16.; Exegeticam 43 et 66 ss.), ergo consequentiae quoque. Ad 48, 20 provocare nequeunt, cum textus incertus sit (cf. Kittel). — Bachmann exponit: „per te ad genuflexionem (subiectionem) cogentur omnes cognationes terrae" (cf. Gesenius et Fürst); obstat tamen sensus Apostolorum et Patrum.

Ꝟ. 4. **Egressus est itaque,** וַיֵּלֶךְ, *Abram sicut praeceperat ei Dominus, et ivit,* וַיֵּלֶךְ, *cum eo Lot:* Hummelauer censet, vertendum esse *egressus fuerat, iverat* atque hac sententia parenthesin Ꝟ. 1. inchoatam absolvi, cum hic et Ꝟ. 1. idem verbum הָלַךְ *ivit,* in sequenti autem יָצָא *egressus est* adhibeatur: ergo novam pericopen post *Lot* incipiendam esse. Cum tamen Thare. Abram et Lot iussu divino in Haran habitarent, Abram a Deo in Chanaan translatus dicatur (cf. pag. 220 s.), et in hoc loco Thare non amplius commemoretur, Ꝟ. 4a non de emigratione ex Ur, sed ex Haran intelligendus videtur. *Lot* cum Abram urbem idololatram relinquens implicite cultorem veri Dei se profitetur. *septuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur,* בְּצֵאתוֹ, *de Haran* (cf. pag. 221).

Ꝟ. 5. **Tulitque,** וַיִּקַּח (cf. 11, 31 et pag. 55) *Sarai uxorem suam, et Lot filium fratris sui* (cf. 11, 31), *universamque substantiam,* וְאֶת־כָּל־רְכוּשָׁם, *καὶ πάντα τὰ ὑπάρχοντα αὐτῶν, quam*

possederant, רָכְשׁוּ, i. e. „greges, aurum et argentum, supellectilem“ (Gesenius), *et animas,* הַנֶּפֶשׁ, servos et ancillas (Lapide, Dillmann) *quas fecerant in Haran* „sive quos quasi servos emerant sive quos servi et ancillae eorum genuerant; hos enim quasi servos sibi natos acquirebant: . . . nec Abraham nec Lot ullam adhuc genuerant prolem“ (Lapide). *et egressi sunt,* וַיֵּצְאוּ, *ut irent,* לָלֶכֶת, *in terram,* אַרְצָה, *Chanaan* (cf. 11, 31): nesciebat tamen Abraham, istam terram a Deo sibi donandam esse (cf. pag. 220 s. et Ỷ. 7). In Hebraico et Graeco sequitur: וַיָּבֹאוּ אַרְצָה כְּנָעַן, *καὶ ἦλθον εἰς γῆν Χανάαν,* probabiliter per Damascum transeuntes (Dillmann, cf. 15, 2). Fabulosum est autem „quod narrat Nicolaus Damascenus apud Iosephum et Eusebium, scilicet Abrahamum, antequam veniret in Chanaan, vixisse Damasci ibique quasi regem regnasse“ (Lapide). In Vulgata verba ultima cum Ỷ. sequenti nectuntur: *Cumque,* reddit, *venissent in eam,*

Ỷ. 6. **pertransivit,** וַיַּעֲבֹר, *καὶ διώδευσεν, Abram terram usque ad locum Sichem,* שְׁכֶם i. e. dorsum, quia „quasi in dorso montis“ Garizim erat (Gesenius, Fürst, Guthe), *usque ad convallem illustrem, τὴν δρῦν τὴν ὑψηλήν,* אֵלוֹן מוֹרֶה i. e. quercum Moreh „viri Cananitae (ut מַמְרֵא), unde מוֹרֶה Gen. XII, 6 et אֵלוֹנֵי מוֹרֶה Deut. XI, 30 quercetum More haud procul a Sichem, a (pristino) possessore ita appellatum“ (Gesenius 627, Hummelauer, Hoberg et alii multi, cf. Dillmann). *Chananaeus autem,* וְהַכְּנַעֲנִי (cf. pag. 195 s.) *tunc erat in terra:* ergo terra iam habuit dominos, quibus tamen a Deo extorquenda et Abrae tradenda erat (Lapide, Dillmann, Hummelauer).

Strack[2] provocans ad Gen. 33, 18; 34, 2 declarat: ad locum, ubi postea Sichem fuit; sed haec declaratio necessaria non est (cf. Hoberg). — Holzinger cum Gunkel ex Gen. 22, 2 s.; 28, 11 (28, 19[a]) probare vult, מָקוֹם locum cultus innuere; quod autem asserit, אֵלָה, אַלּוֹן, אֵלוֹן cum אֵל cohaerere et arborem dei significare, coniectura vel suspicio (vermutlich) est parum probabilis (cf. Dillmann, Gesenius, Buhl). — Dillmann אֵלוֹן non quercum, sed terebinthum intelligit; vide tamen Gesenius, qui contrarium demonstrat. — Lectionem Vulgatae Lapide sic explicat: „Elon quercum et quercetum, indeque convallem sive planitiem quercubus consitam significat.“ — Sub quercu vel in querceto sacerdotem vaticinantem (Chananaeorum) habitasse, uti Dillmann, Strack[2] aliique dicunt sed non probant, possibile est. — מוֹרֶה significare sacerdotem vati-

cinantem vel daemonem in arbore habitantem (Gunkel, Guthe, Holzinger), valde incertum est, cum sententia supra proposita a doctissimis viris defendatur. — Ex verbis וְהַכְּנַעֲנִי אָז בָּאָרֶץ iuxta usum loquendi et praecepta logica non sequitur, tempore scriptoris Genesis Chananaeos non amplius (Holzinger) in ista terra habitasse. — Vide notam ad ℣. 8.

℣. 7. **Apparuit autem** (cf. pag. 223) *Dominus Abram, et dixit ei* (ita et Samaritanus, Graecus, Syrus; Hebraeus לוֹ omittit): *Semini tuo,* posteris tuis ex Isaac descendentibus (Lapide) *dabo terram hanc.* Prius (℣. 1.) Deus dixerat: „Egredere de terra tua . . . in terram, quam monstrabo tibi"; nunc Abrae monstrat terram, הָאָרֶץ הַזֹּאת, et praeterea filiis eius illam donandam promittit (cf. Gunkel, Dillmann). *Qui aedificavit ibi altare,* in quo „victimas . . . obtulit in gratiarum actionem" (Lapide, Hummelauer) *Domino, qui apparuerat ei* ac promiserat.

Holzinger scribit, iuxta ℣. 6. Abram locum cultui divino consecratum iam invenisse, iuxta ℣. 7. autem locum ab ipso Abram erectione altaris consecratum fuisse, indeque concludit, Israelitas loca sacra Chananaeorum adoptasse. Quibus opponimus: nequaquam certum est, Abram locum iam consecratum invenisse (vide explicationem ℣. 6.): si autem talem invenisset, fuisset diis Chananaeorum dedicatus, uti supponunt, Abraham autem Deo vero, quem colebat (cf. pag. 220), erectione altaris locum consecravit. Ergo Abraham locum diis falsis sacrum eo modo cultui Dei veri dedicasset, quo postea Christiani templa ethnicorum in ecclesias christianas transformarunt. — Dillmann cum aliis putat, sacrarium tempore posteriore apud Sichem exsistens a scriptore Genesis patriarchae Abrahae affingi. Sed haec opinio, gratis quidem asserta sed nullo argumento confirmata, neque cum inspiratione (cf. pag. 37) neque cum memoria patriarcharum longaevorum (cf. pag. 202) conciliari potest. Videas et Hummelauer.

℣. 8. **Et inde transgrediens,** וַיַּעְתֵּק מִשָּׁם i. e. et transtulit scil. tabernaculum (Gesenius) inde *ad montem,* הָהָרָה, *qui erat contra orientem Bethel,* מִקֶּדֶם לְבֵית־אֵל i. e. ab oriente (cf. pag. 50) Beth-El, quae per prolepsin hic et 13, 3 ita vocatur (Hummelauer et Strack[2] cum Calmet et Lapide), nam Iacobus nomen urbis, quae prius Luza nominabatur, appellavit Beth-El (28, 19): *tetendit ibi* (deest *ibi* in Hebraico) *tabernaculum suum, ab occidente,* מִיָּם *κατὰ θάλασσαν, habens* (deest in Hebraico et Graeco) *Bethel, et ab oriente,* מִקֶּדֶם, *Hai,* הָעַי, *Ἀγγαί* (cf. Kiepert et Riess): *aedificavit quoque ibi altare Domino, et invocavit nomen eius,*

וַיִּקְרָא בְּשֵׁם יְהוָה, *καὶ ἐπεκαλέσατο ἐπὶ τῷ ὀνόματι κυρίου* (cf. pag. 112).

Gunkel (et Holzinger) sine ullo argumento asserit, sacrarium prope Bethel ab Iacobo aedificatum (28, 10 ss.; 35, 1 ss.), nomen Abrahae serius cum eo falso coniunctum esse, has variantes non sociabiles esse. Tacemus illud philosophicum „Quod gratis asseritur gratis negatur" et notamus, inter tres textus veram contradictionem (cf. Exegeticam 114) deesse; videas explicationem illorum textuum et Dillmann. — Gunkel 150 insuper scribit, locum altaris in Bethel et in Sichem bis determinari, ergo duplicem fontem insinuari. At in recentioribus quoque operibus loca quaedam duplici ratione determinantur, quin tamen inde ad duplicem fontem concludamus.

℣. 9. **Perrexitque Abram** *vadens, et ultra progrediens,* וַיִּסַּע אַבְרָם הָלוֹךְ וְנָסוֹעַ i. e. et magis magisque pergebat Abram (cf. pag. 147) *ad meridiem,* הַנֶּגְבָּה. Negeb, iuxta Aramaicum a siccitate dicta (Gesenius, Buhl), erat terra inter montana Hebron, Edom, Cades (Pharan), Sur et rivum Aegypti (cf. 20, 1; Buhl, Guthe), ergo pars australis Palaestinae (Gesenius). Totam igitur Palaestinam a septemtrione usque ad meridiem pertransiit Abram.

℣. 10. **Facta est autem fames** *in terra* (cf. 26, 1; 42, 5; 43, 1): *descenditque Abram in Aegyptum, ut peregrinaretur ibi: praevaluerat enim fames in terra.* Chananaea altior est quam Aegyptus, quare Abram ex Negeb in Aegyptum progrediens descendere, יָרַד, debuit; propter hunc situm atque „ob exundationem et oblimationem Nili" (Lapide) in Aegypto non erat fames, quae Chananaeam premebat, כָּבֵד; habitantes in Chananaea fertilitatem Aegypti notam habere potuisse, Heyes 1 ss. comprobat; vide et Gunkel. Voluit tamen Abram non semper, sed tempore famis dumtaxat ibi manere, *ut peregrinaretur,* לָגוּר, *ibi,* inquit hagiographus.

Apponimus chronologiam Aegyptiorum (cf. Heyes XV s.): *a) Regnum antiquum* (1.—6. dynastia) 4000—3000 a. Ch. — Tempus 7.—11. dynastiae = 3000—2700 a. Ch. quasi ignotum est. — *b) Regnum medium* (12.—14. dynastia) 2700—2100 a. Ch. — *c) Regnum Hyksos* (15.—16. dynastia) 2100—1700 a. Ch. — *d) Regnum novum* (17.—20. dynastia) 1700—1100 a. Ch. — *e) Defectus regni* (21.—25. dynastia) 1100—664 a. Ch. — Numeri tamen certi non sunt.

℣. 11. **Cumque,** וַיְהִי כַּאֲשֶׁר, *ἐγένετο δὲ ἡνίκα, prope esset ut ingrederetur Aegyptum, dixit Sarai uxori suae:* הִנֵּה־נָא i. e. en quaeso (deest in Graeco et Latino) *Novi quod pulchra sis mulier,* אִשָּׁה יְפַת־מַרְאֶה אָתְּ, *γυνὴ εὐπρόσωπος εἶ.*

Si Gen. 17, 17 cum 12, 4 comparamus, Sarai plus quam 65 annorum fuit, cum Abram Aegyptum ingrederetur, quapropter Dillmann, Gunkel, Holzinger aliique incredibile putant, ipsam tam pulchram (℣. 14) esse potuisse; cum tamen 127 annis vixerit (23, 1), Frz. Delitzsch, Hoberg, Strack[2] 52 non impossibile iudicant. Bene Hummelauer notat, „eiusmodi fuisse patriarcharum longaevitatem, quae iuventutis florem et robur diutius praeservaret: quid enim proderat ducentorum annorum vita, si decrepitam senectutem octogesimus annus afferebat? Sunt ista duo natura inter se connexa, ut, qui unum admiserit, non possit alterum iuste respuere; sunt una interpreti proposita difficultas, non duae."

℣. 12. **et quod,** וְהָיָה, *ἔσται οὖν, cum viderint te Aegyptii, dicturi sunt: Uxor ipsius est,* אִשְׁתּוֹ זֹאת, *ὅτι γυνὴ αὐτοῦ ἐστιν αὕτη· et interficient me, et te reservabunt* vivam, יְחַיּוּ. Hunc Abrae timorem non inanem fuisse, Heyes 18 ss. et Dillmann 227 ostendunt.

Hummelauer cum Pererio inquirit, cur Abram sibi idem a Chananaeis non timuerit, et respondet: quandoque reapse timuisse (cf. c. 20), at tantum servorum numerum habuisse, ut singulorum regulorum vim vi repellere valeret; Aegyptum vero armata manu intrare minime potuisse. — Praeterea 20, 13 respiciendum est: *Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc misericordiam facies mecum: In omni loco, ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim.*

℣. 13. **Dic ergo, obsecro te,** אִמְרִי־נָא, *εἰπὸν οὖν* (cf. ℣. 11), *quod soror mea sis: ut bene sit mihi propter te,* בַעֲבוּרֵךְ, ut ob pulchram sororem frater quoque bene tractetur (Dillmann: cf. ℣. 16), *et vivat anima mea ob gratiam tui,* בִּגְלָלֵךְ, *ἕνεκεν σοῦ.*

Ante אֲחֹתִי אָתְּ deest coniunctio כִּי (cf. Gesenius-Kautzsch 500). — *Anima,* vis vitalis, vita, נֶפֶשׁ et vivere et mori scribitur; de רוּחַ tamen numquam dicitur, quod moriatur (cf. Buhl, Fürst, Gesenius). — In hac re Holzinger cum antiquioribus (cf. Hummelauer) Abram severe reprehendit, Gunkel mitius iudicat. Audiamus Lapide (secundum S. Augustinum) sic exponentem: „Non mentitur Abraham, erat enim Sara eius soror . . . Sarae tantum iubet tacere, quod sit uxor, et vere dicere, quod sit soror sua, idque ob praesens vitae suae periculum . . . Cavit ergo hic vitae suae Abraham, ne, quia maritus, occideretur, quod cavere poterat et

debebat; reliquum, quod cavere ob Aegyptiorum incontinentiam non poterat, Deo commendavit, videlicet ne uxor eriperetur et violaretur" (similiter Dillmann 228). Hummelauer addit: „Duplex imminebat periculum: Abrahae necis, si maritus agnosceretur; Sarai violentae oppressionis, et quidem sive maritus servaretur, sive interficeretur . . . Imminebat igitur ipsi malum idem, sive maritus servaretur, sive necaretur. Elegit ipse minus malum ac propriae saluti consuluit." — Iuxta Hoberg *soror* = amata et *frater* = amatus esset; obstat tamen declaratio Abrahae 20, 12: *vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meae.*

℣. 14. Cum itaque ingressus esset, וַיְהִי כְּבוֹא, *ἐγένετο δὲ ἡνίκα εἰσῆλθεν, Abram Aegyptum, viderunt Aegyptii mulierem quod esset pulchra nimis.* Vide ℣. 11.

℣. 15. Et nunciaverunt principes Pharaoni, וַיִּרְאוּ אֹתָהּ שָׂרֵי פַרְעֹה, *καὶ ἴδον αὐτὴν οἱ ἄρχοντες Φαραώ, et laudaverunt eam apud illum,* אֶל־פַּרְעֹה, *πρὸς Φαραώ· et sublata est mulier in domum Pharaonis.* Est gradatio: Aegyptii in genere viderunt, aulici vero etiam regi pulchritudinem mulieris laudaverunt, quibus permotus rex, ex moribus regum Aegyptiorum aliorumque orientalium, Sarai sibi sumpsit (cf. Dillmann, Gunkel, Heyes, Holzinger).

Lectio Vulgatae critice defendi nequit, sed non mutat sensum. — Quamvis פַּרְעֹה cum hebr. פֶּרַע *princeps* cohaerere videatur, tamen de aegypt. *per-āa, per'o* (assyr. *pir'u*, copt. *erro*) = *οἶκος μέγας, domus magna* derivandum est (cf. Heyes 21 ss. et Buhl). Domus pro habitante in ea (cf. Exegeticam 4) nominabatur, quemadmodum nos pro imperio Turcico aulam imperatoris, „la Porta Ottomana, la Sublime Porta, Hohe Pforte" dicimus. Hoc nomen ante dynastiam 22. semper nude, a dynastia 22. autem, i. e. ab anno c. 1000. a. Ch. (cf. pag. 227) etiam cum proprio nomine regis coniunctum adhibebatur, ut monumenta Aegyptiorum docent (cf. Heyes). — Si Gunkel asserit, scriptorem Genesis de Aegypto „pallidas ideas" (blasse Vorstellungen) habere, eo quod nomen regis et urbis regiae ignoret, non tantum a silentio ad ignorantiam concludit, sed etiam supponit, eum post annum 1000. a. Ch. vixisse. Iuxta praecepta logica aliter concludendum est, scilicet: in Pentateucho *Pharao* semper nude ponitur (Gesenius); atqui in monumentis Aegyptiorum ante annum c. 1000. a. Ch. etiam semper nude positum invenitur: ergo commendatur sententia, Moysen eruditum *omni sapientia Aegyptiorum* (Act. 7, 22) Pentateuchum scripsisse (cf. Heyes 24 et introductionem). — שָׂרִים a שָׂרַר principes, praefectos, aulicos significat (videas lexicon).

℣. 16. Abram vero bene usi sunt, וּלְאַבְרָם הֵיטִיב i. e. et Abrae benefecit scil. Pharao, *propter illam* (cf. ℣. 13): *Fuerunt-*

que ei, וַיְהִי־לוֹ, *oves,* צֹאן i. e. pecora minora, oves et caprae (cf. pag. 99), *et boves,* בָּקָר i. e. armentum, *et asini, et servi et famulae, et asinae et cameli.*

De constructione וַיְהִי videas Gesenius-Kautzsch 473. — Verba *et servi et famulae* iuxta Kittel probabiliter addita, iuxta alios (cf. Dillmann, Strack[2]) transposita sunt; cum tamen 24, 35 et 30, 43 quoque inter bruta enumerentur, Gunkel (et Holzinger) non male pretium servorum et famularum indicatum censent. — Dillmann, Gunkel, Holzinger cum Erman ex silentio monumentorum deduxerunt, ante tempus Graecorum Aegyptios camelos non habuisse. Sed viri rerum Aegyptiarum peritissimi Ebers, Wiedemann, Müller, Heyes contrariam sententiam sustinent, atque ante paucos annos in Abydos inter alias res antiquissimi temporis etiam caput cameli fictile inventum est, ut Petrie refert (cf. Heyes 28). Ergo Gunkel ex enumeratione camelorum, iterum (cf. ℣. 15) male conclusit, scriptorem Genesis circumstantias historicas Aegyptiorum ignorasse. — Equi, qui heic non nominantur, per Hyksos (cf. pag. 227) in Aegyptum introducti dicuntur (Heyes 30), ante quorum dominationem (cf. 14, 1) Abram in Aegyptum descenderat. Convenit igitur hic textus cum iis, quae de rebus Aegyptiorum scimus.

℣. 17. **Flagellavit autem Dominus** *Pharaonem plagis maximis,* LXX accuratius: *καὶ ἤτασεν . . . τὸν Φαραὼ ἐτασμοῖς μεγάλοις, et domum eius propter Sarai uxorem Abram,* quam tulerat. *Plagae* istae morbi et dolores fuisse videntur (Philo, Pererius, Dillmann; cf. 4 Reg. 15, 5; 2 Par. 26, 20); Lapide vero cum plurimis aliis „sterilitatem tam hominum quam animalium“ intelligit (cf. Gen. 20, 17 s., ubi tamen non idem recurrit verbum); percussit autem Dominus etiam *domum eius* i. e. aulicos, „nam aulici eius et domestici ad Sarae raptum et detentionem concurrerant et iuverant“ (Lapide).

Gunkel, Holzinger cum Kautzsch-Socin opinantur, *et domum eius* esse glossam, cum positio minus congrua sit; vide tamen similem ordinem verborum pag. 51 (Dillmann). Ceterum explicandum remaneret, cur ille qui verba adiecit, non magis congruum locum elegerit.

℣℣. 18. 19. **Vocavitque Pharao** *Abram, et dixit ei: Quidnam est hoc quod fecisti mihi?* מַה־זֹּאת עָשִׂיתָ לִּי, *τί τοῦτο ἐποίησάς μοι; quare,* לָמָּה, *non indicasti* mihi, לִי, *μοι, quod uxor tua esset* ipsa, הִוא? [19]*Quam ob causam,* לָמָה, *dixisti esse sororem tuam,* אֲחֹתִי הִוא (cf. ℣. 13), *ut tollerem eam,* וָאֶקַּח אֹתָהּ, *καὶ ἔλαβον αὐτήν, mihi in uxorem? Nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam, et vade.* Quia Pharao post ademptionem Sarae morbis afflictus est.

potuit colligere, se propter hanc rem percussum esse (Strack[2]), atque Saram interrogare (Pererius, Dillmann, Strack[2]), utrum reapse soror tantum vel etiam uxor Abrae esset. Lege adulterium etiam apud Aegyptios prohibente Pharao „ut deus ut filius solis" non tenebatur quidem (Heyes 19); plagae magnae tamen inflictae regem quoque ad observationem legis communis (Heyes 38 s.) adigebant. Propterea uxorem intactam (S. Chrysostomus, Hummelauer, Dillmann, Strack[2]; contra Gunkel 158) Abrae restituit simulque eum e terra sua indignans emittit: קַח וָלֵךְ, *λαβὼν ἀπότρεχε*. Responsum Abrae tacetur, sed ex ℣℣. 11 ss. intelligi potest.

Iuxta S. Chrysostomum Deus, iuxta Iosephum et Gunkel sacerdotes Aegyptii a Pharaone interrogati rem revelarunt; Gunkel addit, hanc circumstantiam a scriptore consulto omissam esse, quam opinionem nullo argumento confirmat. — Idem Gunkel in hoc textu sententiam invenit, adversariis Israel semper male cadere, sive prava sive recta sequantur, cum Iahve Deus Israel sit; sed neque hanc expositionem generalibus principiis hermeneuticis (usu loquendo, contextu, circumstantiis historicis; cf. Exegeticam 31 ss.) comprobare potest. — LXX habent: *καὶ νῦν ἰδοὺ ἡ γυνή σου ἐναντίον σου.*

℣. 20. Praecepitque Pharao super Abram, עָלָיו i. e. super vel propter eum, ad custodiendum eum (Buhl, Dillmann) *viris: et deduxerunt eum,* וַיְשַׁלְּחוּ אֹתוֹ i. e. abeuntem prosecuti sunt (cf. 18, 16; 31, 27), *et uxorem illius, et omnia quae habebat,* LXX accuratius: *καὶ πάντα ὅσα ἦν αὐτῷ*, sed addunt: *καὶ Λὼτ μετ' αὐτοῦ.* Isti viri ergo tam honoris quam securitatis causa Abram comitati sunt (cf. et Heyes 39).

Gunkel fingit, scriptorem Genesis ad ultima verba *et omnia quae habebat,* consulto in fine posita, toto vultu subrisisse (schmunzelt der Erzähler über das ganze Gesicht). Sed ordo verborum *eum, et uxorem illius, et omnia quae habebat* omnino naturalis est, et fictionem suam Gunkel nullo firmare conatur argumento.

Excursus.

Tria facta an tres variantes unius facti?

Dillmann 226, Gunkel 203 ss., Holzinger 158 et 176 aliique recentiores interpretes acatholici (cf. Strack[2] 76), quibus Peters catholicus (Die grundsätzliche Stellung etc. 60) accedere

videtur, certum ducunt, in 12, 10—20; 20, 1—18; 26, 6—11 tres variantes unius eiusdemque facti litteris mandari; contra quos demonstrabimus, tria facta diversa ab hagiographo narrari. Argumenta haec sunt: *a)* Tanta fuit longaevitas patriarcharum, ut ab Abraham usque ad Moysen unicum factum tam diverso modo tradi non potuerit.

α) Abraham fuit 100 annorum, cum Isaac nasceretur (21, 5), et 175 annorum, cum moreretur (25, 7): vixit igitur cum Isaac 75 annis. Isaac autem fuit 60 annorum, cum Iacob nasceretur (25, 26), et 180 annorum, cum moreretur (35, 28): vixit igitur cum Iacob annis multis. Iacob denique fuit 130 annorum, cum in Aegyptum descenderet (47, 9), et 147 annorum, cum moreretur (47, 28): vixit igitur 17 annis cum filiis suis in Aegypto. Levi 137 (Ex. 6, 16), filius eius Caath 133 (Ex. 6, 18), filius huius Amram, qui Aaron et Moysen genuit, 137 (Ex. 6, 20) annis vixit.

β) Narrationes capitum 12. 20. 26 valde diversae sunt; graviores differentias brevissime notamus: Abraham (12 et 20), Isaac (26); — Sarai (12 et 20), Rebecca (26); — Aegyptus (12), Gerara (20 et 26); — Pharao (12), Abimelech (20 et 26); — fames et pulchritudo commemorantur (12 et 26), non (20); — visio et sermones hominum referuntur (12), non (20 et 26); — interrogatio virorum notatur (26), non (12 et 20); — loquitur uxor (12), maritus (20 et 26); — maritus rationem agendi probat aliis verbis ante (12), aliis post (20), nullis (26); — Sarai in domum regis inducitur (12 et 20), Rebecca non inducitur (26; Peters 60 asserens, Rebeccam quoque in domum regis introductam esse, sacrum textum aut non aut negligenter inspexerat); — flagellatur rex (12 et 20), non (26): — veritatem discit rex plagis et interrogatione (12), revelatione Dei (20), fortuito (26); — Deus regi mortem comminatur (20), non (12 et 26); — defendit se rex Deo approbante (20), non (12 et 26); — maritus propheta a Deo appellatur (20), non (12 et 26); — rex omnes servos vocat (20), non (12 et 26); — maritus a rege munera accipit ante (12), post (20), nulla (26); — rex maritum increpans de peccato futuro loquitur (20 et 26), non (12); — uxor restituitur (12 et 20), non (26); — rex populo suo mandat (26), non (12 et 20); — maritus orat, et Deus sanat (20), non (12 et 26); — maritus emittitur (12), manere potest (20 et 26).

γ) In tribus tantum tres narrationes conveniunt: maritus mortem timet; uxor soror nominatur; rex maritum increpat. — Unum idemque factum tam diverso modo aetate patriarcharum longaevorum tradi potuisse ita improbabile est, ut etiam protestans Strack[2] 76 opinionem recentiorum interpretum acatholicorum approbare non audeat.

b) Verba Abrahae 20, 13 ad Abimelech dicta *In omni loco, ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim* indicant, iam antea simile factum accidisse (Hoberg); restrictione men-

tali autem, quae patrem bis iuverat, filius quoque uti potuit, cum Rebecca iuxta usum loquendi Hebraicum soror eius fuerit.

c) Ex inspiratione et inerrantia Scripturae quoque colligimus, non tres variantes unius facti, sed tria facta accipienda esse. Supponunt quidem nonnulli, unicum factum triplici modo diverso in populo narratum fuisse, et hagiographum traditiones populares colligentem hoc tantum testari, semetipsum istas traditiones populares invenisse, populum ita narrasse, quin de veritate iudicium suum proferat: at suppositio non est vera. Nam unicum factum tam diverso modo aetate patriarcharum narrari potuisse, improbabile est, uti diximus; scriptor inspiratus autem in toto contextu ne unicum quidem verbum posuit, quo insinuaret, alios ita narrasse, sed ipse narrat: ergo falsa referre nequit (cf. pag. 37). Referret vero falsa, rem revera semel factam quater in circumstantiis diversis factam proponens: propterea tria facta accipienda sunt.

C. **13.** **℣. 1. Ascendit ergo,** וַיַּעַל (cf. 12, 10), *Abram de Aegypto,* a Pharaone emissus et a viris eius deductus (12, 19 s.), *ipse et uxor eius, et omnia quae habebat* (12, 20), *et Lot cum eo,* וְלוֹט עִמּוֹ, *ad australem plagam,* הַנֶּגְבָּה, in Negeb (cf. 12, 9). Ex hoc loco discimus, Lot quoque cum Abram in Aegyptum descendisse, sed 12, 10—20 „nulla fuit occasio mentionis de eo faciendae" (Hummelauer); ex sequentibus vero patet, redeunte Abra terram Chanaan non amplius fame oppressam fuisse.

Secundum Dillmann, Gunkel, Holzinger verba *et Lot cum eo* originaliter defuerunt, cum Lot 12, 10 non dicatur in Aegyptum descendisse. Sed haec argumentatio iuxta praecepta logica non valet. Si 12, 10 expresse notaretur Lot non descendisse, vel si demonstraretur, Moysen voluisse et debuisse commemorare, Lot quoque descendisse, valeret argumentatio; simplex vero silentium contra aliud testimonium expressum non valet (cf. Exegeticam 120 s.). Moyses autem 12, 10—20 nec debuit commemorare, Lot quoque descendisse, quia satis indicat, Lot cum Abra ivisse usquedum dividerentur (12, 4 et 13, 5. 11) et fame terram Chanaan premente coactum esse, ut etiam ipse in Aegypto peregrinaretur (12, 10 et 13, 5); nec voluit commemorare, quia ea quae in Aegypto de Sarai acta sunt, ad ipsum non pertinebant. — Abram semper in Negeb habitasse, Gunkel quidem affirmat, Moyses autem in toto contextu negat.

℣. 2. **Erat autem** *dives valde in possessione auri et argenti.* LXX textum Hebraicum accuratius reddunt: *Ἀβρὰμ δὲ ἦν πλούσιος σφόδρα κτήνεσιν καὶ ἀργυρίῳ καὶ χρυσίῳ,* nam מִקְנֶה *possessio,* opes „ubique de pecore, in quo solo cernuntur opes nomadum" adhibetur (Gesenius; cf. pag. 109); argentum auro recte praeponitur (in Hebraico et Graeco), quia antiquitus pretiosius fuit (Hoberg).

Articulo Hebraico sive singularitas generis (Gesenius-Kautzsch 413) sive res in Aegypto acquisitae designari possunt (Dillmann).

℣℣. 3. 4. **Reversusque est,** וַיֵּלֶךְ, *καὶ ἐπορεύθη, per iter, quo venerat,* לְמַסָּעָיו i. e. secundum stationes suas. Has stationes LXX *(ὅθεν ἦλθεν)* et Vulgata intellexerunt loca, unde profectus fuit; Buhl, Dillmann, Gesenius, Holzinger, Strack[2] aliique singulas mansiones, ubi cum pecoribus requiescebat, quae explicatio Ex. 17, 1; Num. 10, 6. 12. 28; 33, 1 s. commendatur. *a meridie,* מִנֶּגֶב i. e. a Negeb, *in Bethel usque ad locum ubi prius fixerat tabernaculum,* LXX accuratius: *οὗ ἦν ἡ σκηνὴ αὐτοῦ τὸ πρότερον, inter Bethel et Hai:* [4]*in loco* vel potius ad locum, *εἰς τὸν τόπον, altaris quod fecerat prius, et invocavit ibi* Abram (Hebraeus et Graecus) *nomen Domini* (cf. 12, 8).

℣. 5. **Sed et Lot** *qui erat,* הַהֹלֵךְ, *τῷ συμπορευομένῳ, cum Abram, fuerunt greges ovium,* צֹאן, *et armenta* (cf. 12, 16), *et tabernacula,* quibus servi et ancillae in eis habitantes significantur (Dillmann, Gunkel; cf. Exegeticam 4).

℣. 6. **Nec poterat eos capere,** אֹתָם (Sam. נָשְׂאָה) וְלֹא־נָשָׂא, *καὶ οὐκ ἐχώρει αὐτούς, terra, ut habitarent simul:* fructus terrae Chanaan pro ambobus non sufficiebant (Dillmann, Hummelauer), *erat quippe substantia eorum,* רְכוּשָׁם, *τὰ ὑπάρχοντα αὐτῶν* (cf. 12, 5), *multa, et ideo nequibant habitare communiter;* videas ℣. 7b quoque.

℣. 7. **Unde et facta est,** וַיְהִי, *καὶ ἐγένετο, rixa inter pastores gregum Abram et Lot,* LXX accuratius: *ἀνὰ μέσον τῶν ποιμένων τῶν κτηνῶν τοῦ Ἀβρὰμ καὶ ἀνὰ μέσον τῶν ποιμένων τῶν κτηνῶν τοῦ Λώτ·* quia sufficientia loca pascua cum puteis deerant (cf. 21, 25; 26, 20 ss.; 29, 3. 8; Dillmann, Holzinger). *Eo autem tempore Chananaeus et Pherezaeus habitabant in terra*

illa. His alia ratio redditur, cur duo illi viri divites simul habitare nequirent, quia scilicet non soli erant in terra (S. Chrysostomus, Dillmann, Holzinger). *Chananaeus et Pherezaeus,* הַכְּנַעֲנִי וְהַפְּרִזִּי, etiam 34, 30 omnes homines terram Chanaan inhabitantes denotant; cum פְּרִזִּי idem sit ac paganus vel rusticus i. e. habitans in פְּרָזוֹת i. e. in regionibus planis. in pagis vel rure (Gesenius, Strack[2]), *Chananaeus* hic et 34, 30 habitantes in urbibus sensu strictiore significat (Holzinger: cf. et Dillmann 192, Gunkel, Buhl); conferas 10, 19; 12, 6.

Gunkel cum Reuss scribit: „Si Abram et Lot individua dumtaxat fuissent cum familia et servitio, pro ambobus locus sufficiens fuisset"; ℣. 7ᵇ autem, qui expositionem eius explodit, sine ullo argumento glossam declarat. — Hummelauer cum Lapide et aliis antiquioribus censet, illarum gentium hic mentionem fieri, „quia minus etiam decet ‚fratres' coram extraneis rixari"; et addit „timorem, ne Abram et Lot rixantes illae gentes invaderent atque opprimerent": at contextus non favet.

℣. 8. **Dixit ergo Abram** *ad Lot: Ne quaeso,* אַל־נָא, *sit iurgium inter me et te, et inter pastores meos, et pastores tuos: fratres enim sumus,* LXX accuratius: *ἄνθρωποι ἀδελφοὶ ἡμεῖς ἐσμέν* (cf. 14, 16; 11, 27). Iurgium pastorum etiam dominos eorum attigisse videtur; Abram autem pacificus et modestus (cf. S. Chrysostomum) illud finire vult.

℣. 9. **Ecce,** הֲלֹא i. e. nonne vel ecce (Buhl), *universa terra coram te est,* לְפָנֶיךָ i. e. electioni tuae patet (Dillmann; cf. 20, 15; 34, 10; 47, 6): *recede a me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* In Hebraico per ellipsin: אִם־הַשְּׂמֹאל וְאֵימִנָה וְאִם־הַיָּמִין וְאַשְׂמְאִילָה, quae cum Lapide sic reddi possunt: si ad sinistram, ego dextrabo; et si ad dextram, ego sinistrabo. Sinistram septemtrionem, dextram meridiem Lapide cum Chaldaeo et Vatablo intelligit; videas et Buhl.

Gunkel et Bachmann cum Kautzsch-Socin in מֵעָלָיו expressum inveniunt, quod Lot Abrae oneri fuerit. — Idem Gunkel opinatur, forte cum Ball infinitivum absolutum הַשְׂמֵאל et הֵימֵן punctandum esse.

℣. 10. **Elevatis itaque** *Lot oculis, vidit,* וַיִּשָּׂא . . . וַיַּרְא i. e. et elevavit . . . et vidit *omnem circa regionem Iordanis,* כָּל־כִּכַּר הַיַּרְדֵּן, *πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου* i. e. omnem regionem Iordani circumiacentem, *quae universa irrigabatur,*

כִּי כֻלָּהּ מַשְׁקֶה, ὅτι πᾶσα ἦν ποτιζομένη, quod tota illa irrigua esset. — Sequitur parenthesis: *antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham* (cf. 19, 24 ss.), *sicut paradisus Domini, et* (in Hebraico *et* deest) *sicut Aegyptus,* כְּאֶרֶץ מִצְרַיִם, ὡς ἡ γῆ Αἰγύπτου, qua amoenitas et fertilitas regionis circa Iordanem cum illa paradisi terrestris (2, 10) et terrae Aegypti fluvio irrigatarum comparatur itaque illustratur. — *venientibus in Segor,* בֹּאֲכָה צֹעַר (cf. 10, 19. 30) i. e. versus urbem Bala (14, 2), quae per prolepsin Zoar, Ζόγορα, Segor vocatur (cf. 19, 22). Haec verba non cum immediate antecedentibus *sicut Aegyptus,* sed cum tota sententia coniungenda sunt (Pererius, Lapide, Dillmann, Gunkel, Heyes, Hummelauer), ut sit sensus: Lot vidit totam illam regionem Iordani adiacentem tam irriguam quam paradisum et Aegyptum.

Iordanes, יַרְדֵּן, aegypt. J(a)-(i)ra-du-na, Juru-d(e)n, est fluvius principalis Palaestinae, qui in radicibus Antilibani (Hermon) exortus per lacum Samochonitin et lacum Tiberiadis „in mare mortuum influit atque in eo evanescit, licet probabile sit, antiquissimis temporibus et ante maris mortui originem hunc fluvium per alveum hodieque conspicuum (Wadi Araba) in maris Erythraei sinum Aelanitem sese exonerasse" (Gesenius). Etymologia incerta est (Guthe): veteres nomen ex יְאֹר דָּן (fluvius Dan) contractum putarunt, quia unus trium fontium iuxta urbem דָּן יַעַן, phoen. בַּעַל יַעַן = Paneas, Banias (cf. Fürst) est; Relandus, Fürst et multi alii יַרְדֵּן ab יָרַד derivant, ita ut idem sit ac fluvius; ex Simonis opinione vocabulum a רָדַן descendit et strepentem significat (cf. Gesenius); iuxta Seybold (cf. Holzinger et Buhl) הַיַּרְדֵּן = arab. eš-Šerîʿa = aquatio (Tränke). Cum scriptione יָרְדֵן convenit LXX Ἰορδάνης, syr. Iurdnon, arab. el-Urdun (cf. Fürst). — כִּכַּר הַיַּרְדֵּן, etiam (e. gr. ℣. 12; 19, 17 ss.) simpliciter הַכִּכָּר, generatim totam regionem, per quam Iordanes a lacu Tiberiadis usque ad mare mortuum fluit, nunc el-Ghôr = terra plana, significat (Gesenius, Fürst; Dillmann, Hummelauer, Strack[2]); hic tamen australem tantum partem ab Iericho usque Segor (cf. Deut. 34, 3) denotare videtur (cf. 19, 17. 25. 28 s.; Gunkel, Holzinger). — מַשְׁקֶה = terra irrigua (cf. lexicon). — Gunkel et Holzinger verba *antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham* atque *et sicut Aegyptus* sine argumento probabili glossas declarant. Sed comparatio cum Aegypto apte adiungitur, quia comparatio cum paradiso nimia (Dillmann) et legentibus minus perspicua erat; pro eisdem legentibus congruenter scriptor Genesis docet, regionem Iordanis australem ante subversionem urbium ita pulchram fuisse. — Etiam Gunkel docet, ex textu vel sententia narratoris tunc

mare mortuum non exstitisse. — Syrus pro Zoar habet Zoan = Ṣan = Tanis in Aegypto; sed haec lectio iuxta principia critica improbabilis est, ut plerique concedunt. — Hummelauer scribit: „Ex his perspicias, quomodo post viginti generationum traditionem veteres illi sibi paradisum cogitaverint, sc. tamquam tractum Aegypti inferioris similem. Coniectura item assequeris, quomodo sibi finxerint flumen illud paradisi in quatuor capita divisum, quod sc. fingebant Nili simile in tot ramos diffluentis et Iordanis in valle Siddim plurimos rivos sibi adiungentis.“ Videas pag. 51 s.

℣. 11. **Elegitque sibi Lot** *regionem circa Iordanem,* כָּל־כִּכַּר הַיַּרְדֵּן, *πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου* (cf. ℣. 10) *et recessit* Lot (Hebraeus et Graecus) *ab Oriente,* מִקֶּדֶם, quod hic certo vertendum est ad Orientem (vide notam): *divisique sunt alterutrum a fratre suo,* וַיִּפָּרְדוּ אִישׁ מֵעַל אָחִיו i. e. et divisus est alter ab altero (cf. pag. 205).

Abram et Lot ab occidente regionis circa Iordanem stetisse ideoque Lot ad Orientem recessisse, contextus clarissime docet. Ergo aut מִקֶּדֶם etiam ad Orientem significat (cf. pag. 204; Dillmann, Hummelauer, Hoberg), aut cum Gunkel קֵדְמָה legendum est. — Privatae utilitati servire volens elegit sibi regionem, ex qua postea fugere debuit, ne perderetur (cf. 19, 15 ss.).

℣. 12. **Abram habitavit,** יָשַׁב, *in terra Chanaan* (cf. pag. 195), quam Dominus ei promiserat (12, 7): *Lot vero moratus est,* יָשַׁב, *in oppidis, quae erant circa Iordanem,* בְּעָרֵי הַכִּכָּר (cf. ℣. 10), *et habitavit in Sodomis,* וַיֶּאֱהַל עַד־סְדֹם i. e. et tabernaculum fixit usque ad Sodoma: pertransibat igitur urbes illius regionis fertilis et mansit in Sodomis (cf. 19, 1 ss.), extra terram Chanaan (cf. pag. 196).

℣. 13. **Homines autem Sodomitae** *pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis,* LXX accuratius: *οἱ δὲ ἄνθρωποι οἱ ἐν Σοδόμοις πονηροὶ καὶ ἁμαρτωλοὶ ἐναντίον τοῦ θεοῦ σφόδρα* (cf. 18, 22 ss.; 19, 4 ss.). *Coram Domino,* לַיהוָה = iuxta iudicium Domini, in veritate (cf. 7, 1; Dillmann, Holzinger, Hummelauer). „Etiam in hoc paradiso serpens est“, bene observat Holzinger; Lot autem non seductus est, *aspectu enim, et auditu iustus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant* (2 Petr. 2, 8).

Gunkel 161 et sectatores eius divisionem Abrae et Lot fabulam declarant; iuxta ea vero, quae pag. 232 scripsimus, factum historicum est.

℣. 14. **Dixitque Dominus ad Abram** (cf. pag. 223), *postquam divisus est ab eo Lot* meliorem regionem sibi eligens (cf. ℣. 11): *Leva,* שָׂא נָא*, oculos tuos, et vide a loco, in quo nunc es, ad aquilonem et meridiem, ad orientem et occidentem,* וָיָמָּה (cf. 12, 8). Erat tunc Abram probabiliter iuxta Bethel (℣℣. 3. 18; Dillmann).

Hummelauer ambigit eo quod „locus, e quo Lot vallem Siddim proxime subiectam pedibus conspexerat, non videtur esse idem, unde Abram totam aut fere totam Palaestinam contuitus est". Sed in textu non legimus, Lot vallem Siddim proxime subiectam pedibus conspexisse et Abram fere totam Palaestinam contuitum esse (cf. ℣℣. 10 et 15): ergo consequentia quoque evanescit.

℣. 15. **Omnem terram,** כִּי אֶת־כָּל־הָאָרֶץ, ὅτι πᾶσαν τὴν γῆν, *quam conspicis, tibi dabo, et semini tuo* (cf. 12, 7) *usque in sempiternum,* עַד־עוֹלָם, ἕως τοῦ αἰῶνος. Abram pacificus et magnanimus pascua meliora iuniori Lot concesserat; quam magnanimitatem remuneraturus Deus promissionem iam factam (12, 7) repetit eamque auget addens *usque in sempiternum.* Haec sententia „non absolute, sed respective, scilicet quamdiu durabit hoc semen, id est populus et respublica Hebraeorum" (Lapide), intelligenda est, quemadmodum circumstantiae historicae monstrant.

Pererius et Lapide probabile dicunt, Deum Abrae vigilanti sic totam terram promissam, quam naturaliter et circumspiciendo videre non poterat, in imagine obiecisse, ut diabolus Christo omnia regna mundi et gloriam eorum ostendit (cf. Luc. 4, 5 s.); S. Augustinus vero putat (in heptat. I, 28), Deum Abrae totam quidem terram, quam videret, promisisse, sed non eam solam; iuxta Hummelauer et Hoberg verba non mathematice vel geographice sumenda sunt. — *Tibi et semini tuo* idem est ac: tibi et quidem semini tuo, vel: semini tuo immediate, tibi autem per semen mediate (S. Chrysostomus, Lapide, Hummelauer, Hoberg). — עוֹלָם (ab עָלַם *occultavit)* generatim „tempus occultum, absconditum, diuturnum, cuius initium vel finis incertus est vel non definitus"; speciatim tempus futurum significat „ita quidem ut terminus ad quem, quem vocant, ubique ex ipsa rei natura definiatur" (Gesenius, Fürst). — Lapide ex Pererio aliisque aliam quoque explicationem affert, quam Strack[2] repetit, videlicet promissionem hanc fuisse conditionatam, si posteri Abrae voluntatem Dei adimplerent, quod Iudaei non fecerunt ideoque recte dispersi sunt.

℣. 16. **Faciamque semen tuum** *sicut pulverem terrae* (cf. 12, 2): ut, אֲשֶׁר, *si quis potest hominum,* אִם־יוּכַל אִישׁ, εἰ

δύναταί τις, numerare pulverem terrae, semen quoque tuum numerare (accuratius numerar*i*, יִמָּנֶה, *ἀριθμηθήσεται) poterit.* Haec hyperbolice dici (cf. Exegeticam 5), cum S. Augustino omnes viderunt.

℣. 17. **Surge,** *et perambula terram,* בָּאָרֶץ, *in longitudine, et in latitudine sua: quia tibi daturus sum eam.* LXX addunt: *καὶ τῷ σπέρματί σου εἰς τὸν αἰῶνα* (cf. ℣. 15). Secundum S. Chrysostomum Abram Chanaan perambulare debuit, ut portionem sibi promissam videre, admirari, gaudere posset.

℣. 18. **Movens igitur tabernaculum suum** (cf. ℣. 12) *Abram, venit et habitavit iuxta convallem* vel potius quercum, בְּאֵלוֹן, *παρὰ τὴν δρῦν* (ita Graecus, Syrus, Latinus; Hebraeus בְּאֵלֹנֵי, iuxta quercetum; cf. 12, 6) *Mambre,* מַמְרֵא, viri qui quercetum possidebat (cf. 14, 13. 24), *quae* convallis vel quercus seu quercetum *est in Hebron,* בְּחֶבְרוֹן i. e. in territorio Hebron (Lapide, Strack²): *aedificavitque ibi altare Domino* (cf. 12, 7). Hebron ab austro Hierosolymae est, a qua urbe c. 20 *km* distat (cf. Gesenius, Kiepert, Riess); vocabatur etiam *Arbee* 23, 2; 35, 27).

Gunkel et Holzinger cum Wellhausen versus 14—17 additamentum secundarium declarant ob rationes tam inanes, ut Dillmann 231 eas diserte repudiet, Strack² omnino taceat.

C. 14. ℣. 1. 2. **Factum est autem** *in illo tempore, ut Amraphel . . . ²inirent bellum,* בִּימֵי אַמְרָפֶל . . . עָשׂוּ מִלְחָמָה i. e. in diebus Amraphel . . . inierunt bellum. Hoc bellum gestum est, quando *Amraphel, Ἀμαρφάλ,* erat *rex Sennaar* (cf. pag. 192), *et* (deest in Hebraico et Graeco) *Arioch,* אַרְיוֹךְ, erat *rex Ponti,* אֶלָּסָר, *Ἐλλασάρ,* urbis Larsa ad Euphraten, cuius reliquiae Senkereh vocantur (Buhl, Zimmern-Guthe), *et* (deest in Hebraico) *Chodorlahomor,* כְּדָר־לָעֹמֶר, *Χοδολλογόμορ,* erat *rex Elamitarum,* עֵילָם (cf. pag. 197), *et Thadal,* וְתִדְעָל, *Θαλγά,* erat *rex Gentium,* גּוֹיִם, forsitan idem ac Guti vel Kuti (Dillmann, Siegfried-Guthe) ad Zabam, intra Babyloniam et Mediam habitantes (cf. Gunkel); bellum vero gesserunt quattuor reges nominati (℣℣. 5 et 9) *contra Bara,* בֶּרַע, *Βάλλα, regem Sodomorum,* סְדֹם, *et contra Bersa,* בִּרְשַׁע, *Βαρσά, regem Gomorrhae,* עֲמֹרָה, *et contra* (haec in Hebraico desunt) *Sennaab,* שִׁנְאָב, *Σενναάρ, regem Adamae,* אַדְמָה, *et contra* (in Hebraico *contra* deest) *Semeber,* שֶׁמְאֵבֶר, *Συμόβορ, regem Seboim,* צְבֹיִים, *contraque* (in Hebraico

contra deest) *regem Balac,* בֶּלַע, *Βάλακ, ipsa est Segor,* צֹעַר. — Amraphel regem Sennaar eumdem esse ac Ḫammurabi regem celeberrimum Babyloniae c. 2200 a. Ch. dominantem (Bezold 53), primus Daniel Hy Haigh affirmavit, multi (e. gr. Schrader, Frd. Delitzsch, Winckler, Zimmern, cf. Bezold 24; Delattre, cf. Hummelauer; Dillmann, Gunkel, Hoberg, Ieremias, Schöpfer, Zschokke) ei consenserunt, sed Bezold 26 s. et 54 s. rerum Babyloniarum peritissimus contradicit his rationibus nixus: *a)* nomina sunt diversa.

Habemus in initio hic א, illic ח = Ḫ et in fine hic ל, illic י = i. Opinabatur quidem Meissner, pro אמרפל ponendum esse עמרפי, sed opinionem suam probare nequit (Bezold 54 s.); Hüsing et Ieremias illud ל cum sequenti verbo coniungunt scribentes אמרף למלך pro אמרפל מלך, sed haec constructio non Hebraica esset et supponeret, Ḫammurabi regi Arioch subditum fuisse, de qua re in cuneatis inscriptionibus nihil invenimus (Bezold 55).

b) Ḫammurabi habuit quidem titulum „regis Sumer et Accad"; verumtamen dubium est (cf. pag. 192 et Bezold 55), Sumer et Sennaar idem significare. *c)* In toto V. T. reges Babyloniae universae semper מֶלֶךְ־בָּבֶל nominantur; Amraphel vero מֶלֶךְ־שִׁנְעָר tantum appellatur: ergo ipse non fuit rex Babyloniae universae, cuius rex primus Ḫammurabi exstitit (Bezold 26). — Ut de Amraphel, sic de ceteris regibus quoque in cuneatis inscriptionibus nihil invenitur (Bezold 27), quamvis plures viri contrarium senserint. „Tempus Abrae igitur cuneatis inscriptionibus nondum illustratur", concludit Bezold.— De quinque regibus in ℣. 2. enumeratis nihil scimus; de urbibus eorum ad 19, 24 loquemur.

Quod ad constructionem ℣℣. 1. et 2. attinet, sententia probabilior est: in ℣. 1. hagiographus tempus belli determinat enumerans quattuor reges orientales, quibus dominantibus gestum est; in ℣. 2. autem reges occidentales recenset, contra quos iidem reges orientales processerunt. Sensus in Vulgata libere quidem, sed recte exprimitur (cf. Dillmann, Gunkel). LXX tamen sic reddunt: *Ἐγένετο δὲ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῇ Ἀμαρφὰλ βασιλέως Σενναάρ, Ἀριὼχ βασιλεὺς Ἐλλασὰρ καὶ ὁ Χοδολλογόμορ βασιλεὺς Αἰλὰμ καὶ Θαλγὰ βασιλεὺς ἐθνῶν ἐποίησαν πόλεμον κτλ.* Ieremias 214 textum ab Hüsing mutatum (cf. supra) hoc modo vertit: „Et factum est in diebus Amraphel, cum rex Sinear (Babyloniae) esset Arioch, rex Elleasar (Larsa), tunc profecti sunt Kedorlaomer . . . contra Beraʿ etc."

℣. 3. **Omnes hi** reges occidentales in ℣. 2. enumerati, ut contextus demonstrat, *convenerunt,* consociati sunt, חָבְרוּ, *συνεφώνησαν, in vallem Silvestrem,* אֶל־עֵמֶק הַשִּׂדִּים i. e. in vallem camporum (Fürst, Dillmann), *quae nunc est mare salis,* הוּא יָם הַמֶּלַח, *αὕτη ἡ θάλασσα τῶν ἁλῶν.* Sensus horum verborum est: illud spatium, quod antea vallis Silvestris vel Siddim vocabatur, nunc mari mortuo occupatur (Gesenius, Fürst, Guthe; Lapide, Hoberg, Gunkel, Holzinger).

Holzinger cum Winckler hunc ℣. serius insertum iudicat, cum quinque reges hic convenisse, in ℣℣. 4 s. autem anno integro regem Chodorlahomor exspectasse, in ℣. 8. denique egressi dicantur: ergo textus singuli non bene conveniant. Contra quos bene Hummelauer scribit: „Qui postquam v. 3. narrati sunt *convenisse,* v. 4—7 refertur conveniendi occasio, v. 8. ipsum conveniendi factum repetitur, qui modus est narrandi Hebraeorum." — Gesenius שִׂדִּים ex Arabo terram depressam (wady) saxis petrisque impletam declarat; Renan suspicatur, עֵמֶק הַשֵּׁדִים = vallis daemonum legendum esse (cf. Guthe, Strack[2]). LXX reddunt: *τὴν φάραγγα τὴν ἁλυκήν.* Versionem Latinam Lapide sic exponit: „In vallem pulchram et instar nemoris arboribus consitam". — Robinson (cf. Gesenius), Dillmann, Strack[2] et alii putant, „iam ante Sodomam submersam in illa regione" lacum, licet minorem exstitisse, et vallem Siddim cum quinque urbibus ab austro istius lacus fuisse; videas 19, 24.

℣. 4. **Duodecim** *enim* (in Hebraico et Graeco *enim* deest) *annis servierant* i. e. tributum dederant, עָבְדוּ, *Chodorlahomor, et tertiodecimo* (pro וּשְׁלֹשׁ legendum cum Samaritano וּבִשְׁלֹשׁ, cf. Dillmann, Kittel) *anno recesserunt ab eo,* מָרָדוּ i. e. rebellarunt, tributum non dederunt (Dillmann, Gunkel).

Ex hoc et sequentibus ℣℣. elucet, Chodorlahomor regem Elamitarum inter quattuor reges orientales (℣. 1) principatum tenuisse; et quinque reges vallis Siddim potentissimos, non vero solos rebellantes fuisse (Hummelauer 379, Dillmann).

℣℣. 5. 6. **Igitur quartodecimo anno** *venit* per Damascum (Hummelauer, Dillmann) *Chodorlahomor, et reges qui erant cum eo* (cf. ℣℣. 1 et 4): *percusseruntque Raphaim* (pro רְפָאִים legendum est cum Samaritano et Graeco הָרְפָאִים, cf. Kittel), *τοὺς γίγαντας,* gentem trans et cis Iordanem habitantem (Buhl) *in Astaroth-carnaim,* בְּעַשְׁתְּרֹת קַרְנַיִם, in Basan, ab oriente lacus Tiberiadis (Buhl, Strack[2]), *et Zuzim,* הַזּוּזִים (forte = זַמְזֻמִּים, cf. Kittel, Gunkel), *καὶ ἔθνη ἰσχυρά, cum eis* (בָּהֶם, ita Graecus, Syrus,

Latinus: Hebraeus autem בְּהָם i. e. in Ham forte = Rabbath Ammon, cf. Tuch, Dillmann), *et Emim*, הָאֵימִים, τοὺς Ὀμμαίους, *in Save Cariathaim*, בְּשָׁוֵה קִרְיָתָיִם, ἐν Σαυὴ τῇ πόλει, in planitie. בְּשָׁוֵה, prope urbem Cariathaim ab oriente maris mortui porrecta (Buhl, Gunkel), [6] *et Chorraeos*, הַחֹרִי, *in montibus Seir* (pro בְּהַרְרָם legendum est cum Samaritano, Graeco, Syro, Latino בְּהַרְרֵי, cf. Kittel) inter mare mortuum et sinum Aelaniticum (Kiepert, Dillmann) *usque ad Campestria Pharan*, עַד אֵיל פָּארָן, ἕως τῆς τερεμίνθου τῆς Φαράν, usque ad urbem sinus Aelanitici, quae propter arborem vel arbores El, Elath vel Eloth, plene El Pharan vocabatur (Guthe), quia ab oriente solitudinis Pharan erat, אֲשֶׁר עַל־הַמִּדְבָּר i. e. quae (scil. urbs) iuxta solitudinem, inquit hagiographus; minus accurate Graecus et Latinus interpres: *quae est in solitudine* (cf. Dillmann, Gunkel).

Ṽ. 7. **Reversique sunt** ab austro, *et venerunt ad fontem Misphat*, אֶל־עֵין מִשְׁפָּט, ἐπὶ τὴν πηγὴν τῆς κρίσεως, nunc 'Ain Ḳudês (Dillmann, Gunkel), *ipsa est Cades*, קָדֵשׁ i. e. sacrarium. Non est improbabile, locum propter oracula ad istum fontem petita atque edita ita appellatum fuisse (cf. Dillmann, Gunkel, Strack[2]). *et percusserunt omnem regionem*, שְׂדֵה (LXX et Syrus שָׂרֵי, ἄρχοντας) *Amalecitarum*, הָעֲמָלֵקִי, in Negeb habitantium (cf. pag. 227; Dillmann, Socin-Guthe), *et Amorrhaeum*, הָאֱמֹרִי, *qui habitabat in Asasonthamar*, בְּחַצְצֹן תָּמָר, i. e. Engaddi vel 'Engedi (2 Par. 20, 20; S. Hieronymus, Hummelauer, Hoberg, Buhl) ab occidente maris mortui; iuxta Holzinger et alios (cf. Dillmann, Strack[2]) autem Thamar, nunc Kurnub ab austro eiusdem maris. — Solus Amorrhaeus 10, 16 nominatur; vide pag. 195.

ṼṼ. 8. 9. **Et egressi sunt**, וַיֵּצֵא, ἐξῆλθεν δέ, *rex Sodomorum, et rex Gomorrhae, rexque Adamae, et rex Seboim, necnon et rex*, וּמֶלֶךְ, *Balae, quae*, הוּא, *est Segor* (cf. Ṽ. 2): *et direxerunt aciem contra eos in valle Silvestri* (cf. Ṽ. 3): [9] *scilicet* (deest in Hebraico et Graeco) *adversus Chodorlahomor regem Elamitarum, et Thadal regem gentium, et Amraphel regem Sennaar, et Arioch regem Ponti* (cf. Ṽ. 1., ubi tamen alio ordine enumerantur): *quattuor reges adversus quinque.* Haec ultima sententia elliptica, in qua subiectum quoque mutatur, rationem affert, cur quinque reges occidentales contra quattuor orientales aciem composue-

rint, licet omnes gentes in lato circuitu iam victae fuerint: confidebant numero suo (cf. Dillmann, Strack, Hummelauer), forsitan etiam locorum peritiei (Lapide, Hummelauer).

℣. 10. Vallis autem Silvestris (cf. ℣. 3) *habebat puteos multos bituminis,* בֶּאֱרֹת בֶּאֱרֹת חֵמָר i. e. puteos puteos vel foveas foveas asphalti (cf. 11, 3) qua repetitione multitudo earum exprimitur (Gesenius-Kautzsch 401): hoc assertum iis confirmatur, quae varii viri docti de mari mortuo seu lacu Asphaltite referunt (cf. Dillmann, Baedeker-Benzinger, Buhl). *Itaque rex Sodomorum, et* rex (addunt Samaritanus, Graecus, Syrus, Sixtina) *Gomorrhae terga verterunt,* וַיָּנֻסוּ, *cecideruntque ibi* i. e. in foveas asphalti (Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack[2], Hoberg), quia in fuga perturbati et confusi erant (Lapide, Hummelauer): *et qui remanserant, fugerunt ad montem,* הֶרָה, in montes Moab (Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack[2]), vel in montes Iuda (Hoberg), quam alteram sententiam ℣. 13. commendare videtur.

Duo tantum reges nominantur, qui potentissimi fuerunt (Dillmann); reliqui non amplius commemorantur (Strack[2]). — Subiectum cum *cecideruntque ibi* coniungendum non sunt *reges,* quorum unus saltem in ℣. 17. vivus inducitur, sed milites regum (Lapide, Dillmann, Gunkel, Strack[2]). Lapide cum aliis putat, reges occidentales eo consilio et dolo vallem Siddim ad conflictum elegisse, ut hostes locorum ignari in foveas bituminis corruerent, sed Dei iudicio secus factum esse. — „Permisit Deus hic Pentapolitas succumbere, ut hac plaga et castigatione eos ad mentem et frugem reduceret; sed frustra: ideoque paulo post eos igne caelesti subvertit" Lapide). — הֶרָה pro hárrā positum est (Gesenius-Kautzsch 89).

℣℣. 11. 12. Tulerunt autem, וַיִּקְחוּ, *omnem substantiam,* רְכֻשׁ (cf. 12, 5) *Sodomorum et Gomorrhae, et universa quae ad cibum pertinent,* וְאֶת־כָּל־אָכְלָם, καὶ πάντα τὰ βρώματα αὐτῶν, *et abierunt:* ab occidente maris mortui atque Iordanis (Strack[2]), Damascum pergentes (℣. 15), [12]*necnon* tulerunt, וַיִּקְחוּ, ἔλαβον δέ, inter alios captivos (℣℣. 16. 21) *et* (deest in Hebraico) *Lot et substantiam eius, filium fratris Abram,* et abierunt (Hebraeus et Graecus), *qui,* וְהוּא, *habitabat in Sodomis.* „Permisit Deus Lot in Sodomis capi, ut castigaret eius praeproperam et sensualem electionem, qua inter impiissimos Sodomitas, illectus loci fertilitate, habitare praeelegerat" (Lapide).

Ut supra duos tantum reges, sic in hoc ℣. duas dumtaxat urbes potentissimas, in quarum una Lot habitabat, nominat. — Constructio

versus 12. manifeste negligens est: *et tulerunt Lot* et substantiam eius. *filium fratris Abram,* et abierunt, *et ipse habitabat in Sodomis.* Propterea Dillmann *filium fratris Abram,* Gunkel insuper *et ipse habitabat in Sodomis* glossam serius insertam declarat. Sed quomodo supponere possumus, redactorem quemdam ista verba in loco tam incongruo inseruisse? melius statuimus, iam primitus hos textus minus diligenter compositos fuisse, quod ℣℣. 10. et 14 coll. 24. demonstrant, ut Dillmann et Gunkel concedunt. — Gunkel 258 miratur, quod victores tam cito abierint. Sed in textu non legimus, reges cito profectos esse; abierunt, postquam rebellantes subiugaverant et substantiam eorum tulerant. — Valde probabile est, victores non solum Sodomorum et Gomorrhae, verum etiam reliquorum substantiam asportasse; notatur autem depopulatio eorum dumtaxat, inter quos Lot habitabat, quem Abram liberaturus erat.

℣. 13. Et ecce unus, qui evaserat, nunciavit, וַיָּבֹא הַפָּלִיט וַיַּגֵּד i. e. et venit effugiens et nunciavit *Abram Hebraeo,* הָעִבְרִי, *τῷ περάτῃ, qui,* וְהוּא, *habitabat in convalle Mambre,* בְּאֵלֹנֵי מַמְרֵא (cf. 13, 18; 12, 6), *Amorrhaei fratris Eschol,* אֶשְׁכֹּל, *et fratris Aner,* עָנֵר, *Αὐνάν· hi enim pepigerant foedus cum Abram,* וְהֵם בַּעֲלֵי בְרִית־אַבְרָם i. e. et hi erant domini foederis Abram vel foedere cum Abram coniuncti (Gesenius), *συνωμόται τοῦ Ἀβράμ.* Similia foedera 21, 22 ss.; 26, 28 ss.; 38, 12 (Dillmann, Gunkel) referuntur et quasi necessaria erant, quia singuli reges vel domini pagorum et urbium subditos non multos habuerunt (cf. pag. 107).

De articulo in הַפָּלִיט videas pag. 148. — De עִבְרִי, *Hebraeo* conferre potes Buhl, Fürst, Gesenius, Lapide, qui bene scribit: „Qui ergo primo ab Heber (cf. 10, 21) dicti sunt Hebraei, iidem postea a transitu Euphratis (cf. 12, 5) dicti pariter sunt Hebraei, id est transitores, transamnani; utrumque enim in Hebraeos competit." — Pro בְּאֵלֹנֵי habent Graecus et Syrus בְּאֵלוֹן, cf. 12, 6. — Mambre et Eschol fuerunt possessores locorum prope Hebron, quae ab eis nominabantur (cf. Dillmann et Hummelauer). Hoberg censet, hos Amorrhaeos libenter Abram adiuvisse (℣. 24) in insectatione hostium, a quibus homines gentis suae (℣. 7) caesi fuerant.

℣. 14. Quod cum audisset, וַיִּשְׁמַע, *Abram, captum videlicet,* נִשְׁבָּה, *Lot* (deest in Hebraico) *fratrem suum,* sensu latiore (cf. lexicon et 11, 27), *numeravit,* וַיָּרֶק (a דוק, ita Samaritanus, Graecus) i. e. inspexit, recensuit (cf. Buhl, Fürst, Gesenius, Gunkel) *expeditos,* אֶת־חֲנִיכָיו i. e. initiatos, probatos suos (Buhl, Dillmann, Gunkel) servos, *vernaculos suos,* יְלִידֵי בֵיתוֹ i. e. natos

in domo sua, *οἰκογενεῖς*, qui magis fideles et hero adhaerentes habebantur quam empti (Dillmann, Gunkel, Hummelauer, Strack[2]) *trecentos decem, et octo:* fuit igitur regulus sat potens (Dillmann), *et persecutus est* cum Aner, Eschol et Mambre (Ṽ. 24) *usque Dan* ad Libanum et fontes Iordanis (cf. pag. 236) sitam, quae per prolepsin ita appellatur, nam primitus Laiš vel Lesem vocabatur (Ios. 19, 47; Iud. 18, 28 s.; Guthe, Dillmann).

Secundum Hummelauer 380 ille effugiens ideo maxime cladem Pentapolitarum et captivitatem Lot Abramo nunciavit, „quod confideret, Abram adversam nepotis sortem non aequo animo esse laturum"; et revera Abram iterum magnanimitatem manifestat. — De insectatione hostis ab Abram suscepta Lapide sic iudicat: „Fuit tamen haec Lot captivitas iniusta, ideoque iusto bello liberavit eum Abraham. Esto enim Chodorlahomor Pentapolitas rebellantes iusto bello invasisset, Lot tamen, utpote exterum et peregrinum, tangere non poterat. Adde, Chodorlahomor Pentapolitas magis ambitione et libidine dominandi, ut videtur, quam iusto aliquo titulo sibi subiugasse; totum ergo eius hoc bellum iniustum fuisse videtur, ac proinde iuste eum Abram persecutus est." — Dillmann retinet hodiernam lectionem Hebraeam וַיָּרֶק (a רוק) = et effudit: Winckler iuxta assyr. *diku* reddit: et evocavit (cf. Buhl, Holzinger). — Servi 318 experti et vernaculi videntur multi; sed iam 12, 16 et 13, 2. 6 Abram dictus est valde dives. Holzinger cum aliis asserit, hunc numerum ex litteris אליעזר *Elieser* (cf. 15, 2) collectum esse: א = 1, ל = 30, י = 10, ע = 70, ז = 7, ר = 200; sed opinionem suam nullo argumento confirmat, neque indicat, ad quid talis ludus in hoc contextu serviat. Gunkel reiicit opinionem Holzingeri et adoptat illam Winckleri, numerum 318 indicare dies, quibus luna in anno videtur: ergo Abraham fuisse deum Lunae. Videas excursum post 25, 11 collocatum. — Smith opinatur, istam urbem primo Dan, deinde Lais vel Lesem, denique iterum Dan vocatam fuisse. Melius tamen iam Lapide notavit, Moysen scripsisse Lais vel Lesem, sed redactorem pro Lais substituisse nomen Dan. Hummelauer censet, nullam esse rationem affirmandi non exstitisse alteram urbem Dan, „maxime in tractu Galaaditen inter et Damascum": sed reliqui interpretes „vix non omnes" contrarium sentiunt.

Ṽ. 15. Et divisis sociis, *irruit super eos nocte,* וַיֵּחָלֵק עֲלֵיהֶם לַיְלָה הוּא וַעֲבָדָיו i. e. et divisit se contra eos nocte, ipse et servi eius: *percussitque eos* ex omnibus partibus eos aggrediens et sopitos perterrefaciens (cf. Iud. 7, 16 ss.; Iob 1, 17; 1 Reg. 11, 11). *et persecutus est eos usque Hoba, quae est ad laevam* i. e. septentrionem *Damasci.*

Pro וַיֵּחָלֵק = et divisit se (a חָלַק) Bachmann וַיְּחַלֵּץ = et accinxit se commendat: LXX habent *ἐπάταξεν*. — Ubi Hoba fuerit, incertum est:

iuxta alios ½ hora, iuxta alios 20 horis a Damasco distans (cf. Buhl); Dillmann, Gunkel, Holzinger hunc alterum locum sine argumento praeferunt. — Gunkel 258 s. impossibile iudicat, ab Abram et 318 servis eius tam potentes exercitus, qui iam multas gentes et quinque reges subegerant, percuti et fugari potuisse, atque cum Nöldeke exclamat: „Si hoc possibile est, nihil omnino impossibile est". Reponimus: *a)* Non legimus (cf. Ieremias 215) reges orientales ingentes copias secum habuisse. *b)* Neque legimus (cf. Dillmann 235), Abram acie (offene Feldschlacht) pugnasse, sed potius nocte super dormientes irruisse. *c)* Servi Abrae fuerunt probati et experti (℣. 14), „quos scilicet iam ferrum armaque tractare docuerat, ut peregre inter impios et infideles habitans contra eorum iniurias iis iusto bello se tueri posset" (Lapide). *d)* Abram secum habuit (℣. 24) etiam Aner, Eschol, et Mambre cum viris eorum. *e)* Melchisedech benedicens testatur (℣. 20), a Deo excelso hostes manibus Abrae traditos fuisse. Non dicimus cum Dillmann 235, ab Abra extremum tantummodo agmen, non totum exercitum devictum fuisse; nam ℣℣. 15. et 17. obstant, qui de caede, immo de insectatione devictorum regum orientalium usque Hoba loquuntur (Gunkel). — Idem Gunkel 259 asserit, Abram ingens itineris spatium hostes insectatum esse; at non est verum. Nam Hoba prope Damascum a Dan ingens spatium non abest; Hobam autem a Damasco longe distantem sine argumento praefert, ut diximus. — Idem 259 infert: cum victoria Abrae fabulosa sit, tota narratio invasionis Elamiticae fide indigna est, quamvis in ea plura contineantur, quae fide digna appareant (256). Sed victoria Abrae neque impossibilis neque fabulosa est, quemadmodum supra (praesertim litt. *e)* demonstravimus: ergo. Videas et excursum post 25, 11 adiectum.

℣. 16. **Reduxitque omnem substantiam** (cf. ℣. 11), *et,* וְגַם *Lot fratrem suum cum substantia illius* (cf. 13, 5) reduxit, הֵשִׁיב, ἀπέστρεψεν, *mulieres quoque,* וְגַם, *et populum,* הָעָם i. e. ceteros homines (cf. pag. 128 et Strack²), quos reges asportaverant. Si ad ℣. 21 ss. respicimus, probabile videtur, Abram illam tantum praedam hominum pecorumque reduxisse, quam reges ex Sodomis abegerant (Gunkel), quia Sodomitae, inter quos Lot habitabat, magis ad ipsum pertinebant.

℣. 17. **Egressus est autem rex Sodomorum** *in occursum eius,* לִקְרָאתוֹ, *postquam reversus est a caede,* מֵהַכּוֹת, *Chodorlahomor, et regum qui cum eo erant* (cf. ℣. 1) *in valle Save, quae,* הוּא, *est vallis regis.* Omnes fere interpretes concedunt, hunc regem non cecidisse, uti ad ℣. 10. notavimus; egressus est autem vel ex montibus vel ex urbe Sodomorum, in quam redierat, ut Abrae congratularetur et gratias ageret et preces porrigeret (Lapide. Dillmann). Item omnes fere interpretes tenent, *vallem Save*

atque *Save Cariathaim* non eamdem regionem significare, sed vallem Save prope Ierusalem quaerendam esse, ubi Absalom sibi monumentum erexit (2 Reg. 18, 18); utrum haec vallis a rege Melchisedech an ab alio rege an ob amoenitatem *vallis regis* vocata sit, nescimus (cf. Lapide).

Miram omnino sententiam Hoberg 142 ss. proponit scribens, hic et ℣. 21 s. pro *rege Sodomorum,* מֶלֶךְ־סְדֹם, legendum esse מַלְכִּי־צֶדֶק, *Melchisedech:* ideoque Melchisedech egressum esse in occursum Abrae, pro se homines tantum petiisse, sed omnia recepisse. Quam opinionem sic probare conatur: iuxta ℣. 10. rex Sodomorum cecidit, mortuus est; praeterea quid regi Sodomorum in territorio regis Melchisedech negotii erat? etiam ex eo quod Abram Dominum Deum excelsum possessorem caeli et terrae testem invocat, concludere possumus ipsum cum Melchisedech loqui; insuper haec opinio contextu commendatur; denique declarare possumus, quare et quomodo textus corruptus sit, quia scilicet quidam petitionem in ℣. 21. expositam Melchisedecho indignam habebant, ibi et deinde etiam in ℣. 17. pro Melchisedecho regem Sodom substituerunt. Sed haec opinio acceptari nequit, nam: primo quidem omnes testes critici contra Hoberg stant: deinde nullus interpres celebris citari potest, qui istam opinionem teneat: demum rationes internae ab Hoberg allatae quasi nullam habent vim probandi. Etenim ex ℣. 10. non sequitur, regem Sodomorum cecidisse, uti cum doctissimis exegetis notavimus. Supposito autem, regem quoque cecidisse, potuit successor eius egredi; non obstat, quod de successione eius nihil legamus, cum in hoc contextu aliae quoque res omittantur (cf. pag. 207 et 233). Praeterea experientia teste nihil impedit, quominus rex quidam per territorium alius regis pertranseat et in terra aliena victori revertenti occurrat eique gratuletur. Quod autem ad iuramentum Abrae attinet, cultor veri Dei non alium quam verum Deum testem veritatis invocare potest, etiamsi cum infideli loquatur. Insuper haec mutatio contextu non commendatur, alioquin etiam alii interpretes id vidissent; Hoberg vero ne unum quidem citat. Denique ea, quae de modo et causa corruptionis textus dicuntur, gratis asseruntur, ergo gratis negari possunt. — לִקְרָאתוֹ ex לְ et infinitivo constructo קְרַאת verbi קָרָה et suffixo וֹ compositum est. — מֵהַכּוֹת = infinitivus constructus hiph'il הַכּוֹת verbi נָכָה atque מֵ.

℣. 18. At vero Melchisedech, וּמַלְכִּי־צֶדֶק, *rex Salem,* מֶלֶךְ שָׁלֵם, *proferens* vel potius protulit, הוֹצִיא, *ἐξήνεγκεν*, *panem et vinum,* לֶחֶם וָיָיִן, *erat enim Sacerdos Dei altissimi,* וְהוּא כֹהֵן לְאֵל עֶלְיוֹן, *ἦν δὲ ἱερεὺς τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου.* Cum rex Sodomorum in valle Save Abrae revertenti occurreret, etiam rex Hierosolymorum (plerique interpretes antiquiores et recentiores)

Melchisedech i. e. rex iustitiae (Hebr. 7, 2) ex urbe sua egressus est proferens panem (cf. pag. 84) et vinum (cf. pag. 162), ut sacrificio oblato Deo gratias ageret (cf. ℣. 20) et epulo dato Abrae gratularetur (cf. ℣. 19). — Melchisedech non solum epulum dedisse, sed etiam sacrificium obtulisse, his argumentis confirmatur: *a)* contextu proximo. Sequitur: *erat enim Sacerdos Dei altissimi,* quae sententia non cum sequente, sed cum antecedente coniungenda est, ut distinctio textus Hebraei et versionum (etiam LXX, cf. Brooke) monstrat; redditur igitur causa, cur Melchisedech panem et vinum attulerit. Sacerdotis autem officium proprium est sacrificare (Lapide): ergo si panem et vinum attulit, quia sacerdos erat, sacrificii gratia attulit (cf. Hummelauer, Hoberg). Confirmatur *b)* contextu remoto. Legimus, Abram saepius (12, 7. 8; 13, 18) altare aedificasse et sacrificasse, ut Deo gratias ageret, ideoque improbabilissimum est, eum post victoriam *Deo protegente* (℣. 20) reportatam non sacrificasse; atqui nullus textus alius sacrificium Abrae narrat: ergo hic textus ita explicandus est (cf. Hummelauer). Confirmatur *c)* contextu remotiore. In Ps. 109, 4 et Hebr. cc. 5. et 7. Christus *sacerdos* secundum *ordinem* (modum) Melchisedech et non secundum ordinem Aaron dicitur. „Iam vero nusquam alibi sacrificium Melchisedech eiusque ritus et modus exprimitur nisi hic; ergo protulit hic panem et vinum ad hoc, ut ea Deo ex more suo offerret in sacrificium" (Lapide). Confirmatur *d)* unanimi consensu Patrum et sensu Ecclesiae in Canone Missae manifestato (cf. Lapide, Zschokke).

Etiam iuxta Gesenius, Kautzsch-Guthe, Bachmann *Melchisedech* idem est ac *rex iustitiae;* Dillmann, Gunkel, Holzinger opinantur, nomen forsitan significare „rex meus est Sidik" (deus quidam), quibus Strack[2] non assentit. Conferas אֲדֹנִי־צֶדֶק, Adonisedec = dominus iustitiae (Gesenius), qui etiam rex Ierusalem fuit (Ios. 10, 1. 3). — שָׁלֵם, *Salem* non Salem vel Salim iuxta Scythopolim, ubi Ioannes baptizabat (Ioan. 3, 23), neque Salem Sichimorum (Gen. 33, 18), sed illam urbem significat, quae primo *Iebus* (cf. Gen. 10, 16 et Iud. 19, 10) deinde vero Urusalim (cf. pag. 28) vel *Ierusalem* (Iud. 19, 10) appellabatur. Hanc sententiam contra S. Hieronymum (ep. 73. ad. Evangelum) et Riess, qui Salem prope Scythopolim accipiunt, Rabbini, Iosephus, antiquiores interpretes plurimi, Buhl, Dillmann, Gunkel, Guthe, Hoberg, Holzinger, Hummelauer, Strack etc.

defendunt. Congruit Ps. 75, 3: *Et factus est in pace,* בְּשָׁלֵם, *locus eius: et habitatio eius in Sion,* בְּצִיּוֹן. Membrum alterum, cuius sensus clarus est, indicat, quomodo membrum prius intelligendum sit. Quia שלם aramaice idem est ac pax (cf. Buhl, שָׁלֵם), in Hebr. 7, 2 מלך שלם redditur *rex pacis.* — Significationem copulae וְ ex contextu eruendam esse, lexicographi docent; eam in hoc contextu causam innuere plerique concedunt, sed multi Protestantes causam benedictionis indicatam volunt. „At benedicere in toto V. T. nequaquam est solorum sacerdotum: benedicunt parentes, reges, amici, alii" (Hummelauer). Ad quid ergo notat, Melchisedech benedicentem fuisse sacerdotem? Sacrificare vero munus proprium sacerdotum erat, quare conclusio supra allata valet. — כֹּהֵן est participium inusitati kal כָּהַן quod secundum Buhl astare significat: ergo כֹּהֵן = astans ante Deum, scil. ministrando (cf. Deut. 10, 8; 18, 7; Hebr. 10, 11), — כֹּהֵן לְאֵל = sacerdos Dei, nam genetivus etiam praepositione לְ formari potest (Gesenius-Kautzsch 425 s.). — עֶלְיוֹן (ab עָלָה *ascendit*) idem est ac *supremus* vel *summus.* Nomen Ἐλιοῦν ὁ ὕψιστος etiam apud Phoenices usitatum fuisse, Philo Byblius apud Euseb., praep. evang. 1, 10 testatur (cf. Gesenius, Fürst, Buhl). *'Eljon* tam summus inter plures deos quam solus Deus verus vocari potest (cf. Dillmann et videas quae de nominibus *El* pag. 29, *Elohim* pag. 1, *Iahve* pag. 92 scripsimus). עֶלְיוֹן coniungitur cum אֵל Gen. 14, 18—20. 22; Ps. 78, 35 hebr.; cum יְהוָה Ps. 47, 3 hebr.; cum אֱלֹהִים Ps. 57, 3 hebr.; 78, 56 hebr.; ponitur absolute quoque Num. 24, 16; Deut. 32, 8 et saepius (cf. Mandelkern, Buhl). — Melchisedech cultor veri Dei fuit (cf. V. 20; Dillmann, Gunkel aliique) isque ultimus extra familiam et populum electum, de quo libri historici loquuntur (Strack[2]); fuit rex simulque sacerdos: etiam apud Phoenices regalis et sacerdotalis potestas coniuncta invenitur (Gunkel). — Lapide et Hummelauer censent, Melchisedech ab Abra rogatum sacrificium eucharisticum pro victoria adepta obtulisse. Sed quomodo obtulit? Respondet Lapide: „Partem panis cremando, partem vini libando, id est effundendo Deo in gratiarum actionem pro victoria Abrahae; deinde reliquam panis et vini partem in milites Abrahae libandam, id est participandam et comedendam" distribuendo.

VV. 19. 20. benedixit ei, וַיְבָרְכֵהוּ, *et ait: Benedictus,* בָּרוּךְ (cf. pag. 16), *Abram a Deo excelso,* לְאֵל עֶלְיוֹן, *qui creavit caelum et terram,* קֹנֵה שָׁמַיִם וָאָרֶץ, [20]*et benedictus,* וּבָרוּךְ (cf. pag. 166). *Deus excelsus,* אֵל עֶלְיוֹן, *quo protegente, hostes in manibus tuis sunt,* אֲשֶׁר־מִגֵּן צָרֶיךָ בְּיָדֶךָ, ὃς παρέδωκεν τοὺς ἐχθρούς σου ὑποχειρίους σοι. Melchisedech optat, ut Deus Abramum bonis cumulet, sicut iam fecerat victoriam tribuendo; optat, ut Abram Deum laudet, sicut iam fecerat sacrificium offerendo.

Et dedit scil. Abram *ei* scil. Melchisedecho *decimas*, מַעֲשֵׂר, δεκάτην, partem decimam *ex omnibus* scil. spoliis (Lapide, Dillmann, Gunkel, Strack[2]), quia sacrificium obtulerat, epulum subministraverat, benedictionem impertierat.

בָּרוּךְ est participium passivi kal בָּרַךְ *benedixit.* — Causa efficiens vel auctor passivo adiungitur per לְ, ergo לְאֵל = a Deo (Gesenius-Kautzsch 394). — קֹנֵה est participium constructum activi kal קָנָה *creavit, possedit* (Buhl, Gesenius). — Hebraei nonnulli (cf. Lapide) docuerunt, Melchisedechum Abramo decimas dedisse; auctor tamen epistolae ad Hebraeos (7, 4) et reliqui interpretes antiquiores ac recentiores contrarium docent, mutationem subiecti (cf. Exegeticam 50) statuentes. — Ex more antiquissimo gentes plures partem decimam deitati dedicabant (Strack[2]). Ergo Abram Melchisedecho et per eum *Deo excelso*, cuius cultor ac sacerdos iste erat, *decimas* tribuens, necnon per eumdem Deum excelsum, creatorem caeli et terrae, iurans (℣. 22): semetipsum cultorem huius Dei Melchisedechi publice profitetur (cf. Dillmann, Gunkel, Strack[2]). — Hoberg cum Wellhausen putat, Abram ex omnibus bonis suis decimas dedisse; sed omnia bona sua non secum habuit, notat bene Holzinger. — Böhmer sententiam *Et dedit ei decimas ex omnibus* delere vult, quia subiectum mutatur et incongruum videtur, quod Abram oblatione bonorum alienorum honoraverit (cf. Holzinger). Sed mutatio subiecti apud Hebraeos frequens est, ut iam Lapide notavit; ex praeda autem bellica iuste et apte sacerdotem Dei victoriam concedentis honorari potuisse, manifestum est. Quare Abram pro se nihil retinere voluerit, ad ℣. 23. dicetur. Holzinger libentius versus 18—20 cum ultima parte ℣. 17. amoveret; confitetur tamen, ℣℣. 20 et 22 bene cohaerere.

℣. 21. **Dixit autem rex Sodomorum** *ad Abram*, quem liberalem et munificum viderat (Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hummelauer): *Da mihi animas*, הַנֶּפֶשׁ i. e. homines (cf. 12, 5: 14, 16), *cetera*, וְהָרְכֻשׁ i. e. substantiam (cf. 12, 5; 14, 16) *tolle tibi.* Veritus fortasse „ne Abram omnia rogatus nihil concederet, ut saltem homines sibi redderentur petivit“ (Hummelauer). Petivit, nam praedam bellicam totam retinere potuerat (Gunkel).

„Nota, quid valeat unius viri virtus et gratia apud Deum: scilicet Deus in unius iusti Lot gratiam tot impios Pentapolitas liberavit, ut famulum suum Abram magnificaret“ (Lapide).

℣. 22. **Qui respondit ei,** וַיֹּאמֶר אַבְרָם אֶל־מֶלֶךְ סְדֹם, εἶπεν δὲ Ἀβρὰμ πρὸς βασιλέα Σοδόμων· *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum,* יְהוָה אֵל עֶלְיוֹן (cf. pag. 249), *possessorem*

caeli et terrae, קֹנֵה שָׁמַיִם וָאָרֶץ i. e. qui creavit caelum et terram (cf. V. 19). Repetit verba Melchisedech et iurat per Deum eius, quem hoc extraordinario religionis actu etiam suum Deum profitetur. Est primum iuramentum, prima invocatio Dei in testem veritatis, quae in sacris Litteris occurrit (Strack[2]).

הֲרִמֹתִי est perfectum hiph'il verbi רוּם; levare manum ad Deum est iurantis (Buhl, Gesenius). — יְהוָה deest in LXX (Brooke) et Syro. — Abram non per deum falsum regis Sodomorum iurare illumque tali actu religionis solemni honorare potuisse, liquet.

VV. 23. 24. quod, אִם, *si* (videas notam) *a filo,* מִחוּט, *subtegminis* (deest in Hebraico et Graeco) *usque ad corigiam caligae,* וְעַד שְׂרוֹךְ־נַעַל, *non,* וְאִם, *accipiam ex omnibus quae tua sunt, ne,* וְלֹא, *dicas: Ego ditavi Abram:* [24] *exceptis his, quae comederunt iuvenes, et partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Eschol, et Mambre: isti accipient partes suas.* His verbis Abram enuntiat, quid iuramento suo confirmet, videlicet se ex praeda bellica nihil retinere velle nisi ea, quae vernaculi revertentes iam comedissent et quae socii pro rata parte accepturi essent. Pro semetipso ne vilissimam quidem rem tenere voluit, ne rex Sodomorum a regibus orientalibus devictus gloriando dicere posset: Illum Abram, qui Deo protegente hostes utique percusserat, nihilominus ego, אֲנִי, divitem reddidi. Noluit Abram gloriationem regis, noluit consortium et societatem eius in re minima (cf. Lapide, Hummelauer). Abram regem Sodomorum amicitia non contingebat (contra Gunkel).

In formulis iurisiurandi et obtestandi אִם vim negandi, אִם לֹא vim affirmandi habet (Gesenius-Kautzsch 480). „Ubique tamen in his locutionibus latet significatio primaria *si,* per ellipsin formulae iurandi, qualis exstat“ 1 Reg. 3, 17: *haec faciat tibi Deus, et haec addat,* i. e. „omne malorum genus in te cumulet“, *si,* אִם, *absconderis a me sermonem* (Gesenius). — De formula מִן - וְעַד videas pag. 132. — שְׂרוֹךְ fuit lorum, quo sandalium, נַעַל, ad pedem alligabatur. מִחוּט וְעַד שְׂרוֹךְ נַעַל proverbium erat idem exprimens ac Latinum „neque hilum = neque filum“ i. e. ne minimam quidem et vilissimam rem (cf. Gesenius 452, Georges 2825). — In officialibus editionibus Vulgatae semper co*r*igia, numquam co*rr*igia impressum est (videas epilogum criticum ad meam editionem Vulgatae, pag. 165*), et haec scriptio fundata est. Nam corigia probabilius a corio quam a corrigendo deducta est (Georges 1600, qui

utramque scriptionem admittit). — Constructio ℣. 24. in Hebraico non plana est. Legimus: ... בִּלְעָדַי רַק אֲשֶׁר אָכְלוּ הַנְּעָרִים וְחֵלֶק הָאֲנָשִׁים הֵם יִקְחוּ חֶלְקָם i. e. nihil ad me. Tantummodo quod comederunt servi (supple ex fine: isti id habeant) et partem virorum ... hi accipient partem suam (cf. Dillmann, Gesenius-Kautzsch 445). — בִּלְעָדַי compositum est ex בַּל = non, nihil, et עָדַי (cf. עַד) = *usque, ad:* ergo בִּלְעָדַי (cum suffixo) = nihil ad me (Buhl, Fürst, Gesenius). — Ultima verba non solum ad הָאֲנָשִׁים verum etiam ad הַנְּעָרִים pertinent (Dillmann), ex quibus congruum praedicatum seligere possumus. — Vulgata cum LXX sensum bene reddit.

Excursus I.

De invasione Elamitica et victoria Abrae.

Gunkel 262 ss. (Holzinger cum Nöldeke, Kuenen, Meyer, Wellhausen) docet, in ista narratione facta historica et fabulas, fide digna et incredibilia, impossibilia, immo mythica contineri et cum Winckler concludit, scriptorem quemdam Iudaeum historiam veram stragis ac ruinae regum orientalium in Palaestina in Babylonia audivisse et victoriam Abrahae affinxisse, ut eum glorificaret. Ergo invasio Elamitica esset historica, at victoria Abrae fabulosa. Sed argumenta, quibus hanc conclusionem confirmat, valde nutantia sunt, quod iam in explanatione textus ostendimus et hic breviter repetimus.

Sunt sequentia: *a)* Victoria Abrae impossibilis est, ergo fabulosa. Reponimus: non impossibile est, Abram Deo protegente (cf. pag. 246) quattuor reges orientales percussisse. *b)* Falsum est, illam partem Palaestinae, ubi nunc mare mortuum conspicitur, aliquando regionem irriguam fuisse, in qua homines habitaverint, ergo narratio fabulosa. Verumtamen isti textus duplici modo explicantur (vide 19, 24 ss.), quarum explicationum nulla falsa demonstrari potest. Conferas expositionem loci citati. *c)* Numerus 318 mythicus est, ergo. Sed quod gratis asseritur (cf. pag. 245), gratis negatur, docent logici. *d)* Haec narratio ceteris contraria est. Nam heic Abram praeclaras res bello gerens proponitur, non vero alibi: heic non vult ditari, ditatur alibi. Respondemus: solummodo propter fratrem Lot captum hostes persecutus est (cf. pag. 244 s.) et Deo protegente eos percussit (cf. pag. 246); in textu autem non legimus, Abram absolute ditari noluisse, sed noluisse per regem Sodomorum. *e)* Holzinger 146 addit: dominatio Elamitica 2300—2000 a. Ch. erat, אמרפל-Hammurabi autem c. 1700—1650 a. Ch. regnavit, ergo scriptor „sine accuratiore notitia

historiae" nomina contulit. Hoc argumentum in Holzinger retorquere possumus, qui Amraphel cum Ḫammurabi confert, quamvis „accuratior notitia historiae" contrarium suadeat (cf. pag. 240).

Consentimus cum Gunkel, hac narratione Abram glorificari: reges vincit, a rege benedicitur, a rege nec filum nec corigiam accipit. Verumtamen non fictis glorificatur, ut Gunkel vult, sed factis. Videas quae pag. 233 scripta sunt. — Cum dominatio Elamitica c. 2300—2000 a. Ch. fuerit, colligimus Abram c. 2200 a. Ch. vixisse.

Excursus II.

De persona regis Melchisedech.

Melchisedech rex Salem benedicens victori Abram et ab eo decimas accipiens fuit *a)* persona historica. Wellhausen (cf. Gunkel 261) opinatur, Iudaeos post exilium personam et historiam Melchisedechi finxisse, ut ita monstrarent, summo sacerdoti decimas esse afferendas. Tacemus ea, quae pag. 37 dicta sunt, et quae infra mox dicentur, atque hoc solum cum Gunkel notamus: Iudaei, qui post exilium omnes gentiles et praecipue Chananaeos abominabantur, nequaquam regem Chananaeum ut typum summi sacerdotis finxissent. Propterea Gunkel regem Melchisedech pro persona historica habere vult. *b)* Persona humana. Melchisedech neque Christus neque Spiritus Sanctus neque Angelus fuit, uti nonnulli senserunt, sed homo verus et purus: quae sententia iuxta Lapide „de fide" est. Hebraei quidam putarunt, Melchisedech et Sem eamdem esse personam; sed huic opinioni obstat, quod genealogiam Sem, initium et finem dierum eius scimus (cf. 5, 1 ss.; 11, 10 ss.), non vero Melchisedechi (Hebr. 7, 3). Ceterum valde dubium est, utrum Sem tempore Abrae adhuc vixerit necne (cf. pag. 216). Ergo probabilius est, Melchisedech fuisse „aliquem e regulis Chananaeorum, qui inter impios Chananaeos pius et sanctus vixit: ita Theodor. Euseb. et passim veteres" (Lapide).

c) Persona typica, typus (cf. Exegeticam 13 ss.) Iesu Christi, quam veritatem S. Paulus testatur et declarat. Melchisedech fuit: *α)* rex et sacerdos ut Christus (Hebr. 5, 6. 10; 7, 1); fuit *β)* rex iustitiae et pacis ut Christus (Hebr. 7, 2); fuit *γ)* mediator inter Deum et homines ut

Christus (Hebr. 5, 1—10); fuit *δ)* panem et vinum offerens ut Christus (conferas Hebr. 7, 11 ss.; 1 Cor. 11, 23 ss.); fuit *ε) sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum* (Hebr. 7, 3). Haec verba iuxta usum loquendi profanum et sacrum (cf. commentarios in epistolam ad Hebraeos) non significant, Melchisedechum reapse non habuisse patrem, matrem, genealogiam, initium dierum et finem vitae, sed haec omnia nobis ignota esse. Eo ipso autem quod Deus, auctor principalis Scripturae, Melchisedech talem induxit, Christum praefigurare voluit, qui ut homo sine patre atque ut Deus sine matre, sine initio et fine dierum, sine genealogia est. Videas praeter commentatores epistolae ad Hebraeos etiam Lapide, Hoberg, Schöpfer, Zschokke necnon Strack[2]. Denique fuit *ζ)* maior Abraha et sacerdotio Levitico ut Christus (Hebr. 7, 4 ss.).

Abrae pactio, 15, 1—21, 34.

C. 15. ℣. 1. **His itaque transactis,** אַחַר הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה, *μετὰ δὲ τὰ ῥήματα ταῦτα,* scilicet caesis regibus occidentalibus atque orientalibus, gratiis pro victoria a Deo concessa persolutis, spoliis regi Sodomorum restitutis (cf. Lapide) *factus est sermo Domini ad Abram,* הָיָה דְבַר־יְהוָֹה, qua formula revelationes Domini cum prophetis communicatae annuntiari solent (cf. 20, 7; Mandelkern, Buhl, Gesenius) *per visionem dicens,* בַּמַּחֲזֶה לֵאמֹר. Visio biblica obiective sumpta vocatur res homini dormienti vel vigilanti, oculis corporis vel mentis supernaturaliter ostensa et aliud significans, e. gr. virga vigilans (amygdalus) et olla succensa ab Aquilone Ieremiae (1, 11—16) ostensae; subiective sumpta est ipse actus videndi illam rem (cf. Exegeticam 12). Quaeritur igitur, qualis visio hic accipienda sit. Cum Caietano et Hoberg 146 probabilius ducimus, omnia quae in hoc capite narrantur in visione accidisse, cum textus non indicet, versus 7—21 alia ratione ac versus 1—6 intelligendos esse; atqui ea quae in versibus 1—6 referuntur, certo in visione facta sunt (℣. 1): ergo. Sed singula Abrae non dormienti sed vigilanti supernaturaliter ostensa sunt, quia „somniantium actus fidei non sunt meritorii (v. 6), neque sancta sunt foedera somnio feriri conspecta“ (Hummelauer). Qui hanc opinionem adoptaverit, non mirabitur, quod ℣. 5. stellae lucentes, ℣. 12. sol occidens, ℣. 17. tenebrae describantur. Vide tamen notas. Illud *dicens,* לֵאמֹר ante orationem directam (Buhl) idem significat ac sic, hoc modo (cf. Gunkel, Strack[2]). *Noli,* אַל, *timere*

Abram, ego, אָנֹכִי (assyr. anâku, amarn. anûki) *protector tuus sum,* מָגֵן לָךְ i. e. clypeus tibi (Ps. 5, 13), *et* (deest in Hebraico et Graeco) *merces tua magna nimis,* LXX bene ἐγὼ ὑπερασπίζω σου· ὁ μισθός σου πολὺς ἔσται σφόδρα. Timebat probabiliter Abram, ne reges orientales poenas ruinae suae repeterent vel Chananaei „invidia aut spe praedae illecti" in ipsum irruerent (Lapide; cf. pag. 235), et ideo Deus ei protectionem suam, quo hostes percusserat, diserte promittit, addens mercedem magnam a Melchisedech expetitam (14, 19) pro magnanimitate ac pietate, qua fratri Lot meliora concesserat (13, 9) et praedam bellicam regi Sodomorum restituerat (14, 22 ss.). Sensus autem verborum *merces tua magna nimis* non videtur esse: „Ego ipse, qui sum Deus bonorum omnium oceanus, ero merces, praemium et beatitudo tua obiectiva" (Lapide, ascetae): Abram saltem non ita intellexit, alioquin non respondisset *quid dabis mihi? ego vadam absque liberis* (℣. 2), sed potius: plurima bona, „multitudo et amplitudo familiae et posteritatis" tibi erunt (cf. ℣. 5., LXX. eumdem Lapide. Dillmann, Hummelauer, Strack[2] et alios).

Dillmann dubitat, utrum omnia in visione facta sint necne; Strack[2] censet, ea quae a ℣. 10. narrantur, extra visionem accidisse; Gunkel visionem somniantis accipere videtur: iuxta Hummelauer sopor ecstaticus ℣. 12., tenebrae ℣℣. 12. 17., clibanus igneus ℣. 17. ad visionem spectant, sed quae ℣. 10 s. de victimis et volucribus narrantur, in rerum natura peracta sunt: at ubi textus non distinguit, nec nos debemus distinguere. „Sed planius defendes, adiungit, illud *per visionem* nihil tandem aliud edicere, quam 12, 7; 17, 1; 18, 1 vox *apparuit,* scil. Deum visibili fortasse specie et utique audibili voce cum Abram esse conversatum": verumtamen usus loquendi huic sententiae non favet. Idem coniicit, primum Dei alloquium (℣℣. 1—5) noctu factum, verba versuum 7—9 noctu vel mane dicta esse; sequenti die Abram victimas praeparasse et transitum Dei exspectasse; sole occidente (℣℣. 12. 17) visionem secutam esse. Quamvis nihil impediat, quominus duas visiones (1—6 atque 7—21) statuamus, tamen id probabilius videtur, quod supra diximus, quia cum sacro textu melius congruere videtur. — Quae cum ita incerta sint, etiam laceratio textus, quam Dillmann 245 et Gunkel versibus 5. 12. 17. praesertim innixi proponunt, saltem incerta est. Videas introductionem in Genesim. — דָּבָר, ῥῆμα, *verbum* in Scripturis non tantum sermonem, sed etiam rem significat (cf. lexicon). — De articulo in בַּמַּחֲזֶה videas pag. 148. — De הַרְבֵּה מְאֹד conferas lexicon, רָבָה, vel Gesenius-Kautzsch 293 et 433; idem est ac multum valde, permultum. — Sensus ille, „ego ipse Deus praemium tuum ero" obiective verus, sed exegetice

falsus vel *accommodatus* est (cf. Exegeticam 6 s.), nam in textu originali et Graeco coniunctio וְ deest, et sequentia verba Abrae atque Dei alterum sensum commendant. Concionatores et ascetae bene notent (cf. Exegeticam 18 ss. et 111 ss.).

℣℣. 2. 3. **Dixitque Abram** in visione: *Domine Deus,* אֲדֹנָי יֱהוִֹה, δέσποτα κύριε, dominator mi Iahve, *quid dabis mihi?* i. e. quid dona tua mihi profutura sunt (Pererius, Lapide, Hummelauer, Dillmann) *cum* *ego,* וְאָנֹכִי, ἐγὼ δέ, *vadam,* הוֹלֵךְ, ἀπολύομαι i. e. moriar (cf. 25, 32; Ps. 38, 14) *absque liberis,* עֲרִירִי, ἄτεκνος, *et filius procuratoris domus meae iste Damascus Eliezer,* וּבֶן־מֶשֶׁק בֵּיתִי הוּא דַּמֶּשֶׂק אֱלִיעֶזֶר i. e. et filius possessionis (= heres) domus meae (= rei familiaris) ipse Damascenus (nimirum) Eliezer sit (Gesenius 829, Strack[2]). [3]*Addiditque,* וַיֹּאמֶר, *Abram: Mihi autem,* הֵן לִי i. e. ecce mihi, *non dedisti semen,* filios: *et ecce vernaculus meus,* בֶן־בֵּיתִי i. e. filius domus (= servus), *heres meus erit,* יוֹרֵשׁ אֹתִי, κληρονομήσει με. Abram promissionem mercedis non addubitat, sed mercedem minus desiderabilem censet, eo quod filiis careat. At Dominus iam 12, 7 semen promisit, quomodo igitur Abram sic loqui potest? Respondet Lapide: „In re tanta tamque cupita metuit, ne sua culpa Dei promissionem averterit"; melius forsitan quis dicat, fidelem Abram (℣. 6) ex temporario tristis animi motu ita locutum esse. Conferas 17, 17 et Dillmann 245.

אָדוֹן (ab אָדַן = דּוּן *regere)* idem est ac dominus; אֲדֹנִי = dominus meus; אֲדֹנַי, in pausa אֲדֹנָי = domini mei (cf. 19, 18). De nomine Dei אֲדֹנָי grammatici antiquiores docuerunt, terminationem ָי pluralem excellentiae esse et kamez pro patach poni, ut אֲדֹנָי *Dominus* ab אֲדֹנַי *domini mei* discernatur (cf. Gesenius); recentiores tamen viri docti (Gesenius, Buhl, Fürst, Beer-Guthe) cum Gussetio et Ewaldo terminationem ָי suffixum plurale declarant, ita ut אֲדֹנָי idem sit atque אֲדֹנַי singulariter acceptum, scilicet *Dominus meus:* vis autem pronominis possessivi paulatim evanuit ut in madonna et monsieur (Beer-Guthe, Gesenius): quae sententia probabilior videtur. Ergo *Adonai* Deum significat, quatenus *rector* vel *dominator* est, et propterea hic valde convenienter ab Abram adhibetur. — Quomodo יהוה post אֲדֹנָי punctetur, pag. 45. dictum est. — עֲרִירִי (ab עָרַר nudus fuit) = solitarius, ἄτεκνος. — In ℣. 2b ponitur מֶשֶׁק pro מֶשֶׁךְ *possessio* (Gesenius 829), בֶּן־מֶשֶׁק pro יוֹרֵשׁ *heres* (Gesenius-Kautzsch 424), דַּמֶּשֶׂק pro בֶּן־דַּמֶּשֶׂק = דַּמַּשְׂקִי *Damascenus* (Gesenius 829).

ut paronomasia vel assonatio magis appareat; ergo heres domus meae ipse Damascenus Eliezer est (Gesenius, Strack[2]). Aliter Dillmann: possessor domus meae urbs Damascus Eliezeri est, i. e. heres Abrae erit Eliezer et per eum urbs patria eius Damascus. Secundum Gunkel et Holzinger ex textu Hebraico hodierno nullus sensus aptus erui potest. Propterea varii textum emendare voluerunt. Hitzig, Tuch et alii הוּא דַּמֶּשֶׂק delent; at his verbis deletis non amplius declarari potest, cur pro מֶשֶׁךְ vocabulum alibi non occurrens מֶשֶׁק adhibitum sit, cum paronomasia evanescat. Ball ordinem verborum et punctationem mutans scribit: וּמֵשֶׁק בֵּיתִי הוּא בֶּן־דַּמֶּשֶׂק אֱלִיעֶזֶר i. e. et possessor domus meae ipse Damascenus, Eliezer est: similiter „forte legendum“ putat Kittel, ponens tamen אליעזר post הוא. Septuaginta reddunt: *ὁ δὲ υἱὸς Μάσεκ τῆς οἰκογενοῦς μου, οὗτος Δαμασκὸς Ἐλιέζερ.* Aliae opiniones parum probabiles apud Lapide et Hummelauer habentur. — ℣. 2ᵇ obscurus in ℣. 3. declaratur. בֶּן־בֵּיתִי = servus (Gunkel), non idem tamen ac יְלִיד בַּיִת (cf. 14, 14; Dillmann); hunc forsitan Damasci (cf. pag. 225) acquisierat. — יוֹרֵשׁ est participium kal verbi יָרַשׁ. — Utrum ℣. 3. iam primitus cum ℣. 2. coniunctus fuerit an postea adiectus sit per „auctorem aliquem, fortasse inspiratum“ (Hummelauer), incertum est. Videas quae pag. 133 de talibus glossis scripsimus.

℣. 4. **Statimque,** וְהִנֵּה, *sermo Domini factus est ad eum, dicens* (cf. ℣. 1): *Non erit hic heres tuus,* לֹא יִירָשְׁךָ זֶה, *οὐ κληρονομήσει σε οὗτος· sed,* כִּי־אִם = *ἀλλά* (cf. lexicon), *qui egredietur de utero tuo,* מִמֵּעֶיךָ (Septuaginta, מִמְּךָ, *ἐκ σοῦ), ipsum habebis heredem,* הוּא יִירָשֶׁךָ, *οὗτος κληρονομήσει σε.*

℣. 5. **Eduxitque eum foras** in visione, *et ait illi* (deest *illi* in Hebraico): *Suspice caelum,* הַבֶּט־נָא הַשָּׁמַיְמָה, *ἀνάβλεψον δὴ εἰς τὸν οὐρανόν, et numera stellas, si potes* numerare illas, אִם־תּוּכַל לִסְפֹּר אֹתָם, *εἰ δύνῃ ἐξαριθμῆσαι αὐτούς. Et dixit ei: Sic erit semen tuum.* Ergo merces a me promissa (℣. 1) desiderabilis est (cf. ℣. 2). Adest hic hyperbole uti 13, 16, sed illustrior (Lapide, Hummelauer, Gunkel). Bene posteritas Abrae quum proxime carnalis tum remote spiritualis, i. e. Christiani (Rom. 4, 18 ss., Lapide, Hummelauer, Hoberg), cum stellis comparatur, quia est „innumera et maxima . . . sublimissima . . . splendidissima et gloriosissima“ (Lapide).

℣. 6. **Credidit Abram Deo,** *et reputatum est illi ad iustitiam,* וְהֶאֱמִן בַּיהוָה וַיַּחְשְׁבֶהָ לּוֹ צְדָקָה, i. e. et credidit Domino, et imputavit illud ei iustitiam. Hic locus celeberrimus in Novo Testamento (Rom. 4, 3 ss.; Gal. 3, 6 ss.; Iac. 2, 21 ss.) authentice

explicatur (cf. Exegeticam 69). Abram non ex operibus (cf. Exegeticam 117) neque ex circumcisione neque ex lege, sed ex fide per spem et charitatem formata iustus, amicus Dei factus est. Abram credidit, i. e. propter auctoritatem loquentis pro certo habuit, quae Dominus dixerat, licet ratio naturalis et experientia contrarium suggererent; simul etiam in Domino promittente speravit atque Dominum praecipientem obediendo dilexit, ut antecedentia ac subsequentia commonstrant. Et illud credere, simulque sperare et diligere Deus illi imputavit iustitiam; aliis verbis ob fidem illam Deus ex gratia Abrae iustitiam veram donavit (Hoberg): Deus enim propter omniscientiam et veracitatem suam neminem iustum seu amicum suum reputare potest, qui non talis est (Lapide, Hummelauer; videas et commentarium meum in epistolam ad Romanos, c. IV.).

Istam fidem Abram iam habuit, quando Deo vocanti obediens exiit ex Ur Chaldaeorum in *locum, quem accepturus erat in hereditatem, nesciens* tamen *quo iret;* et quando *demoratus est in Terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando* (Hebr. 11, 8 s.). In hoc autem loco notatur, quia Abram *contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium . . . Et non infirmatus est fide . . . In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo* (Rom. 4, 18 ss.; Lapide, Hummelauer). Propterea etiam iustitiam iam illo tempore donatam acceperat. — Credens et sperans, in se benedicendas esse universas cognationes terrae (12, 3), implicite in Christum, semen promissum, credidit et speravit (cf. pag. 223 s.; Hoberg). — אָמַן = firmus fuit, hiph'il = pro firmo habuit, credidit, confisus est; construitur cum לְ (Gen. 45, 26; Deut. 9, 23) et cum בְּ (Ex. 14, 31; 19, 9; Num. 14, 11; 20, 12; Deut. 1, 32). Videas Mandelkern, Buhl. Perfectum cum וְ statum diuturnum vel actus repetitos significat (cf. Gesenius-Kautzsch 333 et 341, Gunkel) et optime cum antecedentibus congruit, quare non וַיַּאֲמֵן cum Samaritano corrigendum est, ut Ball (et Kittel) proposuerunt. — חָשַׁב cum duplici accusativo vel cum לְ vel cum בְּ construitur. Conferas Ps. 106, 31 hebr., *εἰς δικαιοσύνην, ad iustitiam* (Gesenius-Kautzsch 375). Suffixum femininum ָהּ ut neutrum vertendum est (Gesenius-Kautzsch 398). — „Perperam ergo Novantes ex hoc loco probare contendunt suam iustitiam imputativam. Sic enim dixisset Moses: Imputavit Deus Abrae iustitiam Christi: iam autem contrarium dicit, scilicet quod Deus ipsi Abrae fidem non Christi sed ipsiusmet Abrae imputarit ad iustitiam, quia scilicet propter Abrae fidem actusque fidei tam heroicos eum iustum, immo solito iustiorem

habuit et censuit. Nam per hos intrinsecos fidei actus non denominative nec imputative, sed revera et intrinsece iustificatus est et in iustitia crevit Abram" (Lapide). — Gesenius pag. 531 vertit: „idque Deus ei imputavit tamquam honeste factum"; pag. 1151 autem: „probitati ei duxit (Deus), pro documento probitatis vel pietatis habuit". Gunkel reddit: „Iahve ex hoc (scil. actu credendi) cognovit pietatem eius." Obstat declaratio authentica S. Pauli et S. Iacobi.

℣. 7. **Dixitque ad eum** etiam in visione (cf. ℣. 1): *Ego Dominus qui eduxi te de Ur* (LXX ἐκ χώρας) *Chaldaeorum* (cf. pag. 218 s.) *ut darem tibi* mediate per posteros (Lapide) *terram istam, et possideres eam,* לְרִשְׁתָּהּ ... לָתֶת לְךָ, ὥστε δοῦναί σοι ... κληρονομῆσαι (cf. 12, 7; 13, 14 ss.).

℣. 8. **At ille ait,** וַיֹּאמַר, εἶπεν δέ, *Domine Deus,* אֲדֹנָי יֱהוִֹה (cf. pag. 256), *unde scire possum,* בַּמָּה אֵדַע, *quod possessurus sim eam?* Abram promissionem Dei non addubitat, sed fidei suae confirmationem accipere atque rei futurae ordinem et modum scire desiderat (cf. Iud. 6, 17 ss. 36 ss.; 4 Reg. 20, 8 ss.; Luc. 1, 34; S. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Ephrem, Lapide, Gunkel, Hummelauer, Hoberg, Strack[2]), quam explicationem ℣℣. 6 et 9 ss. veram probant.

℣. 9. **Et respondens Dominus,** וַיֹּאמֶר אֵלָיו, εἶπεν δὲ αὐτῷ· *Sume, inquit, mihi,* קְחָה לִי, λάβε μοι. Ex hac phrasi plures (Pererius, Lapide, Hummelauer, Hoberg aliique) deducunt, Abram animalia post foedus initum sacrificare debuisse; potest tamen etiam hic sensus esse: affer mihi, ut tibi modo usitato desideratam confirmationem et declarationem dare possim. *vaccam,* עֶגְלָה i. e. vitulam, *triennem,* מְשֻׁלֶּשֶׁת, *et capram trimam,* מְשֻׁלֶּשֶׁת, *et arietem annorum trium,* מְשֻׁלָּשׁ, *turturem quoque, et columbam* וְגוֹזָל i. e. et pullum columbae (Buhl): ergo animalia domestica (Strack[2]), eaque triennia, quia hic numerus iam antiquo tempore sanctus erat (Dillmann).

Participium pu'al מְשֻׁלָּשׁ, מְשֻׁלֶּשֶׁת (verbi שָׁלַשׁ) hic = triennis: Ez. 42, 6 et Eccl. 4, 12 = triplex (Buhl). Ut in Hebraico sic et in Graeco idem vocabulum τριετίζοντα, τριετίζουσαν adhibetur. — Strack[2] cum Lapide trima animalia electa putat, quia haec statura, aetate et robore perfecta sunt. Aliam explicationem (quam Frz. Delitzsch[4] ex parte adoptavit nec Dillmann prorsus repudiat, Hummelauer tamen audaciorem vocat) Lapide cum antiquioribus proponit. „*Vacca* haec *triennis* indomita, inquit, significat primam generationem Hebraeorum eorumque libertatem in Aegypto tempore Ioseph; ... *capra trima* significat secundam genera-

tionem Hebraeorum ... post Ioseph; ... *aries* durus et cornutus significat tertiam generationem Hebraeorum ... nascente Mose; *duae aves* non divisae uti cetera, sed integrae in sacrificium oblatae significant, quod post 400 annos Hebraei liberi et integri essent evolaturi ex Aegypto, ut Deum colerent ... *Turtur* gemebunda significat 40 annos luctus in peregrinatione per desertum; ... *columba* socialis significat tempus Iosue, quo Hebraei in terra promissa laete et placide habitarunt." Quae expositio testimonio Scripturae vel Traditionis confirmari nequit, ergo saltem incerta est (cf. Exegeticam 108).

℣. 10. **Qui tollens,** ei, וַיִּקַּח־לוֹ, ἔλαβεν δὲ αὐτῷ, *universa haec* in visione (iuxta alios saltem pars eorum, quae sequuntur, extra visionem acta sunt: cf. ℣. 1), *divisit,* וַיְבַתֵּר, καὶ διεῖλεν, *ea per medium,* בַּתָּוֶךְ, „secando a capite ad caudam" (Lapide) *et utrasque partes contra se altrinsecus posuit,* וַיִּתֵּן אִישׁ־בִּתְרוֹ לִקְרַאת רֵעֵהוּ i. e. et posuit alteram partem (cuiuslibet animalis) ex adverso alterius (cf. Gesenius 85, Gesenius-Kautzsch 455; videas 9, 5 et 11, 3): *aves autem non divisit* (cf. Lev. 1, 14 ss.), sed integras unam alteri opposuit (Frz. Delitzsch, Strack[2]), quod textus non explicite quidem, sed implicite saltem insinuat. Hic ritus ex circumstantiis historicis (cf. Exegeticam 47 ss.) explicandus est. Babylonii, Chaldaei, Graeci, Latini foedus ineuntes animalia findebant et inter partes invicem oppositas transibant imprecantes sibi talem divisionem, si foedus initum rumperent (cf. Ier. 34, 18 s.; Lapide, Hummelauer, Dillmann, Gunkel). Hinc כָּרַת בְּרִית, ὅρκια τέμνειν, foedus ferire dicitur (Gesenius, Passow, Georges).

Quod divisionem animalium attinet, iuxta Hummelauer „etiam summa ab imis separari" potuerunt; explicatio autem supra data magis naturalis videtur. Quare aves non divisae sint, non patet: forsitan quia parvae sunt (Hummelauer). Caietanus et Dillmann censent, Abram aves sacrificii causa sumpsisse; ipsum post foedus ictum Deo sacrificasse, probabilissimum est (cf. pag. 248). — Secundum Lapide dissectio quadrupedum afflictiones Hebraeorum in Aegypto, aves integrae finem harum afflictionum significant. Vide sequentia.

℣. 11. **Descenderuntque volucres** rapaces, הָעַיִט (singularis collectivus) *super cadavera,* dum Abram transitum Dei exspectaret (Caietanus), *et abigebat eas Abram.* Volucres descendentes et cadavera ante transitum Domini rapere ac vorare volentes significant impetus hostium Israel, qui consilia Dei impedire cupiebant; actio autem Abrae fidentis et

vigilantis innuit, posteros eius fide et perseverantia conatus hostium superaturos esse (cf. Dillmann, Hoberg).

Septuaginta ad sensum reddunt הַפְּגָרִים *τὰ σώματα, τὰ διχοτομήματα αὐτῶν* atque וַיַּשֵּׁב אֹתָם *καὶ συνεκάθισεν αὐτοῖς*. Alteram lectionem vel punctationem וַיֵּשֶׁב Hummelauer praefert, „volucres circumvolitantes sola sedentis praesentia" coercitas dicens.

℣. 12. **Cumque sol occumberet,** וַיְהִי הַשֶּׁמֶשׁ לָבוֹא i. e. et erat in eo sol ut occumberet (Gesenius-Kautzsch 351), *sopor irruit,* וְתַרְדֵּמָה נָפְלָה, *ἔκστασις ἐπέπεσεν* (cf. 2, 21), *super Abram, et* ecce, וְהִנֵּה, *καὶ ἰδού, horror magnus et tenebrosus invasit eum,* אֵימָה חֲשֵׁכָה גְדֹלָה נֹפֶלֶת עָלָיו i. e. horror, caligo magna irruit super eum. In ecstasi positus Abram caligine magna involvebatur, quae eum terrore complevit, quibus praenuntiabatur, qualis foret revelatio Domini (cf. Dillmann, Gunkel, Lapide).

℣. 13. **Dictumque est ad eum,** וַיֹּאמֶר לְאַבְרָם i. e. et dixit ad Abram: *Scito praenoscens,* יָדֹעַ תֵּדַע i. e. certo scias (cf. pag. 56; Gesenius-Kautzsch 344), *quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua,* videlicet Aegypto, *et subiicient eos servituti,* וַעֲבָדוּם i. e. et servient eis, Hebraei Aegyptiis, *et affligent,* oppriment Aegyptii Hebraeos, וְעִנּוּ אֹתָם, *quadringentis annis* (Dillmann).

יָדֹעַ = infinitivus absolutus, תֵּדַע = futurum kal verbi יָדַע *cognovit.* — De בְּאֶרֶץ לֹא לָהֶם sine אֲשֶׁר vide Gesenius-Kautzsch 495. — Numerus 400 hic et in citato Act. 7, 6 necnon 13, 20 summatim comprehensus, summa solida est (S. Augustinus, Dillmann, Hummelauer), quacum Gen. 15, 16 *Generatione autem quarta revertentur huc* bene congruit. Accuratius Ex. 12, 40 determinatur: *Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum* (Hebraeus et Vulgata). Si verba S. Pauli ad Galatas (3, 16 s.) de confirmatione huius promissionis Iacobo ante descensum in Aegyptum facta (Gen. 46, 3 s.) intelligantur, cum locis ceteris conveniunt. Videas commentatores locorum citatorum.

℣℣. 14—16. **Verumtamen,** וְגַם i. e. sed etiam *gentem, cui servituri sunt, ego iudicabo,* דָּן אָנֹכִי i. e. puniam (cf. lexicon; Ex. 7, 14 ss.), sicut posteros tuos punivi: *et post haec egredientur cum magna substantia* (cf. 12, 5; Ex. 12, 32. 35). Illud participium דָּן pro futuro accipiendum est (cf. Gesenius-Kautzsch 359).
15 *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Abrae e contrario Deus praenuntiat, quod sit victurus et mori-

turus *(ibis ad patres tuos* „peregrini instar", S. Chrysostomus) quiete et tranquille *(in pace)* necnon sepeliendus post vitam longam *(in senectute bona).* Cum Abram quoad corpus ad patres suos non ierit, sed in Palaestina sepultus sit, ista verba quoad animam intelligi debent: ergo immortalitatem animae comprobant (Calmet, Hummelauer, Hoberg, Delitzsch, Strack[2]). [16] *Generatione autem quarta revertentur huc,* הֵנָּה i. e. post 400 annos, nam דּוֹר et arab. *dahr, generatio* sicut lat. *saeculum* vel *aetas* etiam 100 annos et plures comprehendit (cf. Lapide, Gesenius, Georges, Dillmann, Strack[2]): *necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum usque ad praesens tempus,* עַד־הֵנָּה. Amorrhaeorum (cf. 14, 7. 13), qui pro omnibus Chananaeis nominantur (pars pro toto), ut ex contextu proximo elucet, iniquitates etiam Lev. 18, 24 ss.; 20, 22 ss.; Deut. 9, 5; 12, 2 s. 29 ss. commemorantur (Lapide, Dillmann); sed „per 400 annos toleravit Deus Chananaeorum peccata, donec scilicet impleretur ab eis mensura peccatorum a Deo vindictae et excidio eorum praestituta: qua impleta, Chananaeis expulsis et deletis, in eorum locum et regionem surrogavit Hebraeos" (Lapide).

℣. 17. **Cum ergo occubuisset sol,** et *facta est* vel potius esset *caligo tenebrosa, et* ecce, וְהִנֵּה, *καὶ ἰδού, apparuit* (deest in Hebraico et Graeco) *clibanus fumans, et lampas ignis transiens inter divisiones,* partes divisas, *illas.* Cum sol occumberet, caligo magna (℣. 12); cum occubuisset, caligo spissa, עֲלָטָה (Gesenius) facta est: et tunc per animalia divisa et invicem posita pertransiit caminus seu fornax fumans, ex quo flamma erumpebat. In fumo et flamma Deus praesens fuit (cf. Ex. 19, 18; 3, 2; 13, 21) atque *transiens inter divisiones* more Chaldaeorum Abrae Chaldaeo promissionem suam confirmavit (cf. Theodoretum, Caietanum, Lapide, Dillmann, Hummelauer).

Lapide putat, fornacem fumantem fuisse imaginem servitutis Aegyptiacae „in luto et latere, quem in suis furnis coquebant Hebraei": flammam vero symbolum exitus ex Aegypto. Reapse Deut. 4, 20 legimus: *Vos autem tulit Dominus, et eduxit de fornace ferrea Aegypti.* — Hoberg cum Lapide et S. Chrysostomo censet, flammam pertranseuntem combussisse partes animalium cum turture et pullo columbae. Videas quae pag. 102 et 260 dicta sunt. — Idem Lapide opinatur, etiam Abram in visione inter partes animalium pertransisse; quod tamen textus non indicat neque

necessarium fuit, cum Dominus tantummodo (cf. Strack[2]) suam promissionem Abrae confirmare vellet. — De constructione וְעַלָטָה הָיָה cf. Gesenius-Kautzsch 474 s. et Strack[2]. — תַּנּוּר et לַפִּיד sunt status constructi (Bachmann); Hoberg et Holzinger appositiones accipiunt. — גְּזָרִים = segmenta, partes (Gesenius); vide גָּזַר *secuit.* — Bene Hummelauer scribit: „Unde licet aliquod petere argumentum, hanc narrationis partem non esse ab auctore quodam Moyse recentiore primum confictam, sed ex ipsa traditione Abrahamica fluxisse; auctor sc. Moyse recentior cum idem portentum in mente habuisset, quod in deserto visum referebatur, eadem columnae comparatione adhibita illud expressisset. At hic habemus auctorem antiquiorem actorum in deserto plane ignarum, qui portentum explicat similitudine clibani."

℣℣. 18—21. In illo die *pepigit Dominus foedus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum Euphraten,* 19*Cinaeos, et Cenezaeos, Cedmonaeos,* 20*et Hethaeos, et Pherezaeos, Raphaim quoque,* 21*et Amorrhaeos, et Chananaeos, et Gergesaeos, et Iebusaeos.* Symbolica ista actione Deus cum Abra foedus iniit, ad implendam promissionem ei factam (℣. 7) solemniter se obligavit; de obligatione Abrae explicite nihil quidem legimus, ex antecedentibus (cf. ℣. 6) tamen inferre possumus, illam fuisse fidem formatam. *Fluvius,* torrens, rivus *Aegypti* (Num. 34, 5; Ios. 15, 4; Isa. 27, 12) et *fluvius Euphrates* (Ex. 23, 31; Deut. 1, 7; 11, 24; Ios. 1, 4; 2 Reg. 8, 3 ss.) regnantibus Davide et Salomone revera fines terrae promissae fuerunt (2 Reg. 8, 3 ss.; 3 Reg. 8, 65). Populi terram ante Hebraeos inhabitantes hic decem vel undecim (vide notam), alibi septem vel sex vel quinque vel pauciores (℣. 7; 13, 7) enumerantur.

Fluvium Aegypti, נְהַר מִצְרַיִם iuxta Caietanum, Fürst, Guthe, Hoberg, Heyes 42 ss. = torrens, rivus Aegypti, wādi el-ʿarīš, qui prope Rhinocoluram (el-ʿarīš) in mare influit (videas Riess, Bibel-Atlas); iuxta Calmet, Dillmann, Gesenius, Holzinger (Gunkel) tamen = Nilus. At Nilus numquam finis terrae promissae fuit, adesset igitur hyperbole; ceterum omnes concedunt, etiam נָהָר rivum, immo canalem significare posse. Forsitan propter sequens נָהָר etiam prius נָהָר loco נַחַל positum est; reapse Kittel מִנַּחַל legendum iudicat (cf. et Buhl). Heyes 43 opinionem Winckler recte reprobat, qui fluvium Aegypti nahal muṣri prope tell refaḥ (Raphia) declarat, quin opinionem suam rite demonstrare possit. — De נָתַתִּי videas pag. 21 et Gesenius-Kautzsch 310 s. — In Hebraico habetur עַד־הַנָּהָר הַגָּדֹל נְהַר־פְּרָת. — *Cinaei,* הַקֵּינִי, et *Cenezaei,* הַקְּנִזִּי forsitan

in Negeb et deserto australi, *Cedmonaei,* הַקַּדְמֹנִי, in deserto Syro-Arabo habitarunt (Dillmann); de *Hetheis* 10, 15, *Pherezaeis* 13, 7, *Raphaim* 14, 5 *Amorrhaeis* 10, 16, *Chananaeis* 13, 7, *Gergesaeis* et *Iebusaeis* 10, 16 diximus. — *Hevaei* (10, 17) a Samaritano et LXX post Chananaeos inseruntur, quod Kittel approbat.

C. **16. ℣. 1. Igitur Sarai,** וְשָׂרַי, *uxor Abram, non genuerat* illi, לוֹ, *αὐτῷ (sibi* Sixtina) *liberos* (deest in Hebraico et Graeco), erat enim sterilis (11, 30): *sed habens* vel potius habuit (Hebraicus et Graecus) *ancillam Aegyptiam nomine Agar,* הָגָר i. e. fuga (Gesenius, Fürst, Socin; cf. arab. haǵara, hiǵra), quam probabiliter ex Aegypto secum duxerat (cf. 12, 15 ss.: S. Chrysostomus, S. Ephrem, Dillmann, Hummelauer, Hoberg, Holzinger); quae ancilla non ad Abram, sed Sarai pertinebat, ut verba textus docent (Tuch, Dillmann, Hummelauer, alii).

Frz. Delitzsch, Hummelauer, S. Chrysostomus monent, cum emphasi sterilitatem Sarae post promissiones seminis numerosi hic astrui. — Etiam Lia (29, 24) et Rachel (29, 29) propriam ancillam habuerunt. — Agar ut Aegyptia filio suo *uxorem de terra Aegypti* accepit (21, 21). Winckler et Hommel affirmant, מִצְרַיִם in V. T. saepius = cuneat. Muṣri partim terram in Syria septemtrionali, partim terram in Arabia septemtrionali significare (cf. Gunkel 174, Holzinger, Heyes 44 ss.), sed postea cum Aegypto confusam esse; Agar igitur non ex Aegypto, sed ex Arabia fuisse, quod nomine Arabico et fuga eius in Arabiam (℣℣. 6 ss.) confirmetur. Veruntamen, Moysen *omni sapientia Aegyptiorum* eruditum (cf. pag. 28) terram Muṣri cum terra Aegyptiorum confudisse, improbabilissimum est; deinde uti Semitae in Aegypto habitantes nomina Aegyptia assumebant (Heyes 46), sic etiam Aegyptii extra terram suam habitantes nomina extera assumere potuerunt (Strack[2] et Heyes 46, qui testatur, nomen Aegyptium hkr. hagr posteriore tempore viris inditum fuisse); denique Agar in Arabiam, non in Aegyptum fugisse, probari nequit, cum via tritissima per desertum Arabiae Sur in Aegyptum ducat (Heyes 47).

℣. 2. dixit marito suo, וַתֹּאמֶר שָׂרַי אֶל־אַבְרָם, *εἶπεν δὲ Σάρα πρὸς Ἀβράμ· Ecce,* הִנֵּה־נָא, *conclusit me Dominus, ne parerem:* „Nota Hebraismum, inquit Lapide, aperire vulvam est foecundare, dare prolem; e contrario concludere vulvam vel feminam est facere sterilem, conceptu et prole privare" (cf. 20, 18; 29, 31 et 30, 22; Dillmann, Strack[2]). *ingredere,* בֹּא־נָא, *εἴσελθε οὖν, ad ancillam meam:* „Quasi maritus ad coniugem tuam, quam per hunc ingressum, puta per copulam maritalem, tibi matrimonio iungis" (Lapide, Bachmann): *si*

forte saltem ex illa suscipiam filios, אוּלַי אִבָּנֶה מִמֶּנָּה i. e. „fortasse aedificabor per illam i. e. huius ancillae ope liberos habebo, siquidem hera ancillae suae liberos ex marito ipsa permittente susceptos suos habere solebat“ (Gesenius; cf. 30, 3. 9). *Cumque ille acquiesceret deprecanti,* וַיִּשְׁמַע אַבְרָם לְקוֹל שָׂרָי, *ὑπήκουσεν δὲ Ἀβράμ τῆς φωνῆς αὐτῆς.* „Non dicitur, ait Caietanus, audivit vocem Dei, sed vocem uxoris. Nulla Dei consultatio, nulla Dei apparitio seu allocutio scribitur, sed Sarai interpellatio.“ Sarai et Abram nimis prudentiae humanae confidebant, uti postea Rebecca (cf. 25, 23; 27, 5 ss.): pro qua re poenas luebat Sarai (16, 4 s.), Abram (21, 10 s.), Rebecca (27, 41 ss.).

De מַלֶּדֶת videas Gesenius-Kautzsch 387. — אִבָּנֶה, *τεκνοποιήσεις,* assyr. *banû,* iuxta Buhl cum בֵּן cohaeret. — „Carpit hic Calvinus Saram quasi lenam et Abram quasi adulterum ancillae suae Agar: verum utrumque excusat S. Chrys. Aug. Ambros. Ioseph. Hieron. et alii. Abram enim Agar non habuit quasi concubinam, sed eam duxit hic in uxorem secundariam; tum enim licita erat polygamia, nec ad eam libido, sed spes et desiderium prolis et posteritatis tam Saram quam Abram incitabat“ (Lapide).

℣. 3. tulit, וַתִּקַּח שָׂרַי אֵשֶׁת אַבְרָם, *καὶ λαβοῦσα Σάρα ἡ γυνὴ Ἀβράμ,* (cf. pag. 55) *Agar Aegyptiam ancillam suam post annos decem quam habitare coeperant,* מִקֵּץ עֶשֶׂר שָׁנִים לְשֶׁבֶת אַבְרָם, (cf. pag. 141) *μετὰ δέκα ἔτη τοῦ οἰκῆσαι Ἀβράμ, in terra Chanaan,* quando igitur Abram 85 annorum erat (cf. 12, 4): *et dedit eam* Abram, *τῷ Ἀβράμ,* לְאַבְרָם, *viro suo uxorem,* לוֹ לְאִשָּׁה, *αὐτῷ γυναῖκα.* S. Chrysostomus putat, Agar iam antea ad cultum Dei veri conversam fuisse.

℣. 4. Qui ingressus est ad eam, אֶל־הָגָר, *πρὸς Ἄγαρ,* et concepit, וַתַּהַר, *καὶ συνέλαβεν. At illa concepisse se videns, despexit dominam suam,* LXX accuratius: *καὶ ἴδεν ὅτι ἐν γαστρὶ ἔχει, καὶ ἠτιμάσθη ἡ κυρία ἐναντίον αὐτῆς.* Sterilitas in V. T. *opprobrium inter homines* (Luc. 1, 25) fuit, propterea Sarai in oculis Agar vilis facta est.

℣. 5. Dixitque Sarai ad Abram: *Inique agis contra me,* חֲמָסִי עָלֶיךָ i. e. iniuria mea seu mihi illata (Gesenius) super te est, tibi imputanda, quia „Agar ancillam meam contra me insolescentem non castigas, sed toleras“ (Lapide cum

S. Chrysostomo, Hoberg): *ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quae videns quod conceperit, despectui me habet,* LXX accuratius: ἠτιμάσθην ἐναντίον αὐτῆς. *iudicet Dominus inter me, et te,* בֵּינִי וּבֵינֶֽיׄךָ, „de mea causa et tua, num videlicet aequum sit, me hanc iniuriam pati, et te illam dissimulare" (Lapide).

Punctum extraordinarium (Gesenius-Kautzsch 27) significat, jôd secundum esse delendum et cum Samaritano וּבֵינֶךָ legendum (Gesenius-Kautzsch 302); iuxta Kittel fortasse וּבֵינָהּ emendandum. — Hummelauer 397 citat S. Abrosium de polygamia loquentem: „Huiusmodi intemperantia solvit caritatem coniugii. . . . Simul ut de domino conceperit ancilla, spernit dominam suam tamquam ditior partu; domina se despici dolet, maritum auctorem iniuriarum suarum arguit." Lapide autem optime notat: „Ecce quam male cadunt praepropera et nimis humana consilia" (cf. ℣. 2) . . . „quotidie maxime eos adversarios experimur, quos nimis commendavimus vel promovimus."

℣. 6. **Cui respondens Abram,** LXX accuratius: εἶπεν δὲ Ἀβράμ πρὸς Σάραν· *Ecce, ait* (deest *ait* in Hebraico et Graeco) *ancilla tua in manu tua est,* ergo *utere ea ut libet,* עֲשִׂי־לָהּ הַטּוֹב בְּעֵינָיִךְ i. e. fac ei, quod bonum est in oculis tuis; ancilla tua non mea est, ergo tu ipsa corripias eam (cf. Lapide, Dillmann). *Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit,* LXX accuratius: καὶ ἐκάκωσεν αὐτὴν Σάρα, καὶ ἀπέδρα ἀπὸ προσώπου αὐτῆς. Sarai tanta asperitate et dura severitate iniuriam sibi irrogatam vindicavit (cf. Dillmann), ut Agar in patriam suam reverti vellet, ideoque illam viam ingrederetur, quae ab Hebron per desertum Arabiae in Aegyptum ducebat (cf. Riess, Strack², Heyes 47).

℣℣. 7. 8. **Cumque invenisset** *eam angelus Domini iuxta fontem aquae in solitudine, qui* (non autem quae cum Sixtina aliisque codicibus Latinis, cf. Vercellone) *est in via Sur in deserto* (deest *in deserto* in Hebraico et Graeco), עַל־עֵין הַמַּיִם בַּמִּדְבָּר עַל־הָעַיִן בְּדֶרֶךְ שׁוּר, ἐπὶ τῆς πηγῆς τοῦ ὕδατος ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἐπὶ τῆς πηγῆς ἐν τῇ ὁδῷ Σούρ, ⁸ *dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, unde venis? et quo vadis? quae respondit: A facie Sarai dominae meae ego fugio.* מַלְאַךְ יְהוָה, ἄγγελος κυρίου in locis aliis (e. gr. Gen. 16, 8 coll. ℣. 13; 18, 1 ss.; Ex. 3, 2 ss. coll. ℣. 6; Iud. 6, 11 s. coll. ℣. 16) ipse Deus se revelans, in aliis autem spiritus caelestis (cf. pag. 3) a Deo missus

intelligendus est: contextus respici debet (Hoberg, cf. et Kautzsch-Guthe). שׁוּר, *Σούρ*, aegypt. *àneb*, plural. *ànebu*, tum murum ab Aegyptiis contra Asianos in isthmo erectum tum urbem quamdam tum desertum intra murum et torrentem Aegypti significat (cf. Heyes 47, Riess, Buhl, Strack[2], Wiedemann). In via igitur, quae ad Sur ferebat, et quidem iuxta fontem notum (℣. 14) angelus Domini Agar fugienti apparuit et locutus est. Quemadmodum Dominus Adam (3, 9) atque Evam (3, 13) necnon Cain (4, 9) interrogaverat, ut eos ad resipiscentiam, confessionem et poenitentiam perduceret; eodem modo nunc Agar interrogat, quam cum emphasi ancillam Sarai et nomine proprio vocat manifestans sibi personam et conditionem eius notas esse. Agar statim culpam suam confitetur: *A facie Sarai dominae meae ego fugio.*

Exemplaria originalia Clementina et Sixtina iuxta morem illius temporis non observant rationem scribendi constantem. In eisdem circumstantiis et in eadem significatione impressum videmus *angelus Domini* atque *Angelus Domini* etc. Videas epilogum criticum ad meam editionem Bibliae Sacrae, pag. 165*. — Plures Patres Ecclesiae necnon recentiores Theologi Lutherani (cf. Kautzsch-Guthe) docuerunt, *angelum Domini* in pluribus saltem locis secundam Trinitatis personam intelligendam esse: quae sententia non improbabilis est (cf. pag. 2. 5. 18. 87). — Verba עַל־הָעַיִן בְּדֶרֶךְ שׁוּר Gunkel, Holzinger, Kittel sine ratione probabili glossam declarare vellent.

℣℣. 9—12. Dixitque ei angelus Domini, וַיֹּאמֶר לָהּ מַלְאַךְ יְהוָה, *εἶπεν δὲ αὐτῇ ὁ ἄγγελος κυρίου· Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius,* יָדֶיהָ, *τὰς χεῖρας αὐτῆς.* [10]*Et rursum,* וַיֹּאמֶר לָהּ מַלְאַךְ יְהוָה, *καὶ εἶπεν αὐτῇ ὁ ἄγγελος κυρίου Multiplicans, inquit, multiplicabo,* הַרְבָּה אַרְבֶּה (cf. pag. 82), *semen tuum, et non numerabitur prae multitudine.* [11]*Ac deinceps,* וַיֹּאמֶר לָהּ מַלְאַךְ יְהוָה, *καὶ εἶπεν αὐτῇ ὁ ἄγγελος κυρίου Ecce, ait, concepisti,* הִנָּךְ הָרָה, *ἰδοὺ σὺ ἐν γαστρὶ ἔχεις, et paries filium: vocabisque nomen eius Ismael,* יִשְׁמָעֵאל, *eo quod audierit Dominus afflictionem tuam,* כִּי־שָׁמַע יְהוָה אֶל־עָנְיֵךְ. [12]*Hic erit ferus homo, ἄγροικος ἄνθρωπος,* פֶּרֶא אָדָם i. e. „onager hominum, ferus instar onagri" (Gesenius): *manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum: et e regione,* וְעַל־פְּנֵי, *καὶ κατὰ πρόσωπον, universorum fratrum suorum figet tabernacula,* יִשְׁכֹּן, *κατοικήσει.* Tria angelus Domini fugienti Agar manifestat, quae verba in He-

braico et Graeco eadem formula introducuntur: primo quidem reditum et humilitatem pro ancilla Sarai necessariam (℣. 9); secundo posteros uxoris Abrae valde multiplicandos (℣. 10); tertio nomen et indolem filii nascituri observandam esse (℣. 11 s.). *Ismael,* יִשְׁמָעֵאל idem est ac Deus exauditor vel Deus exaudit (Fürst, Gesenius, שָׁמַע), quo nomine Agar filium suum vocare debuit, ut semper recordaretur, Deum humilitatem vel *afflictionem* quasi ad ipsum clamantem audivisse seu ad illam attendisse, respexisse (cf. Gesenius, Dillmann; Luc. 1, 48). Qui filius a Deo praenuntiatur indomitus, libertatem amans, in desertis vagans uti onager, omnes impugnans et ab omnibus impugnatus *(manus eius contra omnes* etc.), non quidem inter sed tamen iuxta alios Abrae filios (cf. 21, 1 ss. 8 ss.; 25, 1 ss. 18) habitans, in conspectu, inquit, fratrum suorum (cf. S. Hieronymum, Lapide, Hummelauer, Dillmann).

Observa repetitionem eiusdem verbi: וַתְּעַנֶּהָ et humiliavit (℣. 6), וְהִתְעַנִּי et humiliare (℣. 9), עָנְיֵךְ humilitatem tuam (℣. 11), quae de conditione abiecta et misera ancillae intelligenda sunt. — Holzinger cum Wellhausen asserit, versum 9. duplici ratione versui 11 s. contrarium esse, cum iuxta ℣. 9. Agar se humiliare debeat, iuxta ℣. 11. autem Deus humilitatem eius respexerit; cum iuxta ℣. 9. reverti debeat, iuxta ℣. 11 s. autem Ismael remotus ab Abra in deserto accreverit. At vera contradictio (cf. Exegeticam 114) non adest. Deus noluit, ut Agar conditionem suam humilem relinqueret, voluit e contrario, ut in ea permaneret (cf. 1 Cor. 7, 20 ss.); simul tamen obedientiam et subiectionem eius remuneraturus erat prole numerosa. Quod vero Agar ad Abram reverti debuerit, et Ismael nihilominus in desertis adoleverit, facile conciliantur: potuit post partum e tabernaculo Abrae dimitti (cf. 21, 9 ss.). — Nihil nos cogit, ut in ℣. 11. pro וְיֹלַדְתְּ cum Ball (et Kittel) וְיָלַדְתְּ scribamus (cf. Gesenius-Kautzsch 221, Gunkel, Holzinger). — Ut Ismaeli sic Isaaco (Gen. 17, 19), Salomoni (1 Par. 22, 9), Iosiae (3 Reg. 13, 2), Ioanni Baptistae (Luc. 1, 13), Iesu Christo (Luc. 1, 31; Matth. 1, 21) nomen ante partum ab ipso Deo impositum legimus. Conferas Pererium et Lapide. — *Afflictionem* Lapide „famem, sitim, labores, anxietates aliasque aerumneas fugae et itineris", Gunkel vexationem declarat; sed videas notam primam. — De constructione פֶּרֶא אָדָם cf. Gesenius-Kautzsch 422. — *Quis dimisit onagrum liberum,* legimus Iob 39, 5—8, *et vincula eius quis solvit? Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula eius in terra salsuginis. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. Circumspicit montes pascuae suae, et virentia quaeque perquirit.* — De illo עַל־פְּנֵי scribit Hummelauer: „Optime vocem explicat Syr. *in finibus* seu *ultra fines:* habebit proprios fines, non erit unus cum

fratribus populus, neque tamen longe ab ipsis incolet. Suavi modo docetur Agar, Ismaelitas fore gentem a populo electo distinctam.“ Minus bene Delitzsch et Buhl de habitatione in plaga orientali; Lapide, Dillmann, Holzinger, Strack[2] de audacia et confidentia eius interpretantur, nam hi sensus cum contextu non bene congruunt. — Non male notat Gunkel, filium matri similem fuisse.

℣. 13. Vocavit autem nomen Domini, שֵׁם־יְהוָה, *qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidisti me,* *σὺ ὁ θεὸς ὁ ἐφιδών με*, אַתָּה אֵל רֳאִי, tu Deus visionis es, i. e. Deus omnia videns (Dillmann, Buhl, cf. et Lapide). *Dixit enim: Profecto hic vidi posteriora videntis me,* LXX vero: *καὶ γὰρ ἐνώπιον ἴδον ὀφθέντα μοι*, הֲגַם הֲלֹם רָאִיתִי אַחֲרֵי רֹאִי i. e. etiamne heic vidi post videntem me = num in hoc loco revera oculis prosecutus sum eum (Bachmann, Dillmann, Strack[2]), qui viderat seu miserans respexerat me et nihilominus vivo? „Verba sunt mulieris admirantis, hoc loco, aliter atque alibi, Deum impune et sine vitae periculo conspici a mortalibus“ (Gesenius 1245): *non enim videbit me homo, et vivet,* inquit Dominus (Ex. 33, 20).

Masoretae prius substantivum רֳאִי, deinde participium cum suffixo רֹאִי punctarunt. LXX et Vulgata utrobique participium verterunt; Gesenius 1245 etiam secundo loco substantivum accipit declarans: „num hic video i. e. vivo etiam post visionem sc. Dei, adeo numine conspecto?“ At רָאָה in nullo loco alio V. T. idem est ac vivere (Dillmann). — Hummelauer priorem partem cum Syro sic exponit: tu es Deus in visione = Deus qui videri potest; alteram partem corruptam iudicat. — Illud הֲגַם Dillmann cum proximo הֲלֹם, Strack[2] vero cum רָאִיתִי coniungit, ut sit sensus: etiamne hic in deserto, ubi non exspectavi, vidi? aut num hic revera vidi et nihilominus vivo? — Hummelauer scribit, הֲלֹם non *hic* sed *huc* significare; sed iuxta Gesenius, Fürst, Buhl, philologos non spernendos, tum *huc* tum *hic* significat. — רָאָה אַחֲרֵי = oculis prosequi, nachsehen, guardar dietro (Bachmann, Strack[2]); conferas Ex. 33, 23. — Inter emendationes propositas (cf. Dillmann, Gunkel, Holzinger) illa Wellhausen et Kittel non displicet: הֲגַם אֱלֹהִים רָאִיתִי וָאֶחִי אַחֲרֵי רֹאִי i. e. etiamne Deum vidi et vivo post visionem? — Quomodo *angelus Domini* evanuerit, textus non indicat; Gunkel 175 opinatur, sed non demonstrat, primitus scriptum fuisse, Deum in puteo disparuisse et fontem sacrarium fuisse!

℣. 14. Propterea *appellavit,* קָרָא, *puteum illum,* לַבְּאֵר, *Puteum viventis et videntis me,* בְּאֵר לַחַי רֹאִי. *Ipse est,* הִנֵּה, *ἰδού*, *inter Cades et Barat,* בֵּין־קָדֵשׁ וּבֵין בָּרֶד, *ἀνὰ μέσον Καδὴς καὶ ἀνὰ μέσον Βάραδ.*

Propter factum supra narratum iste puteus appellabatur, קָרָא (cf. pag. 209), puteus Dei *viventis* (cf. pag. 45) et *videntis* miseriam hominum (cf. pag. 268). Fons probabiliter ille est, qui in Muweiliḥ, ex meridie Bersabee et Ebodae, monstratur (cf. Dillmann, Riess, Strack²).

קָרָא construitur cum לְ et accusativo (cf. lexicon); Hoberg cum Hummelauer dicit, לְ introducere „sequentem textum". — לַחַי est genetivus (cf. pag. 141). — בְּאֵר = „puteus ad aquam e venis terrae colligendam effossus . . . distinguitur a fonte, עַיִן, in terrae superficie vel e rupe fluente; potest tamen puteus, בְּאֵר, etiam fons, עַיִן, vocari" (Gesenius); conferas ℣. 7. — Gesenius 175 vertit: „puteus vitae visionis i. e. ubi post Dei visionem nihilominus vita servata est" (cf. et Dillmann, Hummelauer, Hoberg). — LXX habent: *φρέαρ οὗ ἐνώπιον ἴδον*. — Idem Gesenius 175: „Spretis vocalibus, ait, putei nomen fuisse conieceris בְּאֵר לְחִי רֳאִי puteus maxillae i. e. rupis (Iud. XV, 19) vel regionis . . . speciosae", quam opinionem Holzinger cum Wellhausen repetit, sed Dillmann fictionem nominat. — *Barat* in hoc tantum loco occurrit; probabiliter ex occidente *Cades* fuit (Dillmann). — Holzinger cum Stade et Marti ex hoc loco infert, ad fontes loca cultus divini fuisse; sed iuxta praecepta logica, usum loquendi et contextum talis conclusio ex sacro textu deduci nequit. Multo minus ex hoc loco rite explicato totemismus probari potest.

℣℣. 15. 16. **Peperitque Agar Abrae filium:** *qui vocavit nomen eius Ismael,* LXX accuratius: *καὶ ἐκάλεσεν Ἀβρὰμ τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὃν ἔτεκεν αὐτῷ Ἀγάρ, Ἰσμαήλ·* ¹⁶*Octoginta et sex annorum erat Abram quando peperit ei,* לְאַבְרָם, *τῷ Ἀβράμ, Agar Ismaelem.* Haec facta sunt, postquam Agar in tabernaculum Abrae reversa fuerat (Lapide, Dillmann, Hoberg). Quod pater filio nomen imponat, versui 11. contrarium non est (contra Dillmann aliosque); idem Luc. 1, 31 coll. Matth. 1, 21 invenimus.

Iuxta Gunkel exspectandum erat, Agar ad fontem mansisse, filium peperisse et Ismaelem vocasse; Ismaelem autem in deserto adolevisse et in populum accrevisse. In veritate tamen contrarium exspectandum est, nimirum Agar voci Dei viventis et videntis, praecipientis ac promittentis obedivisse, reversam esse, se humiliasse et in tabernaculo Abrae peperisse. Videas et pag. 268. — Iuxta eumdem Gunkel 173 ss. Agar et Ismael non individua, sed gentes fuerunt: Agar gens antiqua, ex qua gens Ismaelitarum cum Israelitis fraternitate sociata prodiit. Narratione ista fabulosa Israelitae declarare voluerunt, quare Ismaelitae in desertis vagentur. Licet ea quae gratis asseruntur, etiam gratis negari

possint, tamen breviter haec reponimus: *a)* Secundum usum loquendi et contextum, notissima principia hermeneutica, scriptor Genesis historiam individuorum Agar et Ismael, non gentium proxime proponere intendit. *b)* Moysen in hac re errasse, improbabilissimum est, cum ipsi necessaria scientia et traditio continua (cf. pag. 202) praesto fuerint. *c)* Haec opinio cum catholica inspirationis notione (cf. pag. 35 ss.) conciliari nequit. *d)* S. Paulus ad Gal. 4, 22 ss. Agar et Ismaelem aeque ac Abram, Sarai et Isaac pro individuis habet ac proponit. Videas pag. 114 s. — In eodem loco Pauli exponitur, quatenus Agar et Ismael typi futurorum sint.

C. 17. ℣. 1. **Postquam vero** *nonaginta et novem annorum esse coeperat, apparuit ei Dominus,* יְהוָה, *dixitque ad eum,* LXX accuratius: Ἐγένετο δὲ Ἀβρὰμ ἐτῶν ἐνενήκοντα ἐννέα, καὶ ὤφθη κύριος τῷ Ἀβρὰμ καὶ εἶπεν αὐτῷ (de apparitione et locutione vide pag. 223): *Ego Deus omnipotens,* אֲנִי־אֵל שַׁדַּי, *ambula coram me,* הִתְהַלֵּךְ לְפָנַי, *et esto perfectus,* וֶהְיֵה תָמִים. Nomine *Šaddaj* sufficientia Dei exprimitur; *ambulare* autem actus hominis externos et internos comprehendit, ambulare *coram Deo* seu ante faciem, ante oculos eius, לְפָנַי, idem est ac Deum praesentem habere (cf. Dillmann, Lapide; Tob. 4, 6; Prov. 3, 6). Qui Deum semper praesentem habent, certo (vide notam sequentem) integri, absoluti, sancti erunt *incedentes in omnibus mandatis, et iustificationibus Domini sine querela* (Luc. 1, 6).

Unde שַׁדַּי derivandum et quomodo declarandum sit, non liquet. Probabilior illa sententia videtur, quam punctatio indicat (cf. Buhl, Holzinger) atque Aquila, Symmachus, Theodotion aliique tenent, nimirum שַׁדַּי compositum esse ex שֶׁ = אֲשֶׁר (cf. pag. 130) et דַּי *sufficientia,* ita ut שַׁדַּי = *qui sufficientia* vel *qui sufficiens,* ἱκανός, et quidem sibi ipsi (αὐτάρκης), hominibus (Valeton, cf. Holzinger) et ad omnia alia (παντοκράτωρ, cf. Gesenius). Quam sententiam Fürst et Gesenius-Roediger cum aliis (cf. Buhl) repudiant, sed argumentum probabile non proferunt. „Dicit ergo Deus Abrahae: Ego sum Deus saddai, sufficientissimus, copiosissimus, ditissimus, munificentissimus, qui te ditare bonisque omnibus cumulare possum et volo. Ambula ergo coram me, ut capax sis harum opum utque dignus sis iis bonis, quae tibi promisi" (Lapide, qui pulchras accommodationes asceticas adiungit). — Alii multi שַׁדַּי cum שֹׁד *vis* (cf. Isa. 13, 6; Ioel 1, 15) et שָׁדַד *validus fuit* cohaerere censent, ita ut potentissimum vel omnipotentiam significet. Quoad formam Roediger (cf. Gesenius 1367) putat, שַׁדַּי „primitus significasse *mei potentes, dî mei* vel *mi deus,* deinceps nomen proprium Dei omnipotentis factum esse, ut

„אֲדֹנָי“ (cf. pag. 256): esset igitur pluralis cum suffixo. Fürst et alii dicunt, nomen esse adiectivum compositum ex singulari שַׁד et terminatione adiectivi ַי ac robustum, potentem significare; alii שַׁדַּי pluralem maiestaticum a singulari שַׁד declarant (cf. Gesenius); iuxta Stade שַׁדַּי est abstractum = omnipotentia. — Alii hoc nomen Dei cum arab. *šadīd* = validum esse vel cum arab. שׁדד seu שׁדא = humidum esse vel cum aram. שְׁדָא = iaculari vel cum assyr. *šadu* = altum esse cohaerere opinantur. — Alii denique punctant שֵׁדִי vel שֵׁדַי a שֵׁד (cf. assyr. *šêdu*) idolum, daemon. Syrus vertit *Deus promissionum;* Graecus *θεός, ὁ θεός μου, ὁ ἐπουράνιος, θεὸς τοῦ οὐρανοῦ, κύριος, ὁ ἱκανός, παντοκράτωρ.* — שַׁדַּי tam absolute ponitur (e. gr. Num. 24, 4. 16) quam cum אֵל coniungitur (e. gr. hic). Videas Buhl, Dillmann, Guthe, Holzinger et pag. 92. — Si in Hebraico duo imperativi coniunguntur, prior conditionem, alter effectum certo eventurum indicat; conferas illud „Divide et impera“ (Gesenius-Kautzsch 325). Ergo הִתְהַלֵּךְ לְפָנַי וֶהְיֵה תָמִים idem sonat atque „si in praesentia mea ambulaveris, certo perfectus eris“. Qui semper Deum sibi praesentem cogitat, peccatum fugit, concupiscentiam reprimit, tentationes mundi et diaboli vincit, ad amorem Dei excitatur, in Deo laetatur illique placere studet itaque perfectus evadit (cf. Lapide): *εὐαρέστει ἐναντίον ἐμοῦ καὶ γίνου ἄμεμπτος,* reddunt LXX.

℣℣. 2. 3. **Ponamque foedus meum,** וְאֶתְּנָה בְרִיתִי (videas pag. 137, ℣. 18) *inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis,* בִּמְאֹד מְאֹד i. e. „cum vehementia vehementiae i. e. vehementissime“ (Gesenius). Conferas quae ad ℣℣. 4. et 9. dicentur. [3]*Cecidit Abram pronus,* וַיִּפֹּל אַבְרָם, *καὶ ἔπεσεν Ἀβράμ, in faciem suam,* עַל־פָּנָיו, hac caerimonia Deo gratias agens; postea iterum se erexit (cf. ℣. 17; Dillmann, Lapide).

℣. 4. **Dixitque ei Deus,** LXX accuratius: *καὶ ἐλάλησεν αὐτῷ ὁ θεὸς λέγων· Ego sum, et pactum meum tecum, καὶ ἐγώ, ἰδοὺ ἡ διαθήκη μου μετὰ σοῦ,* אֲנִי הִנֵּה בְרִיתִי אִתָּךְ i. e. quod ad me attinet, ecce foedus meum tecum est seu in hoc consistit (cf. Gunkel, Strack[2] et notam), vel ego promitto, me obligo ad ea, quae mox dicam; tu autem, וְאַתָּה, praestare debes, obligatus es ad ea, quae deinde exponam (cf. ℣. 9 ss.): essentia foederis seu obligationes mutuae (cf. Lapide, Dillmann et ceteros). *erisque* vel ut futurus sis (cf. Gunkel, Hoberg) *pater multarum gentium,* לְאַב הֲמוֹן גּוֹיִם i. e. pater multitudinis gentium. Quibus verbis promissio prius facta magis determinatur: prius Abrae simpliciter posteri copiosi promissi erant (15, 5), nunc

plures gentes ei promittuntur (cf. 25, 1 ss. 12 ss. 19 ss.; 36, 1 ss.: Dillmann).

Pronomen separatum אֲנִי sequens suffixum acutius reddit; non est autem casus obliquus, sed subiectum propositionis propriae, cuius praedicatum ex contextu supplendum est (Gesenius-Kautzsch 445). Bonfrerius sic supplet: „Ego sum, qui ponam pactum meum, vel cuius pactum erit tecum"; Lapide: „Ego sum qui sum: sum aeternus, sum immutabilis, sum constans et fidelis in promissis, ideoque pactum meum, quod tecum hisce verbis sancio, erit immutabile et irrevocabile." — Summa pacti a Lapide ad ℣. 2. hoc modo enuntiatur: „Ego peculiari cura te tuosque prae aliis hominibus ac gentibus protegam, dirigam et promoveam, vocerque Deus Abrahae; tu vicissim peculiari fide, obedientia et cultu mihi servias, huiusque foederis symbolum et signum dabo circumcisionem." — Status constructus vocabuli אָב regulariter est אֲבִי, sed per exceptionem etiam אַב, uti hic et in nominibus propriis, e. gr. אַבְנֵר, אַבְשָׁלוֹם, אַבְשַׁי (Fürst, Buhl). — הָמוֹן = strepitus, praesertim strepitus multitudinis, deinde = multitudo (Gesenius).

℣. 5. Nec ultra vocabitur, וְלֹא־יִקָּרֵא, *nomen tuum Abram,* אֶת־שִׁמְךָ אַבְרָם, *sed appellaberis Abraham,* וְהָיָה שִׁמְךָ אַבְרָהָם, *ἀλλ' ἔσται Ἀβραάμ τὸ ὄνομά σου· quia patrem multarum gentium constitui te,* כִּי אַב־הֲמוֹן גּוֹיִם נְתַתִּיךָ. A b r a m idem est ac p a t e r e x c e l s u s, contra A b r a h a m idem ac p a t e r m u l t i t u d i n i s vel p a t e r e x c e l s u s m u l t i t u d i n i s (cf. Gesenius, Fürst, Hoberg).

Illud אֶת Kittel delendum censet, quia in 11 manuscriptis et Samaritano deest; ceterum eamdem constructionem pag. 108, ℣. 18. habes. — אַבְרָם ex אָב *pater* et רָם *excelsus* compositum est; conferas עַמְרָם, יוֹרָם, אֲדֹרָם, אֲבִירָם (Fürst, Gesenius, Dillmann, Kautzsch-Guthe) et assyr. *Abiramu, Aburamu, Aburam* (Dillmann, Hoberg). — Quoad אַבְרָהָם Dillmann, Holzinger, Kautzsch-Guthe dicunt, significationem incertam esse; e contrario Gesenius, Fürst, Hoberg recte censent, in hoc ℣. veram nominis significationem tradi. Fürst et Delitzsch vocabulum ex אָב *pater* et רָהָם *multitudo* compositum putant: sed vox רָהָם alibi non occurrit. Ideo Hoberg cum aliis nomen ex אָב *pater* et רָם *excelsus* (A b r a m) et הָם = הָמוֹן *multitudo* abbreviatum, ergo אברהם pro אברמהם scriptum iudicat. Dillmann, Gunkel 144, Holzinger, Kautzsch-Guthe, Strack[2] voces *Abram* et *Abraham* duas variantes vel pronuntiationes eiusdem nominis declarant. Hummelauer scribit: „At res hic non secundum etymologiae canones est definienda, sed Deus voluit hanc nominis formam memoriale esse numerosae Abrahae promissae prolis." — Etiam Sarai (℣. 15), Iacob (35, 10), Simon (Ioan. 1, 42) nomen alterum acceperunt.

℣. 6. **Faciamque te crescere** *vehementissime,* בִּמְאֹד מְאֹד (℣. 2), *et ponam te in gentibus,* לְגוֹיִם, *εἰς ἔθνη* (℣. 4), *regesque ex te egredientur,* reges Iuda et Israel ex Iacob, reges Idumaeorum et Amalecitarum ex Esau, reguli seu principes ex Ismael et Cetura descendentes (Lapide).

℣℣. 7. 8. **Et statuam,** וַהֲקִמֹתִי, *pactum meum,* אֶת־בְּרִיתִי (cf. pag. 137 et 159) *inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis,* לְדֹרֹתָם, *εἰς γενεὰς αὐτῶν, foedere sempiterno: ut sim Deus tuus, et seminis tui post te,* לִבְרִית עוֹלָם לִהְיוֹת לְךָ לֵאלֹהִים וּלְזַרְעֲךָ אַחֲרֶיךָ i. e. in pactum sempiternum, ut sim tibi in Deum et semini tuo post te. [8]*Daboque tibi et semini tuo* (cf. pag. 238) post te, *μετὰ σέ,* אַחֲרֶיךָ, *terram peregrinationis tuae,* מְגֻרֶיךָ, *omnem terram Chanaan in possessionem aeternam,* לַאֲחֻזַּת עוֹלָם, *eroque Deus eorum,* לָהֶם לֵאלֹהִים i. e. eis in Deum. In ℣℣. 4 ss. Deus Abrae posteros numerosos ac nobiles promisit, cui promissioni hic tres alias adiungit, scilicet fore semetipsum Deum Abrahae et posterorum eius, terram Chanaan possessionem eorum, et quidem utrumque in aeternum. El Šaddai Abrahae et posteris eius in Elohim esse vult, nimirum speciali modo eos amaturus, protecturus, benedicturus atque proprio et singulari cultu et obedientia ab eis honorandus, idque per singulas generationes (cf. pag. 1; Lapide, Hoberg, Dillmann); terra autem illa, in qua Abraham ipse peregrinus et hospes (גֵּר, vide גּוּר et pag. 227) habitabat, posteris eius tamquam patrimonium assignatur (cf. pag. 258). Quod si Deus foedus sempiternum et possessionem aeternam dicit, id relative intelligendum est, si posteros carnales (cf. pag. 238): absolute autem, si posteros spirituales respiciamus (Lapide, Hoberg).

Filios Abrahae carnales et spirituales distinguendos esse, S. Paulus Rom. 4, 9 ss.; 9, 3 ss.; Gal. 3, 7 docet. — דּוֹר aetatem, homines cuiusdam aetatis vel speciei, habitationem significat (cf. Exegeticam 65).

℣. 9. **Dixit iterum** (deest *iterum* in Hebraico et Graeco) *Deus ad Abraham: Et tu ergo* וְאַתָּה (cf. pag. 272; deest *ergo* in Hebraico et Graeco) *custodies pactum meum* (cf. ℣℣. 4 et 10), tu, אַתָּה, *σύ, et semen tuum post te in generationibus suis* (cf. ℣. 7).

ỸỸ. 10. 11. Hoc est pactum meum *quod observabitis inter me et vos,* i. e. inter me atque te et domesticos tuos, *et semen tuum post te:* haec est obligatio, quam recipere et implere debetis (cf. pag. 272), videlicet: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum,* הִמּוֹל לָכֶם כָּל־זָכָר *περιτμηθήσεται ὑμῶν πᾶν ἀρσενικόν.* Quod praeceptum statim explicatur, [11] *et circumcidetis,* וּנְמַלְתֶּם, *περιτμηθήσεσθε, carnem praeputii vestri, ut sit,* וְהָיָה, *καὶ ἔσται,* scil. circumcisio (Gesenius-Kautzsch 467) *in signum foederis,* לְאוֹת בְּרִית, *inter me et vos.* Circumcisio igitur fuit signum, indicans aliquid praeteritum vel praesens vel futurum (cf. pag. 161), et quidem signum foederis seu pacti, quo foedere Abraham et posteri eius cum Deo coniuncti et a populis ceteris separati ac distincti erant. Qua tale circumcisio simul indicavit fidem et obedientiam Abrahae necnon iustitiam a Deo ipsi donatam (cf. pag. 258; Rom. 4, 11), prolem numerosam (cf. pag. 257) praesertim Messiam (cf. pag. 223 s.) promissum, fidem et obedientiam observandam necnon iustitiam acquirendam et custodiendam a filiis Abrahae (cf. pag. 272 et Rom. 2, 25 ss.). — Quod iam Celsus (cf. Orig. c. Cels. I, 22) et Iulianus (cf. Cyrill. Alex. c. Iul. l. 10) affirmarunt, Siegfried-Guthe aliique recentiores repetunt, videlicet, Israelitas circumcisionem ab Aegyptiis assumpsisse. Sed hoc non valde probabile est, cum circumcisiones Israelitarum et Aegyptiorum inter se differant. Etenim apud Aegyptios pueri et puellae, apud Israelitas pueri dumtaxat; apud Aegyptios homines non omnium, sed nobiliorum ordinum, praecipue sacerdotum, apud Israelitas omnes omnino mares (ỸỸ. 12 ss.); apud Aegyptios tempore pubertatis, apud Israelitas octavo die (Ỹ. 12) circumcidebantur. Quibus consideratis ne Gunkel quidem pro certo habet, Israelitas circumcisionem ab Aegyptiis assumpsisse; videas Heyes 48 ss. Possumus tamen dicere, Deum ritum Aegyptiorum, qui Abrahae in Aegypto degenti innotuerat, mutasse et sic mutatum in signum foederis sui elevasse, quo Abraham et domestici ac posteri eius ab aliis populis distinguebantur (cf. pag. 161 et 227 ss.).

Olshausen et Ball pro זֹאת בְּרִיתִי emendandum censent זֹאת אוֹת בְּרִיתִי. Potest autem circumcisio simpliciter etiam foedus vocari, quatenus saepe signum pro significato ponitur (cf. Exegeticam 4). — Loco *ob-*

servabitis LXX male vertunt *διατηρήσεις*, quia *vos* sequitur (Dillmann). — Iidem LXX vertunt: *καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου μετὰ σὲ εἰς τὰς γενεὰς αὐτῶν*. Ultima quattuor verba, quae in Hebraico et Latino desunt, probabilissime ex Ẏ. 9. fluxerunt; Ball, Grätz, Kautzsch-Socin, Kittel, Gunkel et Holzinger etiam octo verba antecedentia, quae in Hebraico et Latino quoque habentur, glossam declarant, sed Dillmann illa retineri posse putat, quin sensus turbetur, ut vidimus. — Infinitivus absolutus (הִמּוֹל a verbo מוּל) pro imperativo emphatico ponitur (Gesenius-Kautzsch 348): sequens כָּל־זָכָר probabilius subiectum est (ibi 349), quamvis et obiectum esse possit (ibi 392), ergo: *circumcidetur omne masculinum*. לָכֶם est dativus commodi vel ethicus (ibi 385); Vulgata ad sensum hic *ex vobis*, Ẏ. 12. *in vobis* transfert. Perfecto consecutivo וּנְמַלְתֶּם praecedens mandatum explicatur (Gesenius - Kautzsch 337): נְמַלְתֶּם pro נְמַלֹּתֶם (ibi 182). — De accusativo אֵת בְּשַׂר videas pag. 77. — Quae de significatione circumcisionis supra scripta sunt, Lapide iuxta Patres et Thomam Aquinatem aliis verbis proponit, quae a Zschokke, Kortleitner, Schöpfer et multis aliis repetuntur, nimirum: „Primo enim erat hoc signum memorativum pacti, hic a Deo cum Abraham initi, ut Iudaei, dum circumcidebantur vel circumcisos se cogitabant, recordarentur se iam transisse in foedus hoc cum Deo initum, adeoque esse se populum Deo dicatum et consecratum. . . . Secundo circumcisio erat signum repraesentativum fidei Abrahae et iustitiae per eam adeptae. . . . Tertio erat hoc signum distinctivum fidelium ab infidelibus. . . . Quarto erat hoc signum demonstrativum et purgativum peccati originalis, uti docent Patres. . . . Quinto erat praefigurativum baptismi: tam enim baptismus quam circumcisio primum est Sacramentum et initiativum verae religionis et fidei eiusque est publica professio et obligatio, ac consequenter est adoptio et adscriptio in Ecclesiam Dei eiusque iura et praemia. Hac de causa novum nomen in circumcisione, uti iam in baptismo, circumciso imponi solebat: uti hic Abram circumcidendus pro Abram vocatus est Abraham.“ Quantum ad ultimum momentum attinet, S. Thomas ad Rom. 4, 11 notat: „Circumcisio ex ipso opere operato non habebat virtutem effectivam neque quantum ad remotionem culpae neque quantum ad operationem iustitiae, sed erat solum iustitiae *signum*, ut hic Apostolus dicit. Sed per fidem Christi, cuius circumcisio signum erat, auferebatur peccatum originale et conferebatur auxilium gratiae ad recte agendum.“ — Circumcisio etiam apud Aethiopes, Ammonitas, Arabes, Colchos, Edomitas, Libyes, Moabitas, Phoenices aliasque gentes Africae, Americae, Australiae reperitur (Heyes, Gunkel), non ob fines medicinales sed propter significationem religiosam usitata (Siegfried-Guthe, Zschokke). Quando apud gentes singulas introducta sit, nescimus. Quoad Israelitas Gunkel asserit, circumcisionem Gen. 17, 9 ss. ab Abraha, Ex. 4, 24 s. a Sephora, Ios. 5, 2 ss. ab Iosue introductam narrari: at non est verum. Gen. 17, 9 ss. circumcisio a Deo Abrahae imponitur ut ritus antea non observatus: Ex. 4, 24 s. Sephora circumcisionem non

introduxisse, sed omissam supplesse scribitur (cf. Baentsch h. l.); neque Ios. 5, 2 ss. de prima circumcisionis introductione loquitur, si textus iusta ratione critica et hermeneutica tractatur (cf. Hummelauer h. l. et Heyes 49).

℣℣. **12. 13. Infans octo dierum,** וּבֶן־שְׁמֹנַת יָמִים (cf. 7, 6) *circumcidetur in vobis, omne masculinum* (in editionibus officialibus inter praedicatum et subiectum nonnumquam comma ponitur) *in generationibus vestris* (cf. ℣. 9): *tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, et quicumque non fuerit de stirpe vestra:* LXX accuratius *ὁ οἰκογενὴς τῆς οἰκίας σου καὶ ὁ ἀργυρώνητος ἀπὸ παντὸς υἱοῦ ἀλλοτρίου, ὃς οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ σπέρματός σου,* יְלִיד בָּיִת וּמִקְנַת־כֶּסֶף מִכֹּל בֶּן־נֵכָר אֲשֶׁר לֹא מִזַּרְעֲךָ הוּא [13]*περιτομῇ περιτμηθήσεται ὁ οἰκογενὴς τῆς οἰκίας σου καὶ ὁ ἀργυρώνητος,* הִמּוֹל יִמּוֹל יְלִיד בֵּיתְךָ וּמִקְנַת כַּסְפֶּךָ (deest in Vulgata): *eritque pactum meum,* בְּרִיתִי, *in carne vestra in foedus,* לִבְרִית, *aeternum* (cf. pag. 238). His verbis praeceptum circumcisionis magis determinatur: fieri debet iam octavo die post nativitatem; circumcidendi sunt non solum filii, verum etiam servi Abrahae tum in domo nati tum ab alienigenis empti (cf. 14, 14).

Non ante diem octavum pueri circumcidebantur, utpote valde tenelli (Lapide, Zschokke cum S. Thoma). — מִקְנַת־כֶּסֶף = emptus argento: בֶּן־נֵכָר = filius peregrinitatis = peregrinus (cf. lexicon). — De אֲשֶׁר... הוּא vide Gesenius-Kautzsch 452; de הִמּוֹל יִמּוֹל vide pag. 56. — בִּבְשַׂרְכֶם *in carne vestra,* „credidit enim multiplicationem sui seminis, et ideo congruenter accepit signum in membro generationis" (S. Thomas in Rom. 4, 11; cf. etiam Lapide et Heyes 51). — Circumcisio non tantum relative, sed etiam absolute *foedus aeternum* vocari potest (cf. pag. 238), quatenus videlicet „perdurat alio modo et altiori gradu in baptismate (col. Col. 2, 11: Phil. 3, 3)". Ita Zschokke. — Circumcisione etiam servi Deo consecrabantur ac promissionum divinarum participes fiebant (Strack², Lapide). — ℣. 12. ex duabus sententiis constat: prior concluditur verbis *in generationibus vestris;* verba sequentia *tam vernaculus* etc. cum ℣. 13. connectenda sunt, quia alioquin tempus circumcisionis pro servis dumtaxat, non vero pro liberis determinaretur (Strack², cf. et Dillmann, Delitzsch). — Plura de circumcisione apud Winer et in archaeologiis biblicis invenies.

℣. **14. Masculus,** וְעָרֵל זָכָר, *καὶ ἀπερίτμητος ἄρσην, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit,* LXX accuratius *ὃς οὐ περιτμηθήσεται τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας αὐτοῦ* et quidem *τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ,* בַּיּוֹם הַשְּׁמִינִי (quae verba Ball et Kittel cum Samaritano et LXX inserunt) *delebitur,* וְנִכְרְתָה i. e. exscindetur

anima illa, הַנֶּפֶשׁ הַהִוא i. e. masculus ille incircumcisus *de populo suo,* מֵעַמֶּיהָ, *quia* (deest *quia* in Hebraico) *pactum meum* אֶת־בְּרִיתִי, *irritum fecit,* הֵפַר i. e. fregit seu violavit. Ista verba *delebitur* vel *peribit anima,* quae saepe recurrunt (e. gr. Ex. 12, 15. 19: Lev. 7, 20 ss.; Num. 9, 13; cf. Mandelkern) exclusionem a populo electo et beneficiis ei promissis (cf. pag. 223), non autem occisionem significant; nam si occisio iubetur (Ex. 31, 14 s. coll. Num. 15, 35), adiungitur מוֹת יוּמָת *morte morietur* (Dillmann, Hummelauer, Hoberg cum Vatablo). Talis exclusio seu excommunicatio fuit poena congrua pro illo, qui obligationem a Deo constitutam (cf. pag. 275) non suscepit.

Ex iis, quae supra scripta sunt, duae illae quaestiones ab Holzinger propositae solvi possunt, videlicet quis poena afficiat, Deus an conventus cultus, et quem afficiat, puerum incircumcisum an patrem circumcisionem pueri negligentem. Cum enim Deus circumcisionem *in signum foederis* dederit, quo Abraham et posteri eius cum Deo coniungerentur et ab aliis populis distinguerentur (cf. pag. 275), incircumcisus masculus propter divinam hanc constitutionem ad familiam et populum electum non pertinebat, ab eo exscissus erat. Factus „rationis compos debebat negligentiam parentum supplere et curare se circumidi" (Lapide). — Illud *delebitur* vel *peribit anima* S. Augustinus de perditione animae explicat, quatenus puer incircumcisus in peccato originali remansit (cf. Lapide et pag. 276). Cum Caietano, Pererio, Lapide etiam Gunkel, Marti, Krätzschmar (cf. Holzinger, qui illis favet) putant, in textu occisionem praecipi: obstat tamen usus loquendi. Nam ubi occisio iubetur, מוֹת יוּמָת additur (Dillmann, Hummelauer). — Gunkel ex hoc loco infert, notionem peccati mortalis commutatam esse: peccatum mortale primitus tale fuisse, quale per populum vel magistratus occisione rei puniendum erat; postea vero tale, quale iuxta fidem piorum a Deo morte puniretur. At demonstrari nequit (cf. Hummelauer), textum primitus de morte per populum vel magistratus infligenda intellectum fuisse. — De casu pendente cum perfecto consecutivo, וְעָרֵל זָכָר . . . וְנִכְרְתָה, videas Gesenius-Kautzsch 339; sensus est: masculus incircumcisus autem . . . (si talis affuerit) exscindetur. — עַמִּים, cf. assyr. *ammu, hammu,* cognatos et necessarios (Buhl) incircumcisi significat, qui familiam et populum electum efficiebant (cf. 25, 8 et Dillmann). — Sententiae causales etiam sine coniunctione adiunguntur (Gesenius-Kautzsch 501). — De הֵפַר pro הֵפֵר vide Gesenius-Kautzsch 180.

℣. 15. **Dixit quoque Deus** *ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram,* LXX accuratius *Σάρα ἡ γυνή σου, οὐ κληθήσεται τὸ ὄνομα αὐτῆς Σάρα, ἀλλὰ* (כִּי) *Σάρρα*

ἔσται τὸ ὄνομα αὐτῆς. Uti Abram appellatus est Abraham, quia pater multarum gentium constitutus est (V̇. 5); ita Sarai vocatur *Sara,* שָׂרָה i. e. princeps femina, quia reges populorum ex ea orientur (V̇. 16; Gunkel, Holzinger).

„De etymo et significatione posterioris formae (שָׂרָה mulier princeps) dubitari non potest“, ait Gesenius 1338, cui Buhl, Fürst et ceteri consentiunt: שָׂרַר = princeps fuit, שַׂר = princeps. Significatio autem prioris formae שָׂרַי dubia est. Gesenius opinionem Ewaldi reliquis praefert, iuxta quam Sarai idem significat ac contentiosa, a שָׂרָה = pugnavit, contendit, „quanquam scrupulum iniicit forma mascula (שָׂרַי ut שַׂדַי = שָׂדֶה)“; iuxta Fürst שָׂרַי ex שְׂרָיָה abbreviatum = Iah est dominus; Kautzsch-Guthe cum Nöldeke (cf. Dillmann) opinantur, ambo nomina principem significare (ַי = ָה ut in Arabo) et rationem mutationis non patere; Holzinger censet, שָׂרַי esse formam minus perspicuam; Dillmann rem in medio relinquit; Hummelauer cum Lapide *Sarai* dominam meam, *Saram* dominam absolute interpretatur; Hoberg denique putat, Sarai non esse formam Hebraicam: et reapse in inscriptionibus cuneatis nomen *Sa-ra-a-a* occurrit (Buhl). — LXX iuxta pronuntiationem Arabam (ַי = a, cf. סִינַי *Σινᾶ*) שָׂרַי reddunt *Σάρα;* loco שָׂרָה autem scribunt *Σάρρα* „et recte quidem, quum שָׂרָה dictum sit pro שָׂרָּה“ (Gesenius 1338).

V̇. 16. Et benedicam ei (cf. pag. 16), *et,* וְגַם, *ex illa dabo tibi filium* (cf. 15, 4), *cui benedicturus sum, eritque in nationes, et reges populorum orientur ex eo.* Ita etiam Graecus et Syrus, qui וּבֵרַכְתִּיו וְהָיָה . . . מִמֶּנּוּ supponunt; hodiernus tamen Hebraicus habet וּבֵרַכְתִּיהָ וְהָיְתָה . . . מִמֶּנָּה, ita ut vertendum sit: „et benedicam ei (i. e. Sarae) eritque in nationes, et reges populorum orientur ex ea.“ Quae lectio probabilior est (Dillmann, Hoberg, alii), quia in hoc V̇. declaratur, quare uxor Abrahae deinceps mulier princeps nominanda sit (cf. V̇V̇. 5 et 6). Hic quoque gradatio adest: Deus benedicet donando filium; benedicet donando nationes et reges populorum. — Pro מַלְכֵי habent 15 manuscripta et Samaritanus cum Graeco et Latino וּמַלְכֵי (Kittel).

V̇. 17. Cecidit, וַיִּפֹּל, *καὶ ἔπεσεν, Abraham in faciem suam* (cf. V̇. 3), *et risit,* וַיִּצְחָק, *dicens in corde suo,* וַיֹּאמֶר בְּלִבּוֹ i. e. et dixit secum seu et cogitavit (Gesenius): *Putasne centenario nascetur filius,* הַלְּבֶן מֵאָה־שָׁנָה יִוָּלֵד i. e. num filio centum an-

norum nascetur? *et an*, וְאִם, *Sara nonagenaria*, הֲבַת־תִּשְׁעִים שָׁנָה, *pariet?* Hic risus non est deridentis et spernentis promissiones Dei, haec verba non sunt animi suspensi et ancipitis: risus et verba sunt potius admirantis et obstupescentis atque exsultantis animi (S. Chrysostomus in Rom. 4, S. Augustinus Civ. l. 16. c. 29, Lapide, Strack cum Calvino, et alii).

Iuxta Dillmann Abraham non propter gaudium, sed ex admiratione risit. S. Hieronymus (c. Pelag. III, 12) et alii pauci Abraham incredulum dicunt; etiam Hummelauer aliquod saltem dubium in Abraha admittere videtur. Illa S. Pauli (Rom. 4, 19 ss.) *Et non infirmatus est fide, nec* (omittas *nec*, cf. commentarium meum) *consideravit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum: et emortuam vulvam Sarae: In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo:* premere nolumus, quia Hebr. 11, 11 s. etiam de Sara scribitur *Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam praeter tempus aetatis: quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat. Propter quod et ab uno orti sunt (et hoc emortuo) tamquam sidera caeli in multitudinem, et sicut arena, quae est ad oram maris, innumerabilis.* Sed in Genesi inter risum Sarae et Abrahae distinguitur: Sara enim propter incredulitatem a Domino reprehenditur (18, 13 s.), Abraham non reprehenditur. Quam differentiam Bisping et Weiss etiam Hebr. 11, 11 indicatam dicunt: *Fide et ipsa Sara,* licet primo quidem incredula, postea tamen credens, *virtutem accepit.* Ergo Abraham promissionem divinam neque sprevit neque addubitavit, incredulitate non peccavit. — Gunkel supponit, Abraham promissiones Dei derisisse, atque in P invehitur, eo quod ex antiqua traditione fabulosa risum Abrahae litteris mandaverit simulque de suo adiecerit, Abraham in faciem cecidisse: ante Deum iacet et promissiones eius deridet! „Dieser Zug giebt einen tiefen Einblick in das Herz dieses Kirchenmannes und gelehrten Theologen, der sich sicherlich über jene alten Erzähler hoch erhaben dünkte, und der doch an Religion so tief unter ihnen steht! Hier ist es schwer, nicht hart zu urteilen." Attamen demonstrandum erat, Abraham reapse promissiones Dei derisisse. — Holzinger asserit, P narrare, Abraham iterum in faciem cecidisse, antequam a prima prostratione (℣. 3) se erexerit. Sed ubi scriptor Genesis narrat, Abraham interim in terra iacuisse? Qui in tam arto contextu diserte affirmat, Abraham semel et iterum in faciem cecidisse, implicite ostendit, eum interim surrexisse, quod cum Dillmann iam ad ℣. 3. notavimus. — Abraham tunc nonaginta novem annorum erat, ut ex ℣. 24. apparet; heic anni summa solida notantur (cf. Rom. 4, 19). — De הַלְּבֶן videas Gesenius-Kautzsch 294; de וְאִם . . . הֲ eumdem 483. — In הֲבַת interrogativum הֲ superfluum quidem videtur, quare Kittel בַּת legendum iudicat; potest tamen vehementiam admirationis exprimere, ut Strack[2] censet.

℣. 18. **Dixitque** Abraham (Hebraeus et Graecus) *ad Deum: Utinam Ismael vivat coram te,* לְפָנֶיךָ. Audiens Abraham, se a Sara filium accepturum esse, timet ne Dominus dies filii ancillae abbreviet (cf. Lapide) vel saltem gratiam suam ab eo avertat (cf. Strack[2]); ideoque rogat Deum, ut etiam huic vitam et benevolentiam concedat (cf. Os. 6, 2 s.).

LXX loco לו vel לוּא *utinam* legerunt הוּא οὗτος. — Gunkel hic quoque asserit, Abraham non credidisse, se a Sara filium accepturum esse, et propterea rogasse, ut Ismael vivere posset. Sed videas quae ad ℣. 17. scripta sunt.

℣. 19. **Et ait Deus** *ad Abraham* (haec duo verba in Hebraico desunt): Utique, אֲבָל, *ναί, Sara uxor tua pariet tibi filium* (℣. 16), *vocabisque nomen eius Isaac,* יִצְחָק i. e. ridentem (Gesenius, Fürst: cf. ℣.17 et 18, 12; 21, 6), *et constituam pactum meum illi in foedus sempiternum, et semini eius post eum* (cf. ℣. 7). Ergo promissiones divinae utique ad Isaac et posteros eius spectabunt; sed Ismael quoque benedicetur (℣. 20).

Pro לְזַרְעוֹ legendum est cum c. 90 manuscriptis, Samaritano, Graeco, Syro, Latino וּלְזַרְעוֹ (Kittel). — Idem Kittel cum Ball et Holzinger post עוֹלָם iuxta ℣. 7. inserere vult לִהְיוֹת לוֹ לֵאלֹהִים; sed necessarium non est.

℣℣. 20. 21. **Super Ismael quoque,** וּלְיִשְׁמָעֵאל, περὶ δὲ Ἰσμαήλ, *exaudivi te,* שְׁמַעְתִּיךָ (cf. 16, 11). *ecce, benedicam ei* (cf. pag. 16), *et augebo* eum (Hebraeus et Graecus), *et multiplicabo eum valde,* בִּמְאֹד מְאֹד (cf. pag. 272): *duodecim duces generabit* (cf. 25, 13 ss.), *et faciam illum in gentem magnam.* [21]*Pactum vero meum statuam ad Isaac* (cf. ℣. 19), *quem pariet tibi Sara tempore isto,* לַמּוֹעֵד הַזֶּה, εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον, *in anno altero* (cf. 18, 14).

℣. 22. **Cumque finitus esset** *sermo loquentis cum eo,* וַיְכַל לְדַבֵּר אִתּוֹ, συνετέλεσεν δὲ λαλῶν πρὸς αὐτόν, *ascendit,* וַיַּעַל, καὶ ἀνέβη, *Deus ab Abraham* in caelum, ex quo descenderat (cf. 11, 5; Delitzsch, Dillmann, Hummelauer, Strack[2]).

Pro *ab Abraham* Sixtina cum aliis editionibus et manuscriptis Latinis habet *ad Abraham* (Vercellone).

℣. 23. **Tulit autem Abraham** *Ismael filium suum, et omnes vernaculos domus suae: universosque quos emerat* (cf. pag. 277).

cunctos mares ex omnibus viris domus suae, בֵּית אַבְרָהָם, *ἐν τῷ οἴκῳ Ἀβραάμ· et circumcidit carnem praeputii eorum* et quidem *statim in ipsa die,* בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה i. e. hac ipsa die (cf. pag. 143), *sicut praeceperat ei Deus.* „Nota hic, inquit Lapide, promptam et celerem obedientiam Abrahae totiusque familiae in circumcidendo se: qualis herus, tales servi; erant autem facile quadringenti" (cf. 14, 14).

℣℣. 24. 25. **Abraham** *nonaginta et novem erat annorum quando circumcidit carnem praeputii sui,* בְּהִמֹּלוֹ בְּשַׂר עָרְלָתוֹ. [25]*Et Ismael filius* eius (Hebraeus, Graecus, Latini codices plerique) *tredecim annos impleverat,* בֶּן־שְׁלֹשׁ עֶשְׂרֵה שָׁנָה, *tempore circumcisionis suae,* בְּהִמֹּלוֹ אֵת בְּשַׂר עָרְלָתוֹ. Si servi Abrahae circumcidendi erant (℣. 12), non mirum est (contra Gunkel et Holzinger) quod etiam Ismael circumcisus sit, quamvis Deus foedus cum Isaac et posteris eius statuere voluerit (℣. 19).

Forsitan etiam in ℣. 24. cum Samaritano et Ball אֵת בְּשַׂר legendum est, ut in ℣. 25. — Editiones Clementinae habent in ℣. 25. simpliciter *filius;* Sixtina autem cum Henteniana et plurimis editionibus veteribus *filius suus;* codex Bassetti Tridentinus cum aliis codicibus (cf. Vercellone) *filius eius,* quae lectio cum Hebraeo et Graeco convenit. In editionibus Clementinis illud *eius* ex festinatione (cf. epilogum criticum meae editionis Bibliae Sacrae, pag. 103* ss.) omissa videtur. — Secundum Iosephum (ant. I, 12, 2) Arabes ab Ismaele descendentes pueros suos anno decimo tertio circumcidebant (cf. et Dillmann).

℣℣. 26. 27. **Eadem die,** בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה, *circumcisus est Abraham et Ismael filius eius.* [27]*Et omnes viri domus illius,* et quidem *tam vernaculi, quam emptitii et alienigenae pariter circumcisi sunt,* יְלִיד בָּיִת וּמִקְנַת־כֶּסֶף מֵאֵת בֶּן־נֵכָר נִמֹּלוּ אִתּוֹ i. e. in domo natus et emptus argento a filio peregrinitatis (cf. ℣. 12) circumcisi sunt cum eo. — De נִמּוֹל pro נָמוֹל vide Gesenius-Kautzsch 200.

C. 18. ℣. 1. **Apparuit autem** (cf. pag. 223) *ei Dominus in convalle Mambre,* בְּאֵלֹנֵי מַמְרֵא (cf. 13, 18) *sedenti,* וְהוּא יֹשֵׁב (cf. Gesenius-Kautzsch 362 et 460) *in ostio,* פֶּתַח i. e. ad ostium (accus. loci, cf. eumdem 377) *tabernaculi sui* et quidem *in ipso fervore diei,* כְּחֹם הַיּוֹם i. e. „tempore meridiano" (Gesenius). Hanc apparitionem brevi post praecedentem accidisse patet „conferenti 17, 21 cum 18, 10; certe Sara nondum conceperat.

quod eius risu probatur" (Hummelauer). Videas etiam quae ad ℣. 15. dicentur. Sed quare a d o s t i u m sedit? Lapide respondet: „Hinc videtur, quod Abraham more suo soleret sub meridiem et prandium ad ostium sedere et exspectare peregrinos et hospites, qui in fervore diei solent ad hospitia divertere" (similiter Selbst 236).

℣. 2. **Cumque elevasset oculos,** *apparuerunt ei tres viri stantes prope eum,* וַיִּשָּׂא עֵינָיו וַיַּרְא וְהִנֵּה שְׁלֹשָׁה אֲנָשִׁים נִצָּבִים עָלָיו i. e. et elevavit oculos suos et vidit, et ecce tres viri (erant) stantes ante eum (cf. LXX). *quos cum vidisset, cucurrit,* וַיַּרְא וַיָּרָץ, *in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram.* Textus Hebraeus et Graecus non indicat (Hummelauer) id, quod quis ex Latino inferre posset, nimirum viros repente ex inopinato apparuisse (ita Gunkel); Abraham elevavit oculos, quia forsitan fragorem, quem gressus ambulantium edunt (cf. pag. 72) audierat: „elevavit oculos suos, legimus e t v i d i t, et ecce tres viri (erant) stantes ante eum". S t a r e ante tabernaculum fuit (Delitzsch, Dillmann) et apud Arabes nunc quoque est (Strack², cf. et Holzinger) signum, quo itinerantes hospitium petunt. Isti *tres viri* fuerunt Angeli in forma humana apparentes, quos tamen Abraham homines esse putavit: *ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους,* asserit S. Paulus (H e b r. 13, 2) i. e. i n s c i i hospitio exceperunt A n g e l o s (cf. Bisping et Wilke-Grimm). Duo quidem fuerunt Angeli administratorii (℣. 22; 19, 1 ss.; cf. H e b r. 1, 14), tertius vero ipse Iahve (℣℣. 1. 13. 15. 17. 20. 22 ss. 33; cf. et Dillmann 264, Hummelauer, Zschokke). Humanus obviam progreditur et more Orientalium profunda inclinatione eos honorat (cf. 23, 7).

Bonfrerius scribit: „In hoc conveniunt fere omnes, adumbratum esse in his tribus Angelis humana forma conspicuis SS. Trinitatis mysterium"; et Lapide: „hi tres s y m b o l i c e significabant SS. Trinitatem". Conferas Egger (Dog. spec. 112) et Selbst. — עַל *super,* quia ipse sedebat (cf. ℣. 8). — Sixtina habet *tabernaculi s u i* cum LXX, Itala, nonnullis codicibus et plerisque editionibus antiquis Vulgatae; pro *terram* habet *terra* cum pluribus codicibus et nonnullis antiquis editionibus Vulgatae (Vercellone). — Illud וַיִּשְׁתַּחוּ ab שָׁחָה tam prostrationem quam inclinationem profundam significare potest (cf. Buhl); propter 17, 3. 17 cum Gunkel, Hoberg, Holzinger, Strack² hic inclinationem profundam intelligimus; Dillmann prostrationem intelligit. — „Quamvis ad sacra Biblia

proprie non pertineat pervulgata sententia *Tres vidit et unum adoravit,* tamen monuisse iuvabit, ex hoc nostro versiculo illam quodammodo ab antiquis scriptoribus derivatam fuisse. Cf. August. contra Maxim. l. 2. c. 26. § 7., Gregor. M. III, 760, Brev. rom. in 2. Resp. in Quinq. etc." (Vercellone).

℣℣. 3—5. **Et dixit:** *Domine, si,* אִם־נָא, *inveni gratiam in oculis tuis* (cf. 6, 8), *ne transeas,* תַעֲבֹר, *servum tuum:* [4] *sed afferam,* יֻקַּח־נָא, afferatur nimirum a servis meis (Hummelauer) *pauxillum aquae, et lavate pedes vestros, et requiescite,* וְהִשָּׁעֲנוּ i. e. et innixi sitis (manui) *sub arbore* hac, הָעֵץ. [5] *Ponamque,* וְאֶקְחָה i. e. et afferam (cf. ℣. 4) *buccellam panis, et confortate cor vestrum, postea transibitis,* תַּעֲבֹרוּ, *idcirco enim declinastis,* עֲבַרְתֶּם i. e. transistis *ad servum vestrum. Qui dixerunt: Fac* sic *ut locutus es.* Mox ad unum, mox ad omnes Abraham loquitur, ex quo (cum S. Chrysostomo, Caietano, Lapide, Hummelauer, Dillmann, Strack) inferre possumus, unum forsitan medium duobus comitibus illustriorem apparuisse; more Orientalium se servum eorum, ipsos dominos vocat. Gratiam iudicans, si ad se divertant, eos rogat, ut pedes suos sandaliis dumtaxat tectos lavent „tum ad sordes tum ad lassitudinem tollendam" (Lapide; cf. Gunkel, Strack[2]), et deinde sub arbore requiescant, donec prandium paratum sit. Tapinosi utens (cf. Exegeticam 5) promittit se buccellam panis allaturum, qui convivium lautum apparaturus erat (Lapide, Hummelauer, Dillmann). Addit rationem, quare eos invitet, quia scilicet ideo ad tabernaculum declinarunt et ante illud steterunt, ut ipsum honorarent hospitium invocantes (Lapide). Vir illustrior apparens et comites eius consentiunt.

In ℣. 3. hodiernus textus Hebraicus אֲדֹנָי exhibet, quo Deus significatur (cf. pag. 256); censemus tamen cum Dillmann, Holzinger, Strack אֲדֹנִי legendum esse, eo quod improbabile sit, Abraham statim Iahve cognovisse (cf. et Lapide, Hummelauer). Kittel cum aliis lectionem Samaritani praefert, qui אֲדֹנַי (cf. pag. 256) et in sequentibus pluralem habet. Quamvis haec lectio plausibilis sit, tamen non redolet polytheismum (contra Gunkel): Abraham tres viros primo homines putavit, deinde (cf. ℣℣. 10. 13 ss.) autem in uno Iahve cognovit. — Unum illustriorem dicentes, reliquos non servos eius declaramus (contra Gunkel), sed comites minus illustres, qui etiam colloqui potuerunt. — אִם־נָא = si modo, dummodo „quo utuntur, qui verecunde et paene timide conditionem quandam ponunt"; ergo supra: „si modo mihi faves, quod opto

magis quam sumere audeo" (Gesenius 834, Dillmann, Strack[2]). — Sixtina cum pluribus codicibus et editionibus Vulgatae habet *laventur pedes vestri* atque *confortetur cor vestrum* (cf. Vercellone). — Bene Strack[2] contra plerosque notat, ex וְהִשָּׁעֲנוּ non sequi, tres viros inter prandium quoque accubuisse (cf. Amos 2, 8; 6, 4); antiquis temporibus comedentes sedebant (cf. Gen. 27, 1; Iud. 19, 6; 1 Reg. 20, 5. 24; 3 Reg. 13, 20). De una arbore, non de pluribus (cf. pag. 225) loquitur, quia tres viri sub una commode accumbere potuerunt (cf. Dillmann). — „Cor fulcire dicuntur, qui cibo potuque se reficiunt", quia *cor* etiam animam, vitam significat (Gesenius 738 et 962). — כִּי־עַל־כֵּן = nam idcirco (Gesenius 682, Dillmann, Bachmann); non recte Hoberg: „nam sic tantum (postquam refecti estis) a servo vestro transire possitis".

℣℣. 6—8. **Festinavit** *Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera,* מַהֲרִי, *tria sata,* שְׁלֹשׁ סְאִים = c. 40 *l, similae,* σεμιδάλεως, קֶמַח סֹלֶת i. e. farinae purissimae (Gesenius) *commisce,* לוּשִׁי i. e. depse *et fac subcinericios panes,* ἐγκρυφίας, עֻגוֹת i. e. panes orbiculos seu placentas (Gesenius). [7]*Ipse vero* (pro *ipse* in Hebraico et Graeco *Abraham* legitur) *ad armentum,* הַבָּקָר i. e. τὰς βόας, *cucurrit, et tulit inde* (deest *inde* in Hebraico et Graeco) *vitulum,* בֶּן־בָּקָר, *tenerrimum et optimum,* רַךְ וָטוֹב i. e. ἁπαλὸν καὶ καλόν, *deditque puero,* הַנַּעַר, servo: *qui festinavit et coxit illum,* וַיְמַהֵר לַעֲשׂוֹת אֹתוֹ, καὶ ἐτάχυνεν τοῦ ποιῆσαι αὐτό. [8]*Tulit quoque butyrum,* חֶמְאָה i. e. „lac spissum" (Gesenius) *et lac,* חָלָב i. e. „lac recens et dulce" (Gesenius), *et vitulum quem coxerat* cum panibus subcinericiis (℣. 6), *et posuit coram eis: ipse vero stabat iuxta eos sub arbore* ut servus eorum (S. Ephrem, Lapide, Hummelauer). In Hebraico additur: וַיֹּאכֵלוּ i. e. et comederunt, quod Latinus ad ℣. 9. traxit, Graecus ante *ipse vero* posuit.

סְאָה iuxta Benzinger = 12·148 *l,* iuxta Iosephum = 13·122 *l,* iuxta alios Iudaeos = 6·702 *l* (cf. Kortleitner); iuxta Hoberg ad Schegg-Wirthmüller provocantem = 19·0815 *l.* — קֶמַח, assyr. *kêmu,* aegypt. *kamaḥ* = farina generatim: סֹלֶת, aegypt. *turitì* = farina purissima: in hoc loco סֹלֶת indicat, quale illud קֶמַח fuerit (cf. Buhl, Bachmann, Hoberg), quare LXX et Vulgata bene reddunt *σεμιδάλεως, similae.* Sine ratione sufficienti, Ball, Gunkel, Holzinger, Kittel סֹלֶת glossam declarant. — עֻגָה (ab עוּג *in orbem ivit)* = panis rotundus, orbiculus. Quae placentae tenues supra lapides calidos et infra cineres ferventes coquebantur; hinc nomina *panes subcinericii, ἐγκρυφίαι* (cf. Gesenius, Benzinger, Kortleitner). — De superlativo Vulgatae *tenerrimum et optimum* conferas pag. 53. — Lapide

et Selbst cum SS. Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Chrysostomo hospitalitatem Abrahae celebrant: statim surgit, occurrit peregrinis, ante eos profunde se inclinat, rogat ut ex gratia ad se divertant, aquam afferri iubet, festinanter prandium lautum cum uxore et servo praeparat, ipse vitulum eligit, cibum et potum affert atque hospitibus ministrat. — Affluentia ciborum hospites honorabantur (cf. Gen. 43, 34). — Gunkel quaestionem difficilem putat, quare Abraham hospitibus suis vinum non obtulerit, licet Hebron iam antiquitus palmitibus et uvis celebris fuerit (cf. Num. 13, 23 s.). Respondemus, Abraham more nomadum vixisse, ut antecedentia et subsequentia monstrant, et propterea non plantasse vineas (cf. pag. 162), quam responsionem et Gunkel plausibilem dicit. — „Non vera nec vitalis fuit haec Angelorum comestio, quia non fiebat ab anima informante, sed assistente corpori aerio ab eis assumpto: traiecerunt ergo Angeli cibum hunc intra corpus a se assumptum ibique eum resolverunt in aerem perinde ac sol humorem terrae in vaporem resolvit et consumit, nec in se convertit: ita Theodoretus“ (Lapide; similiter Strack[2] cum S. Augustino).

℣. 9. **Cumque comedissent** (videas quae ad ℣. 8. scripta sunt), *dixerunt ad eum,* אֵלָיו: *Ubi est Sara uxor tua? ille respondit,* וַיֹּאמֶר: *Ecce in tabernaculo est.* Uxorem Abrahae, quam nondum viderant, suo nomine appellantes insinuant peregrini, se plus scire et esse quam homines (cf. Gunkel).

LXX habent εἶπεν, *dixit,* quae lectio a Ball praefertur, sed ad ℣. 10. conformata videtur; heic tres isti interrogant, qui ℣. 5. locuti sunt (cf. Dillmann, Hoberg). — Tria illa puncta extraordinaria significant, אין probabiliter delenda et forsitan לוֹ scribendum esse (cf. Dillmann, Gunkel, Strack[2]). — In הִנֵּה בָאֹהֶל particula הִנֵּה loco subiecti et copulae posita est, ergo: *hic* est ea *in tabernaculo* (Gesenius-Kautzsch 478).

℣. 10. **Cui dixit,** וַיֹּאמֶר, videlicet „medius ceteris illustrior“ (Lapide), qui in sequentibus Iahve nominatur (cf. pag. 283): *Revertens veniam,* שׁוֹב אָשׁוּב (cf. pag. 56) *ad te tempore isto* (ita et Graecus, Syrus, cf. ℣. 14; in Hebraico hic לַמּוֹעֵד הַזֶּה deest), *vita comite,* כָּעֵת חַיָּה i. e. „tempore redivivo = anno proximo“ (Buhl, Gesenius 470, Gesenius-Kautzsch 380; Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger), *et habebit filium Sara uxor tua,* וְהִנֵּה־בֵן לְשָׂרָה אִשְׁתֶּךָ. *Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi,* וְשָׂרָה שֹׁמַעַת פֶּתַח הָאֹהֶל וְהוּא אַחֲרָיו i. e. „et Sara audiens erat ad ostium (cf. ℣. 1) tabernaculi, et hoc post eum erat“. Ergo in Hebraico (et Graeco) de risu heic nihil legitur; et וְהוּא ad פֶּתַח *ostium* (Dillmann, Gunkel, Strack[2]) vel ad הָאֹהֶל *taberna-*

culum (cf. Hoberg) referendum videtur, quamvis cum Samaritano et Graeco etiam ad Saram referri possit: והוא = וְהִוא = וְהִיא (cf. pag. 76); Kittel וְהוּא punctandum censet.

Hummelauer negat, כָּעֵת חַיָּה significare *tempore redivivo = anno proximo;* sed auctoritas philologorum citatorum hanc significationem satis probat, dum expositiones ceterae, scil. „vobis superstitibus, Sara superstite, me superstite, quo tempore foetus erit vitalis" reapse improbabiles sunt. — Pro וְהִנֵּה legit Ball cum Graeco, Syro, Latino וְהָיָה.

Ṽ. 11. Erant autem ambo, LXX accuratius Ἀβραὰμ δὲ καὶ Σάρρα, *senes,* זְקֵנִים, *provectaeque aetatis,* בָּאִים בַּיָּמִים i. e. προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις (cf. Luc. 1, 7; Strack[2]), *et desierant Sarae fieri muliebria,* חָדַל לִהְיוֹת לְשָׂרָה אֹרַח כַּנָּשִׁים i. e. desierat fieri Sarae iuxta regulam mulierum: „fluere menstrua, quae ad conceptum sunt necessaria" (Lapide, Dillmann, Gunkel, Strack[2]).

Pro אֹרַח כַּנָּשִׁים Ball, Kittel, Holzinger iuxta 31, 35 כְּאֹרַח נָשִׁים legendum putant.

Ṽ. 12. Quae risit *occulte dicens,* LXX accuratius ἐγέλασεν δὲ Σάρρα ἐν ἑαυτῇ, בְּקִרְבָּהּ, λέγουσα· *Postquam consenui, et dominus meus* seu maritus *vetulus est, voluptati operam dabo?*

Sixtina cum Henteniana interpungit *risit, occulte dicens:* Clementina prima et secunda: *risit occulte dicens:* Clementina tertia: *risit occulte, dicens:* (cf. epilogum criticum meae editionis Bibliae Sarae).

Ṽ. 13. 14. Dixit autem Dominus *ad Abraham: Quare,* לָמָּה זֶּה i. e. cur tandem, *risit Sara, dicens: Num vere paritura sum anus?* [14] *Numquid Deo,* יְהוָה, *quidquam,* דָּבָר, *est difficile* nimis? Haec verba Saram reprehendentia demonstrant, ipsam ex incredulitate risisse (cf. pag. 280). *iuxta condictum* (desunt in Hebraico et Graeco) *revertar ad te hoc eodem tempore* (ita etiam Graecus et Syrus, quare in Hebraico ad לַמּוֹעֵד probabiliter adiungendum הַזֶּה: Ball, Kittel), *vita comite* (Ṽ. 10), *et habebit Sara filium.* Ex eo quod loquens occultum risum et cogitationes Sarae cognovit, Abraham et uxor eius colligere potuerunt, ipsum Deum esse, quapropter heic Iahve appellatur (Lapide, Dillmann, Strack[2]); qui ad omnipotentiam Dei provocans promissionem repetit. Lapide (ad Ṽ. 10) et Dillmann putant, hanc reversionem Domini in sequentibus taceri; sed Strack[2] (ad Ṽ. 10) bene dicit, eam 21, 1 s. indicari.

In ℣. 14. הֲיִפָּלֵא מֵיְהוָה = num arduum nimis, impossibile est Domino? (Gesenius ad פָּלָא). — Quamvis Sara non cognoverit, loquentem (in ℣. 10) esse Deum, tamen ex promissione Abrahae facta (17, 16) „debebat scire, se filium esse habituram“, ideoque risus eius culpabilis fuit (Hummelauer).

℣. 15. **Negavit** autem *Sara, dicens, Non risi: timore perterrita,* כִּי יָרֵאָה i. e. quia timuit, Deum nunc agnoscens, quem tamen timore confusa risum celare vult. *Dominus autem: Non est, inquit, ita: sed risisti;* in Hebraico: וַיֹּאמֶר לֹא כִּי צָחָקְתְּ i. e. *καὶ εἶπεν Οὐχί, ἀλλὰ ἐγέλασας.* Quo responso scientiam simulque promissionem suam comprobavit, quia secreta cordis humani soli Deo patent (cf. 3 Reg. 8, 39; 2 Par. 6, 30).

Secundum Gunkel 182 versibus 1—15 praecedentia omnia excluduntur. Excluditur c. 15: nam 18, 9—15 promissio filii narratur, ergo impossibile est, iam antea (c. 15) filium promissum fuisse. Hoc assertum praeceptis logicis probari nequit, quia promissio facta repeti potest, ut experientia monstrat. Excluditur 13, 18: nam 18, 1—8 declarare volunt, quare sub arbore in Hebron altare erectum sit, ergo antea (13, 18) ibi altare non fuit. At Gunkel supponit tantum, versus id declarare velle, sed principiis hermeneuticis demonstrare nec potest nec conatur. Excluduntur 12, 1ss. 7; 13, 14ss.; c. 15: nam Abraham iuxta 18, 1—9 Dominum primo non cognovit; Deus vero statim ab Abraha cognitus esset, si ei iam antea apparuisset (cf. 1 Reg. 3, 4ss.): ergo antea (cc. 12; 13; 15) ei nondum apparuerat. Verumtamen iuxta principia logica et testimonia experientiae ex eo, quod Abraham non statim Deum cognoverit, id solum rite deduci potest, Dominum hoc modo et ratione ei nondum apparuisse. Nulla vox textus indicat, hanc apparitionem Domini fuisse „primam et ultimam“, quod Gunkel iterum supponit, sed non probat. — Idem 181s. affirmat, in 18, 1—15 illum antiquum mythum polytheisticum referri, quem apud Graecos in hac relatione inveniamus: *Ζεύς, Ποσειδῶν* et *Ἑρμῆς* ad *Ὑριέα* virum in *Τανάγρᾳ* urbe habitantem et liberis carentem veniunt atque ab ipso ad convivium rogantur, quo finito filium promittunt, qui deinde *Ὠρίων* vocabatur (cf. Palaephatum, de incredib. 5; Ovid., Fast. 5, 494ss.; Dillmann 266). Gunkel censet, relationem Graecam et Hebraicam ex communi narratione Orientalium polytheistica fluxisse, ideoque in textu Hebraico primitus loco singularis pluralem fuisse; pedetentim autem singularem et nomen Iahve introductum esse. Cui ea obstant, quae pag. 28s. scripsimus: populus Israel naturali modo neque ad monotheismum pervenire neque mythos Gentium de polytheismo purgare potuit. Idcirco concludere debemus (cf. pag. 34ss.) in Biblia puram, in relatione autem Graeca turbatam traditionem originalem referri.

℣. 16. **Cum ergo surrexissent,** וַיָּקֻמוּ, *inde viri* illi, *direxerunt oculos,* וַיַּשְׁקִפוּ i. e. prospexerunt (cf. notam ad ℣. 22) *contra Sodomam,* עַל־פְּנֵי סְדֹם i. e. in superficiem vel partem Sodomae, versus Sodomam (cf. 19, 27 s.); *et Abraham simul gradiebatur, deducens eos,* לְשַׁלְּחָם (cf. 12, 20), quorum unus Deum se manifestaverat.

℣℣. 17—19. **Dixitque Dominus** ad Abraham ut in ℣. 20 (cf. Hummelauer): *Num celare potero Abraham,* LXX accuratius Μὴ κρύψω ἐγὼ ἀπὸ Ἀβραάμ, *quae gesturus sum* ego: [18] *cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam,* LXX accuratius Ἀβραὰμ δὲ γινόμενος ἔσται, הָיוֹ יִהְיֶה (cf. pag. 56), εἰς ἔθνος μέγα καὶ πολύ, *et BENEDICENDAE sint in illo omnes nationes terrae* (cf. pag. 223)? [19] *Scio enim quod,* כִּי יְדַעְתִּיו לְמַעַן אֲשֶׁר i. e. nam cognovi eum seu coniunctus sum cum eo propterea ut *praecepturus sit filiis suis, et domui suae post se ut custodiant viam Domini, et faciant,* לַעֲשׂוֹת i. e. faciendo *iudicium et iustitiam,* צְדָקָה וּמִשְׁפָּט (cf. pag. 275) *ut,* לְמַעַן, *adducat Dominus propter Abraham,* עַל־אַבְרָהָם i. e. super Abraham et posteros eius *omnia* (deest in Hebraico) *quae locutus est ad eum,* עָלָיו i. e. super eo (cf. pag. 274). — In his ℣℣. Deus rationes tres affert, ob quas Abrahae eversionem Sodomae praenuntiare velit. Primo quidem quia Abraham constitutus est, a quo gens magna et robusta descenderet, et per quem omnes gentes benedicerentur (12, 2 s.; 17, 1 ss.): tantum virum celare noluit eversionem urbis, in qua Lot habitabat. Deinde Abraham in societatem ac familiaritatem Dei assumptus est (15, 1 ss.; 17, 1 ss.): tali autem amico secreta revelanda sunt. Denique Abraham electus est, ut posteris suis observationem mandatorum Dei inculcaret: ergo convenienter illi improbitas urbium delendarum manifestanda erat (cf. Lapide, Hummelauer, Dillmann, Strack[2]).

Dillmann et sequaces eius asserunt, Dominum ista verba in corde suo tantum dixisse, ut 8, 21; sed ibi diserte additur אֶל־לִבּוֹ (cf. pag. 154), hic autem simpliciter אָמָר legitur ut in ℣. 20. וַיֹּאמֶר, ubi Dominus certe ad Abraham loquitur. Hummelauer cum Bonfrerio censet, Dominum istis verbis attentionem Abrahae sollicitasse. — Graecus et Syrus post Ἀβραάμ addunt τοῦ παιδός μου. — Infinitivus absolutus הָיוֹ pro הָיֹה (cf. Gesenius-Kautzsch 209 vel lexicon). — יָדַע familiaritatem significat; videas Am. 3, 2:

Os. 13, 5: 1 Cor. 8, 3: *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo;* et 1 Cor. 13, 12: *tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (cf. Bisping). — לְמַעַן אֲשֶׁר et simplex לְמַעַן = eo consilio ut (Gesenius 1051). — דֶּרֶךְ יְהוָה = ratio agendi a Deo probata (Gesenius); צְדָקָה = iustitia (cf. pag. 258); מִשְׁפָּט = iudicium, ius, consentaneum legibus (Gesenius): conferas Luc. 1, 6 *πορευόμενοι ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασιν τοῦ κυρίου.*

℣℣. 20. 21. Dixit itaque Dominus: *Clamor Sodomorum et Gomorrhae,* זַעֲקַת סְדֹם וַעֲמֹרָה i. e. clamor de Sodoma et Gomorrha, profecto, כִּי, *multiplicatus est, et peccatum eorum* profecto, כִּי, *aggravatum est nimis.* [21] *Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam,* הַכְּצַעֲקָתָהּ הַבָּאָה אֵלַי עָשׂוּ כָּלָה וְאִם־לֹא אֵדָעָה i. e. utrum iuxta clamorem de ea, qui venit ad me, egerint omnino an non; volo scire. — Quemadmodum 11, 5 Dominus de caelo descendisse narratur, ut civitatem et turrim Babel videret: simili modo heic Dominus se ab Hebron Sodomam descensurum atque examinaturum nuntiat (cf. Strack[2]), utrum omnia iuxta clamorem omnino peracta sint necne. „Haec omnia, uti patet, dicuntur *ἀνθρωπομορφικῶς:* si Deus specie hominis se videndum praebet, non est cur non etiam humano more inspiciat, consideret, imo dubitet“ (Hummelauer cum Lapide: cf. Exegeticam 10). Iuxta ℣. 20. Iahve reapse iam scivit, peccatum urbium ita nimis aggravatum esse, ut validissime ad punitionem eum commoveret (cf. pag. 104).

Pro זַעֲקַת Ball aliique cum Samaritano צַעֲקַת scribunt; videas ℣. 21. — Clamor *Sodomorum et Gomorrhae* sensu obiectivo intelligendum est (Gesenius 426 aliique), non tamen ita ac si homines „a Sodomitis vexati vel crudeliter habiti“ (Gesenius) aut Angeli (cf. Lapide) ad caelum clamaverint; sed sensus est: „ipsamet eorum peccata quasi accusatores in caelum ad me conscenderunt clamantque contra tam impios homines atque vindictam a me extorquent“ (Lapide). Est prosopopoeia (cf. 4, 10): clamor multiplicatus est effectus peccati aggravati. — Sixtina loco *Gomorrhae* habet cum pluribus codicibus et editionibus Latinis *Gomorrhaeorum* (Vercellone). — כִּי = utique, profecto, certe (cf. Gesenius-Kautzsch 479). Kittel antea בָּאָה אֵלַי forte inserendum putat. — In הַכְּצַעֲקָתָהּ illud suffixum הָ ad Sodomam referendum est et quidem sensu obiectivo (cf. 9, 2; 16, 5); Kittel הַכְּצַעֲקָתָם legendum iudicat; de הֲ . . . וְאִם videas pag. 280. — Pro הַבָּאָה legendum videtur הַבָּאָה (Gesenius-Kautzsch 454). — כָּלָה =

plane, omnino, prorsus (Gesenius, Dillmann); Kittel כָּלָה commendat, Olshausen כֻּלָּם.

℣. 22. Converteruntque se inde, וַיִּפְנוּ מִשָּׁם הָאֲנָשִׁים, *καὶ ἀποστρέψαντες ἐκεῖθεν οἱ ἄνδρες* i. e. duo comites Domini (cf. pag. 283), *et abierunt Sodomam,* ubi vespere advenerunt (19, 1): *Abraham vero adhuc stabat coram Domino,* non statim dimisit eum, quia pro Sodoma, in qua Lot habitabat, rogare volebat (cf. Hummelauer, Dillmann, Strack[2]).

Secundum S. Hieronymum (ep. 108 ad Eustoch. 12) haec in Caphar Barucha = Kefr barîk = Beni naʿim ex oriente Hebron gesta sunt, ex quo loco mare mortuum conspicitur (cf. Buhl, Geographie des Alten Palästina. Freiburg u. Leipzig 1896, S. 158 f.; Gunkel 184).

℣℣. 23—25. Et appropinquans ait, וַיִּגַּשׁ אַבְרָהָם וַיֹּאמַר i. e. et appropinquavit Abraham (confidenter preces fusurus) et dixit: *Numquid,* הַאַף, *perdes iustum cum impio?* [24]*Si fuerint,* אוּלַי יֵשׁ i. e. forsitan fuerint, *quinquaginta iusti in,* בְּתוֹךְ, *civitate, peribunt simul* (deest *simul* in Hebraico et Graeco)? *et non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si* אֲשֶׁר, *fuerint in eo?* [25]*Absit a te,* חָלִלָה לְּךָ, *ut rem hanc facias, et occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius,* וְהָיָה כַצַּדִּיק כָּרָשָׁע i. e. fiatque ita iusto sicut impio, *non est hoc tuum,* חָלִלָה לָּךְ i. e. absit a te: *qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc,* הֲשֹׁפֵט כָּל־הָאָרֶץ לֹא יַעֲשֶׂה מִשְׁפָּט i. e. iudicans omnem terram non reddet ius? — Sensus horum ℣℣. est: Per summam iustitiam tuam, qua non occidis iustum cum impio, rogo te ut urbi parcas, si 50 iusti in ea fuerint, quia alioquin iusti cum iniustis perderentur.

Secundum praecepta logica quidem ista consequentia non valet. Iudex totius terrae utique iustissimus esse et cuilibet iuxta opera eius reddere debet, quia iuste iudicare ad notionem vel naturam cuiuscumque iudicis veri pertinet. Ex hoc autem non sequitur, ut universae urbi parcere debeat, ne 50 iusti cum reliquis impiis perdantur; nam potest iustos ex urbe ante eversionem educere, sicut revera Lot, uxorem et filias eius eduxit (cf. Gunkel 186). Sed Abraham voluit istis verbis preces tantum fundere rhetorice ornatas, non syllogismum conficere logice valentem, quod in ℣. 32. ostendit. Nam licet ea quae hic de 50 iustis dicit, iuxta logicam etiam de 8 vel 5 iustis valeant, tamen Abraham non concludit, sed tacet. — כְּ . . . כְּ = ita . . . sicut, sicut . . . ita (videas lexicon).

℣℣. 26—29. **Dixitque Dominus** *ad eum* (deest *ad eum* in Hebraico et Graeco): *Si invenero Sodomis quinquaginta iustos in medio civitatis, dimittam* i. e. parcam (℣℣. 24. 28 ss.) *omni loco propter eos.* [27]*Respondensque Abraham, ait: Quia semel coepi, loquar,* הִנֵּה־נָא הוֹאַלְתִּי לְדַבֵּר i. e. vide sane, ausus sum loqui *ad Dominum meum,* אֶל־אֲדֹנָי (cf. pag. 256), *cum sim pulvis et cinis* (cf. pag. 49). Qua sententia Abraham humilitatem hominis dominationi Dei opponit et licentiam linguae suae confitetur; sed audet iterum, adiungens: [28]*Quid si minus quinquaginta iustis quinque fuerint? delebis, propter quadraginta quinque, universam urbem?* LXX textum originalem accuratius vertunt: ἐὰν δέ, אוּלַי (cf. ℣. 24), ἐλαττονωθῶσιν οἱ πεντήκοντα δίκαιοι πέντε, ἀπολεῖς ἕνεκεν τῶν πέντε πᾶσαν τὴν πόλιν; Abraham timet, ne in 50 iustis suppositis 5 desint, et Dominum interrogat, num propter 5 deficientes totam urbem perdere velit. *Et ait: Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque.* [29]*Rursumque locutus est ad eum,* LXX accuratius: καὶ προσέθηκεν ἔτι λαλῆσαι πρὸς αὐτὸν καὶ εἶπεν (cf. pag. 272): *Sin autem,* אוּלַי, *quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies?* Haec verba superflua *quid facies* in Hebraico et Graeco desunt. *Ait: Non percutiam propter quadraginta.*

In ℣. 28. Clementina habet: *delebis, propter quadraginta quinque, universam urbem?* Sixtina autem: *delebis, quia quadraginta quinque, universam urbem?* Ergo ambae editiones officiales exhibent *quadraginta quinque,* quam lectionem c. 9 codices Latini et pleraeque editiones Vulgatae praebent; textus tamen Hebraicus et Graecus, c. 8 codices Latini antiquiores et nonnullae editiones Vulgatae habent *propter quinque.* Si Rocca et Toletus asserunt, LXX habere *quadraginta quinque,* errant; ita habet quidem editio Complutensis cum aliquibus codicibus Graecis (cf. Brooke et Vercellone); sed genuinus textus Graecus ille est, qui in plurimis et antiquioribus codicibus Graecis necnon in Graeca editione Sixtina legitur, nimirum ἕνεκεν τῶν πέντε. „Unde vehementer miramur, Toletum heic quoque, uti alias saepe, usurpasse graecam Complut. editionem, utique minus puram, prae vaticana (videlicet editione Graeca), quam paullo ante Sixtus praeclarissime exornari curaverat" (Vercellone). Ergo Latina quoque lectio probabilior invenitur *propter quinque:* sensus tamen lectionis officialis idem est: *delebis, propter quadraginta quinque* praesentes, *universam urbem?* = *delebis, propter quinque* in *quinquaginta iustis* deficientes, *universam urbem?* — Gunkel 187 putat, istam interrogationem *delebis, propter quinque, universam urbem* sophisticam esse, sed consequentiam textuum non bene intellexit. Dominus ℣. 26. promittit, se

urbem impiam non deleturum esse, si *quinquaginta* iustos in ea invenerit; Abraham vero ℣. 27. interrogat, quid futurum sit, si forsitan in 50 iustis *quinque* defecerint: num propter 5 iustos in numero iam stabilito deficientes deleturus sit urbem ob peccata sua enormia (℣. 20). Iuxta praecepta logica nullum sophisma adest.

℣℣. 30—33. Ne quaeso, inquit, *indigneris Domine,* וַיֹּאמֶר אַל־נָא יִחַר לַאדֹנָי, *si loquar: Quid si,* אוּלַי, *ibi inventi fuerint triginta? Respondit: Non faciam, si invenero ibi triginta.* 31 *Quia semel, ait, coepi, loquar ad Dominum meum,* הִנֵּה־נָא הוֹאַלְתִּי לְדַבֵּר אֶל־אֲדֹנָי (cf. ℣. 27): *Quid si,* אוּלַי, *ibi inventi fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter viginti.* 32 *Obsecro, inquit, ne irascaris Domine,* וַיֹּאמֶר אַל־נָא יִחַר לַאדֹנָי, *si loquar adhuc semel: Quid si,* אוּלַי, *inventi fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem.* 33 *Abiitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham,* et insecutus est comites suos (cf. 19, 24) praecedentes (cf. ℣. 22; 19, 1): *et ille,* וְאַבְרָהָם, *reversus est in locum suum.* In ℣℣. 28. et 29. Abraham de 50 ad 45, et de 45 ad 40 descendit; videns autem benignitatem Domini animum capit atque de 40 ad 30, de 30 ad 20, de 20 ad 10 descendit (cf. S. Chrysostomum et Hummelauer): tamen infra 10 descendere non audet (cf. Dillmann).

וַיֵּלֶךְ *abiitque* absolute significare potest „evanuit" vel „insecutus est" (Holzinger); contextus hanc alteram significationem commendat (cf. 17, 22; 19, 18. 24). — Gunkel in ℣℣. 17—33 difficultates gravissimas invenit, nimirum: *a)* Iuxta ℣. 21. Iahve Sodomam ire volebat; iuxta ℣℣. 22b. 33a; 19, 1 autem non venit illuc. Sed iam diximus cum Holzinger, וַיֵּלֶךְ in ℣. 33. etiam significare posse „insecutus est"; 19, 18. 24 vero indicant, Iahve reapse Sodomam venisse: adventus eius igitur non quidem explicite, sed implicite docetur. *b)* Iuxta ℣. 22a tres viri converterunt se et abierunt Sodomam; iuxta ℣. 22b autem Iahve in eodem loco mansit. Repono: si ea tantum consideramus, quae ℣. 22a praecedunt, sensus utique esse potuerit, Dominum cum comitibus Sodomam abiisse; at sequentia quoque consideranda sunt. Abraham stat coram Domino, hac ratione ei insinuans, se adhuc loqui velle; ergo Iahve manet in eodem loco, dum comites eius Sodomam proficiscuntur (19, 1 ss.), preces Abrahae benignus suscipit, deinde comites insequitur (℣. 33) ac demum sulphur et ignem super Sodomam pluit (19, 24). Ergo nulla adest vera contradictio (cf. Exegeticam 114), quam in tam arto contextu etiam Moyses animadvertere debuerat. *c)* Iuxta ℣℣. 23 ss. eversio Sodomae iam definita, iuxta ℣℣. 20 s. vero adhuc dubia erat. Respondeo: propter omniscientiam divinam eversio Sodomae utique iam definita erat, quia

Deus iam perspectum habuit, in ea ne decem quidem iustos habitare: sed cum Abraha humano modo colloquitur et ideo in ℣℣. 20 s. se examinaturum dicit, utrum urbs tam mala sit necne. Eodem modo humano Abrahae promittit, se urbem non deleturum esse, si decem iustos in ea invenerit. Ceterum contextus versuum 23 ss. eversionem Sodomae non definitam supponit, quod Gunkel non attendebat. *d)* Iahve in his ℣℣. ab Abraha agnitus exhibetur, licet secundum ℣℣. 1—16 agnitus non fuerit. At non est verum (cf. pag. 287). *e)* Alia est notio Dei in his ℣℣., alia in ℣℣. 1—16. Ibi Abraham Deo butyrum et lac, vitulum et panem proponit; hic eum iudicem universae terrae, semetipsum vero pulverem et cinerem profitetur. Attamen, hic Abraham iam notum habuit, se cum Iahve loqui; ibi autem putaverat, se homines convivio excepisse. *f)* Iuxta ℣. 17. Iahve iam novit, quae gesturus sit; iuxta ℣. 21. descendere ac videre vult, ut sciat. Sed videas pag. 206. *g)* Alludere ad promissiones antea factas (℣℣. 18. 19b); postulare iudicium et iustitiam, ut promissiones impleantur (℣. 19b); fundere preces pro alienis (℣℣. 23 ss.) non est temporis antiqui, sed recentioris. Reponimus: Quid temporis antiqui sit, ex fontibus historicis eruendum, non autem iuxta systema quoddam philosophicum a priori determinandum est. Atqui Moyses testatur, Deum cum Abraha loquentem ad promissiones antea factas allusisse atque a posteris eius promissionum participes fieri volentibus iudicium et iustitiam (cf. pag. 289) postulasse; Abraham vero pro Sodomitis, inter quos Lot habitabat preces fudisse. Ergo tres istae res non tantum recentioris, verum etiam antiquioris temporis sunt. *h)* Inepte Dominus de se in tertia persona loquitur. Sed videas 19, 24: *Dominus pluit . . . a Domino* et explicationem huius phrasis.

C. **19.** ℣℣. **1. 2. Veneruntque duo Angeli** (cf. pag. 291) *Sodomam vespere, et sedente Lot in foribus civitatis,* LXX accuratius *Λὼτ δὲ ἐκάθητο παρὰ τὴν πύλην Σοδόμων.* In foribus, in porta, בַּשַּׁעַר, Lot sedebat, quia antiquitus cives urbium in portis ad iudicandum, concionandum, negotiandum, colloquendum, spectandum conveniebant (Kortleitner 211, Hummelauer, Winer II, 616). *Qui cum vidisset eos,* וַיַּרְא־לוֹט, *surrexit, et ivit obviam eis,* וַיָּקָם לִקְרָאתָם, *ἀνέστη εἰς συνάντησιν αὐτοῖς, adoravitque pronus in terram,* וַיִּשְׁתַּחוּ אַפַּיִם אָרְצָה (cf. pag. 283). ²*et dixit: Obsecro,* הִנֶּה נָּא (cf. 18, 27), *domini,* אֲדֹנַי (cf. pag. 256), *declinate in domum pueri vestri* i. e. servi vestri, עַבְדְּכֶם (cf. 18, 3), *et manete ibi,* וְלִינוּ i. e. et pernoctate: et *lavate pedes vestros* (cf. 18, 4), *et mane proficiscemini in viam vestram,* LXX accuratius *καὶ ὀρθρίσαντες ἀπελεύσεσθε εἰς τὴν ὁδὸν ὑμῶν. Qui dixerunt: Minime, sed* (לֹא כִּי cf. 18, 15) *in platea* (cf. Iud. 19, 15) *manebimus,* pernoctabimus, נָלִין. Humani et urbani (Lapide,

Gunkel, Hoberg) Angeli invitationem recusant, forsitan ut Lot etiam tentent (Dillmann, Strack[2]).

Pro שְׁנֵי הַמַּלְאָכִים (cf. ℣. 15) iuxta Gunkel et Holzinger certo, iuxta Dillmann et Kittel fortasse הָאֲנָשִׁים (cf. ℣℣. 12. 16) legendum est. Sed postquam Iahve Abrahae se revelavit (cf. pag. 287), hagiographus comites Domini tam Angelos (℣℣. 1. 15) quam viros (℣℣. 12. 16) vocare potest. — In officialibus editionibus Vulgatae legimus *vespere, et sedente Lot;* Latini codices, Patres, editiones veteres autem particulam *et* omittunt (cf. Vercellone). In Graeco et Hebraico utique habetur particula וְלוֹט ישֵׁב, at vertendum est *quum Lot sedebat* (cf. Gesenius-Kautzsch 362 et 460): ergo in Latino particula *et* omittendum erat. — Lapide censet, Lot sedisse in porta civitatis, ut hospites colligeret (cf. 18, 1), ne a Sodomitis vim paterentur. — Uti Abraham ita Lot quoque putavit, viros urbem ingredientes esse homines (Hebr. 13, 2 cf. pag. 283). — Portae urbium non erant simplices ianuae vel fores, sed aedificia munita vel turres (cf. 2 Reg. 18, 24. 33), ergo portae quales in castris videntur (cf. Winer II, 616; Zeller 906). — אַפַּיִם = nares, facies (cf. 2, 7; Gesenius). — De הִנֶּה נָּא videas Gesenius-Kautzsch 69.

℣. 3. **Compulit illos oppido** *ut diverterent ad eum: ingressisque domum illius fecit convivium,* LXX accuratius *καὶ παρεβιάζετο αὐτούς, καὶ ἐξέκλιναν πρὸς αὐτόν· καὶ εἰσῆλθον εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, καὶ ἐποίησεν αὐτοῖς πότον. et coxit azyma,* מַצּוֹת i. e. placentas (cf. pag. 285) dulces seu panes non fermentatos (Gesenius), quos sine mora fermenti coquere potuit: *et comederunt* (cf. pag. 286).

מִשְׁתֶּה (a שָׁתָה bibit, compotavit, convivatus est) idem est ac potio vel potus, convivium vel epulum (Gesenius), quod etiam *πότος* significat (Passow). — *Ἄζυμος, azymus* (cf. Passow et Georges) = sine *ζύμη,* sine fermento. Cum tertia editione Clementina scribendum est azyma, non azima, ut Sixtina et duae Clementinae priores habent (cf. epilogum criticum meae editionis Bibliae Sacrae).

℣℣. 4. 5. **Prius autem quam irent cubitum,** טֶרֶם יִשְׁכָּבוּ i. e. nondum cubitum ierant (cf. Gesenius-Kautzsch 313), *viri civitatis,* וְאַנְשֵׁי הָעִיר אַנְשֵׁי סְדֹם, *καὶ οἱ ἄνδρες τῆς πόλεως οἱ Σοδομεῖται, vallaverunt,* נָסַבּוּ i. e. circumdederunt *domum a puero usque ad senem, omnis populus simul.* [5] *Vocaveruntque Lot, et dixerunt ei: Ubi sunt viri qui introierunt ad te nocte,* הַלָּיְלָה, *τὴν νύκτα; educ illos huc,* אֵלֵינוּ, *πρὸς ἡμᾶς, ut cognoscamus,* וְנֵדְעָה (cf. 4, 1), *eos.* His factis et verbis Sodomitae se pessimos, *pec-*

catores coram Domino nimis (13, 13) demonstrarunt. Omnes, iuvenes atque senes, propinqui ac longinqui, מִקָּצֶה, ad scelera et flagitia publice patranda convenerant (cf. Lapide, Dillmann, Gunkel).

Cum Olshausen Gunkel et Holzinger asserunt, אַנְשֵׁי סְדֹם esse glossam, sed opinionem suam non probant; Dillmann dubitat, Kittel et Strack aliique verba retinent genuina. — מִקָּצֶה = ab extremo, „ab extremis eius terminis“ (Gesenius), „ab extremis urbis partibus“ (Lapide): ergo omnis populus *simul, ἅμα* (Buhl, Fürst). — Hummelauer cum Lyrano et Calmeto censet, non omnes ad unum venisse, sed „ex omni genere et conditione hominum, ab honoratissimo ad infimum usque“. — S. Ephrem, Hummelauer 411, Dillmann, Gunkel putant, Angelos in forma florida iuvenum apparuisse (cf. Tob. 5, 5ss.; Marc. 16, 5). — Quod Gunkel affirmat, Iahve inter hos iuvenes non fuisse, etiam nos diximus (cf. pag. 293); contradictio autem, quam inter ℣℣. 2ss. atque 13, 12 detexit, reapse non exsistit: iuxta ℣℣. 2ss. Lot in Sodomis utique domum possidebat, at hoc in 13, 12 non negatur (videas explicationem).

℣℣. 6—8. Egressus ad eos Lot extra ostium, הַפֶּתְחָה, *post tergum*, אַחֲרָיו, *ὀπίσω αὐτοῦ*, *occludens ostium*, הַדֶּלֶת i. e. ianuam, *ait* (in Hebraico et Graeco ad ℣. 7. trahitur): [7]*Nolite, quaeso,* אַל־נָא, *fratres mei, nolite* (deest *nolite* alterum in Hebraico) *malum hoc facere*, תָּרֵעוּ, *πονηρεύσησθε*. [8]*Habeo duas filias*, הִנֵּה־נָא לִי שְׁתֵּי בָנוֹת, *quae necdum cognoverunt virum: educam eas ad vos, et abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia*, כִּי־עַל־כֵּן (18, 5 et pag. 285), *ingressi sunt sub umbra culminis mei.* „Hospitalem gratiam, etiam apud barbaras gentes inviolabilem“ (S. Ambrosius), Lot prostitutione filiarum servare volebat; qua in re obiective quidem mala „inconsideratio et perturbatio“ eum subiective saltem ex parte excusant (cf. Lapide et Hummelauer).

אַחַי *fratres mei* est allocutio blanda, qua etiam amici, socii, populares honorantur (Gesenius); צֵל *umbra* metaphorice tutelam et praesidium quoque significat, ergo בְּצֵל קֹרָתִי = in tutela trabis meae, „sub praesidio domus meae“ (Gesenius).

℣. 9. At illi dixerunt, וַיֹּאמְרוּ: *Recede illuc. Et rursus* (deest *rursus* in Hebraico et Graeco): *Ingressus es, inquiunt, ut advena; numquid ut iudices?* הָאֶחָד בָּא־לָגוּר וַיִּשְׁפֹּט שָׁפוֹט i. e. hic unus venit, ut peregrinaretur, tamen iudicat iudicans i. e. perpetuo (Gesenius-Kautzsch 346; cf. pag. 237, ℣. 13). *te ergo*

ipsum magis quam hos affligemus. Vimque faciebant Lot, בָּאִישׁ בְּלוֹט, *τὸν ἄνδρα τὸν Λώτ, vehementissime,* מְאֹד, *σφόδρα· iamque prope erat,* וַיִּגְּשׁוּ i. e. *καὶ ἤγγισαν, ut effringerent fores.*

Pro וַיִּשְׁפֹּט non est legendum וַיִּשְׁפֹּט (cf. Gesenius-Kautzsch 329 et 346). — Dillmann, Gunkel, Holzinger cum Olshausen בְּלוֹט glossam declarant.

℣℣. 10. 11. Et ecce *miserunt manum viri,* LXX accuratius *ἐκτείναντες δὲ οἱ ἄνδρες τὰς χεῖρας, et introduxerunt ad se Lot* in domum, הַבַּיְתָה, *εἰς τὸν οἶκον, clauseruntque ostium:* [11]*et eos, qui foris erant,* LXX accuratius *τοὺς δὲ ἄνδρας τοὺς ὄντας ἐπὶ τῆς θύρας τοῦ οἴκου, percusserunt caecitate,* בַּסַּנְוֵרִים, *ἀορασίᾳ, a minimo usque ad maximum, ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου, ita ut ostium invenire non possent, καὶ παρελύθησαν ζητοῦντες τὴν θύραν.* Iam S. Augustinus notavit, Sodomitas non perfecta caecitate percussos fuisse, ita ut nihil omnino videre possent, sed tali quali Syri Elisaeum quaerentes percussi sunt, qui ipsum viderunt et tamen non agnoverunt (cf. 4 Reg. 6, 18 ss.). Simili modo discipuli in castellum Emmaus euntes Iesum viderunt et tamen non agnoverunt: *oculi autem illorum tenebantur* (Luc. 24, 16). Videas Lapide, Hummelauer, Hoberg, Dillmann, Strack[2]. Etymologia vocabuli סַנְוֵרִים incerta est (cf. Buhl, Fürst, Gesenius).

℣℣. 12. 13. Dixerunt autem viri, הָאֲנָשִׁים, *οἱ ἄνδρες, ad Lot: Habes hic* amplius, עֹד, *quempiam tuorum? generum, aut filios* tuos, *filias* tuas, et *omnes, qui tui sunt* in hac urbe, בָּעִיר, *educ de urbe hac* vel potius de hoc loco, הַמָּקוֹם: [13]*delebimus enim locum istum, eo quod increverit clamor eorum* (cf. pag. 290) *coram Domino,* אֶת־פְּנֵי יְהוָה, *qui,* יְהוָה, *κύριος, misit nos ut perdamus illos, αὐτήν.* Hospites manifestant, ad quid venerint, atque mandant, ut Lot omnes filios filiasque et generos necnon sibi coniunctos, quos forsitan praeter (עֹד) personas in domo commorantes habuerit, ex urbe educat. Loquuntur conditionaliter, quia nondum revelaverunt, se Angelos Domini esse (cf. ℣℣. 15 ss.).

Pro חָתָן cum Syro (et Graeco) legendum videtur חֲתָנֶיךָ (Dillmann); Kittel cum aliis חָתָן וּ delet. — Post הַמָּקוֹם Samaritanus et Graecus הַזֶּה addunt. — Loco לְשַׁחֲתָהּ Ball et Kittel לְשַׁחֲתָם commendant.

℣. **14. Egressus itaque Lot,** *locutus est ad generos suos qui accepturi erant* (non bene LXX vertunt τοὺς εἰληφότας, cf. Gesenius-Kautzsch 359, Dillmann, Strack[2]) *filias eius, et dixit: Surgite, egredimini de loco isto: quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui,* LXX accuratius ἔδοξεν δὲ γελοιάζειν ἐναντίον τῶν γαμβρῶν αὐτοῦ. Generi non credebant Lot loquenti, qui ne ipse quidem plene credebat (cf. ℣. 16).

℣. **15. Cumque esset mane,** LXX accuratius *ἡνίκα δὲ ὄρθρος ἐγίνετο, cogebant eum,* בְּלוֹט, *τὸν Λώτ, Angeli, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, et duas filias quas habes,* הַנִּמְצָאת, *ne et tu pariter* (deest *pariter* in Hebraico) *pereas in scelere,* בַּעֲוֹן i. e. propter scelus *civitatis.*

Loco הַמַּלְאָכִים Kittel fortasse legendum putat הָאֲנָשִׁים; sed videas pag. 295. — הַנִּמְצָאת = quae inveniuntur, quae adsunt, ad filias atque uxorem pertinet, quae generis eorumque consanguineis in urbe commorantibus opponuntur: ergo ex hoc verbo concludi nequit, Lot etiam extra domum filias habuisse Sodomitis matrimonio iunctas, quas sine dubio monuisset, de quo tamen in textu nihil reperimus (Dillmann, Strack). — Gunkel 191 s. sine argumento asserit, iuxta antiquiorem fabulae recensionem uxorem Lot tunc iam mortuam fuisse, in recentiore autem recensione additam esse. — Post הַנִּמְצָאת Kittel cum Graeco וְצֵא, καὶ ἔξελθε inserit.

℣℣. **16. 17. Dissimulante illo,** vel potius c u n c t a n t e, וַיִּתְמַהְמָהּ, *apprehenderunt* v i r i, הָאֲנָשִׁים, (LXX habent ἄγγελοι) *manum eius, et manum uxoris* e i u s, *ac* m a n u m, וּבְיַד, τῶν χειρῶν, *duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus illi,* LXX accuratius ἐν τῷ φείσασθαι κύριον αὐτοῦ. [17]*Eduxeruntque eum, et posuerunt extra civitatem* (haec sententia in Hebraico ad ℣. 16. trahitur, in pluribus codicibus Graecis omittitur: cf. Brooke): *ibique locuti sunt ad eum dicentes,* LXX accuratius καὶ ἐγένετο ἡνίκα ἐξήγαγον αὐτοὺς ἔξω καὶ εἶπαν· *Salva animam tuam,* הִמָּלֵט עַל־נַפְשֶׁךָ, *noli respicere post tergum,* אַחֲרֶיךָ, *nec stes in omni circa regione,* בְּכָל־הַכִּכָּר (cf. pag. 236): *sed in monte,* הָהָרָה, *salvum te fac, ne et tu simul* (deest *simul* in Hebraico) *pereas.* Cunctatus est Lot, quia domum et bona sua, urbem et regionem amoenam relinquere nolebat (cf. pag. 237; Lapide, Dillmann); sed illi viri cunctationi finem faciunt eum cum

uxore et filiabus extra urbem collocantes ac praecipientes, ut ob vitam servandam, עַל־נַפְשֶׁךָ, ex regione Iordanis in montem, הָהָרָה, orientalem (℣℣. 20 ss. 30 ss.) fugiat neve respiciat. Dominus enim voluit, ut Lot cum uxore et filiabus cor suum ab impiissimis Sodomitis suaque possessione avelleret atque voluntati divinae plene inhaereret (cf. Lapide). — In Vulgata legimus *locuti sunt ad eum, dicentes;* in Graeco et Syro *καὶ εἶπαν*, וַיֹּאמְרוּ, at in Hebraico וַיֹּאמֶר *et dixit,* quam lectionem cum Kittel, Dillmann, Holzinger, Strack² aliisque probabiliorem iudicamus, quia cum sequentibus, praesertim cum ℣. 24. melius congruit. Locutus est Iahve, qui advenerat seu apparuerat (cf. pag. 293 et Holzinger), quem Lot statim agnovit (℣℣. 18 ss.).

℣℣. **18—20. Dixitque Lot ad eos:** *Quaeso,* אַל־נָא i. e. ne quaeso, *Domine mi,* אֲדֹנָי, *κύριε.* 19 *quia,* הִנֵּה־נָא i. e. ecce quaeso, *invenit servus tuus gratiam coram te,* בְּעֵינֶיךָ (cf. pag. 133), *et magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum, ut salvares animam meam, nec possum in monte,* הָהָרָה, *salvari, ne forte,* פֶּן־ (cf. pag. 69) *apprehendat me malum, et moriar:* 20 *Est civitas haec iuxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea: numquid non modica est, et vivet anima mea?* LXX accuratius *ἰδοὺ ἡ πόλις αὕτη ἐγγὺς τοῦ καταφυγεῖν με ἐκεῖ, ἥ ἐστιν μικρά* (מִצְעָר)· *ἐκεῖ σωθήσομαι· οὐ μικρά* (מִצְעָר) *ἐστιν; καὶ ζήσεται ἡ ψυχή μου.* Timens Lot, ne forte ante eversionem urbis Sodomorum in montem pervenire non posset, rogavit Dominum, ut propinquae atque parvae urbi Balae (℣. 22) parceret sibique eam refugium concederet. Notant Dillmann, Hummelauer et Hoberg cum Lapide, obedientiam Lot non promptam, sed lentam et morosam fuisse, ipsumque magis suae infirmitati quam providentiae divinae fisum esse.

אֲדֹנָי in pausa absolute idem esse potest ac אֲדֹנַי *domini mei* (cf. pag. 256; Syrus et Buhl); relative autem seu comparatum cum sequentibus numeris singularibus Deum significare videtur (Dillmann, Holzinger, Strack²). — Pro אֲלֵהֶם Kittel forte legendum putat אֵלָיו, quamvis haec mutatio necessaria non sit (cf. 18, 3 ss.). Iuxta Hummelauer Lot ad duos quidem loquitur, sed tamen immediate illum Angelum rogat, a quo ipse et uxor eius ex urbe eductus est. — Bachmann מִצְעָר ineptam atque מִבְצָר *munita* aptam censet. Sed vide, quomodo Dillmann

et Strack[2] in sequentibus vocabulum explicent; מִבְצָר e contrario iuxta contextum inepta est.

℣℣. 21—23. **Dixitque ad eum:** *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas,* LXX accuratius Ἰδοὺ ἐθαύμασά σου τὸ πρόσωπον καὶ ἐπὶ τῷ ῥήματι τούτῳ, *ut non subvertam urbem pro qua locutus es.* Parva enim erat et paucos cives habebat atque modice peccaverat (Lapide, Dillmann, Strack[2]). [22]*Festina, et salvare ibi: quia non potero facere quidquam donec ingrediaris,* עַד־בֹּאֲךָ, *illuc.* Ob iustitiam Lot (cf. pag. 237 et 295) necnon preces Abrahae (℣. 29) Deus urbes impias subvertere nequibat, antequam ille asylum ingressus est (cf. Lapide). *Idcirco,* quia scilicet ob parvitatem suam, מִצְעָר, servabatur, *vocatum est,* קָרָא (cf. pag. 270) *nomen urbis illius Segor,* צוֹעַר i. e. parvitas (a צָעַר parvus fuit), quae prius vocabatur Bala (cf. 14, 2). [23]*Sol egressus est super terram, et Lot ingressus est Segor.* Haec urbs postea Moabitis subiecta (Isa. 15, 5; Ier. 48, 34) ad sinum maris mortui et quidem inter meridiem et ortum solis spectans erat; reliquiae in Ġôr-eṣ-ṣâfije partim alluvione tectae conspiciuntur (Gesenius, Dillmann, Guthe, Buhl, Palaestina aliique). Cum ea, quae in ℣℣. 15—23 narrantur, inter diluculum et ortum solis acta sint, coniicere possumus, quantum Sodoma ab urbe Segor abfuerit (Dillmann, Hummelauer).

Gunkel 192 asserit sed non demonstrat, iuxta antiquiorem traditionem Lot reapse in montem fugisse, in recentiore autem traditione fabulam antiquam mutatam esse, ut hoc modo conservatio et nomen urbis Segor explicaretur. Contra videas quae pag. 232 scripta sunt. — Idem 193 sine ullo argumento affirmat, Sodomam statim deletam esse, postquam Lot eam reliquerat, non vero postquam urbem Segor ingressus fuerat. — Kittel pro יָצָא iuxta 15, 17 יָצְאָה legendum putat, sed non est necessarium (cf. lexicon).

℣℣. 24. 25. **Igitur Dominus pluit,** וַיהוָה הִמְטִיר, *super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de caelo,* מֵאֵת יְהוָה מִן־הַשָּׁמָיִם: [25]*et subvertit civitates has, et omnem circa regionem,* כָּל־הַכִּכָּר, et *universos habitatores urbium, et cuncta terrae virentia,* וְצֶמַח הָאֲדָמָה. Pluralitas personarum divinarum iam 11, 7; 3, 22; 1, 26 innuitur, in N. T. autem clare docetur: qua supposita hunc locum sic explicamus: persona divina, quae Abrahae et Lot in terris apparuerat (cf. pag. 287), ab

alia persona divina in caelis habitante pluviam ignis et sulphuris venire fecit, הִמְטִיר. Similiter S. Irenaeus, S. Cyprianus, S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Hieronymus aliique (cf. Hummelauer et Lapide). — Ignis de caelo veniens succendit tam sulphur simul cadens quam puteos asphalti (cf. pag. 243) itaque totam regionem ab Iericho usque Segor (cf. pag. 236) et virentia eius necnon urbes in ista regione sitas cum habitatoribus earum combussit. Ex eo quod universi habitatores urbium deleti sunt, Lapide recte infert, eos impiissimos fuisse vel actu vel affectu et consensu. — Urbes deletae fuerunt: *Sodoma,* סְדֹם, *Gomorrha,* עֲמֹרָה, *Adama,* אַדְמָה, *Seboim,* צְבֹיִים; nam *Bala,* בֶּלַע, ob preces Lot servata et ideo *Segor,* צֹעַר, appellata est (cf. 14, 8 et 19, 20 ss.). Si in hoc loco duae potentissimae tantum explicite nominantur, ceterae duae non excluduntur (cf. pag. 243); si autem Sap. 10, 6 legimus ignem descendisse in *pentapolim,* haec phrasis generalis Balam exceptam fuisse non negat. Erant autem in illa regione amoena et fertili, quae nunc mari mortuo occupatur. Hic est sensus locorum 13, 10 ss. et 14, 3, quemadmodum supra (pag. 236 et 241) cum aliis explicavimus.

Mare mortuum 76 *km* longum est; latitudo eius inter 15·7, 12, 10, 4·5 *km* variat. Profunditas absolute maxima 399, maxima in parte australi 3·6, communis 329 *m* invenitur; aequor autem maris mortui 393·8 *m* depressior est quam aequor maris mediterranei: ergo profunditas absolute maxima maris mortui 792·8 *m* est, si aequor maris mediterranei attenditur (Benzinger-Baedeker 156). Ex sententia hagiographi 13, 10 ss. et 14, 3 scribentis mare mortuum ante subversionem quattuor urbium et vallis Siddim non exstitit, et Iordanes per alveum hodieque conspicuum et wadi el-Araba vocatum in sinum Aelaniticum influebat (cf. pag. 236); subversis autem urbibus et puteis bituminis exustis necnon regione tantopere depressa Iordanes illum locum implevit atque nunc in eo evanescit. Obiiciunt quidem, Iordanem in sinum Aelaniticum numquam influere potuisse, cum aequor maris mortui 393·8 *m* depressior, pars vero alvei el-Araba 250 *m* excelsior sit quam aequor maris mediterranei (Benzinger-Baedeker l. c. aliique). Sed si iuxta sententiam scriptoris inspirati in subversione urbium vallis Siddim usque ad 399 *m* depressa est, pars alvei inter mare mortuum et sinum Aelaniticum etiam elevari potuit. Hoberg 139 bene notat, talem elevationem istius alvei parvam apparere, si ad alias mutationes geologicas multo maiores respicimus. Multi tamen interpretes recentiores catholici et acatholici opinionem Robinsoni (cf. pag. 241) praeferunt dicentis, iam ante subversionem Sodomae et Gomorrhae in illa regione lacum minorem fuisse et quinque urbes supra enumeratas ab

austro lacus, forsitan infra lingulam ubi mare maxime 3·6 *m* altum est, exstitisse. Quae opinio cum iis, quae pag. 236 et 37 scripta sunt, difficile conciliatur. — Chlornatrium, chlormagnesium, chlorcalcium etc., quae in aquis maris mortui continentur, efficiunt, ut in ipso mari animalia nulla, in locis circumiacentibus pauca dumtaxat vivere possint, et herbae quoque ibi rarae sint. In profundo maris asphaltus copiosa esse dicitur. Mare et montes vicini saepissime nebula teguntur (Benzinger-Baedeker 157 s. 198). Ex his proprietatibus nomina *mare mortuum, mare solitudinis, mare salis* (chlornatrium), *lacus asphaltites* clarescunt.

Illud *a Domino,* מֵאֵת יְהוָה, Hummelauer cum Dillmann ἐκ Διός, *e caelo* interpretatur; sed ita verba sequentia *de caelo,* מִן־הַשָּׁמָיִם superflua evadunt, quare Kittel cum aliis contra omnes testes criticos ea postea addita censet. At via contraria incedendum est, nimirum: omnes testes critici phrasim illam duplicem exhibent; cum autem non verisimile sit, eamdem ideam quattuor verbis immediate se excipientibus exprimi, phrases sic explicare debemus, ut tautologia evitetur, quam explicationem contextus remotus nobis insinuat, quemadmodum supra ostendimus. — Idem Kittel in ℣. 25 (הָאֵלֶּ(ה pro הָאֵל legendum putat ut in ℣. 8. — Si quaeramus, cur etiam infantes urbium deleti sint, Lapide respondet: „quia Deus, qui omnium mortisque et necis est dominus, per eos etiam volebat parentes et tantum parentum scelus punire; parvulis autem bene hac morte consuluit, ne si superstites manerent, patrissarent itaque aeternis ignibus addicerentur."

℣. 26. **Respiciensque,** וַתַּבֵּט, *uxor eius* (cf. pag. 219, ℣. 29) *post se,* מֵאַחֲרָיו i. e. a tergo eius, scil. Loti (Gesenius), *versa est in statuam salis.* Lapide recta iudicat, id factum esse iuxta urbem Segor, quam Lot in ℣. 23. ingressus narratur, et mulierem post Lot incedentem respexisse partim propter strepitum ignis et sulphuris cadentis ac clamorem pereuntium, partim ex timore ne a flamma corriperetur, partim ex curiositate, partim ob dolorem patriae ac civium suorum necnon bonorum conflagrantium. Peccavit inobedientia et incredulitate (℣. 17; Sap. 10, 7). Similiter Hummelauer, qui factum ipsum sic exponit: „Quid mirum, ut uxor Lot paucos pone maritum gressus cunctata aquis fuerit occupata et retrospiciens salso humore fuerit obcaecata, exanimata, prostrata, ut e tuto limine ad supremos eius clamores respicientes iam nihil viderint nisi formam aliquam prostratam totamque sale obtectam? Aut certe aliquamdiu post, quando aquae recesserant, loca illa invisentes nihil repererunt nisi acervos et varii generis fragmenta, sale cooperta omnia, sub quibus aliquo loco non iam

determinando mulieris cadaver obrutum iacere scirent." Saeculo III. a. Ch. n. ista statua salis adhuc conspiciebatur, nam Sap. 10, 7 legimus: *quibus in testimonium nequitiae fumigabunda constat deserta terra, καπνιζομένη καθέστηκε χέρσος, et incerto tempore fructus habentes arbores, καὶ ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά, et incredibilis animae memoria stans figmentum salis, ἀπιστούσης ψυχῆς μνημεῖον ἑστηκυῖα στήλη ἁλός.* Saeculo autem IV. p. Ch. n. Episcopus urbis Segor Silviae peregrinanti dixit, illam statuam ex annis nonnullis non videri sed mari mortuo obtectam esse (Keppler, Wanderfahrten etc. Freiburg i. Br., 1905, Herder, pag. 286).

Dillmann et Gunkel ac sectatores eorum asserunt, hanc narrationem esse fabulam geologicam, qua populus statuam quamdam mulieri similem, in monte (dschebel) Usdum conspicuam, declaraverit. At haec sententia falsa est. Nam dschebel Usdum ad occidentem partis australis maris mortui; Segor autem, iuxta quam uxor Lot punita est, ad orientem eiusdem australis partis sita erat (cf. tabulam geographicam a Fischer et Guthe editam). Deinde scriptor inspiratus nullo vocabulo indicat, semetipsum fabulam geologicam populi referre, sed ipse proprio nomine narrat: ergo relationi eius error subesse nequit (cf. pag. 36). Demum Christus fideles monuit (Luc. 17, 31 s.), ne in hora, qua Filius Dei revelabitur, de tecto in domum descenderent vel ex agro retro redirent, atque hoc monitum confirmans adiunxit: *Memores estote uxoris Lot* (cf. Bisping et Meyer-Weiss h. l.). Si uxor Lot non in veritate, sed in phantasia populi tantum propter inobedientiam punita et in statuam salis conversa fuisset, filius Dei historiam eius ad mandatum suum inculcandum non adduxisset, quia veritas essentialis mendacio hominum neque indiget (Iob 13, 7) neque uti potest. Propterea etiam Strack[2] tenet, reapse uxorem Lot fumo sulphureo (Schwefeldampf) occisam et deinde sale incrustatam esse, ita ut statuae salis similis evaderet. — Bene notat Hummelauer, non esse rationem asserendi, נְצִיב מֶלַח, *στήλην ἁλός, statuam salis* effigiem muliebrem habuisse. — Uti iuxta Segor statua salis, sic ad mare mortuum illi fructus non amplius inveniuntur, de quibus Sap. 10, 7 loquitur, si Engaddi excipiamus (cf. Benzinger-Baedeker 198); fumus, de quo loquitur, nebula frequentissima intelligi potest.

℣℣. 27. 28. **Abraham autem** *consurgens mane, ubi steterat prius cum Domino,* LXX accuratius *ὤρθρισεν δὲ Ἀβραὰμ τὸ πρωὶ εἰς τὸν τόπον οὗ ἱστήκει ἐναντίον κυρίου,* [28] *intuitus est Sodomam et Gomorrham,* LXX accuratius *καὶ ἐπέβλεψεν ἐπὶ πρόσωπον,* עַל־פְּנֵי, *Σοδόμων καὶ Γομόρρας, et universam terram regionis illius,* LXX accuratius *καὶ ἐπὶ πρόσωπον τῆς γῆς τῆς*

περιχώρου, הַכִּכָּר, *viditque ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum*, LXX accuratius *καὶ ἴδεν, καὶ ἰδοὺ ἀνέβαινεν φλὸξ*, קִיטֹר i. e. fumus, *τῆς γῆς ὡσεὶ ἀτμὶς*, כְּקִיטֹר, *καμίνου*. Hic fumus tunc e terra exusta ascendens cum nebula nunc quoque ascendente non confundatur (Hummelauer).

Kittel in ℣. 28 pro וְעַל כָּל־פְּנֵי אֶרֶץ הַכִּכָּר legendum censet ועל פני כל־הככר.

℣. 29. Cum enim (Sixtina: *Cum autem) subverteret Deus civitates regionis illius, recordatus Abrahae, liberavit Lot de subversione urbium in quibus habitaverat*, LXX accuratius *καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἐκτρίψαι κύριον*, אֱלֹהִים, *πάσας τὰς πόλεις τῆς περιοίκου*, אֶת־עָרֵי הַכִּכָּר, *ἐμνήσθη ὁ θεὸς*, אֱלֹהִים, *τοῦ Ἀβραὰμ καὶ ἐξαπέστειλεν τὸν Λὼτ ἐκ μέσου τῆς καταστροφῆς, ἐν τῷ καταστρέψαι κύριον τὰς πόλεις ἐν αἷς κατῴκει ἐν αὐταῖς Λώτ*, בַּהֲפֹךְ אֶת־הֶעָרִים אֲשֶׁר־יָשַׁב בָּהֵן לוֹט (cf. pag. 237). S. Augustinus censet, Lot magis ob merita Abrahae quam propter iustitiam suam liberatum esse; melius forte S. Chrysostomus tam propter iustitiam suam (cf. pag. 237) quam ob merita Abrahae Lot servatum docet.

℣. 30. Asceditque Lot de Segor, *et mansit in monte, duae quoque filiae eius cum eo (timuerat enim manere in Segor) et mansit in spelunca ipse, et duae filiae eius cum eo.* Angeli ei mandaverant, ut in monte se salvaret (℣. 17); videns igitur quattuor urbes subversas in montem ascendit, probabiliter quia timebat, ne Segor quoque subverteretur (Dillmann, Holzinger). Vir modicae fidei prius putavit, se in monte salvari nequire, quamquam Angeli promiserant (℣. 17 ss.); nunc vero putat, etiam Segor subverti posse, quamquam Dominus contrarium affirmaverat (℣. 21). In speluncis homines orientales lubenter habitarunt, praesertim profugi (Kortleitner 206).

Rabbini, S. Hieronymus et Hummelauer opinantur, Lot propter terrae motus continuos timuisse; Strack[2] vero opinatur, Lot propter animum infensum Segoritarum directe vel indirecte manifestatum, urbem reliquisse: sed ambae opiniones cum verbis textus minus congruere videntur.

℣℣. 31. 32. Dixitque maior *ad minorem: Pater noster senex est, et nullus virorum remansit in terra qui possit ingredi*

ad nos, LXX accuratius *καὶ οὐδείς ἐστιν,* וְאִישׁ אֵין, *ἐπὶ τῆς γῆς ὃς εἰσελεύσεται πρὸς ἡμᾶς, iuxta morem universae terrae.* [32]*Veni,* לְכָה (Samaritanus et Kittel לְכִי), *inebriemus eum vino,* LXX accuratius *ποτίσωμεν τὸν πατέρα ἡμῶν οἶνον, dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen.* Sensus horum verborum non est, nullum virum remansisse sed omnes incendio periisse, ut quidem ex textu Latino et Graeco inferebant (cf. Lapide), nam filiae Lot in urbe Segor viros a Domino servatos viderant; sensus potius est, nullum virum esse, qui adolescentulas prius Sodomitis desponsatas (℣. 14) uxores ducere vellet (cf. Hummelauer). Persuasum habentes, patrem sobrium numquam eis consensurum esse, eum inebriare voluerunt (cf. Dillmann).

℣℣. 33—35. **Dederunt itaque** *patri suo bibere vinum,* quod in Segor emerant (Lapide), *nocte illa: Et ingressa est maior, dormivitque cum patre: at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.* „Scripturae fides habenda affirmanti rem minime impossibilem" (Hummelauer). [34]*Altera quoque die dixit maior ad minorem: Ecce dormivi heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, et dormies cum eo, ut salvemus semen de patre nostro.* [35]*Dederunt etiam et illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia, dormivit cum eo: et ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit.* Lapide cum S. Chrysostomo, Theodoreto, Pererio saltem ex parte Lot excusat, quod propter amissionem coniugis bonorumque omnium paulo largius vinum bibit, quin tamen putaret se temulentum fore (cf. et Hummelauer); alteram tamen ebrietatem minus excusare vult et moralia adiungit. Quomodo filiabus Lot tale quid in mentem venire potuerit, Hoberg ex moribus Aegyptiorum declarat, quibus Sodomitae vix meliores fuerint.

In ℣. 33. verbum וּבְקוּמָהּ super ו punctum extraordinarium habet, quod S. Hieronymus (Quaest. hebr.) sic declarat: „Adpungunt desuper quasi incredibile et quod rerum natura non capiat coire quempiam nescientem"; quae declaratio saepe citatur. Reapse tamen Masorethae variantem lectionem ℣. 35. בְּקֻמָהּ indicare voluerunt (cf. Dillmann).

℣℣. 36—38. **Conceperunt ergo** *duae filiae Lot de patre suo.* [37]*Peperitque maior filium, et vocavit nomen eius Moab,* מוֹאָב:

ipse est pater Moabitarum, מוֹאָב, *usque in praesentem diem,* עַד־הַיּוֹם. [38]*Minor quoque peperit filium, et vocavit nomen eius Ammon, idest filius populi mei;* LXX habent *Ἀμμάν, ὁ υἱὸς τοῦ γένους μου,* in Hebraico hoc solum legimus וַתִּקְרָא שְׁמוֹ בֶּן־עַמִּי i. e. et vocavit nomen eius Ben-ʿAmmî: *ipse est pater Ammonitarum,* בְּנֵי־עַמּוֹן, *usque hodie,* עַד־הַיּוֹם. Moab (assyr. *Ma'ab, Ma'aba, Mu'aba)* idem ac מֵאָב = a patre (cf. Buhl) vel מוֹ = מֵי et אָב (semen patris) vel מוֹאָב = desideratus, ab יָאַב desideravit (cf. Fürst); Ben-ʿAmmî idem ac filius cognati mei (cf. pag. 278 et Buhl).

Gunkel 193 ss. asserit, Israelitas antiquos vidisse mare mortuum, in cuius aquis salsis nullus piscis, in cuius circuitu paucae herbae et bestiae sed non homines exsistunt; vidisse etiam columnam salis feminae similem atque parvam urbem Segor: et haec omnia fabulosa illa narratione explicasse, quam supra legimus. Revera in ista regione, inquit, semper lacus fuit, sed in parte eius australi forsitan mutationes geologicae factae sunt; in fabula autem originaliter non eversio istius sed alterius regionis neque salvatio Lot sed hominis alterius narrata fuit, in quam postea uxor Lot et urbs Segor inserta est. Similiter Holzinger et alii. Quod ad filias Lot attinet, Gunkel contra Holzinger sustinet, istam fabulam non in phantasia populi Israel Moabitis et Ammonitis adversantis atque hoc modo eos calumniantis, sed potius inter ipsos Moabitas et Ammonitas ortam esse, qui tali ratione sanguinem suum generosum (reinstes Vollblut) et animum heroicum matrum celebrare vellent. — Contra has opiniones opponimus: *a)* Gunkel asserit quidem, sed non demonstrat sua asserta; in toto tractatu eius ne unicum quidem argumentum logice valens invenitur. Quod autem gratis asseritur, gratis negatur. *b)* Scriptor inspiratus Genesis proprio nomine narrat et nullibi indicat, semetipsum narrationem aliorum referre velle: ergo narratio eius fabulosa esse nequit sed vera esse debet (cf. pag. 37). *c)* Ad narrationem istam, qua eversio urbium impiarum et salvatio iusti Lot memoriae proditur, non solum hagiographi V. T. provocant vel saltem alludunt (videas concordantias), sed etiam Apostoli et ipse Christus eam veram confirmant. *Similiter sicut factum est in diebus Lot,* ait Christus (Luc. 17, 28 ss.): *Edebant, et bibebant: emebant, et vendebant: plantabant, et aedificabant: qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem, et sulphur de caelo, et omnes perdidit: secundum haec erit qua die Filius hominis revelabitur. In illa hora qui fuerit in tecto, et vasa eius in domo, ne descendat tollere illa: et qui in agro, similiter non redeat retro. Memores estote uxoris Lot.* Apostolus Iudas (℣. 7) testatur: *Sicut Sodoma, et Gomorrha, et finitimae civitates simili modo exfornicatae, et abeuntes post carnem alteram, factae sunt exemplum, ignis aeterni poenam sustinentes.* Et princeps Apostolorum scribit (2 Petr. 2, 6 ss.): *Et civitates Sodomorum, et Gomorrhaeorum in cinerem redigens, eversione*

damnavit: exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens: et iustum Lot oppressum a nefandorum iniuria, ac luxuriosa conversatione eripuit: aspectu enim, et auditu iustus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Usus loquendi et contextus horum locorum ostendunt, Christum et Apostolos eius non accommodando se ad fabulosas Iudaeorum narrationes locutos esse, sed suas ipsorum de ista re sententias proposuisse. Qui ergo catholicam inspirationis notionem (pag. 35 ss.) retinet et Christum Deum esse credit, istas narrationes fabulosas et falsas dicere non potest.

C. **20.** ℣. **1. Profectus inde** i. e. ab Hebron (18, 1) *Abraham in terram australem,* אַרְצָה הַנֶּגֶב (pag. 227), *habitavit inter Cades* (pag. 242), *et Sur* (pag. 265 s.): *et peregrinatus est* (pag. 227) *in Geraris,* בִּגְרָר (pag. 196). Hac sententia non asseritur Gerara inter Cades et Sur sita fuisse; nam iuxta verba textus Abraham generatim inter Cades et Sur *habitavit,* ad tempus autem in Gerara *peregrinatus* est. Ab 20, 1 usque 21, 34 hagiographus refert, Abraham a Sara sibi ablata sed iterum reddita filium promissum Isaac accepisse, Ismaelem cum matre eius eiecisse, cum Abimelech rege Gerarae foedus icisse.

℣. **2. Dixitque** Abraham (Hebraeus et Graecus) *de Sara,* אֶל־שָׂרָה, *uxore sua, Soror mea est* haec, הִוא. Addunt LXX contra testes reliquos *ἐφοβήθη γὰρ εἰπεῖν ὅτι Γυνή μού ἐστιν, μή ποτε ἀποκτείνωσιν αὐτὸν οἱ ἄνδρες τῆς πόλεως δι' αὐτήν. Misit ergo,* וַיִּשְׁלַח, *Abimelech rex Gerarae, et tulit eam,* שָׂרָה, *Σάρραν.* Noto cum Strack[2] 76, in hoc loco pulchritudinem Sarae non amplius commemorari, quare diversae illae explicationes quae adhuc apud Hummelauer 421 reperiuntur, omnino superfluae sunt. Regulus Gerarae sororem Abrahae uxorem duxit, ut hac ratione virum divitem (pag. 234) atque potentem (pag. 245 ss.) sibi copularet (cf. 21, 22 s.). — De hac re iam pag. 231 ss. sat diffuse dictum est, propterea ad ℣℣. sequentes pauca tantum notantur. — Hummelauer et Hoberg cum aliis censent, *Abimelech* nomen commune omnium regum Philisthiim sicut *Pharao* regum Aegyptiorum fuisse (cf. Ps. 33, 1 coll. 1 Reg. 21, 10 ss.).

℣. **3. Venit autem Deus** *ad Abimelech per somnium nocte* (cf. pag. 223), *et ait illi: En morieris,* הִנְּךָ מֵת i. e. ecce moriturus es, *propter mulierem,* עַל־הָאִשָּׁה (Kittel עַל־אוֹדֹת הָאִשָּׁה) *quam tulisti: habet enim virum,* וְהִוא בְּעֻלַת בָּעַל i. e. *αὕτη δέ*

ἐστιν συνῳκηκυῖα ἀνδρί. Valde probabile est (℣℣. 6 s. coll. 17 s.) quod iam Iosephus senserat, nimirum regem gravi morbo afflictum desperata a medicis salute ad Deum confugisse et ista verba audivisse (cf. Hummelauer, Hoberg).

℣. 4. **Abimelech vero** *non tetigerat eam, et ait: Domine,* אֲדֹנָי (pag. 256), *num gentem ignorantem et iustam interficies?*

Ita LXX quoque; in Hebraico autem nunc legimus הֲגוֹי גַּם־צַדִּיק תַּהֲרֹג i. e. num gentem etiam iustam interficies? Kittel sine argumento הֲגוֹי delet atque הֲגַם־ emendat, ut sit sensus: num etiam iustum interficies? Sed textus Graecus et Latinus praeferendus videtur (cf. et Hummelauer). Pro individuo *(iusto)* rex notionem generalem *(gentem iustam)* ponit (cf. Exegeticam 4 s. et Strack[2]).

℣. 5. **Nonne ipse** *dixit mihi: Soror mea est: et ipsa,* וְהִיא־גַם־הִוא, *ait: Frater meus est? in simplicitate cordis mei, et munditia manuum mearum feci hoc.* Ex hoc et sequenti versiculo patet, Abimelech reapse pium fuisse. Simplicitas cordis iustam rationem actuum internorum, munditia manuum autem illam actuum externorum significare videtur.

℣. 6. **Dixitque ad eum Deus** in somnio (Hebraeus et Graecus): *Et ego scio quod simplici corde feceris: et ideo custodivi te,* LXX accuratius *καὶ ἐφεισάμην ἐγώ σου* (forsitan isto morbo inflicto, ut Dillmann et Hummelauer cum Lapide et Caietano putant), *ne peccares in me, et* vel potius propterea (Hebraeus et Graecus) *non dimisi ut tangeres eam.*

℣. 7. **Nunc ergo,** quia scis quomodo res se habeant, *redde viro suo uxorem,* הָשֵׁב אֵשֶׁת־הָאִישׁ i. e. redde uxorem viri, *quia propheta,* נָבִיא, *est* ipse: *et orabit pro te, et vives: si autem nolueris reddere,* LXX accuratius *εἰ δὲ μὴ ἀποδίδως, scito quod morte morieris* (pag. 56) *tu, et omnia quae tua sunt,* vel potius „et omnes qui tibi sunt" (cf. ℣. 17). Propheta, נָבִיא, in Scripturis appellatur, qui Spiritu divino actus (2 Petr. 1, 21) proloquitur sive ad homines instituendos, convincendos et exhortandos (1 Cor. 14, 24 s. 31) sive ad peccatores castigandos (2 Reg. 12, 1 ss.), bona (Ez. 37, 4) aut mala (Ier. 25, 13) annuntiando, comminando (Isa. 1, 1 ss.) aut consolando (Isa. 40, 1 ss.) vel carmina dicendo (1 Reg. 10, 10 ss.; Luc. 1, 67 ss.). Praedictio futurorum plerumque quidem sed non necessario

cum munere prophetico coniuncta erat; omnes tamen veri prophetae familiares Dei fuerunt, quatenus consiliorum eius participes fiebant et in promulgatione illorum ab eo dirigebantur. Propterea *viri Dei* (4 Reg. 4, 16. 21) et *servi Dei* (4 Reg. 17, 13. 23) nominabantur. — Ex his patet, quare Abraham a Deo *propheta* nominetur, et Abimelech ei Saram restituere debuerit. Nam Deus Abrahae consilia sua et futuros eventus posterorum eius notos fecerat atque foedus cum eo pepigerat, quae omnia Abraham familiae suae manifestavit (cf. pag. 220 ss.); Sara autem restitui debuit, quia non solum uxor viri cuiusdam alterius sed familiaris et intimi Dei erat, cuius preces multum valebant (cf. et Lapide, Hummelauer, Hoberg).

נָבִיא probabiliter a נָבָא derivandum est (Buhl). נָבָא (assyr. *nabû* = vocare, annuntiare) in kal inusitato = ebullire, copiose effundere; adhibetur in formis passivis niphʿal et hithpaʿel tantum, „quoniam alienis magis quam suis viribus moveri et affici credebantur vates divini" (Gesenius): fuerunt igitur prophetae *ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι* (2 Petr. 1, 21), non sua sed alterius sensa ac decreta annuntiantes seu interpretantes. *Aaron frater tuus,* dixit Dominus ad Moysen (Ex. 7, 1 s.), *erit propheta tuus,* נְבִיאֶךָ. *Tu loqueris ei omnia quae mando tibi: et ille loquetur ad Pharaonem.*

℣. 8. **Statimque** *de nocte,* בַּבֹּקֶר i. e. mane, *consurgens Abimelech, vocavit omnes servos suos: et locutus est universa verba haec in auribus eorum,* בְּאָזְנֵיהֶם i. e. audientibus eis vel coram eis (Gesenius), *timueruntque omnes* (deest *omnes* in Hebraico) *viri valde.*

℣℣. 9. 10. **Vocavit autem** *Abimelech etiam* (deest *etiam* in Hebraico et Graeco) *Abraham, et dixit ei: Quid fecisti nobis,* עָשִׂיתָ לָּנוּ (Kittel cum Syro legendum putat עָשִׂיתִי לְךָ i. e. quid feci tibi)? et *quid peccavimus,* חָטָאתִי i. e. peccavi, *in te, quia* vel quod, כִּי, *induxisti super me et super regnum meum peccatum grande,* utique materiale dumtaxat (Lapide) sed nihilominus cum poena gravi coniunctum (℣. 7)? *quae non debuisti facere, fecisti nobis,* מַעֲשִׂים אֲשֶׁר לֹא־יֵעָשׂוּ עָשִׂיתָ עִמָּדִי i. e. facta, quae non fieri solent vel debent, fecisti contra me. [10]*Rursumque expostulans, ait,* LXX accuratius *εἶπεν δὲ Ἀβιμέλεχ τῷ Ἀβραάμ· Quid vidisti,* רָאִיתָ i. e. spectasti, vel quale consilium

habuisti (Gesenius, Dillmann), *ut hoc* verbum, הַדָּבָר i. e. rem *faceres?*

℣℣. 11. 12. **Respondit,** וַיֹּאמֶר, *Abraham: Cogitavi mecum, dicens:* in Hebraico, quocum LXX congruunt, haec tantum habentur כִּי אָמַרְתִּי i. e. istam rem feci quia dixi seu cogitavi: *Forsitan,* רַק i. e. omnino (Gesenius, Strack) *non est timor Dei* i. e. pietas erga Deum, qui virtutem praecipit ac peccata prohibet (Gesenius 623), *in loco isto: et interficient me propter uxorem meam:* ¹²*alias autem et vere,* וְגַם־אָמְנָה i. e. et etiam vere, *soror mea est, filia patris mei, et,* אַךְ i. e. tamen *non filia matris meae, et duxi eam in uxorem,* LXX accuratius ἐγενήθη δέ μοι εἰς γυναῖκα (cf. pag. 220).

℣. 13. **Postquam autem,** LXX accuratius ἐγένετο δὲ ἡνίκα, *eduxit,* הִתְעוּ i. e. oberrare fecit (Gesenius; cf. pag. 221) *me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc misericordiam* vel potius gratiam, חַסְדֵּךְ *facies mecum: In omni loco, ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim,* LXX accuratius ἐκεῖ εἰπὸν ἐμὲ ὅτι Ἀδελφός μού ἐστιν (cf. pag. 228). Qua declaratione Abimelech contentus fuisse videtur (Dillmann).

℣℣. 14. 15. **Tulit igitur** *Abimelech oves et boves, et servos et ancillas, et dedit Abraham,* ut eum sibi propitium redderet (℣. 7) et honoraret (Dillmann 282) *reddiditque illi Saram uxorem suam,* ¹⁵*et ait* Abimelech: Ecce (Hebraeus et Graecus) *Terra* mea (Hebraeus et Graecus) *coram vobis est* (cf. pag. 235), *ubicumque tibi placuerit,* בַּטּוֹב בְּעֵינֶיךָ i. e. ubi bonum est in oculis tuis, *habita.*

℣. 16. **Sarae autem dixit:** *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc* הִנֵּה הוּא, *erit tibi,* לָךְ, *in* (deest in Hebraico) *velamen oculorum ad omnes,* לְכֹל, *qui tecum sunt,* אֲשֶׁר אִתָּךְ, *et quocumque perrexeris: mementoque te deprehensam,* pro qua sententia in Hebraico haec tantum legimus: וְאֵת כֹּל וְנֹכָחַת i. e. et apud omnes iustificata es. Sensus est: praeter animalia et servos ancillasque dedi vel do (cf. pag. 21) fratri tuo mille siclos argenteos = 2400 *M*; hoc donum non spernendum sit in commodum tuum (לָךְ = dativus commodi) efficiatque, ut omnes qui tecum sunt placentur neque amplius iniuriam dominae suae illatam attendant, et tu apud omnes omnino iustificeris vel iniuriam passa declareris (cf. Dillmann, Hummelauer).

Pro לְכֹל habent Samaritanus et Septuaginta וּלְכֹל ut sit sensus: hoc donum tam tibi quam tuis velet oculos, ne videatis quod factum est. — Siclus argenteus = 2·4 *M* (Kortleitner 253), ergo 1000 sicli summa in tempore antiquo certo spectabilis. — Abimelech ironice (Lapide) vel saltem facete (Hummelauer) Abraham fratrem Sarae appellat. — Hummelauer ad declarandam phrasim *velamen oculorum* bene ad verba Iacobi (Gen. 32, 20) provocat: *Placabo illum* seu verbotenus: velabo faciem eius (Esau) *muneribus.* — Explicatio illa, quam inter alias iam Lapide refert et plures protestantes (cf. Dillmann) adoptarunt, nimirum Abimelech siclos dedisse ut Sara sibi flammeum emere posset, nunc a catholicis et acatholicis exegetis recte reprobatur (Dillmann, Hoberg). — Strack[2] cum aliis putat, mille argenteos non fuisse proprium pro Sara donum, sed pretium animalium et hominum Abrahae traditorum, sed contextus contrariam sententiam suggerit (cf. Dillmann). Pro participio niph'al וְנֹכַחַת forsitan punctandum est 2. sg. f. perf. וְנֹכַחַתְּ (Gesenius-Kautzsch 363; vide tamen Gesenius 592). — Ultima verba Vulgatae: *et quocumque perrexeris: mementoque te deprehensam* in mendacio, critice defendi nequeunt; LXX quoque minus accurate reddunt *καὶ πάντα ἀλήθευσον.* — וְאֵת כֹּל Hoberg neutrum intelligit, sed Dillmann hanc expositionem falsam dicit. וְנוֹכָחַת (pausa) Gesenius 592 sic declarat: „et redarguta, iniuriae convicta . . . erat Sara, quae sua culpa peccati reum fecerat Abimelechum, nunc ab eodem beneficiis cumulata. Verba sunt scriptoris, non Abimelechi". At haec explicatio non bene in contextum quadrare videtur.

℣℣. 17. 18. **Orante autem Abraham** ad Deum (Hebraeus et Graecus), *sanavit Deus Abimelech et uxorem* eius (Hebraeus et Graecus), *ancillasque eius, et pepererunt:* [18] *concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahae.* Versiculi a Lapide, Hummelauer, Dillmann declarantur.

C. **21.** ℣℣. **1. 2. Visitavit autem Dominus** *Saram.* Deus homines visitat, פָּקַד, si praesentiam suam aut beneficiis exhibitis (Gen. 50, 24; Ex. 3, 16; 4, 31; 1 Reg. 2, 21) aut poenis inflictis (Ex. 20, 5; Num. 14, 18; 1 Reg. 15, 2) manifestat; quomodo verbum heic accipiendum sit, sequentia ostendunt: *sicut promiserat* (18, 10 s.; 17, 16. 21). *et implevit* Dominus Sarae (Hebraeus et Graecus) *quae locutus est.* [2] *Concepitque et peperit* Sara Abrahae (Hebraeus et Graecus) *filium in senectute sua,* videlicet Abrahae quod ex Hebraico לִזְקֻנָיו (cum suff. masc.) elucet, *tempore quo praedixerat ei Deus* (18, 10).

℣℣. 3—5. **Vocavitque Abraham** *nomen filii sui, quem genuit ei Sara,* LXX accuratius *τοῦ γενομένου αὐτῷ ὃν ἔτεκεν αὐτῷ Σάρρα, Isaac* (17, 19): [4]*et circumcidit* Abraham (Hebraeus et Graecus) *eum octavo die* (in Hebraico: Isaac filium suum filium octo dierum), *sicut praeceperat ei Deus* (17, 12), [5]*cum centum esset annorum: hac quippe aetate patris, natus est Isaac,* LXX accuratius *Ἀβραὰμ δὲ ἦν ἑκατὸν ἐτῶν, ἡνίκα ἐγένετο αὐτῷ Ἰσαὰκ ὁ υἱὸς αὐτοῦ.*

℣℣. 6. 7. **Dixitque Sara:** *Risum,* צְחֹק, *fecit mihi Deus: quicumque audierit, corridebit,* יִצְחַק, *mihi:* ridebat Sara, ridebant audientes admiratione et gaudio (Dillmann et Hummelauer). [7]*Rursumque* (deest *rursum* in Hebraico et Graeco) *ait: Quis auditurum crederet Abraham quod Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?* In Hebraico legimus: quis dixisset Abrahae, lactat filios Sara? nam peperi filium senectuti suae. His quoque verbis admiratio et gaudium Sarae exprimitur (Dillmann).

Verbum poeticum מִלֵּל = dixit, pi'el מִלֵּל in Pentateucho hic tantum occurrit (Mandelkern, Buhl). — בָנִים est pluralis generis (Gesenius-Kautzsch 406). — Etiam LXX textum originalem non accurate reddunt *τίς ἀναγγελεῖ τῷ Ἀβραὰμ ὅτι θηλάζει παιδίον Σάρρα; ὅτι ἔτεκον υἱὸν ἐν τῷ γήρει μου.*

℣. 8. **Crevit igitur puer,** *et ablactatus est: fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis eius,* בְּיוֹם הִגָּמֵל אֶת־יִצְחָק. Isaac tunc erat trium annorum (cf. 2 Mach. 7, 27; 1 Reg. 1, 23 s.; 2 Par. 31, 16; Dillmann, Gunkel, Hummelauer). Nunc quoque in oriente dies ablactationis convivio celebratur (Dillmann, Gunkel, Hummelauer).

℣℣. 9. 10. **Cumque vidisset,** וַתֵּרֶא, *Sara filium Agar Aegyptiae,* quem Abrahae peperat (Hebraeus et Graecus) *ludentem,* מְצַחֵק, *cum Isaac filio suo, παίζοντα μετὰ Ἰσαὰκ τοῦ υἱοῦ ἑαυτῆς,* quae verba in hodierno textu Hebraico quidem desunt ideoque a Dillmann, Gesenio, Hummelauer, Hoberg, Strack[2] pro glossa habentur, sed a Ball, Gunkel, Holzinger, Kittel recte adiunguntur אֶת־יִצְחָק בְּנָהּ (hic in Hebraico et Graeco ℣. 10. incipit). *dixit,* וַתֹּאמֶר, *ad Abraham:* [10]*Eiice ancillam hanc, et filium eius: non enim erit heres filius ancillae* huius (Hebraeus) *cum filio meo* cum (Hebraeus) *Isaac.* Illud

verbum *ludentem,* מְצַחֵק, S. Paulus (Gal. 4, 29) de persecutione interpretatur: *Sed quomodo tunc is,* inquit, *qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur, ἐδίωκεν, eum qui secundum spiritum: ita et nunc.* Causa vero, ob quam Ismael Isaacum vexavit, „invidia convivii tam solemnis, quod fecit Abraham in ablactatione Isaac, et primogeniturae ac promissionis de semine benedicto ex Isaac nascituro" fuisse videtur (Lapide cum S. Hieronymo). Haec videns Sara prudenter timebat, ne Ismael qui 17 annos natus (Gen. 16, 16 coll. 21, 5. 8) triennem Isaac (℣. 8) iam persequebatur, „deinceps crescentibus odiis eum supplantaret vel opprimeret" (Lapide) vel saltem hereditatem cum eo divideret; etiam in matrem Ismaelis excanduit, quod filium non compesceret, ideoque voluit ut ambo e tabernaculo Abrahae expellerentur (Lapide).

Hummelauer bene notans, nos nescire utrum haec m o x post ablactationem evenerint necne, de מְצַחֵק adiungit: „Adverte vocem Gen. 26, 8 adhiberi de blanditiis inter coniuges, 39, 14. 17 de blanditiis adulterinis. Fortasse eiusmodi quid iustas Sarae iras provocavit". Idem innuere potest etiam verbum παίζειν (Passow) atque *ludere* (Georges). Gesenius (Thesaurus 1163) putat, Ismaelem in convivio a patre instituto s a l t a s s e (quod verbum Hebraeum et Graecum et Latinum utique significare potest) et saltando novam gratiam apud patrem iniisse itaque zelotypiam Sarae excitasse. Sed haec expositio cum explicatione S. Pauli non congruit. Alii (Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger) opinantur, Ismaelem cum Isaaco more puerorum lusisse ac si eiusdem iuris et dignitatis esset; at haec quoque opinio cum verbis Pauli non congruit. Apud Hebraeos etiam aliae sententiae inveniuntur, videlicet Ismaelem cum Isaaco de futura hereditate disceptasse (cf. Gesenius l. c.) vel ludendo in Isaacum sagittas iaculatum esse (cf. Zöckler in Gal. 4, 29) vel idola fecisse vel primogenita sibi vindicasse (cf. Hoberg): sed hae sententiae nunc communiter repudiantur. Plures denique cum Lapide putarunt, ab Ismaele Isaacum irrisum et subsannatum fuisse: sed צַחֵק hanc significationem non habet (cf. Gesenius, Fürst, Buhl). — Legendum est in pausa מְצַחֵק, non מְצַחֶק (Gesenius-Kautzsch 142). — Secundum textum Hebraicum Sara cum quodam despectu filium ancillae filio suo opponit.

℣℣. **11—13. Dure accepit** *hoc Abraham pro filio suo,* LXX accuratius σκληρὸν δὲ ἐφάνη, וַיֵּרַע, τὸ ῥῆμα σφόδρα ἐναντίον Ἀβραὰμ περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ (Ἰσμαήλ), quem paterno amore amplectabatur (Dillmann, Hoberg). [12]*Cui* (A b r a h a e, Hebraeus et Graecus) *dixit Deus* nocte (cf. ℣. 14): *Non tibi*

videatur asperum, μὴ σκληρὸν ἔστω τὸ ῥῆμα, אַל־יֵרַע, *ἐναντίον σου, super puero, et super ancilla tua: omnia quae dixerit tibi* in hac causa *Sara, audi vocem eius:* cuius mandati rationem assignat addens *quia in Isaac vocabitur tibi semen,* i. e. Isaac et posteri eius censebuntur et vocabuntur veri Abrahae filii et heredes promissionum (Lapide, Dillmann), quapropter solus Isaac in domo tua successor maneat (Caietanus, Hummelauer). 13*Sed et filium ancillae faciam in gentem magnam* (ita etiam Samaritanus, Graecus, Syrus; hodiernus Hebraeus *magnam* omittit), *quia semen tuum est,* qua promissione Deus dolorem Abrahae lenivit. Optime haec cum iis conveniunt, quae 17, 16—22 a Deo praenuntiata sunt. — Quia postulatio Sarae a Deo approbata (et secundum Lapide etiam inspirata) est, Paulus (Gal. 4, 30) merito scribere potuit: *Sed quid dicit Scriptura? Eiice ancillam, et filium eius* etc. (Bisping h. l.).

℣. 14. **Surrexit itaque Abraham** *mane, et tollens panem et utrem aquae, imposuit scapulae eius, tradiditque puerum, et dimisit eam* e consortio suo. LXX reddunt Hebraeum *καὶ ἔλαβεν ἄρτους καὶ ἀσκὸν ὕδατος καὶ ἔδωκεν Ἁγὰρ καὶ ἐπέθηκεν ἐπὶ τὸν ὦμον καὶ τὸ παιδίον κτλ.* similiter Syrus. At וַיִּתֵּן אֶל־הָגָר שָׂם עַל־שִׁכְמָהּ וְאֶת־הַיֶּלֶד hoc tantum significare possunt, Abrahamum ancillae Hagar dedisse primo panem et utrem aquae, haec scapulae eius imponens, deinde etiam puerum; *puerum,* הַיֶּלֶד, iuxta Hebraeum non ad *imponens,* שָׂם, sed ad dedit, וַיִּתֵּן, referendum est (Dillmann, Strack). *Quae cum abiisset, errabat in solitudine Bersabee:* probabiliter in Aegyptum reverti volebat (cf. pag. 266), sed itinere deerravit (Hummelauer et Hoberg cum Calmet).

Quod ad constructionem pertinet, Dillmann, Gunkel, Holzinger, Kittel textum Hebraeum sic mutare vellent: וְאֶת־הַיֶּלֶד שָׂם עַל־שִׁכְמָהּ; sed textus sic mutatus cum 16, 16; 17, 25; 21, 5 pugnat, iuxta quos locos Isaac tunc iam 17 annorum erat, ergo scapulae matris certo imponi nequivit. Mutatio autem textus, quae efficit ut varii loci sibi contradicant, omnino perversa est, quia loci Scripturae genuini nihil falsi continere (cf. pag. 37) ideoque sibi non contradicere possunt. יֶלֶד adolescentem 17 annorum significare posse, Gen. 4, 23; *42, 22;* Dan. 1, 4ss.; 3 Reg. 12, 8ss.; Eccl. 4, 13 comprobant. Versionem Graecam et Syram in aliis quoque locis minus fideles esse constat: ergo lectio eorum invocari nequit, quam Hoberg cum Lapide corruptam iudicat.

℣℣. 15. 16. **Cumque consumpta** *esset aqua in utre, abiecit,* וַתַּשְׁלֵךְ i. e. posuit seu reclinavit *puerum* siti confectum *subter unam arborum,* הַשִּׂיחִם i. e. fruticum, *quae ibi erant* (desunt in Hebraeo et Graeco) [16]*Et abiit, seditque e regione procul quantum potest arcus iacere,* הַרְחֵק כִּמְטַחֲוֵי קֶשֶׁת i. e. „longe discedendo sicut tendentes arcum i. e. intra arcus iactum" (Gesenius 549). *dixit enim: Non videbo morientem puerum: et sedens contra, levavit vocem suam et flevit;* LXX respicientes ad ℣. 17 contra testes ceteros reddiderunt ἀναβοῆσαν δὲ τὸ παιδίον ἔκλαυσεν, quam lectionem Kittel immerito praefert.

Ex verbo *abiecit,* וַתַּשְׁלֵךְ, καὶ ἔρριψεν, Dillmann, Gunkel, Holzinger colligunt, puerum a matre portatum fuisse; Strack² tamen bene citat Matth. 15, 30: *Et accesserunt ad eum turbae multae, habentes secum mutos: caecos, claudos, debiles, et alios multos: et proiecerunt eos,* καὶ ἔρριψαν αὐτοὺς, *ad pedes eius, et curavit eos.* Ut ex hoc textu non sequitur, omnes illos qui ad pedes Iesu proiecti sunt, a turbis portatos fuisse; sic non sequitur Ismaelem subter unam fruticum abiectum a matre antea in scapula portatum fuisse. Quod puer heic ante matrem lassus et ℣. 20 crevisse scribatur, non probat quod Dillmann vult, nimirum eum in teneris fuisse: etiam puer 17 annorum ante matrem fatigari atque crescere potest, quemadmodum experientia testatur. Lapide et Hoberg cum S. Augustino putant, puerum non tam brachiis quam animo abiectum esse quasi desperatum et mox moriturum; sed usus loquendi minus favet. Ad illud autem quod mater colluctationem morientis filii conspicere noluerit sed nihilominus non nimium abierit, Gunkel perbelle exclamat: „o liebes inconsequentes Mutterherz i. e. o carum cor matris inconsequens".

℣℣. 17. 18. **Exaudivit autem,** וַיִּשְׁמַע *Deus vocem pueri,* qui ergo etiam flevit (Strack² cum Lapide): *vocavitque Angelus Dei Agar de caelo, dicens: Quid agis,* מַה־לָּךְ, τί ἐστιν, *Agar? noli timere* mortem pueri: *exaudivit,* שָׁמַע, *enim Deus vocem pueri de loco in quo est,* בַּאֲשֶׁר הוּא־שָׁם i. e. ibi ubi est, videlicet in illo loco matri puteum ostendens (℣. 19). [18]*Surge, tolle puerum, et tene manum illius,* LXX accuratius καὶ κράτησον τῇ χειρί σου αὐτό· *quia in gentem magnam faciam eum.* Propter promissionem Abrahae factam (pag. 281) puer a Deo servatur, a matre autem erigendus et manu tenendus i. e. sollicito affectu tractandus est (Hoberg cum S. Hieronymo). Conferas quae ad 16, 7—12, pag. 266 ss. scripta sunt.

Angelum Domini bis ad nomen *Ismael* (pag. 268) alludere, manifestum est; at originaliter in hoc loco narratum esse, puerum ob hanc

Dei exauditionem a matre *Ismaelem* vocatum fuisse, ut Dillmann et Gunkel asserunt, nullo argumento confirmatur neque cum contextu (16, 11. 15) scriptoris inspirati (pag. 37) conciliari potest. — Lapide verba S. Chrysostomi (hom. 46) citans: „Sic quandocumque voluerit Deus, licet in solitudine simus et in extremis afflictionibus nullamque spem salutis habeamus, nullo alio opus habebimus, divina gratia nobis omnia suppeditante"; de suo adiungit: „Ergo in arctis et desperatis rebus vicinissimus est Deus et invocatus illico succurrit"; similiter Gunkel.

℣. **19. Aperuitque oculos eius** (cf. pag. 70 s.) *Deus: quae videns puteum aquae, abiit, et implevit utrem* aqua (Hebraeus et Graecus), *deditque puero bibere.* Puteus iam erat in illo loco, sed Agar „moerore turbata et prostrata" eum non viderat; Deus igitur oculos eius ita direxit, ut puteum vicinum conspiceret (Lapide). Testibus itinerantibus putei in deserto nunc quoque saepe ita absconditi sunt, ut difficile inveniantur.

Sine ullo argumento Gunkel supponit, istum puteum fuisse sanctum, apud quem Deus hominibus apparebat et preces eorum exaudiebat: supponit etiam, Agar puteo nomen dedisse. At „quod gratias asseritur gratis negatur", est axioma logicum.

℣℣. **20. 21. Et fuit** Deus (Hebraeus et Graecus) *cum eo* seu puero (Hebraeus et Graecus) fovens, dirigens et adiuvans (Dillmann cum Lapide): *qui crevit, et moratus est in solitudine* (cf. ℣. 21), *factusque est iuvenis sagittarius,* וַיְהִי רֹבֶה קַשָּׁת, i. e. iam „a iuventute vacavit venationi et sagittationi ferarum" (Lapide). [21] *Habitavitque in deserto Pharan, et accepit illi mater sua uxorem de terra Aegypti,* ubi ipsa nata fuit (pag. 264).

Phrasim Hebraicam supra scriptam Gesenius 1256 sic vertit: „et factus est, quum adolevisset, sagittarius"; רָבָה enim idem est atque *maior factus est, adolevit;* notat tamen 1254 explicationem Kimchii: „et factus est iaculator sagittarius", quam Dillmann, Gunkel, Buhl aliique recentiores adoptant, רֹבֶה = רָבַב = רָמָה *iaculatus est* intelligentes (cf. Buhl). Qui textum masorethicum non mutant, קַשָּׁת aut appositionem aut glossam ad רֹבֶה declarant (Gesenius-Kautzsch 430); Ball et Kittel autem pro קַשָּׁת *sagittarius* punctant קֶשֶׁת *arcus:* reapse LXX simpliciter τοξότης reddunt. — Arabia petraea, i. e. terra inter sinum Aelaniticum et montes Seir, Palaestinam et mare mediterraneum, Aegyptum et sinum Heroopoliticum sita, distinguebatur in peninsulam Sinaiticam ab austro Ailath et Arsinoe sitam atque in desertum *Pharan* (pag. 242) et *Sur* (pag. 267) vel Etham (cf. Winer I, 74 ss). — In duabus narrationibus 16, 5—14 atque 21, 8—21 non solum similitudines verum etiam dissimilitudines multas inveniri, Gunkel 210 s.

quoque concedit. Quod autem asserit, ambas narrationes esse duas recensiones fabulosas, omnino falsum est, quia cum notione inspirationis (pag. 37) simulque cum axiopistia Moysis (cf. introductionem) pugnat.

℣℣. **22. 23. Eodem tempore** *dixit Abimelech,* rex Gerarae (20, 2) *et Phicol princeps exercitus eius ad Abraham,* quem in Bersabee (℣. 31) visitaverant (℣. 33): *Deus tecum est* (cf. ℣. 20) *in universis quae agis.* [23]*Iura ergo* mihi (Hebraeus et Graecus) *per Deum* hic, הֵנָּה, *ne,* אִם (pag. 251) *noceas mihi,* תִּשְׁקֹר לִי i. e. decipias me bona a te exspectantem, *et posteris meis, stirpique meae: sed iuxta misericordiam* vel gratiam, *quam feci tibi* (20, 1. 14 ss.), *facias mihi, et terrae in qua versatus es advena.* LXX habent *Ἀβιμέλεχ καὶ Ὀχοζὰθ ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ καὶ Φικὸλ κτλ.,* uti 26, 26 legimus.

℣℣. **24—26. Dixitque Abraham** petitionem regis iustam iudicans: *Ego iurabo.* [25]*Et increpavit* Abraham (Hebraeus et Graecus) *Abimelech propter puteum aquae quem vi abstulerant servi eius,* quia puteus pro Abraha pastore divite (pag. 234) res maximi momenti erat. [26]*Responditque Abimelech: Nescivi* vel nescio *quis fecerit hanc rem: sed et tu non indicasti mihi, et ego* etiam ab alio *non audivi praeter hodie.* Et restituit Abimelech Abrahae puteum, quod ex sequentibus elucet (Dillmann).

℣℣. **27—30. Tulit itaque Abraham** *oves,* צֹאן (pag. 99) *et boves, et dedit Abimelech: percusseruntque ambo foedus.* [28]*Et statuit Abraham septem agnas gregis,* הַצֹּאן, *seorsum.* [29]*Cui* Abrahae (Hebraeus et Graecus) *dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnae istae, quas stare fecisti seorsum?* [30]*At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea: ut sint* agnae acceptae vel potius sit, תִּהְיֶה, acceptio agnarum *mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum.* Iuxta mores antiquos (cf. 3 Reg. 15, 19; Isa. 30, 6; 39, 1; Dillmann) Abraham foedus percutere volens dona protulit; Abimelech nihil dedit, eo quod „in sua ditione et pro auctoritate ageret“ (Hummelauer). Ex pecoribus autem septem agnas separatim statuit, ut rex illas recipiens Abrahae ius putei confirmaret (cf. Hoberg).

℣. **31. Idcirco** *vocatus est locus ille Bersabee,* בְּאֵר שֶׁבַע: *quia ibi uterque iuravit,* נִשְׁבְּעוּ.

בְּאֵר = puteus (pag. 270) et שֶׁבַע = שְׁבֻעָה *iusiurandum* quo foedera sanciebantur (cf. Gesenius 176 et 1356); ita nomen LXX intellexerunt

pro *Bersabee* ponentes *φρέαρ ὁρκισμοῦ*. — שֶׁבַע *septem* et שָׁבַע *iuravit* cohaerent, „quandoquidem numerus septenarius sacer erat, et iuramenta vel septem sacrificiis Gen. XXI, 28 sqq. vel septem testibus et pignoribus firmari solebant“ (Gesenius 1355; cf. Fürst et Buhl); similiter iam Lapide, qui aliam quoque explicationem ex S. Hieronymo affert, quae pluribus exegetis recentioribus magis placet, nimirum בְּאֵר שֶׁבַע = „*puteus septem* scilicet agnarum, quas pro puteo et loco circumiacente Abraham regi numeravit“.

℣. 32. **Et inierunt foedus** *pro puteo iuramenti*, בִּבְאֵר שָׁבַע i. e. in Bersabee, qui locus ab Hebron 48 *km* distat et nunc *ḫirbet bīr es-seba* nominatur (Guthe, Benzinger-Baedeker).

℣. 33. **Surrexit autem Abimelech,** *et Phicol princeps exercitus eius, reversique sunt in terram Palaestinorum* (cf. pag. 194). *Abraham* (deest in Hebraico) *vero plantavit nemus*, אֶשֶׁל i. e. tamariscum vel collective arboretum (Gesenius) *in Bersabee, et invocavit ibi nomen Domini* (pag. 112 s.) *Dei aeterni*, אֵל עוֹלָם, qua phrasi immortalis natura summi numinis exprimitur (Gesenius 1036; vide pag. 237 supra); Strack[2] cum Delitzsch putat, lignum firmum et folia semper virentia tamarisci symbolum aeternitatis Dei esse.

Gunkel asserit sed non demonstrat, in Bersabee fuisse tamaricem Syriacam; ad tamaricem et puteum a Chananaeis *Χρόνον ἀγήρατον* cultum fuisse: Israelitas tam locum quam cultum suscepisse, nomen אֵל עוֹלָם deo suo Iahve attribuisse et cultum ab Abraha institutum fabulose narrasse. Haec opinio iis refutatur, quae pag. 37 et 226 scripta sunt. — Strack[2] notat quoque, ex hoc loco non probari Hebraeos antiquos arbores coluisse (cf. pag. 225). — Quod apud Chananaeos nomen dei *Χρόνος ἀγήρατος* occurrat (Dillmann), non est mirandum, quia notione Dei (cf. pag. 1 et 92 s.) notio aeternitatis (cf. pag. 238) includitur; conferas pag. 249. — Hoberg pro יְהוָה ponit אֱלֹהִים et sequens אֵל עוֹלָם glossam prophetarum tempore additam declarat; iuxta Dillmann autem *Iahve* in hoc loco apte *Deus aeternus* appellatur, quia foedus et iuramentum Abrahae tempora futura respiciens narratum est.

℣. 34. **Et fuit colonus terrae,** וַיָּגָר אַבְרָהָם בְּאֶרֶץ i. e. et peregrinatus est Abraham in terra *Palaestinorum diebus multis*. Terra Palaestinorum, אֶרֶץ פְּלִשְׁתִּים, hic sensu latiore, ℣. 33 autem sensu strictiore sumitur (Gunkel, Hoberg).

C. 22. ℣℣. 1. 2. **Quae postquam gesta sunt,** LXX accuratius *καὶ ἐγένετο μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα*, *tentavit Deus Abra-*

ham, et dixit nocte (V. 3) *ad eum: Abraham, Abraham* (alterum *Abraham* deest in Hebraico). *At ille respondit: Adsum,* הִנֵּנִי, *ἰδοὺ ἐγώ.* ²*Ait illi,* LXX accuratius *καὶ εἶπεν· Tolle filium tuum unigenitum* tuum, *quem diligis, Isaac, et vade,* וְלֶךְ־לְךָ (pag. 222), *in terram visionis,* אֶרֶץ הַמֹּרִיָּה: *atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi.* Legimus in hoc loco: *tentavit Deus Abraham,* apud Iacobum (1, 13) vero: *ipse (Deus) autem neminem tentat.* Quomodo hi loci conciliandi sint, in Catechismo Concilii Tridentini (pars 4, cap. 9—11) exponitur, scilicet: „Est autem tentare periculum facere de eo qui tentatur, ut ab ipso quod cupimus elicientes, verum exprimamus. Qui tentandi modus in Deum minime cadit . . . Est alterum tentandi genus, quum longius progrediendo aliud quaeri solet in bonam vel in malam partem: in bonam, quum ea re tentatur alicuius virtus, ut illa perspecta et cognita is commodis et honoribus augeatur, eiusque exemplum ceteris imitandum proponatur, ac denique omnes ob id ipsum ad Dei laudes excitentur. Quae tentandi ratio sola convenit in Deum. . . . In hanc partem legimus, Abraham esse tentatum, ut filium immolaret; quo facto fuit is obedientiae et patientiae exemplum singulare ad memoriam hominum sempiternam. . . . In malam partem tentantur homines, quum ad peccatum aut exitium impelluntur; quod proprium diaboli officium est. . . . At nemo quidem a Deo hoc modo in tentationem inducitur, quia nemini est peccati auctor Deus . . . Sic vero etiam est apud S. Iacobum.“ Mandavit autem Deus Abrahae, ut *filium suum* eumque *unigenitum suum* scilicet ab uxore Sara, *quem deligebat* ut *Isaac* i. e. gaudium suum immolaret: „quot hic verba, tot sunt stimuli, tot tentationes“ (Lapide et multi alii); et quidem in *terra visionis* seu Moria. Moria in 2 Par. 3, 1 ille mons appellatur, in quo Salomon templum aedificavit; nomen forsitan iam a Chananaeis monti impositum (Fürst, Strack²) iuxta Gesenium arcem vel cacumen significat (מֹרִיָּה = partic. fem. a מָרָה, ergo = refractaria vel resistens), quare LXX *ὑψηλήν* reddunt: qua sententia admissa declaratur, cur Deus solummodo dixerit *vade in terram Moria* i. e. in illam regionem, ubi Moria est (Fürst); Abraham enim, qui iussu Dei totam terram Chanaan

perambulaverat (13, 17 s.) montem istum notum habere potuit. Si Dillmann 290 asserit, ex hac narratione apparere Hebraeos antiquitus eamdem cum Chananaeis, Phoenicibus, Aegyptiis, Moabitis, Ammonitis aliisque populis consuetudinem hominum, praesertim liberorum immolandorum habuisse: contra contextum, notissimum principium hermeneuticum (Exegetica 37 ss.), narrationem interpretatur. Nam in tota historia Patriarcharum ne unicum quidem vestigium istius consuetudinis invenitur, quae praecepto Domini post diluvium promulgato (pag. 158) omnino contraria est; et hagiographus diserte notat, Abraham non propter consuetudinem aliquam, sed propter praeceptum Dei, vitae necisque domini, filium suum immolare voluisse. Quemadmodum Deus Abrahae antea (12, 1) terram, in quam ire debebat, non indicaverat; sic nunc montem non nominat, in quo sacrificium offerendum erat, ut obedientia Abrahae pretiosior fieret (cf. pag. 222).

Post וַיְהִי sequitur plerumque imperfectum consec. (e. gr. Gen 4, 3: cf. pag. 100), verum etiam ו cum perfecto (a ו disiuncto), uti hic (Gesenius-Kautzsch 327 s.). — דָּבָר tam verbum quam rem significat, quae verbo vel verbis exprimitur (Fürst). Etiam *ῥῆμα* et *res* a radice *ῥέω (εἴρηκα)* = dicere derivantur (Passow, Georges). — יְחִידְךָ = unicum tuum; quare Isaac ita nominetur, licet Ismael quoque filius Abrahae fuerit, pag. 281 diximus. — Pro אֶרֶץ הַמֹּרִיָּה Syrus habet אֶרֶץ הָאֱמֹרִי i. e. terram Amorrhaeorum. Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hummelauer, Hoberg putant, hanc alteram lectionem esse originalem, pro qua postea ista lectio prior substituta sit. Cui tamen opinioni obstat, quod Amorrhaei non solum in Palaestina meridionali sed etiam ab oriente Palaestinae habitabant (cf. pag. 195), ideoque Deus iubens ut Abraham in *terram Amorrhaeorum* iret, non satis determinasset quo pergere deberet. Insuper iuxta principia critica lectio unius testis contra testimonium reliquorum non genuina iudicanda est, nisi gravissimae adsint rationes, quae heic afferri nequeunt. Explicatio supra proposita difficultates omnes diluit. — Plerique interpretes recentiores concedunt, Abrahamum reapse in illo monte sacrificium obtulisse, in quo postea templum aedificatum est: non in monte quodam iuxta Sichem a Bersabee nimis distantem (cf. Ṽ. 4) neque in monte Calvariae. „Solum si hoc supposueris (scil. memoriam loci, ubi Abraham filium suum immolare volebat, paulatim oblitteratam fuisse), tolerari poterit pia opinio, locum sacrificii Abrahae esse ipsum Calvariae montem. Quodsi enim ulla apud Iudaeos perseverasset traditio, sacrificium Abrahae in Calvariae monte obtinuisse, nullus unquam neque Iudaeus neque Romanus ausus esset, eum locum extremis suppliciis desecrare."

Ita recte Hummelauer. Quis autem sibi persuadere poterit memoriam illius loci, ubi Abraham Deo tam heroicum sacrificium offerre volebat atque ab eo tantum praemium recepit, apud filios Abrahae oblitteratam fuisse? — עָלָה = ascendit, hiph'il הֶעֱלָה = ascendere fecit, obtulit (cf. lexicon). — *Super unum montium quem monstravero,* אֹמַר i. e. dicam, *tibi.* In regione, ubi mons Moria est, alii quoque montes sunt, e. g. mons Sion, mons Calvariae, mons Olivarum, quapropter designatio montis necessaria fuit.

℣. 3. **Igitur Abraham** *de nocte consurgens,* וַיַּשְׁכֵּם אַבְרָהָם בַּבֹּקֶר i. e. et mane surrexit Abraham tempore matutino (Gesenius 1406), *stravit asinum suum: ducens secum duos iuvenes,* נְעָרָיו i. e. servos suos (cf. pag. 264; Num. 22, 22; Strack[2]), *et Isaac filium suum: cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit,* וַיָּקָם וַיֵּלֶךְ i. e. et surrexit et abiit, *ad locum quem praeceperat ei,* אָמַר־לוֹ i. e. dixerat ei, *Deus.* His verbis obedientia Abrahae praedicatur, qui etiam difficillimum mandatum divinum (pag. 319) statim ac potuit, scilicet summo mane persequi volebat. Usus loquendi et contextus versuum 2—4 innuere videntur Deum Abrahae montem dixisse, postquam iter comparavit sed antequam illud ingressus est (cf. Gunkel et Hoberg, qui tamen etiam probabile censet, istam designationem montis in itinere factam esse).

Sententia *cumque concidisset ligna in holocaustum* loco non apto inserta videtur (Gunkel, Holzinger): forsitan originaliter ante *stravit asinum suum* collocata erat. — S. Chrysostomus aliique putant, Abrahamum inscia Sara omnia fecisse; contra S. Augustinus aliique opinantur Saram „consciam et consentientem fuisse immolationi filii" (cf. Lapide); probabilius S. Ephrem censet Saram de fine itineris non edoctam fuisse (cf. Hummelauer). — Verbum קוּם *surgere* abundans „sexcenties praemittitur verbis eundi, proficiscendi" (Gesenius), quia orientales imaginem actionis lubentes plenam repraesentant. Conferas Ἀναστᾶσα δὲ Μαριὰμ . . . ἐπορεύθη (Luc. 1, 39).

℣℣. 4. 5. **Die autem tertio,** *elevatis oculis* Abraham (Hebraicus et Graecus) *vidit locum procul:* Bersabee, ubi Abraham habitabat (21, 31 ss.; 22, 19), a monte Moria ca. 17 horis distat (Dillmann, Hoberg, alii), ergo Abraham die tertio montem e longinquo videre potuit. Bene S. Chrysostomus: „Cogita autem, inquit, quid eo triduo probabile sit pertulisse iustum, dum secum mandatum perpenderet et quod ipse suis manibus

tam dilectum filium esset mactaturus, re nulli communicata, et obstupesce pium religiosumque ac prudentem ipsius animum." [5]*dixitque* A b r a h a m (Hebraicus et Graecus) *ad pueros suos* אֶל־נְעָרָיו (ℵ. 3): *Expectate hic,* שְׁבוּ־לָכֶם פֹּה i. e. manete vobis (cf. pag. 222) hic, *cum asino.* In loco, ubi Abraham montem Moria conspexerat, duos servos suos remanere iussit, ne immolationem filii dilecti spectare deberent (Gunkel). *ego et puer illuc usque,* עַד־כֹּה, *properantes,* נֵלְכָה i. e. ibimus, *postquam adoraverimus,* וְנִשְׁתַּחֲוֶה i. e. et adorabimus, *revertemur,* וְנָשׁוּבָה, *ad vos.* „Asserit Abraham, ait Lapide, se cum Isaac reversurum, quia c e r t u s e r a t c e r t o q u e c r e d e b a t, quod Deus Isaacum vel a morte liberaret vel occisum et immolatum resuscitaret. Nam e x I s a a c expectabat semen benedictum et posteritatem maximam: h o c e n i m p r o m i s e r a t D e u s." Similiter Strack[2]. *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones; ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen: arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus* (H e b r. 11, 17—19; Bisping h. l.). Habemus igitur interpretationem authenticam (cf. Exegeticam 69) huius loci.

Non bene LXX τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ cum sententia antecedente coniungunt. — Ad בַּיּוֹם הַשְּׁלִישִׁי וַיִּשָּׂא notandum est, post phrases tempus indicantes imperfectum cum ו consecutivo poni; cf. I s. 6, 1 (Gesenius-Kautzsch 327). — Lapide, Hoberg aliique traditionem Hebraeorum referunt, in cacumine montis Moria columnam igneam apparuisse, quam Abraham et Isaac soli viderint, et locum sacrificii indicasse: sed ista traditio parum valet. Holzinger in narratione significationem loci deesse opinatur. At non est ita. Deus enim Abrahae prius mandavit, ut in regionem montis Moria pergeret (pag. 319); deinde etiam locum sacrificii ei dixit (pag. 321) i. e. ipsum montem Moria (pag. 319): hunc autem Abraham iam notum habere potuit (pag. 320) et die tertio conspexit, ut in textu legimus. — Clementina cum omnibus codicibus Latinis habet: *ego et puer;* Sixtina: *ego autem et puer,* quae lectio cum Hebraico et Graeco textu congruit: וַאֲנִי וְהַנַּעַר ἐγὼ δὲ καὶ τὸ παιδίον. Toletus et Rocca affirmarunt quidem in Hebraico particulam *autem* deesse, sed non est verum, ut iam Vercellone notavit. — נֵלְכָה est imperfectum cohortativum kal a הָלַךְ *ivit,* וְנָשׁוּבָה est imperfectum cohortativum kal a שׁוּב *reverti;* וְנִשְׁתַּחֲוֶה est imperfectum hithpaʿel a שָׁחָה *se inclinavit,* nam in verbis ל"ה exitus ה ut cohortativus quoque adhibetur (Gesenius-Kautzsch 208). — Qumodo Abraham, qui filium suum in monte immolare volebat, nihilominus dicere potuerit *revertemur ad vos,* varii varie decla-

rarunt (cf. Lapide). Melchior Canus (l. 2. de locis, cap. 4), Holzinger et alii eum mentitum esse censent; alii multi dicunt Abraham restrictione mentali usum esse, ita ut verba eius hunc habeant sensum: *revertemur ad vos,* „scilicet si vita comes fuerit, si Deus voluerit" (cf. Lapide, Hummelauer). At ubi Deus ipse nobis manifestat (pag. 322) quomodo verba intelligenda sint, acquiescendum est. — Gunkel ex textu biblico notam archaeologicam deducit, intinerantes generatim viam flexisse et in locum sanctum devertisse, ut ibi Deum adorarent; ex hac nota autem infert, istum montem iam ante Abraham sanctum fuisse. Veruntamen contextus contrarium docet. Abraham viam non flexit sed directe montem Moria petiit, ut ibi Deo sacrificium offerret, quod servi et filius eius ex lignis holocausti, ex igne et gladio assumptis colligere poterant (cf. ℣. 7); ivit vero ad illum montem, quia Deus sic praeceperat, non quia mons iam antea sanctus erat.

℣℣. 6. 7. **Tulit quoque,** LXX accuratius *ἔλαβεν δὲ Ἀβραάμ, ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum: ipse vero portabat in manibus,* וַיִּקַּח בְּיָדוֹ i. e. et sumpsit manu sua, *ignem et gladium. Cumque duo pergerent simul,* [7]*dixit Isaac patri suo,* LXX accuratius *καὶ ἐπορεύθησαν οἱ δύο ἅμα.* [7]*Καὶ εἶπεν Ἰσαὰκ πρὸς Ἀβραὰμ τὸν πατέρα αὐτοῦ εἴπας· Pater mi. At ille respondit: Quid vis fili?* וַיֹּאמֶר הִנֶּנִּי־בְנִי i. e. et dixit: Ecce me fili mi. *Ecce, inquit, ignis et ligna:* at *ubi est victima holocausti?* LXX accuratius *τὸ πρόβατον τὸ εἰς ὁλοκάρπωσιν (ὁλοκαύτωσιν);* Bene S. Chrysostomus: „Considera hic, quaeso, iusti cruciatum, quomodo tulit auribus, quomodo potuit respondere puero, quomodo non est confusus mente, quomodo filio occultare potuit id, quod futurum erat." Similiter Dillmann et alii.

Ex hoc loco colligere possumus, quot annos Isaac natus fuerit. Ipsum adhuc puerum fuisse, interrogatio eius monstrat (℣. 7); ipsum robustum fuisse eo probatur, quod non solum iter ca. 17 horarum confecerit, verum etiam ligna holocausti in montem portaverit. Hummelauer putat quidem Isaacum non omnia ligna solum tulisse, sed quaedam fortasse gestasse: at haec opinio contra textum biblicum est, qui Abrahamum ignem et gladium, Isaacum vero ligna portasse nuntiat. Utrum 15—17 an 20—25 annorum fuerit, incertum; eum 30—37 annos natum fuisse, improbabile est. Diversae sententiae apud Lapide et Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft, 1906, Seite 281, enumerantur. — „Ligna Isaac sibi vexit, Christus sibi patibulum crucis portavit", scribit S. Ambrosius quocum multi consentiunt (cf. Hummelauer, Hoberg, Lapide). — *Ignem* ab Abraha portatum Dillmann, Hoberg aliique fomitem gliscentem (glimmenden Zunder), Gunkel minus probabiliter foculum

ferventem (Kohlenbecken) intelligit. — מַאֲכֶלֶת (ab אָכַל *comedit*) est „culter, quo in comedendo utimur, hinc de quovis cultro" (Gesenius 92).

℣. 8. **Dixit autem Abraham:** *Deus providebit sibi*, אֱלֹהִים יִרְאֶה־לּוֹ, *victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter*, וַיֵּלְכוּ שְׁנֵיהֶם יַחְדָּו ut in ℣. 6. Antiquiores ac recentiores interpretes notant, hagiographum in ℣℣. 6—8 graphice nobis proponere, quali cum affectione animi Abraham montem ascenderit. In initio et fine ponit sententiam וַיֵּלְכוּ שְׁנֵיהֶם יַחְדָּו i. e. et ibant duo simul, videlicet in silentio quod una tantum interrogatione ac responsione ruperunt indicantes simul quo affectu amoris animus eorum commovebatur: *Pater mi*, אָבִי, dixit Isaac; *fili mi*, בְּנִי, bis reposuit Abraham (cf. Holzinger et Gunkel).

Hoberg cum Delitzsch et Dillmann putat, Abrahamum istis verbis *Deus providebit sibi* spem suam expressisse fore ut Deus mandatum suum revocaret; sed contextus huic opinioni non favet (cf. pag. 322 et Gunkel).

℣℣. 9. 10. **et venerunt ad locum** *quem ostenderat ei*, אָמַר־לוֹ, *Deus, in quo aedificavit altare*, LXX accuratius καὶ ᾠκοδόμησεν ἐκεῖ Ἀβραὰμ θυσιαστήριον, *et desuper* (deest *desuper* in Hebraico et Graeco) *ligna composuit: cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum*, LXX accuratius ἐπέθηκεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον ἐπάνω τῶν ξύλων. [10]*Extenditque* Abraham (Hebraicus et Graecus) *manum* suam, *et arripuit gladium*, וַיִּקַּח אֶת־הַמַּאֲכֶלֶת i. e. et sumpsit cultrum, *ut immolaret filium suum*. Dillmann et Hummelauer cum S. Chrysostomo recte notant, Abrahamum „hoc actu . . . quantum in se erat" (Hummelauer) „consummatam hostiam" (S. Chrysostomus) obtulisse.

Lapide, quocum Hummelauer consentit, haec scribit: „Vide Iosephum narrantem, quomodo Abraham filio prius Dei voluntatem de eo immolando declararit, ille alacer responderit, se vitam datori Deo debere eamque repetenti iam laeto animo redditurum. Cur ergo eum ligavit pater? Respondeo primo, ne si vellet resilire, posset: plenissime ergo Isaac dat Deo et velle et posse suum . . . Secundo, ne naturalem aliquem inconditum, incompositum et involuntarium motum et renisum sacrificio indecentem in ipsa iugulatione ederet: ita Caietanus. Tertio, ut esset typus Christi clavis affixi cruci." Ita Lapide, qui diffuse quaestionem tractat, utrum Abrahae immolantis an Isaaci immolandi virtus maior fuerit; ipse putat, maiorem fuisse virtutem Abrahae, quae sententia

omnino probabilis apparet: rationes apud Lapide legere potes. — Gunkel sentit, Abrahamum filio suo venam colli (Halsader) exsolvere voluisse; haec opinio probabilior videtur quam aliae imaginationes.

℣℣. **11. 12. Et ecce** (deest *ecce* in Hebraico et Graeco) *Angelus Domini de caelo clamavit* ei, *dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum,* הִנֵּנִי (cf. pag. 323). [12]*Dixitque ei* (deest *ei* in Hebraico et Graeco): *Non extendas manum tuam super puerum,* אֶל־הַנַּעַר, *neque facias illi quidquam:* nam (Hebraicus et Graecus) *nunc cognovi quod times Deum* tu (Hebraicus et Graecus), *et non pepercisti unigenito filio tuo propter me,* וְלֹא חָשַׂכְתָּ אֶת־בִּנְךָ אֶת־יְחִידְךָ מִמֶּנִּי i. e. et non denegasti filium tuum unicum tuum mihi (cf. Gesenius 530). *Angelus Domini,* מַלְאַךְ יְהוָה, in hoc loco ut Deus ipse loquitur (cf. pag. 266; Gunkel, Holzinger); non semel autem sed bis Abraham vocat „tamquam veritus ne praeveniretur studio devotionis, et una vox impetum ferientis revocare non posset“ (S. Ambrosius, l. 1. de Abraham, cap. 8; similiter Dillmann et Gunkel). „Tenuit quodammodo manum eius divina vox et ictum vibrantis occupavit dexterae“ (S. Ambrosius l. c., etiam a Lapide et Hummelauer citatus), quia Deus non opus voluit (cf. pag. 319), sed bona voluntate (cf. pag. 324), qua heroicam suam obedientiam monstravit, contentus fuit (S. Chrysostomus).

Ex eo, quod *Angelus Domini* heic ut Deus ipse loquitur, Gunkel infert, iuxta recensionem antiquiorem non Angelum, sed Deum de caelo clamasse. Attamen comparatio variorum locorum biblicorum docet, in aliis locis ipsum Deum, in aliis spiritum caelestem a Deo creatum nominari *Angelum Domini.* Videas pag. 266 et Theologiam biblicam Vet. Test., § 40. — Pro אֶל־ *adversus* habent Samaritanus, Graecus, Latinus עַל־ *super,* quum lectionem Ball probabiliorem censet. — Quomodo Deus omniscius (cf. Theol. bibl. Vet. Test., § 39) dicere potuerit *nunc cognovi,* iam pag. 319 expositum est. Voluit Deus, ut obedientia Abrahae omnibus manifesta fieret (S. Chrysostomus). — *Timere Deum* idem est ac revereri vindicem malorum et remuneratorem bonorum ideoque observare mandata eius (cf. Ex. 1, 17. 20 s.); Abraham ne difficillimi quidem mandati (cf. pag. 319) observationem Deo denegavit.

℣. **13. Levavit Abraham** *oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres haerentem cornibus,* וַיַּרְא וְהִנֵּה־אַיִל אַחַר נֶאֱחַז בַּסְּבַךְ בְּקַרְנָי i. e. viditque, et ecce aries retro captus (erat) in dumeto cornibus suis, *quem assumens obtulit,* LXX accuratius

καὶ ἐπορεύθη Ἀβραὰμ καὶ ἔλαβεν τὸν κριὸν καὶ ἀνήνεγκεν αὐτὸν εἰς, holocaustum pro filio. Domino providente (Dillmann) aries in dumeto se illigaverat, quem Abraham antea non vidit. quia post tergum suum (אַחַר) haerebat inter vepres (cf. Dillmann). Adducens illum ad altare eo pietatis affectu holocaustum obtulit quo filium suum immolare volebat (Hoberg).

Abraham ad vocem Angeli oculos suos levavit et circumspexit; antea observationi mandati divini totus intentus erat. — Pro אַחַר *retro* habent ca. 40 manuscripta, Samaritanus, Graecus, Syrus (non Vulgata) אֶחָד *unus,* quam lectionem Gunkel et Kittel cum aliis probabiliorem iudicant; alii אַחַר antiquam glossam dicunt (cf. Dillmann). At lectio אֶחָד *unus* reapse inanis est (nichtssagend, Dillmann), contra lectio אַחַר *retro* optimum sensum praebet; אַחַר antiquam glossam esse demonstrari nequit. — Illud וְהִנֵּה *et ecce* admirationem Abrahae depingit (cf. pag. 21). Dixerat filio suo: *Deus providebit sibi victimam holocausti* (℣. 8); elevat oculos suos: et victimam iam praeparatam videt. — נֶאֱחָז est part. sing. niph'al ab אָחַז *cepit;* alii minus recte punctant נֶאֱחַז (3. person. sing. perf. niph'al). — LXX textum Hebraicum minus accurate sic reddunt *καὶ ἰδοὺ κριὸς εἷς κατεχόμενος ἐν φυτῷ σαβὲκ τῶν κεράτων,* quae verba antiquiores interpretes vario modo accommodarunt, quod apud Lapide videre potes. — „Aries hic cornibus haerens et suspensus inter vepres, scribit Lapide, significat Christum in cruce suspensum, ait S. Ambrosius" (l. 1. de Abraham, cap. 8). Est sensus accommodatus (cf. Exegeticam 18 ss.) in scriptis veterum saepius occurrens.

℣. 14. Appellavitque Abraham (Hebraicus et Graecus) *nomen loci illius, Dominus videt,* יְהוָה יִרְאֶה. *Unde usque* (deest *usque* in Hebraico et Graeco) *hodie dicitur: In monte,* בְּהַר, *Dominus videbit,* יְהוָה יֵרָאֶה i. e. Dominus videtur. Abraham filio suo victimam se interroganti responderat: *Deus providebit sibi,* אֱלֹהִים יִרְאֶה־לּוֹ (℣. 8); et quia Deus revera in monte victimam sibi providit, Abraham monti Moria nomen *Dominus videt* vel *providebit,* יְהוָה יִרְאֶה, imposuit. Unde factum est, ut homines in angustiis constituti dicere solerent: *In monte Dominus videbit* vel *providebit,* יְהוָה יִרְאֶה (ita punctandum esse, mox probabimus). i. e. „Deus tempore et modo sibi placito providebit nobis. sicut Abrahae providit in monte" (cf. Hummelauer).

In primis de lectione disserendem est. In ℣. 8. et ℣. 14ª Masorethae יִרְאֶה *videbit* punctarunt, quam punctationem contextus omnino postulat: ex eodem contextu discimus, *videbit* idem significare ac *providebit.* In

℣. 14b autem יֵרָאֶה *videbitur* vel *apparebit* punctarunt. Sed Bachmann bene notat, in ℣. 14. aut bis יִרְאֶה aut bis יֵרָאֶה punctandum esse, quam assertionem item contextus ostendit. Quia autem ℣. 14. manifeste ad ℣. 8. respicit (cf. Gunkel), punctatio יִרְאֶה omnino praeferenda est. Vulgata eandem vocem textus originalis vario modo reddit: *providebit* (℣. 8), *videt* (℣. 14a), *videbit* (℣. 14b). LXX habent ὄψεται (℣. 8), ἴδεν (℣. 14a), ὤφθη (℣. 14b): varietas generatim quidem delectat, sed aliquando etiam intellectum impedire potest. Ob contextum, notissimum principium criticum et hermeneuticum, ubique יִרְאֶה *videbit* = *providebit* legendum iudicamus. — „Abraham igitur advertens, inquit Pererius, quod ipse inscius prius dixerat, id phrophetiam eius fuisse, quod postea evenit, ex eo appellavit montem: *Dominus videbit*, i. e. providebit.“ Similiter Gunkel. — In ℣. 8. legimus אֱלֹהִים יִרְאֶה, in ℣. 14. autem יְהוָה יִרְאֶה: quam mutationem nominis divini duplici ratione declarare possumus. *'Elohim* idem est ac potentiae vel numen colendum et tremendum (cf. pag. 1), quare hoc nomen in ℣. 8, qui ad exsecutionem mandati Dei spectat, ab Abraha recte adhibetur; *Iahve* vero idem est ac *qui est* vel qui se revelat (cf. pag. 45), quapropter Abraham immensam Dei benignitatem in monte revelatam videns merito dominum suum Iahve appellavit (cf. Theol. bibl. Vet. Test., § 35). Alia quoque declaratio praesto est. Censent plures (cf. Dillmann, Holzinger), hagiographum ad nomen montis מֹרִיָּה alludere. Non asserit, hoc nomen monti ab Abraha inditum esse (ut Dillmann bene notat): diximus, hoc nomine montem iam a Chananaeis vocatum fuisse (pag. 319). Cum tamen יָהּ idem sit atque יְהוָה (videas lexicon) in nomine מֹרִיָּה nomen Iahve latere videtur (Holzinger 163), et propterea Abraham forsitan ad nomen antiquum alludendo dixit יְהוָה, non אֱלֹהִים (cf. Bachmann). — *Unde,* אֲשֶׁר = ita ut (Gesenius); יֵאָמֵר = dici solet (pag. 191). — „Hoc autem apud Hebraeos exivit in proverbium, testatur S. Hieronymus, ut, si quando in angustia constituti sunt et Domini optant auxilio sublevari, dicant: In monte Dominus videtur, hoc est: sicut Abrahae misertus est, miserebitur et nostri.“ Quod proverbium hodie in nonnullis regionibus Christianorum quoque auditur.

℣℣. 15—18. Vocavit autem Angelus Domini (pag. 325) *Abraham,* אֶל־אַבְרָהָם, *secundo de caelo, dicens:* [16]*Per memetipsum,* בִּי i. e. per me, *iuravi* seu iuro (pag. 21), *dicit Dominus: quia,* כִּי יַעַן אֲשֶׁר, οὗ εἵνεκεν, *fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me* (cf. ℣. 12): [17]*benedicam tibi,* כִּי־בָרֵךְ אֲבָרֶכְךָ i. e. benedicens benedicam tibi (cf. pag. 56), *et multiplicabo,* וְהַרְבָּה אַרְבֶּה i. e. multiplicans multiplicabo (cf. pag. 56) *semen tuum sicut stellas caeli, et velut arenam quae est in littore maris:* et *possidebit semen tuum portas inimicorum suorum,* [18]*et*

BENEDICENTUR in semine tuo omnes gentes, כֹּל גּוֹיֵי, *terrae, quia*, עֵקֶב אֲשֶׁר i. e. in praemium quod = propterea quod, *obedisti voci meae*. In praemium (עֵקֶב) obedientiae heroicae Dominus Abrahae promissiones iam antea (12, 3; 13, 16; 15, 5; 17, 2. 6: 18, 18) factas repetit easque iuramento confirmat: *Per memetipsum*, ait, *iuravi* seu iuro. „Hominum mores imitatur Deus: cum hi promissis iuramento firmatis maiorem fidem adhibeant, iurat et ipse“ (Hummelauer cum S. Chrysostomo): homines per Deum iurant (pag. 251), Deus maiorem non habens, per quem iuret, per semetipsum iurat (Hebr. 6, 13) seu essentiam suam, veracitatem suam testem veritatis invocat (cf. Theol. bibl. Vet. Test., p. 431). Verba iuramenti iam pag. *223 s.*; 238 s.; 257; 272; 274; 289 explicata sunt. Heic additur: *possidebit*, וְיִרַשׁ i. e. et occupabit, *semen tuum* (pag. 223) *portas*, שַׁעַר i. e. portam (singularis collectivus) *inimicorum suorum*. „Est synecdoche, per portas enim intelligit urbes; qui enim portas occupat, urbem occupat“ (Lapide; cf. et Gesenius 1459). Posteri Abrahae portas inimicorum occuparunt materialiter in Iosue, Davide, Salomone; spiritualiter in Apostolis Christi eorumque successoribus (cf. Lapide).

Gunkel et Holzinger cum Wellhausen et Dillmann affirmant, ℣℣. 15—18 esse relationem „secundariam“ (sekundär, Nachtrag). Si quis ista voce hoc solum dicere voluerit, hagiographum ℣℣. 15—18 ex alio documento sumpsisse, non est cur repugnemus. „Finge iam, inquit Hummelauer, duas redactori praesto fuisse sacrificii Abrahae narrationes: unam e qua, ceteroqui fortasse magis integra, ob sententiarum ℣. 11 et 15 similitudinem exciderint ℣. 11—14 narrata, auditorque in opinionem adduceretur (iunge ℣. 16 immediate versui 10) Abraham filium reapse immolasse humanaque sacrificia Deo non esse prorsus exosa; alteram fortasse quoad ℣. 1—10 narrata non ita completam, sed alterum angeli alloquium distincte referentem: erat tum gravissima profecto ratio, cur redactor priorem narrationem e secunda compleret, adscripta etiam voce secundo.“ Qui voluerit, haec omnia fingere potest. Si quis autem cum Gunkel aliisque affirmat, Angelum Domini semel tantum Abrahae clamasse et ℣℣. 15—18 compilationem ex aliis locis haustam esse, fallitur. Hagiographus proprio nomine loquens diserte testatur, Angelum Domini bis de caelo clamasse atque promissiones iam antea factas iuramento confirmasse novumque praemium promisisse (quae circumstantiae in promissionibus prioribus desunt): hoc testimonium falsum esse nequit (pag. 37). — Lapide ad ℣. 16. notat: „Hinc videtur, quod Abraham hac sua obedientia et filii victima inter alia meruerit, saltem de congruo, ut

ex sua stirpe potius quam ex alia, immo ex eodem Isaac nasceretur Christus; ac consequenter idem meruit et Isaac: hoc enim est praemium obedientiae, quod mox subiicit Deus dicens: *Benedicentur* etc." — כִּי in Ꝟ. 16 s. orationem directam inducit ut ὅτι Graecorum. — In fine Ꝟ. 16. textus Masorethicus מִמֶּנִּי (cf. finem Ꝟ. 12) omittit; Samaritanus, Graecus, Latinus, Syrus tamen addunt, quam lectionem Kittel aliique recte genuinam ducunt.

Ꝟ. 19. **Reversus est** autem *Abraham ad pueros suos, abieruntque,* LXX accuratius καὶ ἀναστάντες ἐπορεύθησαν, *Bersabee simul, et habitavit ibi,* וַיֵּשֶׁב אַבְרָהָם בִּבְאֵר שָׁבַע i. e. et habitavit Abraham in Bersabee.

Inter hoc sacrificium Abrahae patriarchae et sacrificium Iephte iudicis (Iud. 11, 34 ss.) differentiae sunt. Abraham ob mandatum Dei, vitae necisque domini; Iephte ob votum inconsideratum prolem unicam immolare volebat. Abraham voci Domini obediens filium suum reapse non immolavit; Iephte sacerdotes non consulens filiam suam reapse immolavit (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 158 ss., ubi sacrificium Iephte diffuse tractatur).

Gunkel 218 ss. cum aliis asserit, narrationem sacrificium Abrahae memoriae tradentem esse fabulam religiosam. In loco enim quodam solitudinis *Ieruel* (2 Par. 20, 16) primitus primogenitos hominum, deinde vero arietes deitati oblatos esse: diversam hanc consuetudinem scriptorem istius narrationis fabulosae declarare voluisse. Quibus opponimus: *a)* in Ieruel prius primogenitos hominum, deinde vero arietes oblatos esse, Gunkel nullo textu biblico vel profano probare potest (ut ipse concedit), sed gratis supponit; quod autem gratis asseritur gratis negatur, docent logici. *b)* Abrahamum non in monte Moria iuxta Iebus vel Ierusalem (pag. 248) sed in *Ieruel* sacrificium obtulisse, Gunkel sic demonstrare conatur: in istis versibus non est legendum יְהוָה יִרְאֶה sed potius ubique אֱלֹהִים יִרְאֶה; hac phrasi autem nomen loci, ubi sacrificium oblatum narratur, declaratur: ergo concludere possumus, nomen loci fuisse יְרִיאֵל vel quod idem est יְרוּאֵל. Verumtamen, in istis versibus ubique אֱלֹהִים legendum esse, nulla ratione logice valida confirmari potest (cf. introductionem): ergo conclusio ex propositione maiore deducta logice non probatur. *c)* Hagiographus sacrificium Abrahae narrans non aliorum relationes simpliciter litteris mandat, quin eas approbet; e contrario relationes eorum suas facit ac proprio nomine loquitur: ergo narratio eius fabula esse nequit, sed vera esse debet (pag. 37). Inspiratio totius Sacrae Scripturae, sensu catholico (cf. introductionem) accepta et semper retenta, petra firmissima est, ad quam omnes fluctus criticae modernae franguntur.

Scriptores aliqui (Hyg., fab. 98; Ov. ex Pont. 3, 2, 45 ss.; met. 12, 31 ss.; Cic., Tusc. 1, 146) narrant, quomodo Iphigenia, filia Agamemnonis,

Artemidi seu Dianae immolari debuisset, quia Agamemnon in nemore Dianae cervam occiderat, ac quomodo Diana Iphigeniam Tauridem transtulerit et ad altare Aulide erectum cervam adduxerit. Hanc narrationem fabulosam esse, apud omnes constat; ex quo tamen non sequitur, etiam narrationem scriptoris inspirati (pag. 37) fabulosam esse: axiopistia narrantium attendenda est.

℣℣. **20—24. His ita gestis,** *nunciatum est Abrahae quod Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo,* LXX accuratius *ἐγένετο δὲ μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα καὶ ἀνηγγέλη,* וַיֻּגַּד (hophʿal a נָגַד), *τῷ Ἀβραὰμ λέγοντες* (לֵאמֹר i. e. ut dicerent = his verbis): *ἰδοὺ τέτοκεν Μέλχα,* מִלְכָּה, *καὶ αὐτὴ* (גַם־הִוא) *υἱοὺς Ναχὼρ τῷ ἀδελφῷ σου* (cf. pag. 218 s.), [21]*Hus,* עוּץ, *Ὢξ, Ὢζ, primogenitum* suum, בְּכֹרוֹ, *et Buz,* בּוּז, *fratrem eius, et Camuel,* קְמוּאֵל, *patrem Syrorum,* אֲבִי אֲרָם, [22]*et Cased,* כֶּשֶׂד, *Χάσζαδ, Χάσαδ, Χάζαδ, et Azau,* חֲזוֹ, *Ἀζαῦ, Pheldas quoque,* וְאֶת־פִּלְדָּשׁ, *καὶ τὸν Φαλδάς, et Iedlaph,* יִדְלָף, [23]*ac Bathuel,* בְּתוּאֵל, *de quo nata est Rebecca,* LXX accuratius *καὶ Βαθουὴλ ἐγέννησεν τὴν Ῥεβέκκαν,* רִבְקָה: *octo istos genuit Melcha, Nachor fratri Abrahae,* יָלְדָה מִלְכָּה לְנָחוֹר אֲחִי אַבְרָהָם. [24]*Concubina vero illius, nomine Roma,* רְאוּמָה, *Ῥεηρά, Ῥεημά, peperit* et ipsa (Hebraicus et Graecus) *Tabee,* טֶבַח, *Τάβεκ, et Gaham,* גַּחַם, *Τάαμ, et Tahas,* תַּחַשׁ, *Τόχος, et Maacha,* מַעֲכָה, *Μωχά.* Hagiographus in cap. 24. narraturus, quomodo Isaac Rebeccam, filiam Bathuelis, filii Melchae et Nachoris (24, 24), uxorem acceperit, apte hoc loco posteros Nachoris enumerat. *Hus,* qui heic primogenitus Nachoris scribitur, cum *Hus,* primogenito Arami, filii Semi (cf. 10, 22 s.; pag. 198), non confundendus est: idem nomen non necessario eamdem personam designare, ex Sacra Scriptura (cf. pag. 113. 126) et experientia constat; nomen *Hus* duas personas diversas designare, diversi patres et fratres eorum satis clare indicant. Item *Aram,* qui heic filius Camuelis scribitur, cum *Aram,* filio Semi, non confundendus est, quod ex circumstantiis elucet. Nam Aram prior fuit filius Semi, frater Aelami, Assuri, Arphaxadi, Ludi, pater Husi, Huli, Getheri, Mesi (10, 22 s.; pag. 197 s.); Aram posterior autem fuit filius Camuelis, filii Nachoris (22, 21), filii Thare descendentis de Arphaxad, fratre Arami prioris (11, 10 ss.; pag. 201). Inter capita 11 et 22 nulla exsistit contradictio, nisi contra testimonium Scripturae et experientiae affirmetur, idem nomen

necessario eamdem personam designare. — Quod duo filii Nachoris, scilicet Camuel et Bathuel, iam genuerant, quando Abraham de posteritate fratris sui certior factus est, non incredibile quidem videtur. Nam Abraham 75 annos natus de Haran egressus erat 100 annorum, cum Isaac natus est (21, 5), 115—125 annorum, cum eum offerre volebat, 137 annorum cum Sara mortua est (cf. 23, 1 coll. 17, 17). Inter oblationem Isaaci et mortem Sarae autem, quando Nachor quoque ca. 115—137 annorum erat (cf. pag. 214 et 220), istum nuntium accepit. Possumus tamen dicere, Abrahae filios tantum fratris nuntiatos esse, hagiographum autem Genesim conscribendo filium Camuelis et filiam Bathuelis annotasse. — *Laban,* frater Rebeccae (24, 29), in genealogia non nominatur; ratio omissionis non patet.

Nomina *Nachor, Melcha, Hus* etc. proxime individua significare, usus loquendi et contextus docent; remote etiam gentes ab istis individuis descendentes significare possunt (cf. pag. 201). — „Horum (filiorum) aliqui prorsus ignoti sunt, neque iuvat nomina simile quid sonantia ex omnibus cis et trans Euphraten pagis cogere, bene scribit Hummelauer. De *Hus* . . . si ab eo nomen accepit *terra Hus* Iob 1, 1, tum eius sedes collocandae erunt in Hauran . . . *Elihu* Iob 32, 2 scribitur Buzites, ergo fortasse a nostro *Buz* erat progenitus. Ier. 25, 23 Buz tribubus Arabiae accensetur. Tandem inscriptiones cuneiformes (Del., Par. 306 s.) norunt gentes *Bâzu* et *Chazû* Arabes, fortasse circa Hauran incolentes, quas Del. coniicit easdem esse atque *Buz* et *Azau* . . . A *Maacha* nomen videtur ducere regnum notissimum Beth Maacha, de quo diximus ad 2 Reg. 10, 6, fuitque postmodum a tribu Manasse absorptum. Quae modo de Hus, Buz, Cased, Maacha notabamus, reapse suggerunt, Nachoridas aut omnes aut plerosque circa Hauran incoluisse." — Genealogiae Nachoris titulus אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת (pag. 43) non praefigitur, quia hagiographus eam „parentheseos instar" operi suo inserit: „parentheses quippe non solent titulis distingui" (Hummelauer). — Gunkel asserit, hanc genealogiam aliis similem esse (cf. 4, 2; 25, 13 s.; 36, 15—19; 49, 5), quod nemo negat; Hoberg putat, Nachor forsitan plures filios habuisse, qui tamen taceantur uti Laban. — Gunkel, Holzinger et alii contra testimonium Scripturae et experientiae tenaces retinent, *Hus* et *Aram* in cap. 22. easdem personas (morales) significare atque in cap. 11., itaque contradictionem fabricantur. „Contradictionem recentiores in eo deprehendunt, ait Hummelauer, quod Hus et Aram h. l. a Nachor deriventur, dum 11, 22 s. hic filius Semi, ille filius Aram scribatur. Contra quae nota, licet aliqua huius genealogiae nomina demonstrentur postmodum fuisse tribuum, non sequitur omnia fuisse: an exstitit specialis aliqua tribus Nachor, Bathuel? Ergo etiam Hus et Aram potuere esse individua, a quibus nullae distinctae ortae

sint tribus. An est ita creditu difficile, Nachoridas aliquos habuisse nomina Hus et Aram, quae filii et nepotis Sem fuissent propria, cum diu post inter Hebraeos reperiantur viri Aram et Maacha (1 Par. 7, 34; 11, 43)? Praeterea, cum exstiterint gentes aliquae nominibus iisdem aut perquam similibus, num illud est penitus absonum, exstitisse in vastis Arabiae et Syriae tractibus tribus duas nominum Aram et Hus? Sed demus, nomina Hus et Aram h. l. ad easdem atque 11, 22 s. referri gentes. Licet individui homines singuli singulos habeant patres, at una gens e variarum tribuum mixtione orta pluribus potest gloriari progenitoribus: id factum scimus in Samaritanis, Romanis etc. Facile igitur concedemus gentem Hus coaluisse e Nachoridis quibusdam et Horraeis (36, 28) Aramaeis admixtis, et Aramaeis ipsis ab Aram Semi filio progenitis se postmodum adiunxisse Nachoridas Camuele ortos et Chaldaeis Arphaxade natis accessisse item Nachoridas aliquos, sc. Cased." — Plures interpretes protestantes opinantur, illud *patrem Syrorum* vel potius Aram et *de quo nata est Rebecca* textui originali serius adiectum esse (cf. pag. 331). — Sixtina et Clementina interpungunt *genuit Melcha, Nachor fratri Abrahae;* secundum consuetudinem interpungendi hodiernam comma delendum est: videas textum Hebraicum pag. 330. — Priora verba Ꝟ. 24. וּפִילַגְשׁוֹ וּשְׁמָהּ רְאוּמָה וַתֵּלֶד accurate sic vertenda sunt: „et (quod ad) concubinam eius (attinet), nomen autem eius (erat) R^e'uma, peperit." Cf. Gesenius-Kautzsch 328.

C. 23. Ꝟ. 1. Vixit autem Sara *centum vigintiseptem annis, ἐγένετο δὲ ἡ ζωὴ Σάῤῥας ἔτη ἑκατὸν εἴκοσι ἑπτά.* In Hebraico autem legimus: וַיִּהְיוּ חַיֵּי שָׂרָה מֵאָה שָׁנָה וְעֶשְׂרִים שָׁנָה וְשֶׁבַע שָׁנִים שְׁנֵי חַיֵּי שָׂרָה i. e. facta est vita Sarae centum anni et viginti anni et septem anni, anni vitae Sarae. Ergo post immolationem Isaaci plures adhuc annos vixit (cf. pag. 331).

Sing. חַי, plur. חַיִּים = vita. — שָׁנָה in hoc loco et alibi cum numeris infra decem in plurali, cum numeris supra decem autem in singulari coniungitur (cf. Gesenius-Kautzsch 441). — Tria verba ultima textus Hebraici, quae in LXX et Vulgata desunt, Dillmann spuria iudicare videtur; Kittel omnino delenda censet: plerique tamen interpretes recte pro genuinis habent, quia omissio in versionibus facillime declarari potest. „Memento LXX Vulg., quod sapientium translatorum est, non consuevisse vertere de verbo ad verbum" (Hummelauer) et saepius textum originalem nimis libere reddidisse (cf. Theol. bibl. Vet. Test., § 39).

Ꝟ. 2. Et mortua est Sara (Hebraicus et Graecus) *in civitate Arbee,* בְּקִרְיַת אַרְבַּע, *quae est Hebron,* הִוא חֶבְרוֹן, *in terra Chanaan* (pag. 195 s.): *venitque Abraham ut plangeret* Saram (Hebraicus et Graecus), *et fleret eam,* LXX accuratius *κόψασθαι Σάῤῥαν καὶ πενθῆσαι.* Postquam Abraham de monte Moria

rediit, satis diu in Bersabee habitabat (22, 19): postea iterum in fertilem viciniam urbis Hebron venit, ubi iam prius habitaverat (13, 18; 14, 13; 18, 1; 19, 27): quo in loco Sara mortua est.

Nomen urbis antiquum erat *Cariath Arbe,* קִרְיַת אַרְבַּע i. e. urbs 'Arba' (Gen. 23, 2; 35, 27; Ios. 14, 15; 15, 13. 54; 20, 7; 21, 11; Iud. 1, 10). Hic 'Arba' gigas fuit et filium habuit *Enac,* עֲנָק i. e. „longicollis, gigas . . . qui auctor erat gentis Cananaeae ob staturae proceritatem nobilissimae . . . quae ante Hebraeorum invasionem in vicinia Hebronis habitaverat" (Gesenius, Buhl). Iosue enim testatur: *Cariath Arbe patris Enac, ipsa est Hebron* (Ios. 15, 13); *Cariatharbe patris Enac, quae vocatur Hebron, in monte Iuda* (Ios. 21, 11); *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est,* קִרְיַת אַרְבַּע הָאָדָם הַגָּדוֹל בָּעֲנָקִים הוּא i. e. urbs 'Arba', ipse homo maximus inter 'Anakim (= gigantes) fuit (Ios. 14, 15). *Enacim* vel 'Anakim fuerunt posteri Enaci, filii *Arbe* vel 'Arba', quorum tribus (Hummelauer, Iudicum 44) in Num. 23, 13 et Iud. 1, 20 *Achiman et Sisai et Tholmai* (descendentes a tribus filiis Enaci) enumerantur. Iosue gigantes (cf. pag. 131) in Hebron habitantes interfecit, ita ut postea in Gaza, Geth, Azoto dumtaxat invenirentur (Ios. 11, 21 s.); noti sunt duo fratres Goliath de Geth (1 Reg. 17, 4; 1 Par. 20, 5; cf. Theol. bibl. Vet. Test., p. 181 s.). — *Hebron septem annis ante Tanim urbem Aegypti condita est* (Num. 13, 23). Tanis vel Zoan iuxta documenta profana ca. 2000 a. Ch. n. iam florebat (cf. Holzinger, Numeri 56), Hebron vel Cariath Arbe aetate Abrahae iam exsistebat (Gen. 35, 27); Abraham autem ante 2200 a. Ch. n. vixit (pag. 240): ergo iste locus biblicus et documenta profana optime conveniunt. — Cum 'Arba' urbem aedificaverit, et posteri eius usque ad Iosue in ea habitaverint, merito quis quaerat, quomodo Abraha vivente *filii Heth* (pag. 194) possessores regionis atque urbis (Gen. 23, 3 ss.; 25, 10; 49, 30) esse, et tempore occupationis terrae per Hebraeos in Hebron *Chananaei* habitare (Iud. 1, 10) potuerint. Respondeo: filii Heth ad Chananaeos pertinebant (pag. 194), et 'Arba' unus ex filiis Heth erat, quemadmodum contextus locorum supra citatorum demonstrat. Nulla igitur adest contradictio, quod Gunkel quoque contra Stade aliosque defendit. — Quando

urbs nomine *Hebron* vocata sit, incertum est. Probabiliter *Hebraei* terram occupantes nomine suo illam urbem et regionem appellarunt, ex qua exploratores palmitem aliosque fructus secum sumpserant (cf. Num. 13, 22—25). Similiter Hommel (Altisr. Überlieferung 232 s.), qui nomen ab *Habiri* (probabiliter = Hebraei; cf. Theol. bibl. Vet. Test., p. 95) derivat, necnon alii (cf. Guthe, Bibelwörterbuch 246), qui nomen Hebron cum *Heber* (cf. pag. 244) cohaerere censent. — In territorio Hebron fuit quercetum Mambre (cf. pag. 239) quod Gen. 23, 19; 35, 27 per synecdochen Hebron nominatur.

Phrasis *venitque,* וַיָּבֹא i. e. et ivit, *Abraham* non significat Saram absente Abraha mortuam esse, uti nonnulli antiquiores putarunt (cf. Lapide, Dillmann, Hummelauer), sed apparatum insinuat: „*venire* apud Hebraeos saepe significat ordiri aliquid, accingere se ad aliquid faciendum; sic Abraham hic *venit,* id est accinxit se ad plangendam Saram“ (Lapide, cui Hoberg assentit). Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hummelauer minus probabiliter putant, Abrahamum ad cadaver vel tentorium Sarae venisse. Planctus (סָפַד *percussit*) percussionem capitis, pectoris, lacertorum (cf. Gesenius); fletus (בָּכָה *flevit*) fusionem lacrimarum designat: planctus et fletus apud orientales in luctu coniuncti esse solent.

Idem nomen קִרְיַת אַרְבַּע officiales Vulgatae editiones mox *civitas Arbee* (Gen. 23, 2; 35, 27) mox *Cariath Arbe* (Ios. 14, 15) mox *Cariatharbe* (Ios. 21, 11) reddunt; immo in eodem capite legimus: *Cariath Arbe* (Ios. 15, 13) atque *Cariatharbe* (Ios. 15, 54). Item in Num. 13, 23 *Achiman,* in Iud. 1, 10 autem *Ahiman* legitur. Tales inconsequentiae plurimae inveniuntur; celebriores in epilogo critico meae editionis Bibliae Sacrae 165* collegi. Sapientia Sedis Apostolicae in nova editione publica istas inconsequentias certo auferet; forsitan etiam illos locos Vulgatae, qui a textu Hebraico et Graeco nimis dissentiunt, modo congruo emendabit. — Si urbs *Cariath Arbe* ab Hebraeis vel Ḫabiri *Hebron* nominata est, ante occupationem terrae per prolepsim Hebron vocatur (cf. Hoberg). Ipse Hoberg putat, urbem filiorum Heth primitus Hebron nominatam, deinde ab Enacim occupatam et Cariath Arbe vocatam, denique ab Israelitis iterum nomine antiquo appellatam esse. At haec opinio usu loquendi atque contextu vix demonstrari poterit. — Urbs „tempore Iosuae regia (Ios. 10, 3. 5. 23; 12, 10) ab Hebraeis expugnata et familiae Calebi (ib. 14. 13—15; 15, 13. 14; Iud. 1, 9. 10), dein sacerdotibus tributa (Ios. 21. 11) es urbs asyli facta (Ios. 20, 7). Per septem primos imperii annos Davidit

regia erat (2 Reg. 2, 1. 11; 3, 2; 5, 5; 3 Reg. 2, 11); postea a Rehabeamo munita (2 Par. 11, 10). Post exilium (Neh. 11, 25) in Idumaeorum potestatem cessit (1 Mach. 5, 65), in bello Iudaico a Romanis occupata et incendio vastata est (Ios., bell. Iud. 4, § 7)." Ita Gesenius et alii post eum. — Ad ista verba *in terra Chanaan* Hummelauer optime notat: „Auctor Iosue posterior certe non tam studiose situm Hebron descripsisset neque addidisset, civitatem omnium notissimam esse *in terra Chanaan*. Expressio nos revocat ad tempus, quo fixas Abrahamidae in Chanaanitide sedes non habebant et quo Bersabee, ubi prius Abraham credendus est esse moratus, non erat uti postea in finibus Chananaeorum sed Philisthaeorum." — LXX priorem partem huius versus non accurate reddunt *καὶ ἀπέθανεν Σάρρα ἐν πόλει Ἀρβόκ, ἥ ἐστιν ἐν τῷ κοιλώματι· αὕτη ἐστὶν Χεβρὼν ἐν γῇ Χανάαν.*

℣℣. 3—6. **Cumque surrexisset** *ab officio funeris,* וַיָּקָם אַבְרָהָם מֵעַל פְּנֵי מֵתוֹ i. e. et surrexit Abraham a facie mortui sui, *locutus est ad filios Heth* (pag. 333), *dicens:* [4]*Advena sum et peregrinus apud vos,* גֵּר־וְתוֹשָׁב אָנֹכִי עִמָּכֶם i. e. *πάροικος καὶ παρεπίδημος ἐγώ εἰμι μεθ' ὑμῶν· date mihi ius sepulchri,* אֲחֻזַּת־קֶבֶר i. e. possessionem sepulchri (cf. ℣. 9 et LXX) = sepulchrum a me possidendum (cf. Gesenius 68), *vobiscum, ut sepeliam mortuum meum,* וְאֶקְבְּרָה מֵתִי מִלְּפָנָי i. e. ut sepeliam mortuum meum e conspectu meo, seu ut sepeliens cadaver eo liberer (cf. Gesenius 1111). [5]*Responderunt filii Heth* Abrahae (Hebraicus et Graecus), *dicentes:* [6]*Audi nos* quaeso *domine* mi, אֲדֹנִי, *princeps Dei es apud nos,* נְשִׂיא אֱלֹהִים אַתָּה בְּתוֹכֵנוּ i. e. princeps Dei tu es in medio nostrum: *in electis sepulchris nostris,* בְּמִבְחַר קְבָרֵינוּ i. e. in electione sepulchrorum nostrorum = in electissimo eorum (Dillmann, Strack[2]), *sepeli mortuum tuum: nullusque te prohibere poterit quin in monumento eius sepelias mortuum tuum* אִישׁ מִמֶּנּוּ אֶת־קִבְרוֹ לֹא־יִכְלֶה מִמְּךָ מִקְּבֹר מֵתֶךָ i. e. nemo nostrum sepulchrum suum tibi negabit, quominus mortuum tuum sepelire possis. — Dominus Abrahae revelaverat, quod in posteris suis terram Chanaan possessurus esset (15, 7—21), quapropter Abraham in eadem terra proprium sepulchrum possidere voluit. Mortua igitur Sara filios Heth, possessores regionis et urbis Hebron, possessionem sepulchri rogavit, ut cadaver Sarae in tentorio non retinendum ibi condere posset. Filii Heth Abrahamum principem Dei i. e. principem seu phylarcham a Deo constitutum (Gesenius 917) nominant eique licentiam dant, ut in quolibet sepulchro cadaver uxoris collocaret.

Verbis Abrahae *πάροικος καὶ παρεπίδημος* S. Petrus utitur ad fideles scribens: *Ἀγαπητοί, παρακαλῶ ὡς παροίκους καὶ παρεπιδήμους ἀπέχεσθαι τῶν σαρκικῶν ἐπιθυμιῶν* (1 Petr. 2, 11; cf. Holzinger ad Gen. 23, 4). — Versus 5 et 6 in textu Masorethico sic distinguuntur לֵאמֹר לוֹ׃ שְׁמָעֵנוּ, quam distinctionem omnes interpretes recentiores falsam ducunt. Legendum est aut לֵאמֹר׃ לֹא שְׁמָעֵנוּ i. e. *λέγοντες· μή, ἄκουσον ἡμῶν* (cf. ℣. 11 et LXX) aut melius לֵאמֹר׃ לוּ שְׁמָעֵנוּ i. e. dicentes: quaeso ut audias nos (cf. ℣. 13). — Quia unus loquitur, אֲדֹנִי dicit (Strack[2]). — *Princeps Dei es* Lapide sic exponit: „qui Deo carus et curae sis ac proinde insignis et illustris sis eximieque venerandus." — אִישׁ . . . לֹא = ne unus quidem (Gesenius-Kautzsch 487). — In מִקְּבֹר habet מִן significationem *ne, quominus* (videas grammaticam vel lexicon).

℣℣. 7—9. **Surrexit Abraham,** cum filiis Heth in porta urbis sedens (℣℣. 10. 18), *et adoravit* (pag. 283) *populum terrae* (pag. 333), *filios videlicet* (deest *videlicet* in Hebraico et Graeco) *Heth:* [8] *dixitque ad eos* d i c e n s (Hebraicus et Graecus): *Si placet animae vestrae,* אִם־יֵשׁ אֶת־נַפְשְׁכֶם i. e. si est apud animum (= voluntatem) vestrum, vel si apud vos constituistis (cf. Gesenius 901), *ut sepeliam mortuum meum,* לִקְבֹּר אֶת־מֵתִי מִלְּפָנַי (cf. pag. 335), *audite me, et intercedite pro me apud Ephron,* בְּעֶפְרוֹן, *filium Seor,* בֶּן־צֹחַר: [9] *ut det mihi speluncam duplicem,* מְעָרַת הַמַּכְפֵּלָה i. e. speluncam Machpelae, *quam habet,* אֲשֶׁר־לוֹ, *in extrema parte agri sui,* אֲשֶׁר בִּקְצֵה שָׂדֵהוּ: *pecunia digna,* בְּכֶסֶף מָלֵא i. e. pro argento pleno (= „pretio iusto" Lapide, Gesenius 788) *tradat eam mihi coram vobis,* בְּתוֹכְכֶם i. e. in medio vestrum, *in possessionem sepulchri* (pag. 335). Abraham filiis Heth locum indicavit, ubi Saram sepelire vellet, ita tamen ut sepulchrum sibi p r o p r i u m evaderet. Noluit „Abraham misceri sepulchris idololatrarum, sed sibi seorsum locum postulat, in quo sepeliatur tam Sara quam ipse et posteri" (Lapide ad ℣. 4). Spelunca, quam intercedentibus filiis Heth ab Ephron emere volebat, in fine agri fuit, cui nomen erat מַכְפֵּלָה i. e. portio.

De *Ephron* et *Seor* ea tantum scimus, quae in hoc capite narrantur. — Secundum textum Hebraicum *Machpela* nomen agri vel regionis fuit, non speluncae (cf. 23, 17. 19; 49, 29 s.; 50, 13; Hummelauer: Buhl, Dillmann, Fürst, Gesenius, Gunkel, Guthe, Holzinger, Strack[2]); significat autem p o r t i o n e m vel p a r t e m (a כָּפַל *divisit, partitus est*). Hoberg cum versionibus et interpretibus antiquis nomen appellativum (a כָּפַל

duplicavit) intelligit et cum Aben Ezra (cf. Lapide) speluncam *duplicem* (*τὸ σπήλαιον τὸ διπλοῦν*) vocari censet, eo quod spelunca exterior et interior fuerit. At constructio Hebraica hunc sensum omnino excludit; versiones autem in rebus minoris momenti saepe minus accuratae sunt, ut iam notabamus et in sequentibus quoque notabimus. Plausibilis est opinio Holzingeri, agrum vel regionem a spelunca duplici nominatam fuisse. — Cum spelunca *in extrema parte* agri esset, poterat Ephron partem maximam sibi retinere (cf. ℣. 11), quod Abraham, istam circumstantiam adducens, indicare voluit (cf. Dillmann, Strack[2]).

℣℣. 10. 11. Habitabat autem Ephron, LXX accuratius *Ἐφρὼν δὲ ἐκάθητο*, יֹשֵׁב, *in medio filiorum Heth. Responditque Ephron* Hethaeus (Hebraicus et Graecus) *ad Abraham cunctis audientibus,* בְּאָזְנֵי בְנֵי־חֵת לְכֹל i. e. ante aures filiorum Heth omnium *qui ingrediebantur portam civitatis illius, dicens:* [11] *Nequaquam ita fiat, domine mi,* in Hebraico simpliciter לֹא־אֲדֹנִי i. e. non, domine mi (Gesenius-Kautzsch 487), *sed tu magis ausculta quod loquor:* in Hebraico loco horum sex verborum simpliciter scribitur שְׁמָעֵנִי i. e. ausculta me, in LXX *καὶ ἄκουσόν μου· Agrum trado tibi, et speluncam, quae in eo est* tibi trado (Hebraicus), *praesentibus filiis,* לְעֵינֵי בְנֵי i. e. ante oculos filiorum, *populi mei* trado eam tibi (Hebraicus), *sepeli mortuum tuum.* Abraham speluncam dumtaxat emere volebat, Ephron autem speluncam atque agrum ei donat (cf. ℣. 13). Triplex *trado tibi* in hoc contextu donationem significare, omnes interpretes concedunt; alia quaestio est, num Ephron ab Abraha divite (pag. 234) reapse nullum pretium, nullum munus exspectaverit. Gunkel notat, orientales hodie quoque rem, quam vendere volunt, emptori ut donum offerre: emptor scit, quomodo tales donationes suscipiendae sint (cf. ℣℣. 13. 15).

לְכֹל genetivus esse videtur (cf. Gesenius-Kautzsch 426: Holzinger). — Illud *qui ingrediebantur portam civitatis illius* iuxta LXX, Dillmann, Hummelauer aliosque cives Ephronis significat; melius forsitan eos intelligimus qui in porta urbis Hebron cum Abraha convenerant. — Pro לֹא Gunkel, Kittel et alii לֹא = לוּ ponunt et textum Hebraicum vertunt: „quaeso, domine mi, audias me: agrum" etc. (cf. ℣. 13). — De נָתַתִּי videas pag. 21. — *Trado tibi* seu tibi dono ter repetitur. — Filii populi Ephronis = filii Heth (cf. ℣. 10).

℣℣. 12—15. Adoravit autem (Hebraicus et Graecus) *Abraham coram,* לִפְנֵי, *populo terrae.* [13] *Et locutus est ad Ephron*

circumstante plebe, בְּאָזְנֵי עַם־הָאָרֶץ לֵאמֹר i. e. ante aures populi terrae dicens: *Quaeso, ut audias me,* אַךְ אִם־אַתָּה לוּ שְׁמָעֵנִי i. e. profecto si consentis, quaeso audi me: *Dabo,* נָתַתִּי i. e. do (pag. 21), *pecuniam,* כֶּסֶף (pag. 339), *pro agro,* LXX accuratius τοῦ ἀγροῦ· *suscipe eam* a m e (Hebraicus et Graecus), *et sic* (deest *sic* in Hebraico et Graeco) *sepeliam mortuum meum in eo,* שָׁמָּה. [14] *Responditque Ephron* A b r a h a e d i c e n s (Hebraicus et Graecus): [15] *Domine mi,* q u a e s o (cf. notas) *audi me: Terra, quam postulas* (deest *quam postulas* in Hebraico et Graeco), *quadringentis siclis argenti,* שֶׁקֶל־כֶּסֶף, *valet* (deest *valet* in Hebraico et Graeco): *istud est pretium inter me et te: sed quantum est hoc?* בֵּינִי וּבֵינְךָ מַה־הִוא i. e. inter me et inter te quid hoc est? *sepeli mortuum tuum.* Textus Hebraicus huius ℣. 15. sic transferatur: Quaeso, domine mi, audi me. Terra quadringentorum siclorum argenti inter me et inter te quid hoc est? Sepeli mortuum tuum. LXX et Vulgata textum libere reddiderunt. — Abraham Ephronem agrum offerentem (℣. 11) ceterosque filios Heth intercedentes (℣. 8) prostratione honorat et postea Ephronem secum consentientem rogat ut pro agro pretium iustum accipere velit. „Nolebat Abraham agrum gratis habere, scribit Lapide, sed emere iusto pretio, tum quia hoc est animi honesti, liberalis et regii, tum ne posteri Ephronis agrum repeterent vel communem in eo sepulturam postularent.“ Ephron nunc pretium agri nominat simulque addit, 400 siclos argenteos (= 960 *M*?) inter homines divites rem parvi momenti esse (Dillmann), ergo Abrahamum agrum et speluncam suscipere posse, quin pretium solvat (cf. pag. et ℣. 16).

Cum Hitzig et Hummelauer censemus, אַתָּה esse 2. pers. sing. m. perf. kal verbi אוּת *consentire,* quo supposito sententia omnino plana est: Profecto si consentis, quaeso audi me. Bachmann aliique nobis obiiciunt אוּת in niph'al tantum, non in kal occurrere. Optime tamen Hummelauer respondet: „Neque obiicias, eius verbi kal secus non usu venire. Reapse verbum quater tantum legitur et quidem coniugatione niph'al (34, 15. 22. 23; 4 Reg. 12, 9): quid igitur mirum, kal nonnisi semel, sc. hoc textu legi?“ Qui asserunt, אַתָּה esse 2. pers. sing. m. pronominis personalis, anacoluthon durissimum statuere debent: „Utique, si tu — utinam audires me“ (Gunkel) vel „Utique sed — utinam quaeso — audi me“ (Strack[2]). Modo tam infantili Abraham numquam locutus est, ne tunc quidem, quando affectibus intimis commotus erat (cf. G e n. 14, 22 ss.; 15, 2 s.;

17, 17 s.; 18, 23 ss.). LXX sententiam nostram confirmant vertentes *ἐπειδὴ πρὸς ἐμοῦ εἶ, ἄκουσον μου* i. e. quia mihi propensus es, audi me (cf. Biel III, 191); legerunt autem לִי non לוּ; Vulgata אַךְ אִם־אַתָּה omittit. — Pro לוֹ׃ אֲדֹנִי legendum est לוּ אֲדֹנִי׃ videas pag. 336; Gunkel, Holzinger, Kittel. — Siclus argenteus = 2·4 *M* (Kortleitner 253), saltem post exilium; sed utrum iam aetate Abrahae necne, valde incertum est. — Ex istis verbis: „inter me et inter te quid hoc est?“ inferre possumus, Ephronem quoque divitem fuisse. Hoberg infert, Abrahamum et Ephronem amicitia iunctos fuisse; Menochius utrumque concludit. — Quod dixit, Abrahamum agrum gratis sumere posse, probabiliter „donatio orientalis“ (cf. pag. 337) fuit: Abraham pretium indicatum statim solvit (℣. 16).

℣. 16. Quod cum audisset Abraham, LXX accuratius *καὶ ἤκουσεν Ἀβραὰμ τῷ Ἐφρών*, scil. pretium indicanti, *appendit* Abraham Ephroni (Hebraicus et Graecus) *pecuniam,* הַכֶּסֶף, *quam Ephron* (deest *Ephron* in Hebraico et Graeco) *postulaverat,* דִּבֶּר i. e. dixerat, *audientibus filiis Heth,* בְּאָזְנֵי בְנֵי־חֵת (pag. 337), *quadringentos siclos argenti probatae monetae publicae,* כֶּסֶף עֹבֵר לַסֹּחֵר i. e. argenti transientis apud mercatores (Gesenius 982), *ἀργυρίου δοκίμου ἐμπόροις*. Antiquis temporibus argentum signatum (geprägtes Geld) nondum exsistebat, ideoque frusta argenti rudis appendebantur; appendit autem Abraham non quaelibet frusta argenti, sed talia qualia tunc „usu mercatorum recepta erant“ (Gesenius 982 et multi alii): argent courant. Illo tempore Babyloniam, Chanaan, Aegyptum commercio mixtas fuisse, iam pag. 28. notavimus).

Holzinger sine argumento asserit, istam phrasim „argenti transientis apud mercatores“ significare, Abrahamum Ephroni non siclos sacrarii seu templi, sed siclos profanos appendisse, indeque tempus coniiciendum putat, quando haec pars Genesis scripta sit. Taceo, plures viros doctos ob rationes varias omnino negare, olim siclos in sacros et profanos distinctos fuisse (cf. Kortleitner 251), et hoc solum noto, istam phrasim iuxta usum loquendi et contextum ad siclos sacrarii seu templi non alludere, ut plerique interpretes censent. — Antiquitus argentum auro pretiosius erat (pag. 234); ab anno ca. 1500 a. Ch. n. aurum argento praeferebatur (Wiedemann, Altägypten 180 s.; Hoberg). Ex hac re ad tempus compositionis Genesis concludere possumus.

℣℣. 17. 18. Confirmatusque est, וַיָּקָם i. e. ratus factus est, *ager quondam* (deest *quondam* in Hebraico et Graeco) *Ephronis, in quo erat spelunca duplex,* אֲשֶׁר בַּמַּכְפֵּלָה i. e. qui (scil. ager) erat in Machpela, *respiciens Mambre,* לִפְנֵי מַמְרֵא i. e. in con-

spectu = ante Mamre, *tam ipse, quam spelunca,* LXX accuratius ὁ ἀγρὸς καὶ τὸ σπήλαιον, ὃ ἦν αὐτῷ, אֲשֶׁר־בּוֹ, *et omnes arbores eius,* LXX accuratius καὶ πᾶν δένδρον ὃ ἦν ἐν τῷ ἀγρῷ, ὅ ἐστιν, *in cunctis terminis eius per circuitum,* [18]*Abrahae in possessionem,* לְמִקְנָה, *videntibus filiis Heth,* לְעֵינֵי בְנֵי־חֵת, *et cunctis,* בְּכֹל (alii לְכֹל, cf. pag. 337) *qui intrabant portam civitatis illius* (cf. pag. 337). Ephron agrum et omnia, quae in eo erant, tradidit; Abraham iustum pretium solvit; testes plures affuerunt: ergo emptio sepulchri legitime peracta est.

קוּם = ratum fieri; מִקְנָה = res pretio iusto acquisita (cf. lexicon). — Ex hoc loco discimus, qualis relatio inter Hebron vel Cariath Arbe et Mambre et Machpela et agrum Ephronis et speluncam fuerit. Machpela fuit regio, in qua ager Ephronis cum spelunca quadam erat; ista regio fuit in conspectu (ab oriente) querceti Mamre in territorio Hebron exsistentis (pag. 239). Spelunca ab Abraham empta iuxta constantem et continuam traditionem (Guthe, Bibelwörterbuch 246; Holzinger 135) in hodierna urbe Hebron seu el-Ḫalīl religiosissime custoditur. Ab hac spelunca forsitan (pag. 337) tam ager Ephronis quam regio vocata est. — Tabulae emptionis Babyloniorum simili forma compositae sunt ac ℣℣. 17. 18 (Gunkel); conferas quae pag. 28. de cultura Babyloniorum diximus. — Istas arbores sanctas fuisse, Gunkel 249 asserit quidem, sed non probat. — Pro בְּכֹל habent 21 manuscripta לְכֹל (Kittel); Graecus, Vulgata, Syrus וְכֹל; forsitan לְכֹל praeferendum est. — Gunkel 251 bene notat, Abrahamum magna cum humilitate ad filios Heth locutum esse eosque bis adorasse, sed etiam ab illis liberalissime tractatum esse. Si tamen asserit. hagiographum insinuare velle, Abrahamum tam humilem se monstrasse. ut in possessionem speluncae involare posset, contra logicam peccat. Nam quae Abraham fecerit, ex Genesi dumtaxat scire potest; at haec nullibi innuit, Abrahamum virum fictae humilitatis fuisse: ergo iuxta praecepta logica a Gunkel non supponendum erat.

℣℣. 19. 20. Atque ita, LXX accuratius μετὰ ταῦτα, וְאַחֲרֵי־כֵן, *sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici,* אֶל־מְעָרַת שְׂדֵה הַמַּכְפֵּלָה i. e. in spelunca agri Machpela, *quae respiciebat Mambre,* עַל־פְּנֵי מַמְרֵא (cf. pag. 339), *Haec est Hebron in terra Chanaan* (cf. pag. 333). [20]*Et confirmatus est,* וַיָּקָם, *ager, et antrum,* וְהַמְּעָרָה i. e. et spelunca, *quod erat in eo, in possessionem monumenti a filiis Heth.* Ad quid hagiographus bis (℣℣. 11. 20) testatur, Abrahamum agrum Ephronis cum spelunca modo legitimo (cf. supra) possessionem recepisse? Dominus Abrahae revelaverat, terram Chanaan possessoribus

eius eripiendam atque posteris Abrahae tradendam esse (15, 16—21): propterea Abraham in terra Chanaan sibi promissa proprium sepulchrum, a sepulchris habitatorum terrae separatum, habere voluit.

Contra illos, qui ante et post Holzinger dixerunt, hagiographum narratione sua probare voluisse, quod posteri Abrahae iure sibi illam terram, in qua sepulchrum ab Abraha emptum erat, vindicare possent, Gunkel 250 recte notat: qui in terra quadam sibi agrum emit, eo ipso ius ad totam terram non acquirit. — Ipse Gunkel 250 s. asserit, narrationem qua emptio agri Ephronis refertur, fabulam esse: fabula autem declarari, quare spelunca non ad Chananaeos sed ad posteros Abrahae pertineat. Asserit, Chananaeos forsitan putasse, in sepulchro deum vel heroem quemdam habitare, ideoque sepulchrum Hebraeis eripere voluisse: ab Hebraeis autem isti deo vel heroi Abrahamum substitutum esse. Praetermittimus inspirationem hagiographi, quacum assertio Gunkeli nullatenus conciliari potest, atque hoc unum notamus. Gunkel saepissime in idem peccatum logicum recidit: fortiter asserit, sed asserta sua non demonstrat. Quid logica de tali agendi ratione doceat scimus: „Quod gratis asseritur, gratis negatur"; quod demonstrari nequit, pro vero non asserendum est.

C. 24. ℣. 1. **Erat autem Abraham** *senex, dierumque multorum,* זָקֵן בָּא בַּיָּמִים: cf. *καὶ ἀμφότεροι προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν ἦσαν* (Luc. 1, 7); *et Dominus in cunctis benedixerat ei* (pro *ei* habent Hebraicus et Graecus *Abraham*). Abraham tunc senex 140 anorum fuit (21, 5 coll. 25, 20); quomodo Deus benedicat, pag. 16. declaratum est. „Nihil supererat praestandum, nisi ut filio rite de uxore provideretur atque ita divinae benedictiones omnes in posteros transmitterentur" (Hummelauer cum Dillmann).

Secundum 25, 7. 20 Abraham post matrimonium filii sui adhuc 35 annos vixit, sed hoc sine revelatione divina scire non potuit, quare recte filio suo quadragenario providit. Abrahamum „manifeste" mortem vicinam exspectasse, quando servum in Mesopotamiam misit, Dillmann 301 quidem asserit, sed non probat neque probare potest: ergo immerito inter cap. 24 et 25 contradictionem statuit.

℣℣. 2—4. **Dixitque** Abraham (Hebraicus et Graecus) *ad servum seniorem domus suae, qui praeerat omnibus quae habebat,* LXX accuratius *τῷ παιδὶ αὐτοῦ, τῷ πρεσβυτέρῳ τῆς οἰκίας αὐτοῦ, τῷ ἄρχοντι πάντων τῶν αὐτοῦ,* בְּכָל־אֲשֶׁר־לוֹ: *Pone* quaeso, שִׂים־נָא, *manum tuam subter femur meum,* [3]*ut adiurem te per*

Dominum, בַּיהוָה, *Deum caeli et* Deum (Hebraicus) *terrae, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananaeorem*, הַכְּנַעֲנִי, *inter quos habito*, אֲשֶׁר אָנֹכִי יוֹשֵׁב בְּקִרְבּוֹ i. e. in cuius (Chananaei) medio ego habitans sum, [4] *sed* (כִּי, cf. lexicon) *ad terram* meam (Hebraicus et Graecus) *et* ad (Hebraicus et Graecus *cognationem meam proficiscaris, et inde* (deest *inde* in Hebraico, sed subintelligitur) *accipias uxorem filio meo Isaac.* Servus senior vel potius maximus (זָקֵן, cf. grammaticam de superlativo) non natu sed dignitate (Dillmann aliique) in domo seu familia Abrahae, qui universae possessioni (cf. pag. 230. 234. 245) praepositus erat, Eliezer Damascenus (pag. 256) fuit. Hunc Abraham per Deum verum iurare (pag. 251) fecit (וְאַשְׁבִּיעֲךָ est hiphʿil verbi שָׁבַע = iuravit). Iurantes ceteroquin manum ad caelum levabant (pag. 251); bis manum *subter femur* posuisse leguntur (hic et Gen. 47, 29): qua actione iuxta Dillmann et Strack[2] posteros (Gen. 46, 26) „custodes impleti et vindices violati iuramenti" invocabant. De *filiabus Chananaeorum* ideo pro Isaaco uxorem sumere noluit, quia non „par erat uxorem ab illis peti, qui praescirentur a posteris Abrahae aliquando esse exstirpandi" (Hummelauer). Quare Abraham Haran Mesopotamiae (℣. 10) terram suam et cognatorum suorum appellare potuerit, pag. 219 expositum est.

Gunkel et Holzinger asserunt, servum Abrahae apud scriptorem huius capitis anonymum esse; melius tamen Hoberg scribit, nomen servi iam ex praecedentibus notum supponi. — Lapide istam actionem symbolicam iurantium sic declarat: „Femur causa et symbolum est generationis et vitae. Femur ergo tenendo iurantes testabantur Deum vitae auctorem, in cuius manu est salus nostra; quasi dicat: si recte et vere iuro et iuratum praesto, Deus mihi vitam longam et felicem, quae femore significatur, praestet; sin fallo et peiuro, peream neque particeps sim vitae, quae processit ex femore." Gunkel et Holzinger cum aliis commonent, femur apud antiquos sanctum deitatis symbolum fuisse, et propterea iurantes manum ad femur posuisse. Sed Dillmann hanc declarationem recte repudiat. Nam istud symbolum apud polytheistas invenitur; Abraham vero cultor Dei veri, creatoris et domini caeli et terrae (pag. 251), ergo monotheista fuit. Alias explicationes minus probabiles a Lapide et Hummelauer afferuntur. — Hummelauer putat, nomen *Dei* bis poni, „quo adiuratio fit solemnior": at nomen regens etiam alibi saepe repetitur (Gesenius-Kautzsch 420). — De אֲשֶׁר לֹא = *ut non* grammaticam vel lexicon videas. — Hummelauer interrogat, quare Abraham non ipsum

Isaacum iam quadragenarium (25, 20) in Mesopotamiam miserit, uti Isaac Iacobum eodem misit, et bene respondet: „Minus pronus ad filium in Mesopotamiam remittendum fuit patriarcha, qui ipse divino mandato indidem egredi iussus fuerat (Proc.); dum Iacobo non solius uxoris quaerendae, sed irae potissimum fratris declinandae causa Mesopotamia fuit petenda. Addit Per., unicum penes se habuisse filium Abraham, duos Isaac."

℣℣. 5—9. **Respondit servus,** LXX accuratius *εἶπεν δὲ πρὸς αὐτὸν ὁ παῖς· Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc,* LXX accuratius *μή ποτε οὐ βούλεται ἡ γυνὴ πορευθῆναι μετ' ἐμοῦ ὀπίσω εἰς τὴν γῆν ταύτην, numquid ruducere debeo,* הֶהָשֵׁב אָשִׁיב i. e. num reducens reducam (pag. 56), *filium tuum ad locum,* אֶל־הָאָרֶץ, *εἰς τὴν γῆν, de quo tu egressus es?* [6]*Dixitque* ad eum (Hebraicus et Graecus) *Abraham: Cave nequando reducas,* LXX accuratius *πρόσεχε σεαυτῷ μὴ ἀποστρέψῃς, filium meum illuc.* [7]*Dominus Deus caeli, qui tulit me de domo patris mei, et de terra nativitatis meae* (pag. 222), et *qui locutus est mihi* (12, 7; 13, 15), *et* qui *iuravit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc* (15, 17 s.; 22, 16 s.): *ipse mittet Angelum suum,* מַלְאָכוֹ, *coram te,* לְפָנֶיךָ, *et accipies inde uxorem,* אִשָּׁה (pag. 63), *filio meo:* [8]*sin autem mulier noluerit sequi te* (℣. 5), *non teneberis iuramento,* LXX accuratius *καθαρὸς ἔσῃ ἀπὸ τοῦ ὅρκου τούτου, filium meum tantum ne reducas illuc.* [9]*Posuit ergo servus manum suam sub femore Abraham domini sui, et iuravit illi super sermone hoc,* עַל הַדָּבָר הַזֶּה i. e. de hac re. — Servus prudens dominum interrogat, quid agendum sit, si virgines Mesopotamiae in terram Chanaan transire noluerint. Abraham sperat, fore ut Deus per Angelum suum (pag. 266) virginem quamdam provideat, quae ad relinquendam patriam parata sit; sin aliter acciderit, matrimonium Isaaci providentiae divinae relinquendum esse censet uti victimam holocausti (cf. pag. 324). „Ecce, ait Lapide, prisci Hebraei credebant, custodes Angelos hominibus a Deo dari, ut eos servent, ducant doceant dirigantque."

שׁוּב = reverti, in hiph'il = reverti facere, reducere. Cum emphasi servus hanc quaestionem proponit, „quia alia ratio excogitari haud poterat" (Hummelauer). — In ℣. 7. Strack[2] cum LXX supplet *καὶ ὁ θεὸς τῆς γῆς;* contra Holzinger *Deus caeli* glossam considerat, quam opinionem Gunkel valde arbitrariam dicit: retinendus est textus Masorethicus, quocum Vulgata congruit. — Gunkel 232 iterum sine ullo argumento asserit,

Iudaeos attributa deorum aliorum Deo suo Iahve ascripsisse, et post ℣. 9. originaliter mortem Abrahae narratam fuisse. Ad assertum prius pag. 34 ss., ad alterum pag. 341 conferas. — Quare Abraham, qui iussu Dei in Chanaan venit eamque pro posteris suis hereditatem accepit, heredem promissionum (pag. 281) nullo modo in Mesopotamiam remittere voluerit, manifestum est.

℣℣. 10—14. Tulitque *decem camelos de grege,* LXX accuratius *καὶ ἔλαβεν ὁ παῖς δέκα καμήλους ἀπὸ τῶν καμήλων, domini sui, et abiit,* וַיֵּלֶךְ, *ex omnibus bonis eius portans secum,* וְכָל־טוּב אֲדֹנָיו בְּיָדוֹ i. e. et varia pretiosa domini sui in manu sua, *profectusque perrexit,* וַיָּקָם וַיֵּלֶךְ, *in Mesopotamiam,* אֶל־אֲרַם נַהֲרַיִם, *ad urbem Nachor.* [11]*Cumque camelos fecisset accumbere,* וַיַּבְרֵךְ (est hiphʿil a בָּרַךְ = genua flexit), *extra oppidum iuxta puteum aquae vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam,* LXX accuratius *τὸ πρὸς ὀψέ, ἡνίκα ἐκπορεύονται,* לְעֵת צֵאת, *αἱ ὑδρευόμεναι,* הַשֹּׁאֲבֹת, *dixit* (וַיֹּאמַר ad ℣. 12 trahitur): [12]*Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie,* הַקְרֵה־נָא לְפָנַי הַיּוֹם i. e. occurrere = succedere fac (hiphʿil) quaeso mihi hodie, *et fac misericordiam cum domino meo Abraham.* [13]*Ecce ego sto prope fontem aquae, et filiae habitatorum huius civitatis egredientur ad hauriendam aquam.* [14]*Igitur,* וְהָיָה i. e. fiat igitur (Strack [2]), *puella, cui ego dixero: Inclina* quaeso *hydriam tuam ut bibam: et illa responderit, Bibe, quin et,* וְגַם, *camelis tuis dabo potum,* אַשְׁקֶה (hiphʿil a שָׁקָה): *ipsa est, quam praeparasti,* אֹתָהּ הֹכַחְתָּ i. e. illam determinasti, *servo tuo Isaac: et per hoc,* וּבָהּ, *intelligam quod feceris misericordiam cum domino meo.* — Decem camelos servus Abrahae assumpsit, nimirum pro se et comitibus suis (℣℣. 32. 54), pro virgine adducenda et comitibus eius (℣℣. 59. 61; cf. Dillmann), necnon ad cibaria et dona (℣℣. 22. 30. 53) portanda. Profectus est ad *urbem Nachor* i. e. Haran (cf. pag. 219) in Mesopotamia sitam. Mesopotamia, *Μεσοποταμία* scil. *χώρα,* apud Graecos et Latinos terram inter Euphraten et Tigrim significat. In textu Hebraico אֲרַם נַהֲרַיִם *Aram nahᵃraiim* legimus. Aram est terra intra Taurum, Chaboram, Arabiam desertam, Palaestinam, Libanum et Amanum sita (videas pag. 198 et tabulam geograph. I et III Theol. bibl. Vet. Test. adiectam). Distinguebatur autem אֲרַם דַּמֶּשֶׂק *Syria Damasci,* אֲרַם צוֹבָא *Syria Zoba* in Hauran, אֲרַם מַעֲכָה

Syria Maacha ad Hermon, אֲרַם בֵּית רְחוֹב *Syria Rohob* in Hauran (cf. 2 Reg. 10, 6), אֲרַם נַהֲרַיִם *Syria interamnis* (Gesenius), i. e. probabilius terra inter Euphraten et Chaboram (Kiepert, Geographie 154; Dillmann, Strack²). Lapide putat, servum Abrahae septimo vel octavo die itineris ad puteum urbis Haran venisse; ibi mansit, tum ut camelis potum dare tum ut virgines urbis tempore vespertino ad hauriendam aquam egredientes considerare posset: hodie quoque in oriente mulieres aquam hauriunt, quemadmodum omnes intinerantes testantur. Cum autem sibi ipsi externa species tantum, non autem indoles et virtus interna virginum advenientium pateret, providentiam divinam (℣. 7) rogavit, ut signo a se constituto uxorem futuram Isaaci sibi indicaret (cf. Lapide). „Congruum etiam erat signum: erat enim signum bonae uxoris et indolis affabilis, hospitalis, providae et strenuae“ (Menochius, Dillmann, Hummelauer).

Prius וַיֵּלֶךְ delendum et pro וְכָל־ legendum וּמִכָּל־ censent Kittel et alii: at versiones, ad quas provocant, in rebus accidentalibus saepe minus accuratae sunt, ut vidimus. — נַהֲרַיִם iuxta Gesenium (Thesaurus 858), Dillmann et alios multos forma dualis est, ergo *Aram nahᵃraiim* idem ac terra amborum fluminum; Buhl et Kautzsch dubitant: alii (e. g. Holzinger) putant, exitum (terminationem) nominis esse localem. In tabulis Amarna *Na'rima*, in inscriptionibus Aegyptiis *N(a)-h(a)rina* legimus (cf. Buhl). Fines huius terrae certo definiri nequeunt (cf. Hoberg). — בְּאֵר atque עַיִן non idem quidem significant, sed promiscue adhibentur (pag. 270). — Ad הַקְרֵה *occurrere fac* plures cum Gesenio supplent obiectum omissum *quam quaero,* at haec constructio durior videtur; melius cum recentioribus Dillmann, Strack² etc. *occurrere fac* = *succedere fac* accipitur (cf. Bachmann). — Sensum petitionis servi Lapide bene reddit: „Quaeso Domine, ut quam tu vis esse uxorem Isaaci, illa ipsa (eaque sola) haec faciat et dicat, quae ego hic postulo: ut ex his eius factis dictisque cognoscam, quod ipsa sit, et non alia.“ — Pro *misericordiam facere* in Hebraico habetur *gratiam,* חֶסֶד, *facere,* quae notio melius cum contextu congruit.

℣℣. 15—21. Necdum *intra se verba compleverat,* וַיְהִי־הוּא טֶרֶם כִּלָּה לְדַבֵּר, *καὶ ἐγένετο πρὸ τοῦ συντελέσαι αὐτὸν λαλοῦντα ἐν τῇ διανοίᾳ* (et Samaritanus אֶל־לִבּוֹ addit), *et ecce Rebecca,* רִבְקָה, *egrediebatur, filia Bathuel,* אֲשֶׁר יֻלְּדָה לִבְתוּאֵל i. e. quae nata fuerat Bathueli, *filii Melchae uxoris Nachor fratris Abraham* (pag. 330), *habens hydriam in scapula sua:* [16]*puella decora nimis,* LXX accuratius *ἡ δὲ παρθένος ἦν καλὴ τῇ ὄψει σφόδρα,*

virgoque pulcherrima (deest *que* et *pulcherrima* in Hebraico et Graeco), *et incognita viro,* LXX accuratius *ἀνὴρ οὐκ ἔγνω αὐτήν* (pag. 98): *descenderat* seu descendit *autem ad fontem, et impleverat* seu implevit *hydriam* suam, *ac revertebatur,* וַתָּעַל, *καὶ ἀνέβη.* [17] *Occurritque ei,* לִקְרָאתָהּ, *εἰς συνάντησιν αὐτῆς, servus, et ait: Pauxillum aquae mihi ad bibendum praebe de hydria tua.* [18] *Quae respondit: Bibe domine mi. celeriterque deposuit hydriam* suam *super ulnam suam,* עַל־יָדָהּ i. e. super manum suam, *et dedit ei potum.* [19] *Cumque ille bibisset, adiecit,* וַתְּכַל לְהַשְׁקֹתוֹ וַתֹּאמֶר i. e. et desiit potum dare ei et dixit: *Quin et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant,* עַד אִם־כִּלּוּ לִשְׁתֹּת i. e. donec desierint bibere. [20] *Effundensque hydriam in canalibus,* LXX accuratius *καὶ ἔσπευσεν καὶ ἐξεκένωσεν τὴν ὑδρίαν ἐπὶ τὸ ποτιστήριον, recurrit ad puteum ut hauriret aquam: et haustam omnibus camelis dedit,* LXX accuratius *καὶ ὑδρεύσατο πάσαις ταῖς καμήλοις.* [21] *Ipse autem,* וְהָאִישׁ, *ὁ δὲ ἄνθρωπος, contemplabatur eam tacitus, scire volens,* לָדַעַת, *τοῦ γνῶναι, utrum prosperum iter suum fecisset Dominus, an non.* — Pronuntiatis istis verbis *Pauxillum aquae mihi ad bibendum praebe de hydria tua* (℣. 17) tacebat et attente considerabat, utrum puella faceret necne, quae ipse signum futurae uxoris Isaaci constituerat (℣. 14), atque per „officiositatem, sedulitatem, beneficentiam, liberalitatem“ (Lapide) virginem pro Isaaco a Deo determinatam agnovit.

℣. 22. **Postquam autem biberunt,** LXX accuratius *ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἐπαύσαντο . . . πίνουσαι, cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos, ἐνώτια χρυσᾶ ἀνὰ δραχμὴν ὁλκῆς,* נֶזֶם זָהָב בֶּקַע מִשְׁקָלוֹ i. e. annulum aureum dimidii (scil. sicli) pondere suo, *et armillas totidem pondo siclorum decem, καὶ δύο ψέλια ἐπὶ τὰς χεῖρας αὐτῆς· δέκα χρυσῶν ὁλκὴ αὐτῶν,* וּשְׁנֵי צְמִידִים עַל־יָדֶיהָ עֲשָׂרָה זָהָב מִשְׁקָלָם i. e. et duas armillas in manus eius decem (scil. siclorum) auri pondere suo. — Iuxta textum Hebraicum servus Abrahae protulit annulum aureum dimidii sicli = ca. 8·18 *g* (cf. Kortleitner 253) posuitque eum עַל־אַפָּהּ i. e. in naso eius: fuit annulus „a mulieribus (et viris? Iob 42, 11) ornatus caussa in naso gestatus, sive is de ipso naso perforato sive ex fronte dependebat naribusque imminebat“

(Gesenius aliique Protestantes recentiores, Hummelauer). Servum hunc annulum in naso virginis posuisse, in ℣. 47. ipse narrat; Samaritanus etiam in ℣. 22. post מִשְׁקָלוֹ addit וַיָּשֶׂם עַל אַפָּהּ i. e. et suspendit in naso eius, quod additamentum Ball, Dillmann, Gunkel, Hummelauer, Kittel non immerito genuinum ducunt. Hodie quoque plures mulieres orientales in naso suo annulum portant, ut itinerantes testantur. Iuxta textum Graecum et Latinum servus virgini *ἐνώτια inaures* dedit; at נֶזֶם numerus singularis est, non pluralis, et pondus ca. 8·18 *g* pro duobus annulis nimis leve videtur, quare nonnulla manuscripta Graeca (cf. Brooke), quibuscum Syrus congruit, pro *δραχμῇ* = dimidio siclo *διδραχμήν* = siclum habent, et Vulgata ex dimidio siclo siclos duos fecit. Pondus armillarum ambarum fuit 10 siclorum = ca. 163·7 *g* (cf. Kortleitner 253), ergo congruum.

Hoberg cum S. Hieronymo (in Ez. 16, 12) sentire videtur, נֶזֶם significare redimiculum frontis (Stirnband); sed obstat pondus nimis leve ca. 8·18 *g*. — Ad בֶּקַע *dimidium* et עֲשָׂרָה *decem* supplendum est שֶׁקֶל *siclus*, quod omnes concedunt. LXX in Gen. 24, 22 et Ex. 38, 26 בֶּקַע vertit *δραχμή*. Lectio Vulgatae ex lectione falsa LXX *διδραχμήν* declarari potest; interpres ad textum Hebraicum forsitan non respiciens *δραχμήν* = siclum, ergo *διδραχμήν siclos duos* accepit. — Hinc patet, quam recte Leo XIII (Providentissimus) docuerit: „Si quid ambigue, si quid minus accurate inibi (in Vulgata) elatum sit, ,inspectio praecedentis linguae', suasore Augustino, proficiet.“ Vulgatam non omnibus modis perfectam esse, Summi Pontifices a S. Damaso usque ad Pium X. publice professi sunt; eam auctoritate Sedis Apostolicae ad textum originalem tempore suo magis conformandam esse, multi pie sperant. — Sed quare servus Abrahae puellae statim dona tam pretiosa dedit? Respondet Hummelauer, annuli naribus inserendi „etiamnum ab Arabibus traduntur puellis, quarum matrimonium expetunt . . . Data sunt haec, ubi primum, signo a Deo petito plene praestito, constitit hanc divinitus puellam praeparatam esse Isaaco“.

℣℣. **23—28. Dixitque ad eam** (deest *ad eam* in Hebraico): *Cuius es filia* tu? *indica* quaeso *mihi: est in domo* (בֵּית est accusativus loci) *patris tui locus* pro nobis, לָנוּ, *ἡμῖν*, *ad manendum*, לָלִין, *καταλῦσαι*; [24] *Quae respondit* ei: *Filia sum Bathuelis* ego, *filii Melchae, quem peperit ipsi Nachor*, לְנָחוֹר. [25] *Et addidit, dicens*, וַתֹּאמֶר אֵלָיו, *καὶ εἶπεν αὐτῷ· Palearum quoque et foeni* seu pabuli, מִסְפּוֹא, *plurimum*, רַב, *πολύ*, *est apud nos, et locus spatiosus* (deest *spatiosus* in Hebraico et

(Graeco) *ad manendum.* [26]*Inclinavit se homo, et adoravit Dominum,* [27]*dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam et veritatem suam,* חַסְדּוֹ וַאֲמִתּוֹ i. e. gratiam suam et fidelitatem suam, *a domino meo, et recto* (deest *recto* in Hebraico) *itinere me perduxit in domum fratris domini mei.* [28]*Cucurrit itaque puella, et nunciavit in domum,* לְבֵית, *matris suae omnia quae audierat,* LXX accuratius *κατὰ τὰ ῥήματα ταῦτα.* Servus iam certior factus, hanc puellam a Deo pro Isaaco determinatam esse (pag. 346), cum parentibus eius tractare volebat; audiens genus eius Deo gratias egit, quia ab eo ad ipsam familiam fratris Abrahae perductus est. Rebecca in domum *matris* cucurrit, quia apud orientales viri et mulieres in separatis habitaculis manebant (33, 31 s.; Lapide, Dillmann, Hoberg, Hummelauer, Strack[2]).

S. Chrysostomus, Gunkel, Hummelauer ad ℣. 25. notant, Rebeccam plus obtulisse quam rogata fuerat, videlicet et paleas et pabulum. — גַּם . . . גַּם = et . . . et, tam . . . quam. — In ℣. 27. illud אָנֹכִי est casus absolutus, quo suffixum in נָחָנִי maiorem vim accipit (Gesenius-Kautzsch 445); sed Kittel putat, forsitan כִּי *quia* legendum esse. — Textus Masorethicus habet אֲחֵי *fratrum,* sed versiones אָחִי *fratris,* quam lectionem Gunkel, Kittel, alii probabiliorem iudicant, quia cum ℣. 48. magis congruit. — Holzinger negat, Rebeccam in tabernaculum matris separatum intrasse, cum Laban quoque verba eius audierit (cf. ℣. 30). At hoc argumentum probat quidem, Rebeccam cum fratre locutam esse; non probat vero, eam eodem tempore et in eodem loco matri atque fratri narasse quae acciderant.

℣℣. 29—32. **Habebat** *autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, ubi erat fons.* LXX accurate *τῇ δὲ Ῥεβέκκᾳ ἀδελφὸς ἦν ᾧ ὄνομα Λαβάν· καὶ ἔδραμεν Λαβὰν πρὸς τὸν ἄνθρωπον ἔξω ἐπὶ τὴν πηγήν.* [30]*Cumque vidisset,* וַיְהִי כִּרְאֹת, *καὶ ἐγένετο ἡνίκα ἴδεν, inaures,* הַנֶּזֶם (pag. 347) *et armillas in manibus sororis suae, et audisset,* וּכְשָׁמְעוֹ, *cuncta* (deest in Hebraico et Graeco) *verba referentis,* LXX accuratius *τὰ ῥήματα Ῥεβέκκας τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ λεγούσης· Haec,* כֹּה, *οὕτως, locutus est mihi homo: venit ad virum, qui,* וְהִנֵּה, *stabat iuxta camelos, et prope fontem aquae* (deest *et* atque *aquae* in Hebraico et Graeco): [31]*dixitque ad eum: Ingredere,* בּוֹא, *benedicte Domini: cur foris stas? praeparavi,* וְאָנֹכִי פִּנִּיתִי, *ἐγὼ δὲ*

ἡτοίμασα, domum, et locum camelis. [32]*Et introduxit eum in hospitium,* וַיָּבֹא הָאִישׁ הַבַּיְתָה, *εἰσῆλθεν δὲ ὁ ἄνθρωπος εἰς τὴν οἰκίαν, ac destravit* scil. Laban (cf. sequentia) *camelos, deditque paleas et foenum* (pag. 347) camelis (Hebraicus et Graecus), *et aquam ad lavandos pedes eius, et* pedes (Hebraicus et Graecus) *virorum qui venerant* vel potius erant (cf. Hebraicum et Graecum) *cum eo.* — Lapide asserit, Laban fuisse speculum patrum familias: statim ad invitandum virum ivisse, benigne eum allocutum esse, etiam comites eius in domum introduxisse „nil veritus sumptuum magnitudinem", ipsummet advenis serviisse. Sed hagiographus haec narrans simul notat, quando facta sint, videlicet postquam Laban verba servi Abrahae (℣. 27) audivit atque dona eius vidit. Fuit utique hospitalis, servum cognati bene tractavit, simul tamen suae utilitatis non immemor erat (similiter Hoberg).

Dillmann et Holzinger affirmant, versus 29 et 30 sic ordinandos esse: 29[a] *Habebat . . . Laban,* 30[a] *Cumque . . . homo,* 29[b] *qui festinus . . . fons,* 30[b] *venit . . . fontem.* Sed Hoberg eis bene opponit, vesus 29[b] et 30[b] ita collocatos „intolerabilem pleonasmum" continere, quare plerique interpretes etiam recentiores ordinem non mutant. Hagiographus describit, quomodo Laban festinus domum reliquerit; notat, quare id fecerit; narrat, quomodo ad fontem venerit. — In ℣. 31. cum Graeco, Latino, Syro post וַיֹּאמַר addendum est לוֹ (Kittel). — Quod Laban servum Abrahae *benedictum Domini,* בְּרוּךְ יְהוָה, nominaverit, non est mirandum. Nam eum servum Abrahae et cultorem Iahve esse, ex verbis eius (℣. 27) a Rebecca relatis; eum ab Iahve benedictum (cf. pag. 16) esse, ex donis eius pretiosis, e numero camelorum et comitum colligere potuit. — Lapide ad ℣. 3. scribit: „Licet enim domus Nachor more gentis, cum qua habitabat, idola coleret, ut patet c. 31. ℣. 30, tamen aliquid de unius Dei cultu norat et servabat, adeoque cum idolis simul Deum caeli colebat, ut patet hic ℣. 31." — In ℣. 32. ויבא punctari debet וַיָּבֹא = *εἰσῆλθεν δέ*, non וַיָּבֵא = *et introduxit,* quia ante הָאִישׁ deest אֶת־ (Dillmann, Kittel).

℣℣. 33—41. Et appositus est *in conspectu eius panis,* ויישם לְפָנָיו לֶאֱכֹל i. e. et positum est in conspectu eius ad edendum (cf. infra). *Qui ait: Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit ei,* וַיֹּאמַר: *Loquere.* [34]*At ille: Servus, inquit, Abraham sum* ego: [35]*et Dominus benedixit domino meo valde, magnificatusque est: et dedit ei oves et boves, argentum et aurum, servos et ancillas, camelos et asinos* (cf. pag. 230. 234). [36]*Et peperit Sara*

uxor domini mei filium domino meo in senectute sua, אַחֲרֵי זִקְנָתָהּ i. e. postquam senuit, *deditque* Abraham *illi omnia quae habuerat* (cf. pag. 256. 281. 312 ss.). [37]*Et adiuravit me,* וַיַּשְׁבִּעֵנִי i. e. et fecit iurare me (hiphʿil), *dominus meus, dicens: Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananaeorum,* הַכְּנַעֲנִי, *in quorum terra* e g o *habito:* [38]*sed,* אִם־לֹא, *ad domum patris mei perges, et de cognatione mea accipies,* וְאֶל־מִשְׁפַּחְתִּי וְלָקַחְתָּ, *καὶ εἰς τὴν φυλήν μου καὶ λήμψῃ, uxorem filio meo:* [39]*ego vero respondi,* וָאֹמַר, *domino meo: Quid si noluerit venire,* אֻלַי לֹא־תֵלֵךְ, *μή ποτε οὐ πορευθῇ* (cf. pag. 343) *mecum mulier?* [40]*Dominus, ait* m i h i, *in cuius conspectu ambulo* (pag. 271), *mittet angelum suum tecum, et diriget viam tuam* (℣. 21): *accipiesque uxorem filio meo de cognatione mea, et de domo patris mei.* [41]*Innocens eris,* אָז תִּנָּקֶה i. e. t u n c p u r u s vel liber eris (cf. ℣. 8), *a maledictione mea,* מֵאָלָתִי i. e. ab iuramento meo (cf. lexicon) seu ab iuramento mihi praestito (Gesenius), *cum* כִּי, *veneris ad propinquos meos,* אֶל־מִשְׁפַּחְתִּי (℣. 38; abstractum pro concreto, cf. Exegeticam 9), *et non,* וְאִם־לֹא, *dederint tibi:* t u n c p u r u s e r i s a b i u r a m e n t o m e o, וְהָיִיתָ נָקִי מֵאָלָתִי, *καὶ ἔσῃ ἀθῷος ἀπὸ τοῦ ὁρκισμοῦ μου* (in Vulgata omissa). — Teste experientia hodie quoque orientales, immo etiam nonnulli occidentales, plenam descriptionem rerum et eventuum ac praecipue perfectam repetitionem colloquiorum adamant, ex quo amore atque usu longa sermocinatio servi Abrahae clarescit. Quod divitias domini sui Abrahae filio Isaaco reservatas (vide notas) exponeret, alia quoque fuit ratio. Timebat enim, ne virgines Syriae in Chanaan transire nollent: propterea de opibus loquitur, quae teste Quintiliano (decl. 252) „omnia possunt". Forsitan servus iam perspectum habuit, qualem effectum aspectus rerum pretiosarum in animo Labani produxerat (cf. pag. 348 s).

Quomodo in ℣. 33 ויישם punctandum est? Sunt diversae sententiae. Verbum occurrit etiam 50, 26; hic i. e. in 24, 33 scriptum (kᵉthibh) est וַיִּישַׂם, sed וַיּוּשַׂם legendum (kᵉrê) notatur: Samaritanus in utroque loco ויושם habet. Haec punctatio וַיּוּשַׂם (= imperf. hophʿal verbi שִׂים *ponere*) probabilior est (Gesenius, Bachmann, Buhl, Kittel etc.); Gesenius-Kautzsch 203 putant, וַיִּישַׂם esse forsitan passivum kal verbi שִׂים; Ball et Stade cum Graeco et Syro וַיָּשֶׂם legunt (cf. Holzinger). Alias opiniones Strack² enumerat. — Holzinger asserit, Labanum servo Abrahae ad manducandum dedisse, licet nesciret quis ille esset. Quod assertum falsum

est. Nam ille audiente Rebecca Abrahamum dominum suum nominaverat (℣. 27), Rebecca autem matri fratrique narravit quae audierat (℣. 28 ss.). — Pro וַיֹּאמֶר habent Samaritanus, Graecus, Syrus וַיֹּאמְרוּ, quam lectionem Ball approbat; conferas ℣. 49 ss. — Ad ℣. 34 ss. etiam Hummelauer scribit: „Acceptior enim esse consuevit procus dives egeno.“ — In ℣. 36. pro זִקְנָתָהּ cum suffixo feminino Saram respiciente Kittel cum Samaritano et Graeco זִקְנָתוֹ cum suffixo masculino Abrahamum respiciente legendum censet, quam lectionem 21, 2 (pag. 311) et contextus huius ℣. 36. commendare videtur; versio Vulgatae *sua* incerta est. — זִקְנָה est inf. constr. (Gesenius-Kautzsch 122). — Hagiographus 24, 36 servum Abrahae narrantem inducit: *deditque illi omnia quae habuerat;* in 25, 5 autem ipse refert: *Deditque Abraham cuncta quae possederat, Isaac.* Dillmann et Holzinger cum aliis putant, 25, 5 originaliter post 24, 1 collocatum fuisse. Sed hoc effugium non est necessarium. Lapide scribit: „*Deditque illi omnia.* Dare decrevit, destinavit dare illi omnia, quasi unigenito suo; necdum enim Abraham possessione bonorum se abdicarat, necdum ea in Isaac transtulerat. Vox ergo *dedit* significat actum non completum, sed inchoatum et destinatum, uti et vox *praeparavi* ℣. 31.“ Hanc explicationem grammaticus simulque interpres Strack[2] adoptavit, quin tamen Lapide citaret. Alia quoque ratione textus explicare possumus. Scriptura saepius aliquid non explicite narrat, quod factum esse contextus supponit (cf. pag. 206 s., ℣. 6); Abrahamum filio suo possessionem suam dedisse, in antecedentibus explicite quidem non narratur, sed a servo primo Abrahae (pag. 342) hic asseritur: ad hoc factum hagiographus in 25, 5 respicit. — אִם־לֹא (= *si non, nisi*) post negationem ℣. 37. *sed* reddi potest (Dillmann, Strack[2]). — In fine ℣. 38. Graecus cum Syro ἐκεῖθεν addit. — In ℣. 41. Graecus idem vocabulum אָלָה prius ἀρά, deinde ὁρκισμός; Vulgata bis *maledictio* reddit: sed significatio primitiva est *iuramentum* (Gesenius, Fürst, Bachmann). — Post 41[a] nonnulla verba excidisse, ut quidam affirmarunt, Dillmann, Hoberg, Holzinger recte negant, quia ista affirmatio nullo argumento confirmari potest. — Vulgata sensum, sed non verba reddit, ut alibi quoque. Multi cum Vercellone asserunt, Clementinam habere *dederint,* Sixtinam vero *dederit;* at in omnibus Sixtinae exemplaribus a me examinatis *dederīt* calamo emendatum vidi.

℣℣. 42—49. Veni ergo hodie *ad fontem aquae* (deest *aquae* in Hebraico et Graeco), *et dixi: Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam,* אִם־יֶשְׁךָ־נָּא מַצְלִיחַ דַּרְכִּי i. e. si es, quaeso, prosperam faciens viam meam (cf. ℣. 21), *in qua nunc* (deest *nunc* in Hebraico) ego *ambulo,* [43]*ecce* ego *sto iuxta fontem aquae, et virgo,* וְהָיָה הָעַלְמָה i. e. et fiat: virgo, *quae egredietur ad hauriendam aquam, audierit a me,* וְאָמַרְתִּי אֵלֶיהָ

i. e. et cui dicam: *Da mihi pauxillum aquae ad bibendum ex hydria tua:* [44]*et dixerit mihi: Et tu bibe, et camelis tuis hauriam: ipsa est mulier quam praeparavit Dominus filio domini mei.* [45]*Dumque haec tacitus mecum volverem,* LXX accuratius πρὸ τοῦ συντελέσαι με λαλοῦντα ἐν τῇ διανοίᾳ μου, e t e c c e (Hebraicus) *apparuit* (deest in Hebraico et Graeco) *Rebecca veniens cum hydria, quam portabat* (desunt *quam portabat* in Hebraico) *in scapula* s u a: *descenditque ad fontem, et hausit aquam. Et aio ad eam: Da mihi paululum bibere,* LXX accuratius πότισόν με. [46]*Quae festinans deposuit hydriam* s u a m *de humero,* מֵעָלֶיהָ i. e. ἀφ' ἑαυτῆς, *et dixit mihi: Et tu bibe, et camelis tuis tribuam potum. Bibi, et adaquavit camelos.* [47]*Interrogavique eam, et dixi: Cuius es filia? Quae respondit: Filia Bathuelis sum, filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspedi itaque inaures ad ornandam faciem eius,* וָאָשִׂם הַנֶּזֶם עַל־אַפָּהּ i. e. et posui annulum in naso eius, *et armillas posui* (deest *posui* in Hebraico et Graeco) *in manibus eius.* [48]*Pronusque adoravi Dominum* (cf. ℣. 26), *benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris* (sensu latiore, cf. pag. 201) *domini mei filio eius.* [49]*Quamobrem,* וְעַתָּה i. e. et nunc, *si facitis,* אִם־יֶשְׁכֶם עֹשִׂים i. e. si estis facientes, *misericordiam et veritatem,* חֶסֶד וֶאֱמֶת i. e. gratiam et fidelitatem, *cum domino meo, indicate mihi: sin autem aliud placet, et hoc dicite mihi,* וְאִם־לֹא הַגִּידוּ לִי i. e. et si non, indicate mihi, *ut vadam ad dexteram, sive ad sinistram,* „quasi dicat: ut sciam, qua via mihi eundum sit, quid mihi agendum sit; utrum hic sistere, an alio pergere debeam. Poterat enim ex aliis filiis Nachor . . . uxorem petere Isaaco, idque fecisset, si in Rebecca repulsam tulisset“ (Lapide; similiter Dillmann).

יֶשְׁךָ = es, יֶשְׁכֶם = estis; cf. lexicon ad יֵשׁ. — In ℣. 45. pronomen separatum אֲנִי ob rhythmum positum est (Gesenius-Kautzsch 444 s.). — Nomina *filii, filiae, fratris* in Scriptura saepe sensu latiore sumi, res notissima est; videas lexica. — *Ire ad dexteram, sive ad sinistram* generatim idem est atque h o c a u t i l l u d f a c e r e (cf. G e n. 13, 9; Gunkel. Holzinger); speciatim, i. e. in isto contextu, id significat quod cum Lapide diximus.

℣℣. **50—54**[a]. **Responderuntque** *Laban* frater Rebeccae *et Bathuel* pater eius et d i x e r u n t (Hebraeus et Graecus):

A Domino egressus est sermo, הַדָּבָר i. e. haec res: *non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum,* לֹא נוּכַל דַּבֵּר אֵלֶיךָ רַע אוֹ־טוֹב i. e. non possumus loqui ad te malum aut bonum i. e. nihil ad te loqui possumus (cf. Gen. 31, 24. 29; Num. 24, 13; 2 Reg. 13, 22; Dillmann, quem alii sequuntur): nobis tacendum et acquiescendum est, quia Iahve res ita ordinavit (cf. Gunkel). Vulgata sensum, non verba reddit; item LXX *οὐ δυνησόμεθα οὖν σοι ἀντειπεῖν κακὸν καλῷ.* [51] *En Rebecca coram te est* (pag. 235, ℣. 9), *tolle eam, et proficiscere, et sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus* non verba proferendo sed viam servi dirigendo (cf. Dillmann), ut antecedentia monstrant. [52] *Quod cum audisset,* LXX accuratius *ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἀκοῦσαι, puer* vel servus *Abraham, procidens adoravit in terram Dominum,* LXX accuratius *προσεκύνησεν ἐπὶ τὴν γῆν κυρίῳ,* ei gratias agens, quod non solum viam suam sed etiam cor cognatorum Abrahae direxit. [53] *Prolatisque,* וַיּוֹצֵא הָעֶבֶד i. e. et protulit servus, *vasis,* כְּלֵי i. e. utensilibus, *argenteis, et aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccae pro munere* (deest *pro munere* in Hebraico et Graeco): *fratribus quoque eius,* לְאָחִיהָ, *τῷ ἀδελφῷ αὐτῆς, et matri* eius *dona obtulit,* מִגְדָּנֹת נָתַן i. e. res pretiosas dedit. [54a] *Inito convivio, vescentes pariter et bibentes manserunt ibi,* LXX accuratius *καὶ ἔφαγον καὶ ἔπιον αὐτὸς καὶ οἱ ἄνδρες οἱ μετ' αὐτοῦ ὄντες καὶ ἐκοιμήθησαν.* — Bathuel, qui ℣. 50. nominatur, iuxta contextum (cf. ℣℣. 15. 24. 47) nemo alius esse potest quam pater Rebeccae (ita et Hoberg cum S. Chrysostomo, Caietano, Lapide). Ibi tantum loquens et agens inducitur, ubi decernendum erat, utrum Rebecca Isaaco danda esset necne; ceteroquin mater et frater Rebeccae loquentes et agentes describuntur. Fratres cum patribus de sorte sororum loqui et agere potuisse, ex Gen. 34, 5. 11. 25; Iud. 21, 22; 2 Reg. 13, 22 elucet, ut Dillmann bene notat; hagiographus ideo multo magis ad Labanum quam ad Bathuelem attendit, quod Labanus ad historiam Isaaci et Iacobi maximum momentum habebat (ita recte Hoberg). — Res pretiosas, quas servus fratri et matri Rebeccae dedit, pretium pro virgine tradita fuisse, atque in narratione siccum negotium seu aridam emptionem referri, neque usu loquendi neque contextu demonstrari potest. Narratio contrarium innuit, ut Gunkel optime notavit, videlicet vera ac

felicia matrimonia in caelo coniungi. Quod Bathuel nihil receperit, aliquibus mirum videtur; at ex textu satis certo (cf. notas) inferamus oportet, tempore Abrahae id in usu fuisse. — In contextu non legimus quidem, Rebeccam sententiam suam interrogatam esse; legimus autem in sequentibus, eam lubenter in Chanaan transiisse (cf. Dillmann).

Plures recentiores interpretes (Gunkel 234, Holzinger 169, Hummelauer) cum Calmeto aliisque antiquioribus putant, Bathuelem patrem Rebeccae illo tempore iam mortuum fuisse. Quid autem nomen Bathuelis in ℣. 50. velit, vario modo declarant. Dillmann et alii cum eo nomen delent; at hoc non licet, quia pluralis sequitur *non possumus* (cf. Holzinger). Holzinger putat, loco nominis Bathuelis primitus nomen matris scriptum fuisse, sed assertionem suam nullo argumento probare potest. Kittel censet, pro וּבְתוּאֵל fortasse legendum esse וּבֵיתוֹ; at de domo Laban in ℣℣. sequentibus nihil legimus. Hummelauer cum antiquioribus et recentioribus exegetis opinatur, Bathuelem in ℣. 50. nominatum fuisse fratrem Labani minorem; sed frater Labani neque antea neque postea nominatur, et supposito hoc fratre quaestio solvenda remanet, quare ipse nulla dona acceperit; ceterum idem nomen in eodem contextu (pag. 353) eandem personam significat, nisi peremptorie contrarium demonstrari possit, quod hic non accidit. — Secundum Brooke et Swete probabilior lectio Graeca est ἐξῆλθεν τὸ πρόσταγμα τοῦτο. Brooke notat variantes πρᾶγμα et ῥῆμα. — נוּכַל est 1. pers. plur. imperf. ab יָכֹל = potuit.

℣℣. 54ᵇ—61. Surgens vel potius surgentes (Hebraeus) *autem mane locutus est puer* (deest *puer* in Hebraico et Graeco): *Dimittite me, ut vadam ad dominum meum,* שַׁלְּחֻנִי לַאדֹנִי i. e. dimittite me ad dominum meum. [55]*Responderuntque fratres eius,* וַיֹּאמֶר אָחִיהָ i. e. responditque frater eius, *et mater: Maneat puella saltem decem dies apud nos, et postea proficiscetur* vel proficiscaris תֵּלֵךְ. [56]*Nolite ait* eis, *me retinere, quia Dominus direxit viam meam* (pag. 353): *dimittite me ut pergam ad dominum meum.* [57]*Et dixerunt: Vocemus puellam, et quaeramus ipsius voluntatem,* פִּיהָ, τὸ στόμα αὐτῆς i. e. sententiam eius (Gesenius). [58]*Cumque vocata venisset, sciscitati sunt,* LXX accuratius καὶ ἐκάλεσαν Ῥεβέκκαν καὶ εἶπαν αὐτῇ· *Vis ire cum homine isto? Quae ait: Vadam.* [59]*Dimiserunt ergo eam,* LXX accuratius καὶ ἐξέπεμψαν Ῥεβέκκαν τὴν ἀδελφὴν αὐτῶν, *et nutricem illius, servumque Abraham, et comites eius,* [60]*imprecantes prospera,* וַיְבָרְכוּ, καὶ εὐλόγησαν, *sorori suae* (Hebraeus אֶת־רִבְקָה, Graecus utrumque

Ῥεβέκκαν τὴν ἀδελφὴν αὐτῶν) *atque dicentes* ei: *Soror nostra es* (omittas *es*), tu (Hebraeus) *crescas in mille millia,* הֲיִי לְאַלְפֵי רְבָבָה i. e. fias in „millia myriadis i. e. mille myriades“ (Gesenius), *et possideat semen tuum portas inimicorum suorum* (pag. 328). [61]*Igitur Rebecca, et puellae illius ascensis camelis, secutae sunt virum: qui festinus revertebatur ad dominum suum,* LXX accuratius *ἀναστᾶσα δὲ Ῥεβέκκα καὶ αἱ ἅβραι αὐτῆς ἐπέβησαν ἐπὶ τὰς καμήλους καὶ ἐπορεύθησαν μετὰ τοῦ ἀνθρώπου· καὶ ἀναλαβὼν ὁ παῖς τὴν Ῥεβέκκαν ἀπῆλθεν.* Frater et mater Rebeccae volebant, ut virgo maneret יָמִים אוֹ עָשׂוֹר i. e. dies aliquot vel saltem decadem dierum (Dillmann, Hoberg, Strack [2]); servus tamen et Rebecca ipsa statim in Chanaan proficisci voluerunt: utrumque ex legibus psychologiae facile intelligitur. Dimittentes igitur Rebeccam id ei optarunt, quod nunc quoque in oriente summum mulieris bonum aestimatur (Dillmann), videlicet posteritatem copiosam atque fortem. Conferas pag. 238 s. 257. 279, ubi posteri Isaaci copiosi sicut pulvis terrae ac stellae caeli ab ipso Deo praenuntiantur. Itaque Rebecca cum nutrice sua, nomine *Debora* (35, 8), et ancillis suis patriam reliquit atque Deum vocantem secuta est.

Hummelauer asserit יָמִים significare annum ideoque עָשׂוֹר decadem mensium; at יָמִים non annum significat, sed tempus incertum, quod contextu determinatur (pag. 100): hic neque annum neque plures menses, sed aliquot dies intelligendos esse, Gesenius-Kautzsch 456, Bachmann, Dillmann, Hoberg, Strack [2] recte sentiunt. Dillmann, Gunkel, alii possibile ducunt, originaliter חֹדֶשׁ יָמִים = mensis (cf. lexicon) scriptum fuisse; sed demonstrari nequit. LXX reddunt *ἡμέρας ὡσεὶ δέκα.* — Ad תֵּלֵךְ plerique Rebeccam, Holzinger et alii servum Abrahae subiectum accipiunt. — Dillmann cum aliis notat, antiquitus nutrices infantibus sibi commissis progrediente aetate praesidium fuisse et ab eis magni aestimatas esse. — Rebecca vocatur *soror nostra,* quia Laban erat principalis persona loquens et agens (pag. 353). — Pro רְבָבָה Holzinger cum aliis רִבְבֹת legit; sed Gunkel רְבָבָה recte retinet idque ad רִבְקָה alludere censet. — Ṽ. 61b וַיִּקַּח הָעֶבֶד אֶת־רִבְקָה וַיֵּלַךְ i. e. ita sumpsit servus Rebeccam et abiit (Strack [2]) est recapitulatio narrationis praecedentis et nullo modo cum Ṽ. 61a pugnat (cf. Strack [2], Holzinger Hoberg). — Quo servus ierit, ex contextu patet, nimirum in terram Chanaan, et quidem ad Abraham in Hebron habitantem. Videas sequentia.

℣. **62. eo autem tempore** *deambulabat Isaac per viam quae ducit ad Puteum, cuius nomen est Viventis, et videntis: habitabat enim in terra australi:* LXX autem habent *Ἰσαὰκ δὲ ἐπορεύετο διὰ τῆς ἐρήμου κατὰ τὸ φρέαρ τῆς ὁράσεως· αὐτὸς δὲ κατῴκει ἐν τῇ γῇ τῇ πρὸς λίβα·* textus Masorethicus vero וְיִצְחָק בָּא מִבּוֹא בְּאֵר לַחַי רֹאִי וְהוּא יוֹשֵׁב בְּאֶרֶץ הַנֶּגֶב i. e. et Isaac venit a veniendo ad puteum Lachai Ro'i, et ipse habitans (erat) in terra Negeb.

In Vulgata hunc ℣. nimis libere translatum esse, omnes concedunt: in textu Masorethico illud מִבּוֹא בְּאֵר dupliciter explicari potest. Aut *a veniendo ad puteum* (בּוֹא etiam cum accusativo construitur), ut sit sensus: Isaac ierat ad puteum Lachai Ro'i (cf. pag. 269 s.) et tunc ab eo rediit, nam habitabat in terra Negeb (cf. pag. 227); ita Gesenius et alii (cf. Dillmann), quorum tamen explicatio nunc quasi omnibus displicet, quia ista constructio valde dura videtur. Aut *e regione putei*, ut sit sensus: Isaac e regione putei Lachai Ro'i venit, nam habitabat in terra Negeb; ita Delitzsch[5] provocans ad בֹּאֲכָה in Gen. 10, 19. 30, לְבֹא in Num. 13, 21, מִלְּבוֹא in 3 Reg. 8, 65 (cf. Dillmann), cui sententiae Dillmann et Hummelauer recte opponunt, non quaeri unde Isaac venerit, sed ubi Rebeccae occurrerit. Quae cum ita sint, recentiores viri docti consentiunt, textum Masorethicum corruptum esse; de emendatione autem dissentiunt.

Puto cum Hummelauer, loco בָּא מִבּוֹא בְּאֵר legendum esse בָּא בָּמִּדְבַּר בְּאֵר, ut sit sensus: Isaac venerat in solitudinem putei Lachai Ro'i, nam habitabat in terra Negeb; ita habet Samaritanus, quem textum etiam LXX legisse videntur. — Kittel non בְּמִדְבַּר sed solum מִדְבַּר legendum iudicat; consentit Dillmann addens tamen, מִבּוֹא forsitan simpliciter delendum esse (Hummelauer Dillmanno sententiam Delitzschi tribuit, quam ille adducit quidem, sed non approbat). At neutra opinio testimonium testis critici pro se adducere potest, quod etiam de plurimis sequentibus valet. — Gunkelo מְבוֹא בְּאֵר *in introitum* seu *aditum putei* placet; Grätz מִמִּדְבַּר commendat; Ball pro מִבּוֹא legit מִבְּאֵר שֶׁבַע אֶל־; Strack[2] בּוֹא בָּא מִדְבַּר בְּאֵר emendat; similiter Syrus legisse videtur: Hoberg הָיָה בָּא בַּמִּדְבָּר בְּאֵר scribit; antiquiores emendationes Dillmann enumerat.

Iuxta illam sententiam, quam probabiliorem censemus (cf. supra), Isaac in Negeb (pag. 227) habitans tempore reditus servi Abrahae in solitudinem putei Lachai Ro'i venerat ibique commorabatur (בָּא בַּמִּדְבַּר). Illuc igitur servus Abrahae Rebeccam ducere debuit. Servum ex Haran revertentem prius ad Abraham in Hebron habitantem venisse, non solum ratio

itineris, verum etiam contextus ostendit (cf. ℣. 54. coll. 34); Scriptura alibi quoque res quasdam non explicite narrat, sed implicite tantum insinuat (cf. pag. 207). Abrahamum interea mortuum esse, Gunkel et Holzinger supponunt quidem, sed demonstrare non possunt; scriptor inspiratus contextu (cf. 25, 1—11) contrarium docet.

Alii putarunt (cf. Dillmann et Holzinger), Isaacum ex Negeb in Mambre-Hebron venisse ibique a servo redeunte inventum esse; sed lectio probabilior huic opinioni obstat. — Hummelauer censet, Isaacum post mortem Sarae de Hebron secessisse atque in Negeb tentoria fixisse. — Hagiographus forsitan consulto notavit, Isaacum circa puteum *Lachai Ro'i* (cf. pag. 269 s.) uxorem a Domino sibi praeparatam accepisse.

℣. **63. et egressus fuerat** Isaac *ad meditandum,* לָשׂוּחַ, *in agro, inclinata iam die,* לִפְנוֹת עָרֶב i. e. appropinquante vespera, sub vesperam (Gesenius): *cumque elevasset oculos, vidit* et ecce (Hebraicus) *camelos venientes procul* (deest *procul* in Hebraico).

Verbum שׂוּחַ in hoc loco tantum occurrit, quare viri docti de significatione eius dissentiunt. Probabilius censemus, שׂוּחַ idem esse ac meditari: ita LXX, Vulgata, Hoberg et plerique veteres senserunt (cf. Gesenius). At quales res meditari voluit? Non res pastoricias, ut Tuch putavit, neque res nuptiales, ut Delitzsch opinatus est: sed res caelestes et divinas, ut antiquiores interpretes senserunt. „Meditabatur ergo hic Isaac tum res naturales, uti motus et cursus siderum eorumque auctorem et motorem Deum: ita Hebraei, Lyranus et Tostatus . . . Tum potius meditabatur Isaac res caelestes et divinas: ita S. Ambrosius" (Lapide). — Dillmann, Hummelauer, Holzinger, Strack[2] verbo significationem lamentandi attribuunt et recte ℣. 67. appellare possunt. „Interdiu, quod crediderim, scribit Hummelauer, matrem in tentorio lugebat: sub vesperam lamentaturus in agrum egrediebatur." Haec sententia priori non contraria est, sed cum ea coniungi potest. — Gesenius cum Syro לָשׂוּט *ad circumvagandum vel discurrendum* emendat et opinatur, Isaacum exiisse ut greges pastoresque lustraret. — Bachmann denique לָשׂוּר *ad circumspiciendum* commendat et putat, Isaacum prospexisse utrum servus rediret necne; primo quasi aspectu haec opinio valde plausibilis apparet (cf. ℣. 65), sed contextus *et levavit oculos suos et vidit, et ecce cameli venientes erant* (Hebraicus) ei non valde favet, quia inexspectatum quid indicat.

Quemadmodum in regionibus calidioribus fieri solet, Isaac sub vesperam (pag. 72) in agrum exiit, ut ibi res caelestes et divinas meditaretur (supra). „Solitudo enim aptissima est orationi aeque ac speculationi et contemplationi", scribit

Lapide annotans, Ciceronem saepe Urbe secessisse in rus, ut ibi philosopharetur, et Horatium negasse „se Romae poemata pangere posse“. Exempla sanctorum, e. g. Eliae, Ioannis Baptistae, Basilii, Hieronymi et ipsius Christi, quos idem Lapide adducit, notissima sunt.

℣℣. 64. 65. **Rebecca quoque,** *conspecto Isaac, descendit de camelo,* LXX accuratius *καὶ ἀναβλέψασα Ῥεβέκκα τοῖς ὀφθαλμοῖς ἴδεν τὸν Ἰσαὰκ καὶ κατεπήδησεν ἀπὸ τῆς καμήλου,* [65] *et ait ad puerum: Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei,* LXX accuratius *εἶπεν δὲ ὁ παῖς· Ipse est dominus meus. At illa tollens cito* (deest *cito* in Hebraico et Graeco) *pallium, operuit se.* — Rebecca occurrentem sibi virum videns de camelo statim descendit (וַתִּפֹּל), qua ceremonia non solum antiquis (cf. 1 Reg. 25, 23; 4 Reg. 5, 21) sed etiam nostris temporibus (cf. Dillmann) in oriente nobiliores honorantur. Audiens vero, ipsum esse sponsum suum, pallio se velavit, quia sponsa iuxta consuetudinem antiquam (etiam a Latinis observatam), quae in oriente hodie quoque viget (cf. Dillmann) sponsa velata viro tradebatur.

Hummelauer, quocum Hoberg consentit, scribit: „Si eum honoratura descendebat, at quomodo poterat velle honorare, quem nesciebat? ותפל primitus significat *decidit,* unde derivari potest significatio *descendit,* at etiam altera significatio *inclinavit se,* sc. interrogatura.“ Attamen verbum נָפַל non significat *inclinavit se,* sed *desiliit* de camelo (cf. Gesenius, Fürst, Buhl); quod autem virum, quem nesciebat quidem sed nobilem agnoscere poterat, honorare voluerit, ex consuetudine orientalium declaratur (Dillmann, Gunkel): S. Scriptura iuxta circumstantias historicas explicanda est (cf. Exegeticam 47 ss.). Lapide cum Caietano, Pererio aliisque putat, „hic esse hysteronproteron; prius enim videtur Rebecca rogasse servum, quis esset ille, qui illis occurrebat, eumque respondisse, esse Isaac, ac tum demum e camelo in terram desiliisse Rebeccam“. Sed qui ad consuetudines orientales respicit, in his ℣℣. hysteronproteron non inveniet. — In ℣. 65. הַלָּזֶה *hic* est forma pronominis demonstrativi, quae Gen. 37, 19 tantum recurrit (Gesenius-Kautzsch 108). — *Venit in occursum nobis,* לִקְרָאתֵנוּ. Isaac camelos videns (pag. 357) et probabiliter servum Abrahae recognoscens advenientibus obviam ivit. — Quod servus Abrahae etiam Isaac *dominum suum* appellet, ex 24, 36 et 25, 5 satis declaratur etsi Abraham adhuc vivebat (Dillmann). — צָעִיף, a verbo inusitato צָעַף *duplicavit,* fuit „velum duplicatum, cuius altera pars antica sub oculis alligata per pectus ad pedes propendebat, altera postica ab oculis

retrorsum iacta caput et tergum tegebat". Ita Michaelis apud Gesenium: cf. et Buhl. — Latinum *nubere* = velare; propter istam consuetudinem Latini scripserunt: *viro nubere, ire nuptum, nuptum dare, nuptum collocare, nuptum mitti.* — Lapide citat S. Ambrosium scribentem: „descendit et caput suum pallio obnubere coepit docens, verecundiam nuptiis praeire debere. Inde enim et nuptiae dictae, quod pudoris gratia puellae se obnuberent."

℣℣. **66. 67. Servus autem** *cuncta* verba (Hebraicus et Graecus; = cunctas res, cf. pag. 320), *quae gesserat, narravit Isaac.* [67]*Qui introduxit eam* (וַיְבִאֶהָ יִצְחָק: hiphʿil; LXX falso εἰσῆλθεν δὲ Ἰσαάκ) *in tabernaculum,* הָאֹהֱלָה, *Sarae* (LXX omittunt *Sarae*) *matris suae, et accepit eam uxorem,* LXX accuratius καὶ ἔλαβεν τὴν Ῥεβέκκαν, καὶ ἐγένετο αὐτοῦ γυνή· *et in tantum* (deest *in tantum* in Hebraico et Graeco) *dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret,* וַיִּנָּחֵם יִצְחָק אַחֲרֵי אִמּוֹ, καὶ παρεκλήθη Ἰσαὰκ περὶ Σάρρας τῆς μητρὸς αὐτοῦ. Secundum ℣. 67. igitur Isaac per tres annos mortem matris lugebat: Dillmanno hoc spatium temporis nimium videtur, cum iam 30 et 70 dies longum tempus lugubre essent (Gen. 50, 3; Num. 20, 30; Deut. 21, 13; 34, 8). Sed Hoberg optime respondet, legitimo lugendi tempore decurso (mit dem Ende der konventionellen Trauerzeit) luctum filii de morte matris dilectae nondum finitum esse.

In הָאֹהֱלָה שָׂרָה אִמּוֹ Bachmann, Dillmann, Gesenius-Kautzsch 419, Gunkel, Holzinger, Kittel, Strack[2], Wellhausen propter articulum הָ duo verba שָׂרָה אִמּוֹ glossam delendem declarant. Sed ista verba testimonio omnium testium criticorum genuina confirmantur; et si reapse ob praecepta grammaticalia aliquid delendum est, deleatur articulus הָ, et offendiculum tollitur. — Uxores habitacula separata habuisse, pag. 348 diximus. — „Notat Nannius in Cantic. 3, sponsam olim ductam fuisse in tabernaculum vel cubiculum socrus suae, ut significaretur, quod novella sponsa esset futura materfamilias . . . quodque ipsa in pari honore et gradu futura esset apud domesticos, quam fuerat sponsi mater" (Lapide). — Illud וַיִּקַּח אֶת־רִבְקָה Hoberg pleonasmum declarat (cf. pag. 55. 220. 224). — אַחֲרֵי אִמּוֹ = post matrem suam i. e. post mortem matris suae (Strack[2]). — Pro אִמּוֹ *matrem suam* Wellhausen, Kittel, Holzinger, Gunkel, Dillmann אָבִיו *patrem suum* emendandum putant. At opinionem suam nullo argumento probare possunt: testimonium testium criticorum ipsis repugnat: scriptor inspiratus mortem Abrahae post nuptias Isaaci narrat, ergo Abraham post eas mortuus esse censeatur oportet, nisi contrarium peremptorie demonstrari possit, quod heic non accidit.

Gunkel 225 s. in narratione, quae Gen. 24, 1—67 continetur, multas contradictiones internas, difficultates, repetitiones, immo „nidum contradictionum (ein Nest von Widersprüchen)“ invenit. Sed quid est contradictio? Contradictio est oppositio affirmationis et negationis, ut logici docent; vera igitur contradictio in eo consistit ut idem praedicatum de eodem subiecto simul affirmetur atque negetur et quidem sub eodem respectu (cf. Exegeticam 114 s.). Supposita hac veritate philosophica inventiones Gunkeli examinemus. — Rebecca iuxta ℣. 61 plures puellas assumpsit, iuxta ℣. 59 cum nutrice dimissa est. Nulla adest contradictio, quia in ℣℣. 59 et 61 non idem obiectum est: alius ℣. de ancillis alius ℣. de nutrice (pag. 355) loquitur; insuper in ℣. 59 hagiographus nulla voce asserit, Rebeccam cum nutrice sola i. e. sine ancillis dimissam esse, ut Gunkel supponit sed more suo non probat. — Laban et Bathuel ordinationi Domini non resistunt sed Rebeccam pro Isaaco tradunt (℣℣. 50 s.), at postea puellam interrogant, utrum proficisci velit necne (℣. 57 s.). Sed contextus monstrat, Rebeccam de hac tantum re interrogatam esse, utrum statim an post nonnullos dies proficisci velit (pag. 354). Gunkel concedit, versum 57 s. in contextu hunc sensum habere, sed adiungit, verba a contextu avulsa generaliter accipi posse, nimirum utrum Rebecca in Chanaan transire an in Mesopotamia remanere velit. Verumtamen notissima regula hermeneutica postulat, ut verba in contextu consideremus neve ab eo avellamus indeque contradictionem construamus (cf. Exegeticam 37 ss.). — Bis Rebecca iter ingreditur (℣. 61^{a} et ℣. 61^{b}); sed videas pag. 355. Bis notatur Isaac ad *Lachai Ro'i* habitasse (24, 62 et 25, 11^{b}); sed hagiographus de diversis temporibus loquitur, ut contextus ostendit, ideoque convenienter notat, ubi Isaac habitaverit, quia patriarchae cum pecoribus suis saepe loca mutabant, quod in historia Abrahae iam audivimus et in historia Iacobi audiemus. Bis servus Abrahae in Mesopotamiam abiisse nuntiatur (℣. 10^{a} et ℣. 10^{b}); sed videas sequentia. Bis in ℣. 10 locus petitus (Reiseziel) et bis in ℣. 11^{b} tempus adventus notatur; at nota prior est generalior et altera specialior, quales notae etiam apud auctores profanos saepe occurrunt. Bis Laban ad puteum venisse scribitur (℣. 29 et ℣. 30); sed videas pag. 349. Bis servus Abrahae Rebeccae donum nuptiale dedit (℣. 22 et ℣. 53); at non est verum, videas pag. 347. Binas quaestiones servus Rebeccae proposuit (℣. 23^{a} et ℣. 23^{b}), et bina responsa Rebecca ei dedit (℣. 24 et ℣. 25). Quid inde? Servus scire debuit, utrum Rebecca ex cognatione Abrahae esset necne (cf. pag. 342); scire quoque debuit, ubi pernoctare posset. Ergo congruenter haec duo puellam interrogavit, et illa consequenter ad quaestionem utramque respondit. — Abraham iuxta ℣℣. 5 s. 8. 39. 41 possibile censet, iter irritum fore; iuxta ℣℣. 7^{b}. 40 autem persuasum habet iter Domino providente prosperum fore. Quaero: ubi est contradictio? Absolute loquendo Abraham possibile censere debuit, iter irritum fore; relative autem res considerans seu ad providentiam Dei respiciens, quam hucusque mire expertus fuerat, perspectum habere potuit, illud prosperum fore. — Bathuel in ℣. 50.

nominatus non pater, sed frater Rebeccae esse debet; iuxta ℣℣. 29. 53 vero Rebecca u n u m dumtaxat fratrem habuit, videlicet Laban. Hanc obiectionem pag. 354 diluimus. — Ex dictis quilibet inferre potest, quid de contradictionibus, repetitionibus, difficultatibus a Gunkel in narratione inventis secundum praecepta logica sentiendum sit. Hae autem inventiones, neque logice neque hermeneutice probabiles, sunt fundamenta, quibus distinctionem duplicis recensionis superstruit, quin (pro more suo) umbram argumenti philosophice validi afferat. Strack[2] 90 conatum Gunkeli valde benigne „superfluum ludum sagacitatis (überflüssiges Spielen des Scharfsinns)“ appellat.

Idem Gunkel 230 affirmat, narrationem praecedentem esse fabulam commigrationum (Wanderungssage). Isaacum significare tribum quae prius, Rebeccam vero tribum quae postea in terram Chanaan venit; matrimonium autem Isaaci et Rebeccae denotare coniunctionem istarum tribuum. Contra hanc affirmationem, nullo argumento logice valido probatam, opponimus: usus loquendi et contextus proximus clare ostendunt, hagiographum de veris individuis, non de personificationibus tribuum loqui; scriptores inspirati subsequentium librorum V. T., de *Abraham et Isaac et Iacob* loquentes, Isaacum et Rebeccam individua intellexerunt, ut ex contextu elucet; etiam Christus et Apostoli eius Isaacum et Rebeccam individua accipiebant, e. g. S. Paulus ad Romanos (9, 10) scribens: *καὶ Ῥεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν*, necnon Matthaeus (1, 1 ss.) et Lucas (3, 23 ss.), qui Isaacum filiumque eius Iacobum una cum David aliisque personis certe historicis inter proavos Christi Domini enumerant. Talia testimonia convenientia hagiographorum V. et N. T. ob inspirationem eorum (cf. pag. 37) necessario vera ideoque affirmatio Gunkeli falsa est. Conferas ea quae pag. 115 scripta sunt.

C. **25. ℣℣. 1. 2. Abraham vero** *aliam duxit uxorem nomine Ceturam, Χεττούρα,* קְטוּרָה: [2]*quae peperit ei Zamran, Ζεβράν,* זִמְרָן, *et Iecsan, Ἰεξάν,* יָקְשָׁן, *et Madan, Μαδαίμ,* מְדָן, *et Madian, Μαδιάμ,* מִדְיָן, *et Iesboc, Ἰεσβόκ,* יִשְׁבָּק, *et Sue, Σωύε,* שׁוּחַ. Iuxta contextum (23, 1—19; 24, 1 ss.; 25, 7 ss.) Abraham post mortem Sarae et matrimonium Isaaci tertiam uxorem C e t u r a m duxit, quando senex 140 annorum erat (21, 5 coll. 25, 20); cum Abraham adhuc 35 annos vixerit (25, 7) ipsumque Isaacum „vi generandi m i r a c u l o s e sibi reddita“ (Strack[2] 92) genuerit (R o m. 4, 19 ss.), generatio sex filiorum in ista aetate non offendit (cf. Dillmann 308). „Deus, qui Abrahae vim generandi ex Sara supra naturam dedit, scribit Lapide, adiuvit quoque vim generandi eiusdem ex Cetura, et quod ei deerat supplevit.“ Eamdem sententiam tenet S. Thomas (in Rom. 4, 19) ac pleri-

que exegetae antiquiores, catholici et acatholici, e. g. Gesenius (Thesaurus 1213). — Posteri istorum sex filiorum Abrahae in Arabia habitarunt, ut commentatores communiter docent; ubi tamen singuli sedem suam particularem habuerint, incertum est. Notissimi sunt Madianitae, i. e. posteri Madian. Hi habitarunt in peninsula Sinaitica (pag. 316), quemadmodum Ex. 2, 15; 3, 1; 17, 6; 18, 1 ss. legimus; ab oriente sinus Aelanitici, ut geographi Arabes testantur (Dillmann); ab oriente Palaestinae cum Moabitis coniuncti (Num. 22, 1 ss.; 25, 6. 14 ss.; 31, 1 ss). In Arabia etiam posteri Ismaelis commorabantur (pag. 316), quare non mirandum est quod Madianitae et Ismaelitae (Gen. 37, 25 coll. 37, 28. 36) simul nominentur.

Hebraicum textum ℣. 1 וַיֹּסֶף אַבְרָהָם וַיִּקַּח אִשָּׁה LXX accuratius vertunt *προσθέμενος δὲ Ἀβραὰμ ἔλαβεν γυναῖκα* = et iterum Abraham sumpsit uxorem (Gesenius 603). — Gunkel 236, qui affirmat (utique sine ullo argumento; cf. pag. 341), Abrahamum iam ante matrimonium Isaaci mortuum esse, consequenter negare debet, matrimonium Abrahae tertium post matrimonium Isaaci evenisse. Etiam Holzinger sine argumento affirmat, Abrahamum in 24, 1 morti proximum et in 24, 67 iam mortuum supponi (cf. pag. 359); deinde nesciens, ubi 25, 1 ss. inserere possit, sequentem opinionem proponit: redactor forsitan duplicem enumerationem filiorum Ismaelis invenerat, scilicet 25, 2—4 et 25, 13b—15; cum autem nomina essentialiter diversa sint, hanc differentiam eo abstulit quod filios prioris recensionis non Ismaeli sed Abrahae assignavit. Talem opinionem, nullo argumento confirmatam, cum inspiratione atque inerrantia Sacrae Scripturae non conciliari posse et propterea falsam esse, patet (cf. pag. 37 et introductionem in Genesim). Strack et Hummelauer putant, Abrahamum post nativitatem Isaaci, sed ante mortem Sarae Ceturam sibi copulasse. Qui tamen Gen. 16, 1 s. 5 ss.; 21, 1 s. 8 ss. comparaverit, hanc sententiam valde improbabilem reperiet. — *Cetura* idem est ac „suffimentum" (Gesenius); propterea Kiepert (Geographie 185 s.) cum aliis asserit, Ceturam esse fictam matrem omnium grana turis vendentium; quae assertio cum inspiratione scriptoris proprio nomine loquentis pugnat (pag. 37). — Nomina primo individua, deinde posteros eorum, denique regiones ab eis habitatas significant (cf. pag. 201; Hoberg 222). — Arabia in genere nominabatur terra inter Aegyptum, mare rubrum, oceanum Indicum, sinum Persicum et Euphraten, Palmyram, Palaestinam et mare mediterraneum. Distinguebatur in felicem, petraeam, desertam. Arabia felix est terra, quae ab austro Ailath (ad sinum Aelaniticum) atque Teredon (ad sinum Persicum) usque ad oceanum Indicum patet; Arabia deserta est terra inter Arabiam felicem, Euphraten, Palmyram, Palaestinam, Arabiam petraeam; Arabia petraea pag. 316 circumscripta est (Winer I, 74 ss.;

Kiepert 182 ss.). — Qui varias opiniones quoad sedes particulares posterorum Ceturae scire voluerit, eas apud Dillmann et Buhl inveniet: nos eas omittimus, quia argumentis confirmari nequeunt.

℣. 3. **Iecsan** *quoque genuit Saba,* שְׁבָא, *et Dadan,* דְּדָן. *Filii Dadan fuerunt Assurim, et Latusim, et Loomim,* לְאֻמִּים. Saba et Dadan in 10, 7 filii Regma, heic autem filii Iecsan vocantur; nihilominus nulla adest contradictio vera, quia eadem nomina non necessario easdem personas significant: scriptorem inspiratum diversas personas intellexisse eo satis indicavit, quod eis diversos patres assignavit (cf. pag. 126). De forma nominum videas pag. 201; in qua regione Arabiae posteri harum personarum sedes habuerint, incertum est. *Assurim* cum Assyriis non confundendos esse, apud commentatores constat.

LXX hunc textum praebent: *Ἰεξὰν δὲ ἐγέννησεν τὸν Σαβὰν καὶ τὸν Θαιμὰν καὶ τὸν Δαιδάν· υἱοὶ δὲ Δαιδὰν ἐγένοντο Ῥαγουὴλ καὶ Ναβδεὴλ καὶ Ἀσουριὶμ καὶ Λατουσιεὶμ καὶ Λοωμιείμ.* Reliqui tamen testes critici hodiernum textum Hebraicum reddunt. — Hummelauer scribit: „Recole, quod diximus, licet unus homo non possit duobus nasci patribus, unum populum vere posse duobus progenitoribus adscribi: tribus Saba et Dadan e Cuschitis et Abrahamidis commixtae et Chus et Abraha gloriantur parentibus."

℣. 4. **At vero ex Madian** *ortus est,* LXX accuratius *υἱοὶ δὲ Μαδιάμ, Epha,* עֵיפָה, *Γεφάρ, et Opher,* עֵפֶר, *Ἀφερ, et Henoch,* חֲנֹךְ, *et Abida,* אֲבִידָע, *Ἀβιρά, et Eldaa,* אֶלְדָּעָה (LXX habent *Θεργαμά*): *omnis hi filii Ceturae.* Nemo filium Madian nomine Henoch eamdem personam ac Henoch, filium Cain, vel Henoch, filium Iared (cf. pag. 113) dicit: ergo etiam nomina Saba et Dadan (cf. supra) eadem ratione tractanda sunt.

Etiam Isaias (60, 6) Madian et Epha coniungit prophetans: *Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha: omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annunciantes.*

℣℣. 5. 6. **Deditque Abraham** *cuncta quae possederat,* LXX accuratius *πάντα τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ, Isaac* (*τῷ υἱῷ αὐτοῦ* addunt Graecus et Syrus cum Samaritano): [6]*filiis autem concubinarum* quae Abrahae erant, אֲשֶׁר לְאַבְרָהָם, *largitus est munera,* LXX accuratius *ἔδωκεν Ἀβραὰμ δόματα, et separavit eos ab Isaac,* וַיְשַׁלְּחֵם מֵעַל יִצְחָק, *καὶ ἐξαπέστειλεν αὐτοὺς ἀπὸ Ἰσαάκ, filio suo, dum adhuc ipse viveret,* בְּעוֹדֶנּוּ חַי, *ad plagam orientalem,* קֵדְמָה אֶל־אֶרֶץ קֶדֶם, *πρὸς ἀνατολὰς εἰς γῆν ἀνατολῶν.* Abraham

iuxta verba Domini (17, 1—8. 15—21) fecit: Isaacum filium Sarae, uxoris principalis, heredem omnium promissionum divitiarumque generatim et terrae Chanaan speciatim instituit; filiis autem *concubinarum,* פִּילַגְשִׁים i. e. uxorum secundariarum (Buhl, Gesenius), Agar et Ceturae dedit munera: „aurum, argentum, vestes, pecora etc." (Lapide) simulque servos et ancillas (Dillmann) iussitque, ut terram Chanaan relinquerent et orientem versus, קֵדְמָה, pergerent et quidem in terram Orientis, אֶרֶץ קֶדֶם, quae iuxta usum loquendi biblicum est Arabia in sensu latissimo (cf. pag. 362; Gesenius 1193; Winer II, 107; Dillmann, Strack, Hummelauer, Hoberg aliique commentatores communiter). Ismaelem iam antea in Arabiam dimiserat (pag. 314 ss.); illuc etiam filios Ceturae misit, *dum adhuc ipse viveret,* „ergo auctoritate paterna, quae in dubium vocari aut ignorari haud posset impune". Posteros Ceturae reapse omnes in Arabia habitasse, iam supra dictum est.

Conferas ad ℣℣. 5. 6 ea quae pag. 351 dicta sunt. — Dillmann et Holzinger insociabile putant, quod Ismael, iam prius dimissus, in hoc loco cum filiis Ceturae dona accepisse nuntietur. „At, num patrem numquam invisit Ismael? interrogat Hummelauer, num inimici fuere pater et filius? Funeri certe interfuit Ismael." Lapide bene infert: „Hinc patet, Abraham non neglexisse Agar et Ismaelem, etiamsi a se dimissos, sed eis subinde munera misisse." — Illud בְּעוֹדֶנּוּ compositum est ex בְּ *in,* עוֹד *adhuc,* suffixo verbali 3. m. sg. נּוּ—, et adest ellipsis: „*in* tempore quo *adhuc ille* erat" scil. vivens, חַי (Gesenius 999; cf. et Gesenius-Kautzsch 294 s.). — Ex eo quod אֶרֶץ קֶדֶם *terra Orientis* atque קֶדֶם *Oriens* solum in V. T. Arabiam significat (Gesenius, Winer), colligere possumus, ex qua terra Magi venerint. S. Matthaeus (2, 1) scribit: *ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam,* ἰδοὺ μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα. Multi hanc terrae determinationem nimis vagam iudicantes inquirebant, ex qua terra orientis Magi venerint (cf. commentarios in Matth. 2, 1). Iuxta usum loquendi biblicum ex Arabia venerunt, quam sententiam S. Iustinus (c. Tryph. 77 ss.) et Tertullianus (adv. Iud. 9; adv. Marc. 3, 13) iam proposuerunt.

℣. 7. **Fuerunt autem dies vitae,** וְאֵלֶּה יְמֵי שְׁנֵי־חַיֵּי i. e. et hi sunt dies (= tempus) annorum vitae, *Abrahae* quos vixit (Hebraicus et Graecus), *centum septuaginta quinque anni.* Ergo Abraham adhuc 15 annos vixit, postquam Esau et Iacob nati sunt (21, 5 coll. 25, 26). De constructione numerorum Hebraicorum pag. 332 videas.

Lapide, quem Dillmann, Strack aliique sequuntur, scribit: „Voluit enim Moses omnia Abrahae gesta, vitam et mortem simul percensere ac deinde gesta Isaaci ac Iacobi singillatim ordine prosequi.“ Per anticipationem hagiographum narrare, ℣. 7 cum ℣. 26 et 21, 5 collatus clare ostendit.

℣. 8. Et deficiens mortuus est, וַיִּגְוַע וַיָּמָת אַבְרָהָם i. e. et exspiravit et mortuus est Abraham (Gesenius 273) *in senectute bona* (pag. 261 s.), *provectaeque aetatis, et plenus dierum* זָקֵן וְשָׂבֵעַ i. e. senex et satiatus, *congregatusque est ad populum suum,* וַיֵּאָסֶף אֶל־עַמָּיו. Verbum גָּוַע *exspiravit* idem significat ac מוּת *mori* (cf. Gen. 6, 17; 7, 21 et alibi); nihilominus ob primariam suam vim, quae „in deficiendo“ est (Gesenius) in Gen. 25, 8. 17; 35, 29 cum מוּת coniungitur. Pro simplici וְשָׂבֵעַ *et satiatus* habent 6 manuscripta, Samaritanus, Graecus, Latinus וּשְׂבַע יָמִים *et satiatus diebus* (ut Gen. 35, 29), quam lectionem pleniorem Kittel praefert. Sensus utriusque lectionis est, Abrahamum non desiderasse, ut diutius vivere posset, sed lubenter vita excessisse. — *Congregari ad populum suum* vel cognatos suos (cf. pag. 278), *congregari ad patres suos* (Iud. 2, 10), *ire,* בּוֹא, *ad patres suos* (Gen. 15, 15; cf. pag. 261), *dormire,* שָׁכַב, *cum patribus suis* (Deut. 31, 16 et alibi) non significat mori, quia mors separatim exprimitur (Gen. 25, 8. 17; 35, 29; 49, 32; Num. 20, 26; Deut. 32, 50), neque significat sepeliri in sepulchro maiorum, tum quia sepultura separatim narratur (Gen. 15, 15; 25, 9; 35, 29; 3 Reg. 2, 10; 11, 43 et alibi) tum quia phrasis de iis quoque enuntiatur, qui non in sepulchro maiorum sepulti sunt (Deut. 31, 16; 3 Reg. 2, 10; 16, 24 coll. 28; 4 Reg. 21, 18) vel in sepulchro, ubi unus tantum conditus erat (e. g. 3 Reg. 11, 43; Dillmann). Cum igitur istae phrases nulla ratione quoad corpus intelligi possint, eas de anima intelligere debemus, quam Scriptura hoc modo loquendi immortalem profitetur (cf. pag. 262). Videas Gen. 37, 35.

℣℣. 9. 10. Et sepelierunt eum *Isaac et Ismael filii sui in spelunca duplici, quae sita est in agro,* אֶל־מְעָרַת הַמַּכְפֵּלָה אֶל־שְׂדֵה i. e. in speluncam Machpela, in agrum, *Ephron filii Seor Hethaei, e regione Mambre,* [11]*quem* agrum (Hebraicus et Graecus) *emerat* Abraham (Hebraicus et Graecus) *a filiis Heth: ibi sepultus est ipse* (pro *ipse* Hebraicus et Graecus habent Abraham), *et Sara uxor eius.* De spelunca Machpela pag. 336 s. conferas. Ad

mortem vel saltem ad sepulturam Abrahae Isaac ex *Lachai Ro'i* (24, 62; 25, 11) et Ismael ex Arabia (21, 20 s.; 25, 6) venerunt; utrum filii Ceturae praesentes fuerint necne, non liquet.

Gunkel 253 asserit, relationem iuxta quam Isaac et Ismael simul patrem sepelierunt, ab alia traditione iuxta quam Agar et Ismael ab Abraha dimissi sunt, maxime discrepare; scriptorem Gen. 25, 7—11ᵃ hanc traditionem consulto mutasse, ut res indecentes a familia pii Abrahae removeret. Holzinger 135 quoque affirmat, a scriptore huius sectionis dimissionem Ismaelis ad maiorem gloriam Abrahae suppressam esse; ab eo Ismaelem in domo paterna cum Isaaco pacifice habitantem proponi. Additque: „Vix exemplum est, quod rationem et consilium (die Art und Tendenz) tractationis rerum gestarum (Geschichtsmache)" huius scriptoris magis illustret. Videamus iam, quid logica atque experientia ad istas assertiones et affirmationes dicat. *a)* Ex illo facto, quod duo fratres simul patrem sepelierunt, Gunkel et adhuc clarius Holzinger concludit, Ismaelem semper in domo paterna cum Isaaco pacifice habitasse, non vero ex ea dimissum fuisse. At hanc conclusionem tam logica quam experientia omnino falsam demonstrat. Etenim teste experientia etiam fratres, qui in diversis locis separati habitant et a domo paterna longe et diu absunt, ad sepulturam parentum convenire possunt et revera saepe conveniunt. Ergo iuxta praecepta logica ex illo facto, quod Ismael cum Isaaco patrem sepelivit, hoc tantum concludere possumus, duos fratres tempore sepulturae non autem semper, ut Gunkel et Holzinger supponunt, simul Hebrone fuisse. Quapropter si alibi legimus, Isaacum in *Lachai Ro'i* et Ismaelem in Arabia habitasse, nulla contradictio adest. Nam vera contradictio in eo consistit quid idem praedicatum de eodem subiecto sub eodem respectu simul affirmatur ac negatur (pag. 360). Atqui ibi Isaac et Ismael separati et ab Hebrone distantes habitasse, heic vero simul Hebrone patrem sepelisse praedicantur: ergo de fratribus non idem praedicatum simul affirmatur et negatur, sed diversa praedicata, quae teste experientia se invicem non excludunt, affirmantur dumtaxat. Vix aliud exemplum est, quod rationem et consilium fabricationis contradictionum non exsistentium magis illustret. *b)* Isaac fuit heres omnium promissionum et divitiarum Abrahae (pag. 364), Ismael ab Abraha valde diligebatur (pag. 281. 313 s.): hos filios ad patrem morientem ac sepeliendum convenisse, experientia atque psychologia eo magis verisimile reddunt, quod Sara mortua (pag. 332) et filiis adultis (pag. 364) et bonis patris distributis (pag. 364) et habitationibus assignatis (pag. 364) nulla amplius ratio aderat, ob quam Ismael et Isaac Hebrone convenire nequirent (cf. pag. 313). *c)* Deus, qui per scriptorem inspiratum ad nos loquitur, sibi contrarius esse nequit; ergo loci biblici, in quibus scriptores inspirati proprio nomine loquuntur, contradictiones continere non possunt (cf. pag. 37). — Strack² 91 putat, Ismaelem adultum ex Arabia in domum paternam reversum esse, forsitan post mortem Sarae.

ideoque cum Isaaco patrem sepelisse. At haec opinio valde improbabilis est, quia hagiographus non solum in genere refert, filios concubinarum ab Abraha in Arabiam dimissos esse, sed etiam in specie narrat, Ismaelem iussu Domini ab Isaac separatum fuisse (pag. 314). Hoc mandatum divinum reditum Ismaelis ad cohabitandum cum Isaaco excludit, non autem interventum eius in sepultura patris.

℣. 11. Et post obitum illius, LXX accuratius *ἐγένετο δὲ μετὰ τὸ ἀποθανεῖν Ἀβραάμ, benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat,* LXX accuratius *καὶ κατῴκησεν Ἰσαάκ, iuxta puteum nomine Viventis et videntis,* עִם־בְּאֵר לַחַי רֹאִי i. e. iuxta puteum *Lachai Ro'i* (pag. 269 s.). Sensus est, benedictionem divinam, qua hucusque Abraham perfruebatur, in heredem omnium bonorum eius transiisse (Dillmann, Hoberg). Ut Abraham, sic Isaac more nomadum habitationem suam mutavit, quare non mirum est, quod 25, 11 in *Lachai Ro'i,* 35, 27 autem in *Hebron* habitasse scribitur.

Excursus.

De axiopistia historiae Abrahae.

1. Sacrae Scripturae libros explicantes semper ante oculos habere debemus, eos ab Ecclesia pro sacris et canonicis haberi „non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt" (Vatic., sess. III., cap. 2). Numquam oblivisci debemus, hagiographos „ea omnia eaque sola quae ipse (Deus) iuberet" et recte mente concepisse et recte conscribere voluisse et „apte infallibili veritate" expressisse, quia alioquin Deus „non ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae" (Leo XIII, Providentissimus 61). Cum igitur hagiographi, quatenus inspirati erant, ab ipso Deo ita moverentur, illustrarentur, dirigerentur, ut infallibiliter ea sola litteris consignarent quae Deus vellet, libri eorum numquam ut scripta pure humana tractandi sunt, quia talia numquam fuerunt; et sententiae proprio nomine scriptorum inspiratorum qua

talium enuntiatae neque in ideis religiosis neque in rebus profanis errores continere possunt, quia Deus per sacros auctores elocutus „nihil admodum a veritate alienum ponere“ potuit (Leo XIII, Providentissimus 61). Videas quae pag. 35 et 37 s. scripta sunt.

Antequam haec typis descripta sunt, Summus Pontifex Pius X die 4 Iulii 1907 duas propositiones „ceu reprobatas ac proscriptas ab omnibus haberi mandavit“, quarum reprobatio ac proscriptio sententias nostras confirmat; idcirco eas hic inserimus. Propositio 11: „Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat.“ Propositio 12: „Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, in primis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae Sacrae seponere debet, eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana.“

Quae cum ita sint, narrationi in Gen. 11, 27—25, 11 litteris consignatae auctoritatem stricte historicam adiudicamus censentes, Abrahamum non solum in phantasia populi sed revera ita vixisse, ut ibi narratur. Nam *a)* scriptor inspiratus libri Genesis proprio nomine de Abraha loquitur, quemadmodum contextus demonstrat, ergo narrationes eius falsae esse nequeunt. Non officit *α)* quod iste scriptor traditionibus et documentis temporis sui usus sit, quae etiam falsa continere potuerunt. Deus enim eum inspirans efficere debuit, ut ea sola recte exprimeret, quae ipse iuberet; admittere non potuit, ut ex traditionibus et documentis falsa assumeret et suo nomine proponeret, quia ipse nihil a veritate alienum ponere potest. Non officit *β)* quod tempore antiquo methodus historico-critica non usitata fuerit. Si enim scriptores inspirati ea sola litteris consignarunt, quae Deus iusserat, et si Deus nihil a veritate alienum per hagiographos enuntiare potet: relata scriptorum inspiratorum vera sint oportet, licet methodum historico-criticam nescierint. Non officit *γ)* quod Deus historias fictas (parabolas, fabulas, mythos) et historias liberas, quibus facta historica modo poetico narrantur, et legendas, in quibus falsa cum veris miscentur, ab hagiographis conscribendas statuere potuerit. Nam Deus talia genera scribendi inspirans propter veracitatem suam simul providere debuit, ut legentes ex usu loquendi vel contextu vel circumstantiis

historicis (cf. Exegeticam 31 ss.) colligere possent, se non veram historiam, sed potius historiam fictam vel liberam vel legendam proponere voluisse. Quodsi ex usu loquendi et contextu apparet, hagiographos veram historiam conscribere voluisse, etiam Deus talem voluit, quia hagiographi ea tantum quae Deus iusserat, conscribere voluerunt (pag. 367). Atqui usus loquendi et contextus manifeste commonstrant, scriptorem inspiratum Genesis veram historiam Abrahae conscribere voluisse. Engert quoque, catholicus liberalissimus, qui in opusculo suo „Die Weltschöpfung" (München 1907) sententias varias interpretum protestantium adoptat ac venditat, candide fatetur (loco citato, pag. 4) historiographos Hebraeos sine ullo dubio historiam veram, non historiam fictam vel poeticam vel legendam conscribere voluisse. Ergo narratio in Gen. 11, 27—25, 11 litteris consignata reapse auctoritatem stricte historicam habet.

b) Historiam Abrahae, quam scriptor Genesis narrat, Deus immediate confirmat. Etenim vocat se Deum Abraham et Deum Isaac et Deum Iacob (Ex. 3, 6. 15; 4, 5; Matth. 22, 32; Marc. 12, 26; Luc. 20, 37); testatur, se Abrahae et Isaaco et Iacobo apparuisse atque cum eis foedus pepigisse (Ex. 6, 3 s. 8; Lev. 26, 42) necnon eis iuramento se obstrinxisse (Ex. 33, 1; Num. 32, 11; cf. Deut. 1, 8; 6, 10; 9, 5; 29, 13; 30, 20; 34, 4; Bar. 2, 34); narrat, Abrahamum, filium Thare et fratrem Nachoris, a se de Mesopotamiae finibus in Chanaan adductum filioque Isaaco donatum esse (Ios. 24, 2 ss.); nominat Abrahamum amicum suum (Is. 41, 8) et populum Israel semen Abrahae (Is. 41, 8; Ier. 33, 26); appellat Abrahamum patrem et Saram matrem populi Israel copiosi (Is. 51, 2).

c) Narrationem scriptoris Genesis Deus etiam mediate i. e. per scriptores inspiratos aliorum librorum Vet. ac Nov. Testamenti confirmat. In Ex. 2, 24 Deus foederis recordatus dicitur, quod cum Abraham et Isaac et Iacob pepigerat; Psalmista Dominum vocat Deum Abraham (46, 10) et Abraham servum Domini (104, 6. 42) et populum Israel semen Abraham (104, 6) pactum commemorans, quod Deus cum Abraham pepigit (104, 8 s. 42); Isaias (29, 22) Abrahamum a Domino redemptum esse asserit; Michaeas (7, 20) Abrahamum adducit; in 3 Reg. 18, 36 Elias Deum Abraham, Isaac et Israel invocasse

narratur, et in 4 Reg. 13, 23 hagiographus refert, Dominum Israelis misertum esse propter pactum, quod cum Abraham, Isaac et Iacob habebat; etiam in Ez. 33, 24 atque Dan. 3, 35 Abraham commemoratur, cuius generatio in 1 Par. 1, 27 ss. enumeratur et pactum in 1 Par. 16, 15 s. in memoriam revocatur; Ecclesiasticus (44, 20—24) scribit: *Abraham magnus pater multitudinis gentium, et non est inventus similis illi in gloria: qui conservavit legem Excelsi, et fuit in testamento cum illo. In carne eius stare fecit testamentum, et in tentatione inventus est fidelis. Ideo iureiurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terrae cumulum, et ut stellas exaltare semen eius, et hereditare illos a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos terrae. Et in Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem eius.* Mathathias moriens filios suos interrogavit (1 Mach. 2, 52): *Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, et reputatum est ei ad iustitiam?*

Ab evangelistis Matthaeo (1, 1 ss.) et Luca (3, 32 ss.) Abraham cum posteris suis inter proavos Christi enumeratur; secundum Matth. 8, 11; Luc. 13, 16. 28; 16, 22 ss.; 19, 9; Ioan. 8, 33—58 non solum Iudaei sed etiam Christus exsistentiam Abrahae, auctoris populi Israel, factum historicum iudicavit; S. Petrus in Act. 3, 13 Dominum Deum Abraham et Isaac et Iacob nominat, in Act. 3, 25 ad promissiones Abrahae factas provocat, in 1 Petr. 3, 6 Saram Abrahae obedivisse asserit; S. Paulus Iudaeos filios generis Abraham appellat (Act. 13, 26; Rom. 9, 7 ss.; 11, 1; 2 Cor. 11, 22; Hebr. 2, 16), Abraham non ex operibus neque ex circumcisione neque ex lege, sed ex fide iustificatum esse docet (Rom. 4, 1 ss.; Gal. 3, 6 ss.), eum duos filios habuisse et quidem unum de ancilla et unum de libera testatur (Gal. 4, 22 s.), fidem Abrahae praesertim in oblatione Isaaci professam celebrat (Hebr. 11, 8—19); Iacobus quoque Abrahamum patrem Iudaeorum dicit, qui fide sua viva praecipue in oblatione Isaaci monstrata iustificatus est (2, 21—23); Maria (Luc. 1, 55) et Zacharias (Luc. 1, 73) foederis Domini cum Abraha icti recordantur, Ioannes baptista Iudaeos filios Abrahae vocat (Matth. 3, 9; Luc. 3, 8), Stephanus historiam Abrahae in Genesi narratam repetit (Act. 7, 2 ss.).

Qui haec testimonia perlegerit et inter se comparaverit simulque ad catholicam inspirationis notionem (pag. 367)

respexerit, confiteri debet, Deum qui nec falli nec fallere potest, tam immediate quam mediate historiam Abrahae in Genesi narratam non fictam vel poeticam vel legendariam, sed veram omnino historiam confirmasse.

2. Recentiores interpretes protestantes inspirationem sacrorum Librorum sensu catholico intellectam unanimiter negant contendentes, Sacram Scripturam per homines opinionibus falsis aetatis suae illaqueatos compositam esse. Si nihilominus quidam eorum nomen inspirationis retinent, sacras litteras eo sensu inspiratas dicunt, quatenus unico spiritu, scilicet spiritu religionis perfectae, veri et genuini timoris Dei omnes perfusae sint, licet non in omnibus conveniant, immo sibi contradicant (cf. Dillmann-Kittel, Handbuch der Alttestamentlichen Theologie, Leipzig 1895, pag. 4). Reiecta notione inspirationis catholica, interpretes recentioris scholae criticae (a Vatke-Graf-Wellhausen vocatae) Hegelianismum operibus suis fundamentum supponunt et cum eo narrationes biblicas conciliare conantur (cf. Hoberg, Moses und der Pentateuch; Oehler, Theologie des Alten Testaments, pag. 14. 51. 53 s.; Smend, Lehrbuch der Alttestamentlichen Religionsgeschichte, pag. 3). Cum autem iuxta pantheismum logicum seu panlogismum, quem Hegel maxime excoluit, Deus non sit ens personale et mundum transcendens, sed ens indeterminatum quod sese determinando constituat rerum universitatem, quam continuam manifestationem vel evolutionem Dei dicunt (systema evolutionis): consequenter historiam Abrahae, in qua Deus ens personale et mundum transcendens, eum creans et conservans et gubernans repraesentatur, uti fabulosam reiicere debent. Haec est generalis, ultima, intima, unica ratio, ob quam historiae Abrahae auctoritatem obiectivam denegant; nam ceterae rationes speciales, quas afferunt, nullum pretium logicum habent, uti mox videbimus. Antequam eas examinabimus, notamus Hegelianismum esse systema philosophicum undique falsum (videas opera philosophica), inspirationem Sacrae Scripturae autem veritatem certissimam (videas theologiam fundamentalem vel Introductionem biblicam generalem): ergo opiniones omnes, quae ex negatione inspirationis et assertione Hegelianismi (systematis evolutionis) consequenter profluunt, secundum praecepta logica pro falsis habendas esse.

Rationes speciales, quibus interpretes Hegelianismo addicti auctoritatem obiectivam historiae Abrahae impugnant, sequentes sunt: *a)* De patriarchis in Chanaan commorantibus multa, de posteris eorum in Aegypto habitantibus paucissima in Scriptura narrantur; atqui improbabile est, populum qui de longo tempore ab ingressu in Aegyptum usque ad exitum ex illa tam pauca scivit, de Abraham et Isaac et Iacob tam multa scivisse (Guthe, Geschichte 175 s.; cf. Strack[2] 94): ergo istae narrationes auctoritatem historicam non habent. Reponimus: *α)* ex eo quod hagiographus de populo in Aegypto commorante pauca narrat, non sequitur eum pauca tantum cognita habuisse. Logici enim docent,

argumentum ex silentio testium petitum esse negativum dumtaxat, quod non multum valet, nisi demonstratum fuerit, testes potuisse, voluisse et debuisse factum aliquod memoriae tradere (cf. Exegeticam 120 s.). Ista pauca autem ad finem hagiographi (cf. Theol. bibl. Vet. Test., §§ 20. 25) omnino sufficiunt, ita ut plura referre neque debuerit neque voluerit hagiographus qui in aliis quoque partibus ea tantum commemorat, quae fini suo inserviunt (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 74; Strack[2] 94). *β)* Quae de Abraham, Isaac et Iacob narrantur, acta unicae quidem familiae sunt, sed maximi momenti pro posteris eius, quare ab eis facile memoria retineri potuerunt et ab hagiographo ob finem suum narrari debuerunt. *γ)* Strack[2] 94 bene notat, memoriam populi cuiusdam cum memoria hominis vel familiae cuiusdam comparari posse. Saepius autem homo adultus actus pueritiae suae in memoria praesentes habet, dum anni sequentes ex ea deleti sunt; similiter familiae originem et proavos primos memoria retinent, sequentes vero oblivioni mandarunt. Ergo non esset mirandum, si populus Israel quoque acta proavorum primorum, non autem posterorum patriarcharum memoria retinuisset. — *b)* Iuxta narrationes biblicas populus Israel ex una familia prodiit, sed populi historici non ita oriuntur, quare istae narrationes non historicae sunt (Guthe, l. c.). Respondeo: plures populos historicos non ex una familia prodiisse, sed mixtione familiarum variarum ortos esse, concedendum est (cf. pag. 332): ex hoc tamen logice non sequitur, omnes populos historicos mixtione familiarum ortos esse, et populum Israel ex una familia prodire nequivisse. Si totum genus humanum ab unico pari ortum est (pag. 86), populus Israel ab unica familia prodire potuit. Ergo ob hanc assertionem auctoritas historica narrationi biblicae abiudicari nequit. — *c)* Nullus populorum ceterorum verum auctorem suum indicare potest, ergo neque populus Israel (Guthe, l. c.); quare nurrationes, in quibus auctor populi Israel nominatur, non historicae sunt. At haec quoque conclusio logice non valet. Si ceteri populi historici verum auctorem suum indicare nequeunt, logice non sequitur, neque populum Israel eum indicare posse. Propterea ob hanc rationem auctoritas historica narrationum biblicarum negari nequit. — *d)* Abraham, Isaac et Iacob cum gregibus suis a septentrione usque ad meridiem terrae iam habitatae migrare non potuerunt, ut in narrationibus biblicis legitur; ergo narrationes non historicae sunt (Guthe, l. c.). Reponimus: neque Sacra Scriptura neque documenta profana affirmant, terram Chanaan incolis tam frequentem fuisse, ut patriarchae nomadum more ibi vivere non possent; immo Sacra Scriptura diserte testatur, patriarchis nonnunquam pascua ac puteos sufficientes defuisse ideoque migrare debuisse. Idcirco ista ratio producta nullius pretii logici est.

Strack[2] 94—97 rationes a Wellhausen, Winckler, Stade, Meinhold, Ieremias aliisque contra auctoritatem obiectivam historiae patriarcharum allatas examinat et concludit, narra-

tionibus biblicis characterem historicum immerito negari, quamvis ipse catholicam inspirationis notionem non retineat. Ad eandem conclusionem eo magis illi pervenire debent, qui catholicam inspirationis notionem retinent, quemadmodum pag. 368 ss. demonstravimus.

2. Sectio. Generationes Ismael, 25, 12—18.

In brevissima hac sectione Ismaelis (25, 12. 13[a]) soboles (25, 13[b]—16), mors et habitatio (25, 17. 18) enarratur.

℣℣. 12.13[a]. Hae sunt generationes, וְאֵלֶּה תֹּלְדֹת, *αὗται δὲ αἱ γενέσεις* (pag. 43), *Ismael filii Abrahae, quem peperit ei* (deest *ei* in Hebraico et Graeco) *Agar Aegyptia, famula Sarae* Abrahae (Hebraicus et Graecus): *et* [13]*haec nomina,* וְאֵלֶּה שְׁמוֹת, *filiorum eius* (pro *eius* habent Hebraicus et Graecus *Ismael*) *in vocabulis et generationibus suis,* בִּשְׁמֹתָם לְתֹלְדֹתָם, *κατ' ὄνομα τῶν γενεῶν αὐτοῦ*. Sensus ℣. 12. ex iis quae pag. 43 et 264 ss. scripta sunt, clarescit. In ℣. 13[a] illud *haec nomina in vocabulis* vel potius nominibus *suis* manifestus et nimius pleonasmus est; censemus iuxta 10, 1. 2. 6. 22. *nomina,* שְׁמוֹת, omittendum esse, ut sit sensus: *et hi filii Ismael,* וְאֵלֶּה בְּנֵי יִשְׁמָעֵאל, *in nominibus suis* propriis, quae mox enumerantur, *secundum generationes* seu familias suas (10, 32; cf. pag. 199), quae ab eis descenderunt.

Holzinger censet, aut textum Hebraicum cum LXX mutandum aut בִּשְׁמֹתָם לְתֹלְדֹתָם omittendum esse; sed comparatio huius sectionis cum cap. X. magis suadet, ut שְׁמוֹת omittamus. Gunkel putat, hagiographum reapse tam pleonastice scripsisse; at pleonasmus nimius videtur, quare non solum LXX, verum etiam Vulgata textum mutavit: pro *nominibus* ponens *vocabulis,* postea *et* adiungens necnon diversitatem praepositionem בְּ ac לְ negligens. Dillmann, Hummelauer, Strack[2] sic ℣. declarant: „et haec nomina filiorum Ismael per nomina secundum generationes suas seu aetatem, i. e. nomina ordine aetatis recensentur.“ Sed sic quoque constructio nimis pleonastica et obscura est. Hoberg explicat: „nomina auctorum tribuum simul tribus significant . . . tamquam dixisset, secundum quae nomina generationes eorum appellatae sunt“; putat etiam hunc sensum possibilem esse: „et haec sunt nomina filiorum Ismael, quatenus simul tribus respiciunt, quae ab eis descenderunt; i. e. Ismael adhuc alios filios habuerat, sed duodecim tantum principes tribuum facti sunt.“ Qui singula verba textus Hebraici retinere voluerit, unam ex sententiis Hobergi adoptare poterit.

℣℣. 13b—15. Primogenitus Imaelis *Nabaioth,* נְבָיֹת, *deinde Cedar,* וְקֵדָר, *καὶ Κηδάρ, et Adbeel,* וְאַדְבְּאֵל, *καὶ Ναβδεήλ, et Mabsam,* וּמִבְשָׂם, *καὶ Μασσάμ,* [14]*Masma quoque,* וּמִשְׁמָע, *καὶ Μασμά, et Duma,* וְדוּמָה, *καὶ Ἰδουμά, et Massa,* וּמַשָּׂא, *καὶ Μασσή,* [15]*Hadar,* חֲדַד, *καὶ Χοδδάν, et Thema,* וְתֵימָא, *καὶ Θαιμάν, et Iethur* (Sixtina *Itur*), יְטוּר, *καὶ Ἰετούρ, et Naphis,* נָפִישׁ, *καὶ Ναφές, et Cedma,* וָקֵדְמָה, *καὶ Κέδμα.* De his 12 filiis Ismaelis nihil certi scimus; qui varias coniecturas de tribubus eorum scire voluerit, apud Dillmann et Buhl eas inveniet.

Holzinger asserit, numerum duodenarium non cum veritate rerum congruere, sed iuxta principium quoddam idque probabiliter religiosum a scriptore fictum esse. Verumtamen catholica inspirationis notio (pag. 367) postulat, ut concedamus Ismaelem reapse 12 filios habuisse, a quibus tribus descenderunt; non postulat autem, ut eum solos 12 filios habuisse dicamus, quia hagiographus hoc non asserit.

℣. 16. Isti sunt filii, אֵלֶּה הֵם בְּנֵי, *Ismaelis: et haec nomina* eorum (Hebraicus et Graecus) *per castella et oppida eorum,* בְּחַצְרֵיהֶם וּבְטִירֹתָם, *ἐν ταῖς σκηναῖς αὐτῶν καὶ ἐν ταῖς ἐπαύλεσιν αὐτῶν, duodecim principes tribuum suarum,* לְאֻמֹּתָם, *κατὰ ἔθνος αὐτῶν.* Videas conclusiones similes in 10, 20. 31 (pag. 188s.).

Illud הֵם subiectum et praedicatum copulat; cf. Gesenius-Kautzsch 461 vel lexica maiora ad הוּא. — חָצֵר (ab inusitato חָצַר *circumdedit*) locum saeptum significat uti טִירָה (ab inusitato טוּר *circumire, circumdare*); quatenus haec vocabula inter se differant, non patet (cf. Gesenius, Buhl). Dillmann cum Fürst aliisque putat, חָצֵר habitacula immobilia, טִירָה autem tabernacula mobilia denotare, quam sententiam Hummelauer et Hoberg suam faciunt; LXX reddunt ita ut sensus incertus maneat (cf. Gesenius). — אֻמֹּת (ab אֻמָּה, assyr. *ummânu*) tribus vel populos significat (Buhl).

℣. 17. Et facti sunt, וְאֵלֶּה, *καὶ ταῦτα, anni vitae Ismaelis centum triginta septem* anni (Hebraicus et Graecus), *deficiensque mortuus est* (pag. 365), *et appositus ad populum suum* (pag. 365). De numeratione annorum pag. 332 conferas.

℣. 18. Habitavit autem, *κατῴκησεν δέ,* scil. Ismael, וַיִּשְׁכְּנוּ i. e. et habitaverunt, scil. Ismaelitae, *ab Hevila,* מֵחֲוִילָה, *ἀπὸ Εὐειλάτ* (cf. 10, 29; pag. 199), *usque Sur,* עַד־שׁוּר, *ἕως Σουήλ* (cf. pag. 267), *quae respicit Aegyptum,* LXX accuratius *ἥ ἐστιν κατὰ πρόσωπον Αἰγύπτου* (pag. 267) *introeuntibus Assyrios,*

בֹּאֲכָה אַשּׁוּרָה i. e. versus Assyriam (cf. 10, 19; pag. 195 s.) *coram cunctis fratribus suis obiit,* עַל־פְּנֵי כָל־אֶחָיו נָפָל, *κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ κατῴκησεν.* Ismael cum posteris suis iuxta alios Abrahae filios tabernacula sua fixit, ut Angelus Domini matri eius praedixerat (16, 12; cf. pag. 267 ss.): habitavit in Arabia, quemadmodum pag. 316 et 364 dictum est.

Mirum est, quod in textu Hebraico prius pluralis וַיִּשְׁכְּנוּ, deinde singularis נָפָל ponatur; Ball et Hoberg cum LXX et Vulgata etiam prius singularem וַיִּשְׁכֹּן ponunt: subiectum est Ismael = Ismaelitae. — Iuxta contextum (10, 11; cf. pag. 193) אַשּׁוּר urbem et terram ad Euphraten sitam indicat (cf. Dillmann); Gunkel, Hoberg, Strack[2] cum Hommel locum in Arabia intelligunt; Dillmann בֹּאֲכָה אַשּׁוּרָה glossam esse putat, alii ab ipso citati lectionem corruptam censent: at nulla harum opinionum demonstrari potest. — נָפַל *cecidit* absolute sumptum tum *obiit* tum *consedit, castra posuit* (Iud. 7, 12) significare potest (Gesenius). Plerique interpretes recentiores cum LXX in hoc loco recte alteram significationem retinent, quia contextus id suadet: „etenim sedes hoc versu describuntur, mors ℣. 17. absolvebatur, ait Hummelauer. De morte nonnisi violenta נפל scribitur. Hieronymus mortem interpretatus cogitur asserere ‚fratres pro filiis appellari': at, ubi de universae gentis protoparente agitur, num potest eius progenies *fratres* appellari? Ergo intelligendi erunt Ismaelis veri fratres e Sara et Cetura."

3. Sectio. Generationes Isaac, 25, 19—35, 29.

Hagiographus refert *a)* fata Isaac (25, 19—28, 9): quomodo gemini nati (25, 19—26), primogenita vendita (25, 27—34), promissiones innovatae (26, 1—5), Rebecca servata (26, 6—11), Isaac locupletatus (26, 12—22), promissiones confirmatae sint (26, 23—25); quomodo Abimelech cum Isaac foedus inierit (26, 26—33), Esau duas uxores duxerit (26, 34 s.), Isaac filiis benedixerit (27, 1—28, 5), Esau tertiam uxorem sumpserit (28, 6—9). Refert *b)* fata Iacob (28, 10—35, 29). Describit Iacobum exsulem (28, 10—30, 43), revertentem (31, 1—33, 16), reducem (33, 17—35, 29).

℣℣. 19. 20. Hae quoque sunt generationes, וְאֵלֶּה תּוֹלְדֹת, *Isaac* (pag. 43) *filii Abraham: Abraham genuit Isaac:* [20]*qui cum quadraginta esset annorum,* וַיְהִי יִצְחָק בֶּן־אַרְבָּעִים שָׁנָה (pag. 279 s.), *duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia,* הָאֲרַמִּי מִפַּדַּן אֲרָם i. e. Aramaei ex Paddan Aram, *sororem Laban* Aramaei (Hebraicus et Graecus). Paddan Aram, פַּדַּן אֲרָם i. e.

planities Aram vel „regio campestris Syriae i. e. *Mesopotamia* cum deserto ad occidentem Euphratis . . . Hos. 12, 13 pro eo dicitur שְׂדֵה אֲרָם, unde apparet, פַּדָּן idem fere valuisse quod שָׂדֶה". Ita Gesenius 1092, quem plurimi recentiores sequuntur. Paddan Aram et Aram Naharaim (24, 10) eandem regionem significare videntur. De Rebecca, Bathuele et Labano cap. 24. explicantes scripsimus.

Buhl cum Zimmern assyr. *padânu* = *via* adducit et putat, פַּדָּן primitus forsitan *Ḥarran* significasse. Reapse constat, locum iuxta *Ḥarran* nomine *Tell Faddân* vocatum fuisse (Holzinger aliique).

℣. 21. **Deprecatusque est** *Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudivit eum,* וַיֵּעָתֶר לוֹ יְהוָֹה i. e. et exorari se passus est ab eo Iahve (Gesenius 1085), *et dedit conceptum Rebeccae,* וַתַּהַר רִבְקָה אִשְׁתּוֹ i. e. et concepit Rebecca uxor eius. „Sanctas mulieres Saram et Rebeccam (uti et Rachel et Annam) Deus ad tempus steriles esse voluit, ut doceret nos, semen illud benedictum, puta Christum, ex Sara et Rebecca (uti et viros sanctissimos, Iosephum ex Rachele, Samuelem ex Anna) non naturae viribus, sed ex mero Dei dono per miraculum natum orbique datum esse: ita S. Chrysostomus" (Lapide; cf. et Dillmann).

℣. 22. **Sed collidebantur** *in utero eius parvuli; quae ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? εἰ οὕτως μοι μέλλει γίνεσθαι, ἵνα τί μοι τοῦτο;* אִם־כֵּן לָמָּה זֶּה אָנֹכִי i. e. si ita, cur tandem ego? *Perrexitque,* וַתֵּלֶךְ, *ut consuleret,* לִדְרֹשׁ, *Dominum.* Dillmann cum Lapide istam luctam parvulorum praelusionem futurorum inter fratres posterosque certaminum vocat, et Lapide putat eam „non vi naturae sed Dei nutu" factam esse (conferas Luc. 1, 41). In textu Hebraico post אָנֹכִי *ego* verbum supplendum esse, omnes consentiunt; Grätz ex ℣. 21. הָרָה *gravida* supplet uti Vulgata, quae sententia contextu commendatur et ab Hummelauer, Hoberg retinetur. Etiam post כֵּן *ita* verbum supplendum est; supplemus ex ℣. 22[a] *parvuli collidentes sunt,* quae sententia in LXX et Vulgata exprimitur. Ergo sensus verborum Rebeccae est: si parvuli ne nunc quidem pacem servare possunt (cf. Gunkel), quid postea erit? Rogavit igitur Dominum, ut sibi sortem parvulorum luctantium revelaret (cf. ℣. 23).

Illud זֶה אָנֹכִי LXX reddunt *μοὶ τοῦτο*, quae versio omnino falsa est; Hummelauer vertit: „hoc ego“; plerique tam censent, זֶה cum לָמָּה coniungendum esse, nam זֶה „passim additur interrogativis, quo vim earum augeat“ (Gesenius 450). — Syrus, Dillmann, Ball, Kittel post אָנֹכִי supplent חָיָה *vivens* provocantes ad 27, 46 *Taedet me vitae meae;* sed contextus proximus ante contextum remotum attendendus est. Gunkel pro אָנֹכִי legit אִנָּה לִּי i. e. accidit mihi; at haec emendatio parum probabilis est. — Ad sententiam *Perrexitque ut consuleret Dominum,* וַתֵּלֶךְ לִדְרֹשׁ אֶת־יְהוָה, Dillmann scribit: „Supponitur, iam tunc oracula (Orakelstätten) exstitisse (14, 7) vel vates et sacerdotes veri Dei (14, 18), quibus homines interpretibus utebantur“, putatque Rebeccam ad oraculum (in Bersabee) perrexisse. Similiter Gunkel. Contra hanc assertionem notamus: *a)* דָּרַשׁ speciatim utique significat „*oraculum petiit* ab aliquo, *consuluit* aliquem, ut Deum, prophetam“; sed generatim phrasis דָּרַשׁ אֶת־יְהוָה „*imploravit Dominum*“ significat. Videas Gesenius 356 ubi multa exempla afferuntur. Propterea cum Theodoreto, Diodoro, Lapide, Hummelauer, Hoberg etiam in hoc loco phrasim de precibus intelligimus, quibus Rebecca Dominum imploravit, ut sibi sortem parvulorum luctantium revelaret. *b)* Oracula tunc exsistentia (12, 6; cf. pag. 225 et 14, 7; cf. pag. 242) erant oracula deorum gentium, ubi Rebecca Iahve Deum verum interrogare nequivit (Strack[2]). *c)* Illud וַתֵּלֶךְ *perrexitque* Strack[2] de itinere ad locum quendam, ubi Iahve se revelaverat, intelligit; Hummelauer scribit: „Non est necesse supponere sacerdotem aliquem adfuisse, sed adierit altare aliquod et ibi post orationem oraculum somnio exspectaverit“, quam sententiam iam apud Lapide invenimus; Hoberg putat, הָלַךְ apparatum innuere (cf. pag. 334), quae tamen opinio vix probabilis fuerit (cf. Gesenius, Fürst, Buhl). — Gunkel cum Dillmann notat, iuxta mythos ab Apollodoro collectos (2, 2, 1) etiam Acrisium et Proetum, geminos Abantis regis Argorum, in utero matris colluctatos esse. Hanc narrationem fabulosam esse, omnes concedunt; ex quo tamen non sequitur, narrationem scriptoris inspirati quoque fabulosam esse: axiopistia scribentium respiciatur (pag. 37).

℣. 23. **Qui respondens, ait,** LXX accuratius *καὶ εἶπεν κύριος αὐτῇ· Duae gentes,* גֹּיִים, *sunt in utero tuo, et duo populi,* לְאֻמִּים, *ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit,* וּלְאֹם מִלְאֹם יֶאֱמָץ, *καὶ λαὸς λαοῦ ὑπερέξει, et maior serviet minori,* וְרַב יַעֲבֹד צָעִיר. Quomodo Dominus Rebeccae locutus sit, utrum per somnium an per Angelum an per locutionem spiritualem in mente (cf. pag. 223) hagiographus non indicat; Hummelauer putat, revelationem per somnium factam esse (cf. supra). Scriptor inspiratus modo poetico, nimirum parallelismo mem-

brorum (cf. Exegeticam 41) eam litteris consignavit. In primo parallelismi membro nuntiatur, Rebeccam patres seu auctores duorum populorum in utero habere; in secundo, istos auctores populorum iam a nativitate omnino diversos fore; in tertio, unum populum alio fortiorem fieri; in quarto, maiorem minori serviturum esse. Membrum primum, secundum, quartum sensu proximo de duobus fratribus et sensu remoto (cf. Exegeticam 11) de posteris eorum intelligendum est, ut usus loquendi et contextus commonstrant; membrum tertium iuxta usum loquendi de posteris tantum intelligi potest. — Praedictio Domini impleta est, quatenus ab Iacobo Iudaei et ab Esau Idumaei descenderunt; quatenus Iacobus et Esau (25, 25 ss.) et posteri eorum (Am. 1, 11) diversae indolis erant; quatenus Iacobus atque Iudaei praerogativis acceptis Esavum et Idumaeos praecedebant.

Dominum revelantem poetice, i. e. cum parallelismo membrorum ad Rebeccam locutum esse, uti Gunkel supponit sed more suo non probat, non verisimile est. Evangelistae quoque sermones Christi non ad verbum ac litteram sed ad sensum referunt, quod comparatione eorum manifestum fit. — גֹּיִים pro גּוֹיִם scriptum est; cf. Ps. 79, 10 hebr. et Buhl. — מִמְּעַיִךְ יִפָּרֵדוּ est constructio praegnans (Gesenius-Kautzsch 388).— Illud *superabit*, יֶאֱמָץ, non tam materialiter quam spiritualiter accipiendum est. Nam Idumaei Iudaeis adversantes (Num. 20, 14—21) a Davide quidem tributarii facti sunt (2 Reg. 8, 13 s.; 1 Par. 18, 12 s.), sed iam regnante Salomone rebellarunt (3 Reg. 11, 14—22); ab Iosaphat iterum subiugati regnante filio eius iterum rebellarunt (4 Reg. 8, 20); ab Ioanne Hyrcano coacti ut circumcisionem ac legem Iudaicam acciperent, in Herode Magno Idumaeo Iudaeorum dominabantur (cf. Theol. bibl. Vet. Test., 191. 223. 264. 366 s.). Ergo dici nequit, Idumaeos ab Iudaeis materialiter superatos esse. Spiritualiter vero superati sunt, quatenus circumcisionem ac legem Iudaicam acceperunt, et Messias rex totius mundi (cf. Matth. 2, 1 s. et commentarios eius) ex Iudaeis prodiit (cf. Hummelauer). — Iuxta regulam generalem (Gesenius-Kautzsch 437) רַב et צָעִיר cum articulo coniungendum erat; sed in oratione poetica articulus saepe omittitur (Gesenius-Kautzsch 411 s.). — Servitus fratris maioris et posterorum eius uti dominium minoris et posterorum eius (cf. supra) magis spiritualiter quam materialiter intelligendus est.

℣℣. **24—26. Iam tempus pariendi** *advenerat, et ecce gemini in utero eius reperti sunt* (deest *reperti sunt* in Hebraico et Graeco), uti Dominus praedixerat. [25] *Qui prior egressus est, rufus erat,* אַדְמוֹנִי, *πυρράκης, et totus in morem pellis hispidus,* כֻּלּוֹ כְּאַדֶּרֶת שֵׂעָר

i. e. totus ille sicut pallium pilosum (Gesenius 1335), *ὅλος ὡσεὶ δορὰ δασύς*, „quam vocant hypertrichosin medici"(Hummelauer): *vocatumque est,* וַיִּקְרְאוּ, *nomen eius Esau,* עֵשָׂו. *Protinus alter egrediens,* LXX accuratius *καὶ μετὰ τοῦτο ἐξῆλθεν ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, plantam fratris* (loco *fratris* Hebraicus et Graecus habent *Esau*) *tenebat manu: et idcirco appellavit eum Iacob,* וַיִּקְרָא שְׁמוֹ יַעֲקֹב i. e. et vocatum est nomen eius Iacob. [26]*Sexagenarius,* בֶּן־שִׁשִּׁים שָׁנָה, *erat Isaac quando nati sunt ei parvuli,* בְּלֶדֶת אֹתָם i. e. in nativitate eorum. Lapide scribit de Esau: „Toto corpore hispidus natus est, Dei nutu, ut eius agrestis et aspera indoles, mores et vita futura praesignaretur"; de Iacobo autem plantam tenente: „quasi prae illo aut certe cum illo niteretur occupare ius primogeniturae; non naturaliter, sed Dei nutu et dispositione hoc factum est". *Esau,* עֵשָׂו (a verbo עָשָׂה, in lingua Hebraica quidem inusitato sed in Araba usitato, = *pilosus* seu *hirsutus fuit:* Gesenius, Fürst) idem est ac *pilosus, hirsutus,* itaque primogenitus Isaaci nominatus est, quia toto corpore pilis tectus apparebat (cf. Dillmann, Buhl). *Iacob,* יַעֲקֹב (a verbo עָקַב *calcem tenuit,* denom. ab עָקֵב = calx) proprie idem est ac *calcem tenens;* improprie idem ac supplantans, insidiator (Gesenius 1060 s.).

Primogenitus Isaaci *rufus,* אַדְמוֹנִי, erat: Gesenius, Tuch, Hoberg colorem pilorum; Delitzsch, Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack[2] tamen melius colorem cutis indicatum censent (cf. 1 Reg. 16, 12; 17, 42). Hagiographum vocabulo אַדְמוֹנִי ad nomen אֱדֹם et vocabulo שֵׂעָר ad nomen שֵׂעִיר alludere, facile concesseris. Esau enim adultus appellatus est *Edom* (25, 30) et habitavit in monte *Seir* (32, 3; 33, 14. 16; 36, 8; coll. 14, 6); Gesenius 1335 putat, montem *Seir* seu „regionem illam montanam et silvestrem id nominis nactam esse ab illa ipsa regionis indole et virtutibus: pilosam s. hirsutam enim appellant regionem arboribus obsitam . . . Observatu etiam dignum, hoc regionis nomen cum ipsius Esavi nomine (עֵשָׂו hirsutus) convenire". Adde, Esavum in 27, 11 ab Iacobo שָׂעִר *pilosum* vocari. Idcirco hagiographus historiam Esavi scribens talia vocabula eligere potuit, ut ad alterum nomen et habitationem eius alluderet. Si autem Gunkel asserit, narratione fabulosa Esavum et Seir et Edom, tres populos originaliter diversos, confundi, nimium asserit; nam assertionem suam nullo argumento confirmare potest (uti plerumque) ac testimonium scriptoris inspirati contrarium habet (cf. pag. 37). — Holzinger affirmat, *rufus* atque *totus ille sicut pallium pilosum* in eadem sententia simul consistere non posse, ideoque pro *rufus* origi-

naliter aliud vocabulum scriptum fuisse, quod tamen nesciamus. At iuxta praecepta logica et iudicium plurimorum interpretum antiquiorum ac recentiorum illa bene simul consistere possunt. — Indefinitum subiectum personale (Germanicum *man*) tertia persona tam sing. quam plur. exprimi potest (Gesenius-Kautzsch 468); ceterum Graecus et Syrus bis sing., Samaritanus bis plur. habet: ergo lectio incerta est. Vulgata minus accurate vertit. — Quae hagiographus de secundogenito narrat, Dillmann valde improbabile dicit, cum iuxta Busch, LB. d. Geburtskunde, § 289 inter nativitatem primi et secundi geminorum saltem hora una praetereat. Sed hagiographus non asserit, ea naturali modo evenisse (cf. pag. 379). — Gunkel in Gen. 25, 25 *egrediens, plantam fratris tenebat manu* atque Os. 12, 3 (hebr. 4): *In utero supplantavit,* עָקַב, *fratrem suum* diversas traditiones nativitatis invenit; iuxta praecepta logica vero ambo loci optime conciliari possunt (cf. Exegeticam 114 ss.). — Alii putarunt, *Iacob* idem significare ac *successor, secundogenitus* (cf. Fürst); alii nomen ex יעקבאל abbreviatum censent (cf. Dillmann, Hoberg). Sed omnes consentiunt, has opiniones non certas, sententiam autem pag. 379 propositam possibilem esse: quare igitur declarationi hagiographi non credunt? — Wellhausen, Stade, Smith aliique opinabantur, Esavum et Iacobum originaliter deos fuisse; quae tamen opinio ne protestantibus quidem placet (cf. Dillmann) et cum catholica notione inspirationis pugnat.

℣℣. 27. 28. Quibus adultis, LXX accuratius *ηὐξήθησαν δὲ οἱ νεανίσκοι, factus est Esau vir gnarus venandi, et homo agricola,* אִישׁ יֹדֵעַ צַיִד אִישׁ שָׂדֶה i. e. vir peritus venationis, vir agri „in rure, non in tentoriis vivens“ (Gesenius 1321): *Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis,* אִישׁ תָּם יֹשֵׁב אֹהָלִים i. e. vir integer, habitans tentoria (Gesenius 1509). [28] *Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur,* כִּי־צַיִד בְּפִיו i. e. „nam ferina erat secundum os i. e. saporem eius i. e. eam in deliciis habebat“ (Gesenius 1087): *et Rebecca diligebat Iacob.* Hagiographus diversitatem adultorum describit: Esau erat venator ideoque more venatorum in agro (cf. pag. 46) vagabatur, ubi ferae inveniuntur; Iacob erat vir mitis ideoque more pastorum in tentoriis degebat (Dillmann aliique); Esau a patre, Iacob a matre magis diligebatur.

Opponuntur sibi אִישׁ שָׂדֶה et יֹשֵׁב אֹהָלִים necnon אִישׁ יֹדֵעַ צַיִד et אִישׁ תָּם; connectuntur autem ut effectus et causa: quia Esau venator erat, in agro vagabatur, et quia Iacob mitis erat, in tentoriis degebat (cf. Holzinger contra Dillmann). Ex oppositione phrasium intelligimus, quomodo תָּם explicandum sit. Derivatur a תָּמַם *perfecit, absolvit, integer fuit,* quare generatim perfectum vel integrum significat; in ista tamen

oppositione „mitius et placidum Iacobi ingenium indicare videtur, opp. ferociori, quae Esau erat, indoli" (Gesenius 1509, quem plurimi recentiores sequuntur). Similiter *simplex* Vulgatae accipiendum est: Esau erat *vir gnarus venandi,* Iacob autem *vir simplex,* i. e. non gnarus venandi: qua assertione non excluditur, Iacobum in ceteris rebus astutissimum fuisse. „Certe non eminebat animi simplicitate Iacob, quo nullus, quantum novimus, patriarcharum astutior" (Hummelauer cum Dillmann). — אִישׁ שָׂדֶה in Vulgata non bene redditur *homo agricola,* nam agricola in Hebraico אִישׁ הָאֲדָמָה vocatur (cf. 9, 20; pag. 161 s.). — יֹשֵׁב אֹהָלִים non insinuat, Iacobum semper domi sedisse; multo minus eum scholas frequentasse, ut Hebraei a Lyrano et Lapide citati fabulabantur. Item אִישׁ שָׂדֶה non innuit, Esavum semper in agro mansisse; eum saepius ad patrem reversum esse, in 25, 28 ss.; 27, 3 ss. indicatur. — צַיִד tam venationem quam feram venando captam vel carnem ferinam denotat (Gesenius). — Ball צֵידוֹ legit ut Graecus et Syrus. Pro בְּפִיו Kittel probabiliter legendum putat לְפִיו. Suffixum exegetae plerique ad Isaacum, pauci ad Esavum referunt, inter quos Bachmann explicat: „Esau saepe venationem in ore habebat; patri res venatorias narrabat, quibus hic delectabatur." At testimonium versionum antiquarum contrarium est, simulque incredibile videtur, Esavum ob tales narrationes ab Isaaco magis amatum fuisse quam Iacobum. Etiam si ob carnem ferinam patri allatam magis diligebatur, „profecto amandi causa admodum exilis et levis erat" (Pererius), sed contextu (27, 3 ss.) confirmatur. — Rebecca Iacobum magis diligebat, quia „quietior, placidior, suavior erat quam Esau, et quia a Deo Rebecca audierat (℣. 23), illum praeferendum esse fratri seniori" (Lapide).

℣℣. 29. 30. Coxit autem Iacob *pulmentum,* וַיָּזֶד יַעֲקֹב נָזִיד, ἥψησεν δὲ Ἰακὼβ ἕψεμα (ita Brooke) i. e. et coxit Iacob coctum (cf. Gesenius 408 s.): *ad quem cum venisset Esau de agro lassus,* 30 *ait,* LXX accuratius καὶ εἶπεν Ἠσαὺ τῷ Ἰακώβ· *Da mihi de coctione hac rufa,* הַלְעִיטֵנִי נָא מִן־הָאָדֹם הָאָדֹם הַזֶּה i. e. da mihi vorandum quaeso de rufo, rufo hoc, *quia oppido* (deest *oppido* in Hebraico et Graeco) *lassus sum* e g o (Hebraicus et Graecus). *Quam ob causam vocatum est nomen eius Edom,* אֱדוֹם. Ex ℣. 34. patet, Iacobum lentem coxisse; Esau coctum iuxta colorem simpliciter *rufum* vocat. Propter hoc nomen illi cibo impositum, pro quo ius primogeniturae vendiderat (℣. 31 ss.), ipse Esau nomine non honorifico *Edom* seu *rufus* vocatus est.

הַלְעִיטֵנִי est hiph'il verbi לָעַט, quod in hoc loco duntaxat occurrit et *avide voravit* significat, ut ex Arabo patet (Gesenius, Buhl). — Aviditatem in duplici הָאָדֹם expressam vident Bachmann et Holzinger. Sed

Dillmann cum Boysen et Anderson censet, pro priore הָאָדֹם legendum esse הָאֱדֹם = arab. *'idâm (idamun)* i.e. obsonium; ita LXX legisse videntur, quia reddiderunt *ἀπὸ τοῦ ἑψέματος* (sic) *τοῦ πυρροῦ τούτου* (Brooke). — Strack[2] cum Delitzsch notat, apud Arabes plurima nomina fortuito orta esse; possumus addere, etiam in occidente „nomina iocularia" (Spitznamen) hominibus casu et fortuito dari: Edom autem erat nomen ioculare Esavi (cf. Gunkel). Quando Esau a posteris Iacobi ita vocatus sit, hagiographus non indicat (cf. Hoberg). — Dillmann 319 in ℣. 25. et ℣. 30. duos fontes invenit, cum nomen *Edom* ibi a colore cutis, hic vero a colore cibi declaretur. Quod falsum est. Nam scriptor inspiratus in ℣. 25. nomen *Esavi* solum declarat et ad nomen Edom alludit dumtaxat (cf. pag. 379), quod ipse Dillmann quoque concedit; in ℣. 30. autem narrat, quare Esau etiam *Edom* nominatus sit, seu nomen Edom declarat. — Adiectivum אָדֹם *ruber* et substantivum אֱדֹם *rubor, rubedo* a verbo אָדַם *rubuit, rufus* vel *fuscus fuit* derivantur (Gesenius).

℣℣. **31—33. Cui dixit Iacob:** *Vende mihi* prius, כַיּוֹם, *σήμερον, primogenita tua,* אֶת־בְּכֹרָתְךָ i. e. primogenituram tuam vel ius primogeniturae tuae (Gesenius). [32]*Ille respondit,* LXX accuratius *εἶπεν δὲ Ἠσαύ· En morior,* הִנֵּה אָנֹכִי הוֹלֵךְ לָמוּת, *ἰδοὺ ἐγὼ πορεύομαι τελευτᾶν, quid mihi proderunt primogenita,* וְלָמָּה־זֶּה לִי בְּכֹרָה i. e. ad quid tandem (pag. 376) mihi primogenitura? [33]*Ait Iacob: Iura ergo* (deest *ergo* in Hebraico et Graeco) *mihi* prius, כַּיּוֹם, *σήμερον. Iuravit ei Esau* (deest *Esau* in Hebraico et Graeco), *et vendidit primogenita,* בְּכֹרָתוֹ לְיַעֲקֹב i. e. primogenituram suam Iacobo (similiter LXX). Ius primogeniturae fuit quadruplex. „Primum erat, quod primogenitus erat princeps fratrum eorumque quasi pater et dominus, adeo ut coram eo se fratres inclinarent, ut patet cap. 27, v. 29 et cap. 32. et 33: succedebat enim primogenitus in patriam dignitatem. ... Secundum erat, quod in divisione hereditatis paternae singuli fratres singulas partes, primogenitus vero duplices accipiebat, ut patet Deut. 21, 17.... Tertium erat, quod post diluvium primogenitus erat sacerdos familiae, unde et in lege Mosi Levitae loco omnium primogenitorum Israelis fuerunt electi ad sacerdotium, Num. 3, v. 12.... Quartum erat, quod pater moriens peculiariter primogenito benedicebat, ut patet cap. 27, v. 4, quae benedictio magni tum aestimabatur magnique saepe erat valoris et efficaciae apud Deum." Ita Lapide; videas et Dillmann, Gunkel 271 s. — Si ius primogeniturae res tam

magnifica erat, merito interrogaveris, quomodo Iacob pro simplici cibo istud postulare potuerit. Respondeo: Iacob, filius dilectus Rebeccae, probabilissime scivit, quid matri suae a Deo revelatum fuerit (Lapide, Strack² 99); certo etiam indolem fratris sui (cf. sequentia) cognovit; denique astutissimus patriarcharum (pag. 381) illud „audentes fortuna iuvat" perspectum habuerit. — Verba Esavi non habent sensum: „fame morior, nisi iure primogeniturae cibum tuum acquisiero", ut Gunkel, Bachmann et alii ea intelligunt; „non enim dubium est, bene scribit Lapide, in tam divite Isaaci domo filium Esau panem, carnes aliosque cibos, quibus vesceretur, habere potuisse." Sensum verum Gesenius 377 exponit: „quotidie moriendi periculo exponor, obviam eo morti (scil. ut venator, addit Dillmann cum aliis), nisi mavis simpliciter: je m'en vais mourir, mox moriar." Similiter Hoberg, Kautzsch-Socin, Dillmann cum antiquioribus. Esau, ut venator saepe in periculo vitae constitutus, primogenituram cum privilegiis f u t u r i s minus aestimabat quam cibum Iacobi p r a e s e n t e m. — Iacob ad cibum tradendum paratus est, sed postulat, ut Esau p r i u s ius primogeniturae vendat atque venditionem p r i u s iuramento (pag. 251) confirmet, ne postea eam irritam facere possit. Esau utrique postulationi Iacobi concedit.

כַּיּוֹם = „hoc die, hoc tempore i. e. nunc" (Gesenius), quare LXX *σήμερον* verterunt. „Saepius refertur ad actionem quandam instantem et est *antea, prius*" (Gesenius, cuius sententiam recentiores repetunt). — LXX alteram partem ℣. 32. reddunt *καὶ ἵνα τί μοι ταῦτα τὰ πρωτοτοκεῖα;* (cf. pag. 382). — Antiquiores ac recentiores exegetae inquirebant, quid de agendi ratione Iacobi sentiendum sit. Holzinger notat, animum subdolum et versutiam (Heimtücke und Verschlagenheit) Iacobi in textu non vituperari. Iacobum astutissimum fuisse, iam diximus (pag. 381); at primogenita Esavi cibo emens n o n peccavit, quare neque vituperatur. „Dices, saltem Iacob peccavit iniustitia, quia rem tantam tam vili pretio emit. Respondeo, ait Lapide, non peccasse, quia Esau v o l e n s e t s c i e n s rem tantam tam vili vendere voluit, quia illam c o n t e m p s i t, ut patet ℣. 34. Volenti autem et scienti, imo rem suam prodigenti et contemnenti non fit iniuria." Optimum responsum. Iacobum i n d i g e n t i a fratris abusum esse, ut Dillmann affirmat, non est verum (cf. supra). Aliter de subreptione benedictionis paternae iudicandum est, ut infra dicemus.

℣. 34. Et sic accepto *pane et lentis edulio,* LXX accuratius *Ἰακὼβ δὲ ἔδωκεν τῷ Ἠσαὺ ἄρτον καὶ ἕψεμα φακοῦ, comedit,*

et bibit, surrexit (Hebraicus et Graecus) *et abiit; parvipendens quod primogenita vendidisset,* וַיִּבֶז עֵשָׂו אֶת־הַבְּכֹרָה, *καὶ ἐφαύλισεν Ἠσαὺ τὰ πρωτοτοκεῖα.* Postquam Esau ius primogeniturae vendidit atque venditionem iuramento confirmavit, dedit ei Iacob *panem* (gag. 84) et obsonium (pag. 382). Esau comedit et bibit (pag. 284 ss.), deinde surrexit et abiit, ac si nihil extraordinarii factum fuisset. Qua agendi ratione monstravit, se ius primogeniturae contemnere. Postea tamen iudicium suum mutavit (cf. 27, 36). Dillmann, Gunkel, Bachmann recte notant, in hoc ℣. lectis verborum coloribus levitatem animi Esavi depingi.

Gunkel cum Wellhausen censet, illud *et bibit* ab anima misericordi adiectum esse. Sed assertio eorum, nullo argumento probata, cum contextu non congruit. Etiam Abraham tribus viatoribus de cibo tantum locutus est, postea vero potum quoque attulit (pag. 284 ss.); quapropter recte concludimus, Iacobum fratri suo, qui *lassus* de agro venerat, cum cibo simul potum attulisse. — Peccavitne Esau ius primogeniturae vendens? Secundum Lapide peccavit, „quia ventrem virtuti, cibum honori, gulam sacerdotio et benedictioni praetulit.“ S. Paulus (Hebr. 12, 16 s.) Christianos monet: *Ne quis fornicator, aut profanus, βέβηλος, ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua, τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ· scitote enim quoniam et postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* — Lapide addit: „Magis profani et viles quam Esau sunt peccatores, qui pro vili esca aut honoris vanitatisque illecebra Deum offendunt itaque diabolo non tantum animam, sed et Dei gratiam iusque ad hereditatem caelestem divendunt; hoc enim est ius primogeniturae Christi et Christianorum, quod Christus unigenitus eis sua morte et sanguine comparavit atque in baptismo renascentibus, sibi eos inserendo, consignavit.“

C. 26. ℣. 1. **Orta autem fame** *super terram post eam sterilitatem,* LXX accuratius *ἐγένετο δὲ λιμὸς ἐπὶ τῆς γῆς, χωρὶς τοῦ λιμοῦ τοῦ πρότερον, quae acciderat in diebus Abraham* (12, 10), *abiit Isaac ad Abimelech regem Palaestinorum in Gerara.* Terram, in qua fames orta est, antiquiores et recentiores interpretes recte Chananaeam intelligunt (pag. 227); sed Isaac iuxta 24, 62; 25, 11 ad *Lachai Ro'i* habitabat, quare Dillmann diversos scriptores statuit. At videamus contextum. Abraham in Negeb i. e. in partem australem Palaestinae venerat et inde propter famem in Chananaea ortam in Aegyptum descendit (12, 9 s.; pag. 227); in eadem terra Negeb autem etiam Isaac habitabat (cf. 24, 62;

pag. 356): ergo non mirum est, quod ipse quoque propter famam in Chananaea ortam ex Negeb in aliam regionem descendere debuerit (cf. et Hummelauer). De *Abimelech* et *Geraris* videas pag. 307; de terra *Palaestinorum* pag. 318.

Interpretes disputant, quando ea quae in cap. 26. narrantur, acciderint. Si 25, 26 cum 26, 34 comparamus, concludendum videtur, ea circa annum 100. Isaaci accidisse. Hac conclusione admissa *Abimelech* et *Phicol*, qui cum Isaaco foedus percusserunt (26, 26 ss.), non iidem esse videntur, qui circa eiectionem Ismaelis et Agar cum Abraham pacti sunt (21, 22 ss.). Lapide cum Pererio aliisque putat, hunc *Abimelech* fuisse forte filium illius; at num idem de *Phicol* supponi potest? Hoberg, licet opinionem Pererii et Lapide subscribat, nihilominus concedit, easdem personas cum Abraha et Isaaco vivere potuisse. Haec sententia, quam non solum nomina eadem, sed etiam 26, 8—11 commendant, reapse non impossibilis est. Nam Ismael inter 3. et 20. annum Isaaci (cf. pag. 312. *313*. 323) eiectus est; si illo tempore Abimelech et Phicol iuvenes erant, cum Isaaco circiter centenario vivere et pacisci potuerunt. — Hummelauer supponere videtur, ea quae cap. 26. narrantur, „brevi post Isaaci nuptias" evenisse. Hoc impossibile est. Nam Abraham 26, 18 iam mortuus nuntiatur; atqui mortuus est 15 annis post nativitatem geminorum (pag. 364): ergo. — Hanc narrationem non esse unam ex tribus recensionibus unius eiusdemque facti, iam pag. 231 ss. demonstravimus.

℣℣. 2—5. Apparuitque, וַיֵּרָא, *ei Dominus, et ait* (pag. 223): *Ne descendas in Aegyptum, sed quiesce,* שְׁכֹן, *κατοίκησον, in terra, quam dixero,* אֹמַר i. e. dicam, *tibi.* [3]*Et peregrinare in ea,* גּוּר בָּאָרֶץ הַזֹּאת i. e. peregrinare (pag. 227) in terra hac, *eroque tecum, et benedicam tibi: tibi enim et semini tuo* (pag. 238) *dabo universas regiones has,* אֶת־כָּל־הָאֲרָצֹת הָאֵל, *complens iuramentum quod spopondi,* LXX accuratius *καὶ στήσω τὸν ὅρκον μου ὃν ὤμοσα, Abraham patri tuo* (pag. 327). [4]*Et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli: daboque posteris tuis,* LXX accurratius *τῷ σπέρματί σου, universas regiones has: et BENEDICENTUR in semine tuo omnes gentes terrae,* [5]*eo quod,* עֵקֶב אֲשֶׁר (pag. 328), *obedierit Abraham voci meae, et custodierit praecepta,* מִשְׁמַרְתִּי, *τὰ προστάγματά μου, et mandata mea,* מִצְוֹתַי, *καὶ τὰς ἐντολάς μου, et ceremonias,* חֻקּוֹתַי, *καὶ τὰ δικαιώματά μου, legesque,* וְתוֹרֹתָי, *καὶ τὰ νόμιμά μου, servaverit* (deest in Hebraico et Graeco). In his versibus hagiographus rationem reddit, cur Isaac ex Negeb non in Aegyptum descenderit, sicut pater eius Abraham. Apparuerat enim ei Dominus et mandaverat, ne in Aegyptum

descenderet; ex quo mandato divino colligere possumus, Isaacum revera in Aegyptum descendere voluisse, quamvis ista voluntas non explicite notetur. Aegyptus namque „granarium orientis“ erat (Hummelauer), etiam illo tempore quo Chanaan fame premebatur (pag. 227; Hoberg). Deus voluit, ut Isaac in terra divinitus designanda maneret, et mox terram Abimelech ei designavit. Haec facta videntur, cum Isaac versus Aegyptum pergeret. — „Cur autem Aegyptum intrare prohibetur patriarcha?“ interrogat Hummelauer et respondet: „Ut in fide exerceatur omnemque spem in Deo reponat“ dicente: *eroque tecum,* וְאֶהְיֶה עִמְּךָ, fovens, dirigens et adiuvans (pag. 316). Ut libentius Isaac mandatum observaret, Deus ei obedientiam Abrahae (pag. 328) in memoriam revocavit. Verba promissionis pag. *223 s.* 238 s. 257. 272. 274. 289. 328 declarata sunt.

In ℣. 2. וַיֵּרָא et וַיֹּאמֶר plusquamperfectum accipimus ut 2, 19 (pag. 58 s.) et 12, 1 (pag. 222), quod iuxta praecepta grammaticae Hebraicae omnino licet (cf. Gesenius-Kautzsch 308 s. 329). Ita ℣. 2ᵇ cum ℣. 1ᵇ et ℣. 3ᵃ bene congruit, quod Dillmann 322 et Gunkel immerito negant. — De וְ = *nam* videas Gesenium. — Dillmann notat, intentionem Isaaci in Aegyptum proficiscendi antea non narrari; sed iuxta praecepta logica ex eo quod quaedam res non narratur, non sequitur eam non fuisse (cf. Exegeticam 120 s.). Illam intentionem tam ex verbis Dei quam ex exemplo Abrahae colligere possumus. Quodsi malueris, cum Hummelauer respondere potes: „illa intentio ne hoc quidem versu affirmatur, sed simplex habetur prohibitio; prohibetur quandoque res, antequam adfuerit intentio eius rei faciendae.“ — Hoberg in medio relinquit, utrum Deus Isaaco apparuerit et locutus sit, antequam aut postquam in Aegyptum descendere voluit, an antequam aut postquam iter ingressus est; Hoberg primae sententiae magis favet, sed contextus ultimam magis commendat. Conferas verba Dei ad Abraham pag. 321 relata. — *Universae regiones,* quas Dominus Isaaco promittit, sunt terrae a *fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum Euphraten* (15, 18); LXX habent πᾶσαν τὴν γῆν ταύτην, quae lectio cum 15, 18 magis convenit. Quia lectio Hebraica incerta est, Dillmann ex ea frustra genuinitatem textus impugnat. — Pro הָאֵל Kittel legendum putat הָאֵל = הָאֵלֶּה. — In 18, 19 Dominus dicit: „Cognovi eum propterea ut praecepturus sit filiis suis et domui suae post se, *ut custodiant viam Domini* faciendo *iudicium et iustitiam*“ (pag. 289); heic asserit *quod obedierit Abraham voci* suae, *et custodierit praecepta et mandata* sua, *et ceremonias* vel potius statuta *legesque.* Dillmann cum aliis putat, haec synonyma tempore legis, quae plurimis mandatis constat, adiecta esse. Ad quam opinionem bene scribit Hummelauer: „Sed esto, haec nomina sapiant aevum mosaicum: ergo a redactore erunt adiecta, qui

suis expressionibus valde correctis et legentibus omnino perspicuis illud enuntiaverit, quod Deus verbis paulo diversis sed sensu iisdem edixisset. Vel etiam traditio oralis, antequam haec scriptis primum mandarentur, expressiones immutavit sensu servato intacto. Denique perpende, aevum mosaicum rerum sacrarum appellationes non omnes de novo effinxisse, sed plures sane ex aevo anteriore esse mutuatum . . . ergo, si eiusmodi quandoque appellatio in Genesi deprehenditur, non est ea ratio cogens, ut a recentiore scriptore inserta esse pronuntietur.“ In 18, 19 phrasis „faciendo iudicium et iustitiam“ est declaratio prioris „ut custodiant viam Domini“; in 26, 5 phrasis „quod obedierit Abraham voci meae“ in sequenti declaratur „custodierit praecepta et mandata mea, et ceremonias legesque“.

℣℣. 6—11. Mansit itaque, וַיֵּשֶׁב, *καὶ κατῴκησεν, Isaac in Geraris.* [7] *Qui cum interrogaretur a viris loci illius,* LXX accuratius *ἐπηρώτησαν δὲ οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου, super uxore sua,* לְאִשְׁתּוֹ, *respondit: Soror mea est. timuerat enim confiteri quod sibi esset sociata coniugio,* כִּי יָרֵא לֵאמֹר אִשְׁתִּי i. e. *ἐφοβήθη γὰρ εἰπεῖν ὅτι Γυνή μού ἐστιν, reputans ne forte interficerent eum propter illius pulchritudinem,* LXX accuratius *μή ποτε ἀποκτείνωσιν αὐτὸν οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου περὶ Ῥεβέκκας, ὅτι ὡραία τῇ ὄψει ἦν.* [8] *Cumque pertransissent dies plurimi, et ibidem moraretur,* וַיְהִי כִּי אָרְכוּ־לוֹ שָׁם הַיָּמִים i. e. et factum est cum longi (= multi) ei ibi dies essent, *prospiciens Abimelech rex Palaestinorum per fenestram, vidit eum iocantem,* מְצַחֵק (pag. 313), *cum Rebecca uxore sua.* [9] *Et accersito eo, ait,* LXX accuratius *ἐκάλεσεν δὲ Ἀβιμέλεχ τὸν Ἰσαὰκ καὶ εἶπεν αὐτῷ· Perspicuum est quod uxor tua sit,* אַךְ הִנֵּה אִשְׁתְּךָ הִוא i. e. profecto ecce uxor tua est: *cur mentitus es eam sororem tuam esse?* LXX accuratius *τί ὅτι,* וְאֵיךְ i. e. et quomodo, *εἶπας Ἀδελφή μού ἐστιν; Respondit,* LXX accuratius *εἶπεν δὲ αὐτῷ Ἰσαάκ· Timui ne morerer propter eam,* LXX accuratius *Εἶπα γάρ Μή ποτε ἀποθάνω δι᾽ αὐτήν.* [10] *Dixitque Abimelech: Quare imposuisti nobis?* LXX accuratius *Τί τοῦτο,* מַה־זֹּאת (pag. 377), *ἐποίησας ἡμῖν; potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, et induxeras super nos grande peccatum,* LXX accuratius *μικροῦ ἐκοιμήθη τις τοῦ γένους μου μετὰ τῆς γυναικός σου, καὶ ἐπήγαγες ἐφ᾽ ἡμᾶς ἄγνοιαν. Praecepitque* Abimelech (Hebraicus et Graecus) *omni populo, dicens:* [11] *Qui tetigerit hominis huius uxorem,* LXX accuratius *Πᾶς ὁ ἁπτόμενος τοῦ ἀνθρώπου τούτου ἢ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, morte morietur.* De hac

narratione iam pag. 231ss. locuti sumus, quare hic breves tantum notas adiiciemus. Rebecca reapse *soror* Isaaci sensu latiore erat (cf. 330): ergo „a mendacio excusatur Isaac, uti Abraham 20, 12“ (Hummelauer); usus est restrictione late mentali (cf. pag. 228 s.). At, quomodo Isaac uxorem suam denegare potuit, cum duos filios circiter quadragenarios (pag. 385) haberet? Hoberg bene respondet, istos filios ab Isaaco probabiliter sic servis insertos fuisse, ut Palaestini eos filios Rebeccae agnoscere nequirent. Idem notat, rationem non adesse, ut pulchritudinem Rebeccae addubitemus. — Quot dies Isaac apud Palaestinos manserit, definiri nequit, quia יָמִים tempus incertum designat (pag. 100); tempus non breve fuisse, verbo אָרְכוּ indicatur. — „Putat Calm. regem memorem artis, qua usus esset Abraham, in suspicionem venisse et Isaacum observasse“ (Hummelauer). Qui verba Abimelechi consideraverit, sententiam Calmeti omnino probabilem inveniet. Conferas pag. 307—311, ex quibus etiam clarescit, quare Abimelech tam severe prohibuerit, quominus Palaestini Isaacum vel uxorem eius violarent (נָגַע).

In ℣. 7. post אִשְׁתִּי inserendum est הִיא (Kittel cum Samaritano et LXX). — In ℣. 8. habent LXX διὰ τῆς θυρίδος, quod etiam *per fenestram* significare potest (Passow). De חַלּוֹן videas pag. 136. — אָשָׁם in 26, 10 atque חַטָּאָה in 20, 9 synonyma sunt (Hummelauer et Hoberg; cf. Gesenius 160).

℣℣. 12—16. Sevit autem Isaac *in terra illa,* בָּאָרֶץ הַהִוא, *et invenit in ipso anno,* בַּשָּׁנָה הַהִוא i. e. in anno illo, *centuplum: benedixitque ei,* וַיְבָרֲכֵהוּ i. e. nam benedixit ei (cf. Gesenius 397; Lapide) *Dominus* (pag. 16). [13]*Et locupletatus est homo,* וַיִּגְדַּל הָאִישׁ i. e. et magnus factus est vir, *et ibat proficiens atque succrescens,* וַיֵּלֶךְ הָלוֹךְ וְגָדֵל i. e. et procedebat procedendo et magnus fiebat = magis magisque magnus factus et (pag. 147), *donec magnus vehementer effectus est,* עַד כִּי־גָדַל מְאֹד: [14]*habuit quoque possessiones ovium et* possessiones (Hebraicus et Graecus) *armentorum, et familiae plurimum,* וַעֲבֻדָּה רַבָּה i. e. et familiam multam. *Ob hoc invidentes ei Palaestini,* [15]*omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo:* [16]*in tantum, ut ipse Abimelech diceret ad Isaac:* LXX accuratius

ἐζήλωσαν δὲ αὐτὸν οἱ Φυλιστιείμ· [15]*καὶ πάντα τὰ φρέατα, ἃ ὤρυξαν οἱ παῖδες τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἐν τῷ χρόνῳ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ἐνέφραξαν αὐτὰ οἱ Φυλιστιείμ καὶ ἔπλησαν αὐτὰ γῆς.* [16]*εἶπεν δὲ Ἀβιμέλεχ πρὸς Ἰσαάκ· Recede a nobis, quoniam potentior nobis factus es valde* vel potius nimis, מִמֶּנּוּ מְאֹד. Quod Isaac tempore famis *(in ipso anno)* messem opimam fecerit, hagiographus benedictioni divinae ascribit. Tunc Palaestini, divitiis eius invidentes, in illa regione ubi Isaac commorabatur, puteos quos iam servi Abrahae foderant, humo impleverunt, ut eum hoc modo expellerent (cf. Dillmann); rex autem diserte postulavit, ut Isaac illam regionem relinqueret.

Etiam Iacob cum filiis suis agrum colebat (37, 7). Messem tam opimam nunc quoque in Hauran faciunt (Dillmann aliique). — מֵאָה שְׁעָרִים in Ṽ. 12. = centum mensurae, „i. e. fructus centesimus ei redibat ex agro . . . Male LXX et Syr. legerunt שְׂעֹרִים *hordeum*“. Ita Gesenius 1461, cuius sententiam recentiores repetunt. — Ad Ṽ. 14. comparari potest 20, 14. — In Ṽ. 15. textus Hebraicus et Graecus nuntiat, puteos quos servi Abrahae in diebus eius foderant, a Palaestinis humo impletos esse, quin tempus huius rei determinet; textus Vulgatae hanc rem eo tempore factam dicit, quo Isaac dives evaserat. Hoberg cum Hummelauer Ṽ. 15. parenthesim declarat et in plusquamperfecto reddit; Hummelauer insuper hunc Ṽ. post Ṽ. 17. collocandum censet: ambo putant, hagiographum in Ṽ. 15. et Ṽ. 18. de iisdem puteis loqui. Probabilior tamen videtur sententia Dillmanni hagiographum de diversis puteis loqui.

ṼṼ. 17—22. Et ille discedens, *ut veniret ad torrentem Gerarae, habitaretque ibi,* LXX accuratius *καὶ ἀπῆλθεν ἐκεῖθεν Ἰσαὰκ καὶ κατέλυσεν ἐν τῇ φάραγγι Γεράρων,* בְּנַחַל־גְּרָר, *καὶ κατῴκησεν ἐκεῖ·* [18]*rursum fodit alios puteos,* וַיָּשָׁב יִצְחָק וַיַּחְפֹּר אֶת־בְּאֵרֹת הַמַּיִם i. e. *καὶ πάλιν Ἰσαὰκ ὤρυξεν τὰ φρέατα τοῦ ὕδατος, quos foderant servi patris sui Abraham, et quos, illo mortuo,* אַחֲרֵי מוֹת אַבְרָהָם, *μετὰ τὸ ἀποθανεῖν Ἀβραάμ, olim* (deest in Hebraico et Graeco) *obstruxerant Philisthiim: appellavitque eos eisdem nominibus quibus ante pater vocaverat,* LXX accuratius *καὶ ἐπωνόμασεν αὐτοῖς ὀνόματα κατὰ τὰ ὀνόματα ἃ ὠνόμασεν Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ αὐτοῦ.* [19]*Foderuntque* servi Isaac (Hebraicus et Graecus) *in Torrente,* בַּנָּחַל, *ἐν τῇ φάραγγι Γεράρων, et repererunt aquam vivam,* LXX accuratius *καὶ εὗρον ἐκεῖ φρέαρ ὕδατος ζῶντος.* [20]*Sed et ibi iurgium fuit pastorum Gerarae adversus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua. quam ob*

rem nomen putei ex eo, quod acciderat, vocavit Calumniam, LXX accuratius *καὶ ἐμαχέσαντο οἱ ποιμένες Γεράρων μετὰ τῶν ποιμένων Ἰσαάκ, φάσκοντες αὐτῶν εἶναι τὸ ὕδωρ· καὶ ἐκάλεσεν τὸ ὄνομα τοῦ φρέατος ἐκείνου Ἀδικία,* עֵשֶׂק i. e. rixa (Gesenius), *ἠδίκησεν γὰρ αὐτόν,* כִּי הִתְעַשְּׂקוּ עִמּוֹ i. e. nam litigaverant cum eo (cf. Gesenius). [21] *Foderunt autem et* (deest *et* in Hebraico et Graeco) *alium* puteum (Hebraicus et Graecus): *et pro illo,* עָלֶיהָ, *περὶ ἐκείνου, quoque rixati sunt, appellavitque eum,* LXX accuratius *καὶ ἐπωνόμασεν τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Inimicitias,* שִׂטְנָה, *Ἐχθρία.* [22] *Profectus inde fodit alium puteum, pro quo,* עָלֶיהָ, *non contenderunt: itaque vocavit nomen eius, Latitudo,* רְחֹבוֹת, *Εὐρυχωρία, dicens: Nunc,* כִּי־עַתָּה, *διότι νῦν, dilatavit nos Dominus,* הִרְחִיב יְהוָה לָנוּ, *ἐπλάτυνεν κύριος ἡμῖν, et fecit crescere super terram;* similiter Graecus et Syrus = וַיַּפְרֵנוּ בָאָרֶץ, sed Masorethicus habet וּפָרִינוּ בָאָרֶץ i. e. ita ut fecundi esse possimus in terra. — Isaac regionem urbi proximam relinquens in vallem Gerarae profectus est, quae inter Geraram et Bersabee patet (cf. Hummelauer). Ibi prius puteos ab Abraha effossos, sed post mortem eius a Palaestinis humo repletos *rursum fodit,* וַיָּשָׁב וַיַּחְפֹּר, „eruderavit et expurgavit" (Lapide) eisque nomina antiqua imposuit. „Maluit Isaac veteres patris puteos eruderare, quam novos fodere, inquit Lapide, primo quia certus erat illic esse venam aquae. Secundo ad minuendam invidiam Geraritarum, cum tantum repeteret et renovaret puteos, quos illi patri suo iam pridem concesserant. Tertio ut ita gratam patris memoriam, labores et opera recoleret ac veneraretur; unde et priora nomina, a patre puteis imposita, Isaac revocavit et renovavit: ita Delrio." Deinde novos quoque puteos fodit (Delitzsch, Hoberg) et congruentibus nominibus vocavit. Puteos pro pastoribus maximi momenti esse, iam pag. 234 et 317 diximus: hinc illa rixa pastorum, quam Isaac evitare voluit (S. Chrysostomus).

„Quum נַחַל utrumque significet, *torrentem* et *vallem,* eadem locutione modo haec modo ille intelligi potest . . . in locis ambiguis, maxime in descriptionibus geographicis, nisi aliae rationes obstent", praeferenda est *torrentis* vel *rivi* significatio (Gesenius). In ℣℣. 17 et 19 נַחַל non torrentem, sed *vallem* significare, contextus docet et omnes interpretes sentiunt. In textu Vulgatae *„torrens* per metonymiam vocatur ipse

alveus siccus, ait Lapide, qui in hieme aqua pluvia impletur et exundat fitque torrens, sed in aestate siccitate exarescit". — „Id certum est, torrentem qui haud procul Gerara in mare immittatur, ipsam Bersabee praeterfluere, ut reapse Isaac per torrentis vallem ascendens potuerit eo pervenire" (Hummelauer). — Verbum שׁוּב alio verbo sequente *„rediit et fecit* vel *rediit ad* (aliquid) *faciendum* idem est quod *iterum fecit*" (Gesenius). Ergo וַיָּשָׁב וַיַּחְפֹּר = et rediit et fodit = iterum vel rursum fodit vel „refodit puteos obturatos" (Gesenius aliique). — In ℣. 18 loco בִּימֵי אַבְרָהָם Kittel cum Samaritano, Graeco, Latino עַבְדֵי אַבְרָהָם legendum iudicat. — Qui catholicam inspirationis notionem retinet (cf. pag. 37), cum Dillmann aliisque asserere nequit, eosdem puteos in uno documento Abrahae, in altero autem Isaaco ascriptos fuisse, redactorem vero ambas relationes in ℣. 18. conciliasse; scriptor inspiratus enim proprio nomine loquens nihil a veritate alienum proponere potest. — In ℣℣. 19—22 hagiographus de novis puteis loquitur, quia verbum שׁוּב omittit. Gunkel 276 sine ullo argumento affirmat, hagiographum in ℣℣. 19—22 de eisdem puteis loqui, quos in ℣. 18. nominavit. — Hummelauer putat, nomina ab Abraha puteis imposita et ab Isaac repetita postea in illa mutata esse, quae in ℣℣. 19—22 leguntur; at haec sunt nomina novorum puteorum. — Aquam *vivam* vocat Scriptura aquam „scaturientem, fontanam et perennem" (Lapide); de puteo aquae vivae conferas pag. 270. — Nomen עֵשֶׂק alibi nondum inventum est; cum שִׂטְנָה comparant *wadi esch-Schetein,* cum רְחֹבֹת autem *Ruḥêbe* (cf. Holzinger, Dillmann, Strack² 101 s.); sed haec omnia incerta sunt (cf. ℣. 23).

℣℣. 23—25. **Ascendit autem** *ex illo loco,* מִשָּׁם, *ἐκεῖθεν, in Bersabee* (pag. 317 s.), [24]*ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte* (cf. pag. 223. 254), *dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum* (26, 3): *benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham* (26, 3 ss.). [25]*Itaque aedificavit,* וַיִּבֶן, *ibi altare* (pag. 153): *et invocato nomine Domini,* וַיִּקְרָא בְּשֵׁם יְהוָה (pag. 112), *extendit* ibi (Hebraicus et Graecus) *tabernaculum* suum: *praecepitque servis suis ut foderent puteum,* LXX accuratius *ὤρυξαν δὲ ἐκεῖ οἱ παῖδες Ἰσαὰκ φρέαρ.* Dominus se Deum Abrahae nominans „magnam in illum suam benevolentiam monstrat" (S. Chrysostomus); Abrahamum autem servum suum vocans, eius pietatem protestatur. Nam phrasis עֶבֶד יְהוָה *servus Domini* „est epitheton ornans, quod tribuitur piis Dei cultoribus . . . plerumque tamen adiunctam habet notionem servi familiaris, propter pietatem et fidem probatam a Deo ad res suas perficiendas electi et dilecti" (Gesenius). Conferas pag. 309. Illud *noli timere, quia ego tecum*

sum S. Chrysostomus sic exponit: „et invictus eris et infestantibus potentior et invadentibus fortior, et tantam tui curam habebo, ut invidiosus illis sis futurus." Dillmann et Gunkel cum Knobel mirabile ducunt, quod Isaac prius altare aedificaverit et deinde tabernaculum extenderit. At minime mirum quidem est, quod Isaac prima *ipsa nocte* in Bersabee revelatione Domini recreatus mane prius sacrificium eucharisticum obtulerit ac deinde longiores mansionis causa (cf. sequentia) tabernaculum suum fixerit (Hoberg).

In ℣. 23. Isaac e R^e^choboth in Bersabee *ascendisse* dicitur; sed locus quem R^e^choboth esse putant, 325 *m*, et locus qui pro Bersabee habetur, 240 *m* dumtaxat altus est (cf. Hoberg, Gunkel, Holzinger): ergo Isaac de R^e^choboth in Bersabee descendere debuerat. Propterea iam pag. 391 conclusimus, R^e^choboth non apto loco monstrari (cf. Hoberg). — Holzinger censet, revelationem Isaaco factam fuisse valde inanem (recht inhaltlos); in veritate tamen Isaac inter varias Geraritarum inimicitias repetitione illius *ego tecum sum* atque monitione *noli timere* indigere potuit eaque valde recreari et confirmari debuit, ut experientia quotidiana testatur. — Idem Holzinger asserit, in hac parte Abrahamum cum damno Isaaci illustrari et celebrari; sed ne unico quidem argumento logice valido assertum suum confirmare conatur, quod cum catholica inspirationis notione (pag. 37) conciliari nequit.

℣℣. 26—31. Ad quem locum *cum venissent de Geraris Abimelech, et Ochozath amicus illius, et Phicol dux militum,* [27]*locutus est eis Isaac:* LXX accuratius *καὶ Ἀβιμέλεχ ἐπορεύθη πρὸς αὐτὸν ἀπὸ Γεράρων, καὶ Ὀχοζὰθ ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ καὶ Φικὸλ ὁ ἀρχιστράτηγος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ.* [27]*καὶ εἶπεν αὐτοῖς Ἰσαάκ·* *Quid venistis ad me hominem* (deest *hominem* in Hebraico et Graeco) *quem odistis, et expulistis a vobis?* [28]*Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum,* LXX accuratius *ἰδόντες ἑωράκαμεν,* רָאוֹ רָאִינוּ (pag. 56), *ὅτι ἦν κύριος μετὰ σοῦ, et idcirco* (deest *idcirco* in Hebraico et Graeco) *nos diximus: Sit iuramentum inter nos,* בֵּינוֹתֵינוּ בֵּינֵינוּ וּבֵינֶךָ i. e. inter nos, inter nos et inter te, LXX *ἀνὰ μέσον ἡμῶν καὶ ἀνὰ μέσον σοῦ, et ineamus foedus,* LXX accuratius *καὶ διαθησόμεθα μετὰ σοῦ διαθήκην,* [29]*ut non facias nobis quidquam* (deest *quidquam* in Hebraico et Graeco) *mali, sicut et nos nihil tuorum* (pro *nihil tuorum* habent Hebraicus et Graecus *te*) *attigimus, nec fecimus quod te laederet,* וְכַאֲשֶׁר עָשִׂינוּ עִמְּךָ רַק־טוֹב i. e. et quomodo nos fecimus tecum tantum-

modo bonum: *sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini,* LXX accuratius *καὶ ἐξαπεστείλαμέν σε μετ' εἰρήνης· καὶ νῦν σὺ εὐλογητὸς ὑπὸ κυρίου,* אַתָּה עַתָּה בְּרוּךְ יְהוָה. [30]*Fecit ergo eis convivium, et post cibum et potum* [31]*surgentes mane, iuraverunt sibi mutuo: dimisitque eos Isaac pacifice in locum suum.* LXX accuratius *καὶ ἐποίησεν αὐτοῖς δοχήν, καὶ ἔφαγον καὶ ἔπιον.* [31]*καὶ ἀναστάντες τὸ πρωὶ ὤμοσαν ἄνθρωπος τῷ πλησίον αὐτοῦ,* אִישׁ לְאָחִיו i. e. alter alteri (cf. pag. 205 et grammaticam), *καὶ ἐξαπέστειλεν αὐτοὺς Ἰσαάκ, καὶ ἀπῴχοντο ἀπ' αὐτοῦ μετὰ σωτηρίας,* בְּשָׁלוֹם. — Dillmann affirmat, causam itineris regis Gerarae parum declaratam esse (die Reise . . . . ist wenig motiviert); cui Hummelauer optime respondet: „Non cernit, qui claudit oculos: habetur enim ratio v. 24. 28. Deus ita promissam protectionem largitus est, ut cor regis emolliret; rex perspexit Isaac esse Deo imprimis carum, prospere agere; ideo tutius esse duxit, eum sibi devincire amicum." Similiter Strack[2]; conferas et pag. 317. *Abimelech* et *Phicol* eosdem esse posse, qui cum Abraham foedus icerunt, pag. 385 diximus; *Ochozath,* אֲחֻזַּת, vocatur מֵרֵעַ = רֵעַ a verbo רָעָה = pastus est, familiariter usus est (Gesenius), ergo familiaris seu intimus *amicus* regis. Tres hos viros ad se venientes Isaac merito increpat: *odistis* magis ad comites regis, *expulistis* magis ad regem ipsum spectat (cf. pag. 389). Responsum eorum illi simile est, quod Abrahae dederunt (pag. 217): eum, cuius adiutorem Deum esse clare viderant, amicum habere volebant. Insuper „Abimelech, uti 21, 26, ignorantiam simulat iniuriarum a suis illatarum; eorum meminit solum, quae Gerarae coram ipso acta fuerant. Isaac ad iniurias alludit v. 27, sed ubi intellexit, eos amicitiae causa accessisse, pacis studiosus etiam ipse ignorat" (Hummelauer). Convivio igitur apparato atque iuramento praestito eos in pace dimisit.

Ad formam nominis אֲחֻזַּת notat Bachmann גָּלְיַת *Goliath,* גִּבְעַת *Gibʿath,* צָרְפַת *Zarephath.* — In ℣. 27. מַדּוּעַ contractum est „ex מַה־יָּדוּעַ *quid edoctus* i. e. qua ratione ductus . . . adv. interrogandi: *quare, cur*" (Gesenius 574, ad ידע). — In ℣. 28. Kittel cum aliis בֵּינֵינוּ delendum iudicat, provocans ad versiones; sed hoc argumentum non multum valet, quia versiones in rebus minoribus saepe minus accuratae sunt. — De אִם in ℣. 29. videas pag. 251. — Pro *auctum benedictione Domini* erat

vertendum *tu iam es benedictus Domini.* Sensum Vulgatae Hummelauer sic exponit: „Grati animi est, ut te nobis amicum exhibeas, quia bona tua omnia a nobis tandem profecta sunt. Vir egregie impudens.“ At versio Vulgata non accurata est. — Gunkel putat, benedictionem Domini praecipue in eo sitam fuisse, quod Isaac puteos invenerit; at contextus remotus ostendit, in benedictione divina patriarchis data maiora comprehensa fuisse quam inventionem puteorum.

℣℣. 32. 33. **Ecce autem** *venerunt in ipso die servi Isaac annunciantes ei,* LXX accuratius *ἐγένετο δὲ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ καὶ παραγενόμενοι οἱ παῖδες Ἰσαὰκ ἀπήγγειλαν αὐτῷ, de puteo, quem foderant, atque dicentes* ei, וַיֹּאמְרוּ לוֹ: *Invenimus aquam,* LXX male *καὶ εἶπαν Οὐχ εὕρομεν ὕδωρ.* [33] *Unde appellavit,* וַיִּקְרָא, *eum, Abundantiam,* שִׁבְעָה, *Ὅρκος: et nomen urbi impositum est,* עַל־כֵּן שֵׁם־הָעִיר i. e. propterea nomen urbis est, *Bersabee,* בְּאֵר שֶׁבַע, *Φρέαρ ὅρκου, usque in praesentem diem,* עַד הַיּוֹם הַזֶּה. — Postquam Abimelech et Isaac foedus iuratum inierunt, servi ad fodiendum puteum missi (℣. 25) Isaaco nuntiarunt, se aquam invenisse. Isaac nominavit puteum *iuramentum,* שִׁבְעָה = שְׁבֻעָה (cf. pag. 317 et Bachmann), quia foedere iurato „a Philisthaeorum violentia defendebatur“ (Hummelauer, cf. et Gunkel). Unde Isaac etiam locum illo nomine vocavit, quo eum iam Abraham vocaverat (pag. 317).

Lapide et Hoberg putant, servos Isaaci in Bersabee puteum olim ab Abraha effossum refodisse et eruderasse; cui sententiae obstare videtur, quod servi Isaaci non *iterum* fodisse dicantur (cf. pag. 391). — Lectionem *Οὐχ εὕρομεν ὕδωρ,* quam LXX dumtaxat exhibent, falsam esse omnes interpretes sentiunt ac ℣. 33. ostendit. — Interpres Latinus שִׂבְעָה (non per *Schîn* sed per *Sîn* scriptum) legit, quae vox satietatem vel *abundantiam* significat. — Quomodo שֶׁבַע *septem* et שָׁבַע *iuravit* cohaereant, pag. 318 exposuimus. Kittel cum aliis non שִׁבְעָה sed שָׁבַע legendum iudicat. — Post עַל־כֵּן addunt Graecus et Syrus קָרָא. — Dillmann cum Knobel asserit, nomen בְּאֵר שֶׁבַע aliter 21, 31 aliter 26, 33 declarari; sed hoc assertum falsum est. Nam iuxta 21, 31 locus *Bersabee* nominatus est, quia Abimelech et Abraham ibi foedus iuratum percusserant, quod etiam ad puteum respiciebat (cf. pag. 317); iuxta 26, 33 idem nomen loco impositum est, quia ibidem Abimelech et Isaac foedus iuratum icerant, quo puteus quoque defendebatur (vide supra). Isaacum puteis refossis antiqua nomina imposuisse, hagiographus ℣. 18. narravit (pag. 389); ex quo etiam clarescit, quare eidem loco idem nomen tum ab Abraha tum ab Isaac impositum referatur (cf. eumdem Dillmann ad ℣. 18). Videas et

Lipoman. apud Lapide et Hoberg. „Minime mirandum, scribit Hummelauer, unius quandoque loci nomen, uti h. l., cum duobus eventibus connecti."

Holzinger cum plurimis exegetis protestantibus (cf. Strack[2] 101 s.) asserit, in 21, 22—31 atque 26, 26—33 duas variantes unius eiusdemque facti contineri; in veritate autem duo facta diversa narrantur, quemadmodum ex circumstantiis diversis elucet. Etenim ibi (i. e. 21, 22—31) Abraham pater Isaaci, hic (i. e. 26, 26—33) Isaacus filius Abrahae cum Geraritis paciscitur; ibi Abimelech et Phicol, hic etiam amicus regis Ochozath in Bersabee veniunt; ibi rex increpatur propter puteum a servis eius vi Abrahae ablatum, hic rex et comites eius odii et expulsionis accusantur; ibi puteus in Bersabee iam ante foedus ictum Abrahae servierat, hic post foedus ictum Isaaco aqua inventa nuntiatur; ibi Abraham regi oves et boves dedisse scribitur, quod hic tacetur; ibi ius putei explicite, hic implicite firmatum est; ibi convivium tacetur, quod hic commemoratur. Ex diversis hisce circumstantiis iuxta praecepta logica et ecclesiastica concludimus, in istis locis biblicis duo facta, quoad substantiam utique similia, narrari. Nam scriptor inspiratus tam ibi quam hic proprio nomine loquens, ut contextus ostendit, falsa referre nequit (pag. 37); referret autem falsa, si rem reapse semel tantum factam qua bis in circumstantiis diversis factam proponeret: ergo non unum sed duo facta accipienda sunt (cf. pag. 233). Ex eo quod nomina, immo ex sententia nostra (pag. 385) etiam personae *Abimelech* et *Phicol* eaedem sunt, secundum praecepta logica non sequitur, *foedus* ab eis percussum esse unum et idem, quia *reliquae circumstantiae diversae* sunt. Easdem personas in circumstantiis diversis bis foedus simile percutere, teste philosophia metaphysice et physice et moraliter possibile est atque teste experientia saepius revera accidit: ergo non est cur negemus, ab Abimelech et Phicol in Bersabee bis foedus percussum esse. Etiam Strack[2] 101 s., licet catholicam inspirationis notionem non retineat, tamen possibile ac verisimile censet, hagiographum de duobus factis diversis loqui. Contraria sententia nullo argumento logice valido confirmatur, cum similitudo foederis percussi et aequalitas nominum, ad quam provocant, logice nihil valeat, uti diximus.

ŸŸ. 34. 35. Esau vero, וַיְהִי עֵשָׂו, *ἦν δὲ Ἠσαύ, quadragenarius duxit uxores,* LXX accuratius *γυναῖκα, Iudith,* יְהוּדִית, *Ἰουδίν, filiam Beeri,* בְּאֵרִי, *Βεήρ, Hethaei,* הַחִתִּי, *et Basemath,* בָּשְׂמַת, *Μασεμμάθ, filiam Elon eiusdem loci,* אֵילֹן הַחִתִּי i. e. Elon Hethaei (LXX habet *Αἰλὼμ τοῦ Εὐαίου,* etiam Syrus et Samaritanus הַחִוִּי habent): [35] *quae ambae offenderant animum Isaac et Rebeccae,* וַתִּהְיֶיןָ מֹרַת רוּחַ לְיִצְחָק וּלְרִבְקָה i. e. et fiebant amaritudo spiritus pro Isaac et Rebecca. — De nominibus uxorum Esavi conferas 36, 2; de *Hethaeis* videas pag. 194. 333. Illud וַתִּהְיֶיןָ = וַתִּהְיֶינָה (Buhl, Strack). Istae uxores Esavi „suis

malis moribus et contumacia, et quia manebant idololatrae" (Lapide, Targum Ierosolymitanum) Isaaco et Rebeccae acerbum dolorem inurebant. Strack[2] bene notat, Esavum sua agendi ratione (cf. 24, 3 s.) monstrasse, se hereditate promissionum divinarum indignum esse; similiter Hoberg.

C. 27. ℣℣. 1—4. **Senuit autem Isaac,** וַיְהִי כִּי־זָקֵן, *et caligaverunt oculi eius, et videre non poterat,* וַתִּכְהֶיןָ... מֵרְאֹת i. e. caligabant... ita ut non viderent (Gesenius 807, Gesenius-Kautzsch 387; videas מִן in lexico): *vocavitque Esau filium suum maiorem, et dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum,* הִנֵּנִי i. e. ecce me (cf. pag. 323). 2 *Cui pater: Vides, inquit, quod senuerim, et ignorem,* LXX accuratius *καὶ εἶπεν· Ἰδοὺ γεγήρακα καὶ οὐ γινώσκω, diem mortis meae.* 3 *Sume* iam (Hebraicus et Graecus) *arma tua,* כֵּלֶיךָ, *τὸ σκεῦος, pharetram, et arcum,* תֶּלְיְךָ וְקַשְׁתֶּךָ, *τήν τε φαρέτραν καὶ τὸ τόξον, et egredere foras,* וְצֵא הַשָּׂדֶה, *καὶ ἔξελθε εἰς τὸ πεδίον· cumque venatu aliquid apprehenderis,* 4 *fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, et affer ut comedam,* LXX accuratius *καὶ θήρευσόν μοι θήραν·* 4 *καὶ ποίησόν μοι ἐδέσματα,* מַטְעַמִּים i. e. cuppedias, *ὡς φιλῶ ἐγώ, καὶ ἔνεγκόν μοι, ἵνα φάγω· et benedicat tibi anima mea antequam moriar.* — Inter matrimonium Esavi (pag. 395) et annum, quo Isaac fraude deceptus Iacobo benedixit eumque in Haran misit, 37 anni praeterierant. Annum, quo Iacob in Haran missus est, invenimus, si textus et numeros sequentes conferimus. Ioseph anno 14. servitutis Iacobi natus (30, 25) erat 30 annorum, quando praepositus Aegypti constitutus est (41, 46); post fertilitatem 7 annorum (41, 47) et biennium famis (45, 6), ergo quando Ioseph 39 annorum erat, Iacob 130 annos natus (47, 9) in Aegyptum venit. Si ab 130 deducimus 39, invenimus Iacobum 91 annorum fuisse, quando Ioseph natus est, atque 77 annorum, quando in servitutem Labani se addixit (cf. Teol. bibl. Test., Vet. 76). Atqui Iacob 40 annorum erat, quando Esau uxores duxit (26, 34): ergo interim 37 anni praeterierant. — Isaac 137 annos natus (25, 26 coll. 26, 34) filiis suis benedicens, senex 180 annorum mortuus est (35, 28), ergo post benedictionem eis impertitam adhuc 43 annos vixit (cf. Eusebium, praep. l. 9, cap. 4, Pererium, Lapide, Hummelauer, Hoberg). Quod vir 137 annorum dixerit: „Ecce senui et ignoro diem mortis meae", non est mirandum.

Insuper „caeci facilius indulgent seriis cogitationibus“, ait Hummelauer; Isaac caecitatem aestimabat esse totam quantam senectutis effectum et hinc brevi secuturae mortis praesagium. Dies mortis ignorata causa est, cur benedictionem nolit differre Isaac“. Gunkel 283 asserit, Isaacum animam egisse (der blinde alte Vater auf dem Sterbebette); Calmetus eum gravi morbo correptum fuisse opinatur: neutrum tamen „componi potest cum tanto appetitu carnis ferarum, et quidem recenter occisarum“ (Hummelauer). Etenim „vegetae ac vividae senectutis argumentum est, tantopere venatitias et ferinas carnes in cibum appetere. Ergo Isaac, etsi infirma erat acie oculorum, robustissimo tamen atque optimo fuisse stomacho, qui est officina vitae, necesse est“ (Pererius ab Hummelauer citatus). — Esavo „volebat benedicere tamquam primogenito, inquit Hummelauer, nam divina promissio 25, 23 ius primogeniturae non ademerat, neque pater venditionem 25, 33 ratam habebat“. Quare Isaac ante benedictionem cuppedias i. e. „delicatioris cibi fercula“ comedere voluerit, Lapide cum Lipomano sic explicat: „erat enim haec dies benedictionis filii fausta, laeta et solemnis, et proinde laeto et iucundo epulo celebranda.“

Hummelauer ad 1 Reg. 3, 2 provocans putat, caecitatem Isaaci fuisse imperfectam; saltem talis fuit, ut Iacobum ab Esavo distinguere non posset. — Lapide (ad 26, 35 et 27, 1) recte patientiam Isaaci admiratur, qui prius a Geraritis vexatus, deinde ab Esavo et uxoribus eius contristatus, demum caecitate 43 annorum afflictus est. — תְּלִי pharetram cum sagittis, non ensem significat (Gesenius, Buhl aliiquae). — צֵידָה (kᵉthibh) = commeatus, cibus = צַיִד (kᵉre) = venatio (cf. pag. 381), cibus, commeatus (cf. Gesenius, Buhl). — Plures eo offensi sunt, quod Isaac delicatioris cibi ferculis in motus animi ad benedicendum aptos induci voluerit (cf. Holzinger, Gunkel, Dillmann). Holzinger in eo mores prophetarum Chananaeorum apparere putat; Gunkel opinatur, in fabula originali epulum narratum fuisse, in quo deitas citata sit. At duae hae sententiae contextu excluduntur, sententia autem supra ex Lapide proposita omnino sufficienter rem declarat. Si nihilominus appetitus Isaaci cuidam displicuerit, monitum Hummelaueri consideret: „cave, id carpas in viro, cui ob caecitatem pluribus carendum esset oblectamentis.“ — Secundum 28, 10 haec in *Bersabee* acta sunt (Gunkel).

℣℣. 5—10. Quod cum audisset Rebecca, *et ille abiisset in agrum ut iussionem patris impleret,* [6] *dixit filio suo Iacob:*

Audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, et dicentem ei. LXX accuratius *Ῥεβέκκα δὲ ἤκουσεν λαλοῦντος Ἰσαὰκ πρὸς Ἠσαὺ τὸν υἱὸν αὐτοῦ· ἐπορεύθη δὲ Ἠσαὺ εἰς τὸ πεδίον θηρεῦσαι θήραν τῷ πατρὶ αὐτοῦ* (cum LXX Kittel לְאָבִיו legendum iudicat; textus Masorethicus לְהָבִיא = ut afferret). [6] *Ῥεβέκκα δὲ εἶπεν πρὸς Ἰακὼβ τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν ἐλάσσω* (Hebraicus haec duo vocabula omittit et addit לֵאמֹר)· *Ἴδε ἐγὼ ἤκουσα τοῦ πατρός σου λαλοῦντος πρὸς Ἠσαὺ τὸν ἀδελφόν σου λέγοντος·* [7] *Affer mihi de venatione tua,* צַיִד, *θήραν, et fac* mihi *cibos,* מַטְעַמִּים, *ἐδέσματα* (pag. 396) *ut comedam, et benedicam tibi coram Domino,* לִפְנֵי יְהוָה, *antequam moriar,* לִפְנֵי מוֹתִי. [8] *Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis,* LXX accuratius *νῦν οὖν, υἱέ, ἄκουσόν μου καθὰ ἐγὼ ἐντέλλομαι σοι·* [9] *et pergens ad gregem,* הַצֹּאן (pag. 99), *affer mihi* inde (Hebraicus et Graecus) *duos hoedos optimos,* שְׁנֵי גְּדָיֵי עִזִּים טֹבִים i. e. duos hoedos caprarum eximios, *ut faciam ex eis escas,* מַטְעַמִּים, *patri tuo, quibus libenter vescitur,* LXX accuratius *ὡς φιλεῖ·* [10] *quas cum intuleris, et comederit, benedicat tibi,* LXX accuratius *καὶ εἰσοίσεις τῷ πατρί σου, καὶ φάγεται, ὅπως εὐλογήσῃ σε, priusquam moriatur.* — Ob rationem pag. 380 allatam Esau filius Isaaci per eminentiam (℣. 5, textus Hebraicus et Graecus) et Iacob filius Rebeccae per eminentiam (℣. 6) appellatur (Dillmann). Benedicere *coram Domino* idem est ac „vidente, audiente, invocato, annuente et aspirante Domino“ (Lapide cum Pererio, Hummelauer, Hoberg); „Iova praesente ac teste“, 1 Reg. 23, 18 (Dillmann). Phrasis enuntiat, Isaacum praesentiam Domini credidisse (Hoberg), non autem, eum imaginem Domini in domo habuisse, ut Stade putavit (cf. Dillmann et Gunkel). Duos hoedos caprarum eximios Rebecca praeparavit, quia „teneriores tantum partes ipse erat comesturus“ (Hummelauer, Bonfrerius, Lapide), et quia antiquitus hospites affluentia ciborum honorabantur (cf. Gen. 18, 6; 43, 34; 1 Reg. 9, 24; Dillmann et Hummelauer). Gunkel non male observavit, iam Rebeccam artes culinarum coluisse, quibus carnes animalium domesticorum sic praeparantur, ut carnibus ferinis equiperentur.

℣℣. 11—17. Cui ille respondit, LXX accuratius *εἶπεν δὲ Ἰακὼβ πρὸς Ῥεβέκκαν τὴν μετέρα αὐτοῦ· Nosti quod,* הֵן i. e. ecce, *Esau frater meus homo pilosus sit* (pag. 379), *et ego* homo

(Hebraicus et Graecus) *lenis,* חָלָק i. e. glaber: [12]*si,* אוּלַי i. e. forsitan, *attrectaverit me pater meus, et senserit* (deest *et senserit* in Hebraico et Graeco), *timeo ne putet me sibi voluisse illudere,* LXX accuratius *καὶ ἔσομαι ἐναντίον αὐτοῦ ὡς καταφρονῶν, et inducam super me maledictionem pro benedictione.* [13]*Ad quem mater* eius: *In me sit, ἐπ' ἐμέ, ait, ista maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, et pergens affer* mihi *quae dixi* (desunt *quae dixi* in Hebraico et Graeco). [14]*Abiit, et attulit, deditque matri* suae. *Paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem illius,* LXX accuratius *καὶ ἐποίησεν ἡ μήτηρ αὐτοῦ ἐδέσματα, καθὰ ἐφίλει ὁ πατὴρ αὐτοῦ.* [15]*Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum,* LXX accuratius *καὶ λαβοῦσα Ῥεβέκκα τὴν στολὴν,* אֶת־בִּגְדֵי, *Ἠσαῦ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς τοῦ πρεσβυτέρου τὴν καλὴν,* הַחֲמֻדֹת, *ἣ ἦν παρ' αὐτῇ ἐν τῷ οἴκῳ, καὶ ἐνέδυσεν Ἰακὼβ τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν νεώτερον,* [16]*pelliculasque hoedorum* caprarum *circumdedit manibus* eius, *et colli nuda,* חֶלְקַת (cf. ℣. 11), *protexit* (deest in Hebraico et Graeco). [17]*Deditque pulmentum, et panes, quos coxerat, tradidit,* LXX accuratius *καὶ ἔδωκεν τὰ ἐδέσματα καὶ τοὺς ἄρτους, οὓς ἐποίησεν, εἰς τὰς χεῖρας Ἰακὼβ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς.* De timore Iacobi Hummelauer cum Calmeto notat: „Ludibrium magis attendit Iacob, quam deceptionem aut iniustitiam. Sane aegerrime laturus fuisset pater caecus ludibrium"; fraude detecta Iacob loco benedictionis facile sibi maledictionem adducere potuisset. Rebecca autem maledictionem istam in se suscipere volebat, „quia secura erat de felici eventu", inquit Lapide, qui sensum responsi Rebeccae sic exponit: „Frustra times iram patris, illius nullum est periculum, ego spondeo; imo si haeres et dubitas, ego omnem iram in me excipiam." — Ex eo quod Rebecca vestes pretiosas Esavi apud se in domo habebat, Gunkel cum Holzinger concludit, Esavum nondum matrimonio iunctum fuisse. Hanc conclusionem logice non valere, quilibet videt qui praeceptis logicis imbutus est, quare Strack[2] quoque eam repudiat. Rebecca Iacobum induit vestibus pretiosis, quia impertitio benedictionis paternae actus religiosus (cf. pag. 398; Gunkel, Holzinger) et solemnis (pag. 397) erat; induit vestibus Esavi, ut Isaacum falleret: nam odor vestium Esavi sicut odor agri pleni (℣. 27), odor vero vestium Iacobi sicut odor gregis erat (ita Dillmann cum Knobel). Eodem

consilio collum glabrum et manus glabras Iacobi pelliculis hoedorum texit, ut collo et manibus Esavi similes fierent.

Propter vocis dissimilitudinem (℣. 22) Iacob praevidit, se a patre attrectandum esse; pellibus caprinis Rebecca periculum detectionis semovit. Quod ad tegumentum manuum attinet, Lapide censet, illud factum fuisse „in modum chirothecarum: nam alioqui manibus uti debebat Iacob, iisque cibos inferre ad patrem eique ministrare cogebatur“. De *ista maledictio*, ἡ κατάρα σου, קִלְלָתְךָ i. e. maledictio tibi infligenda, cf. Gen. 16, 5 (pag. 265). — חֲמֻדוֹת = desiderabilia (cf. חָמַד), pretiosa vel pulchra (Gesenius). — Quare Rebecca vestes pretiosas Esavi apud se in domo habuerit, non patet; forsitan ex vivendi ratione Esavi vagantis declarari poterit, cur vestes pretiosas secum sumere noluerit. — Hummelauer quidem scribit: „Utrum ex voce *domi* fas sit cum Dillm. inferre, aedificasse Isaac domum, uti Lot 19, 2ss. et Iacob 33, 17, ambigo“; sed conclusio Dillmanni propter usum loquendi valde probabilis est (cf. Buhl). — חֶלְקָה = levitas (Gesenius, Buhl); צַוָּארִים = cervices, τράχηλα (Gesenius, Bachmann).

℣℣. 18—25. Quibus illatis, dixit: וַיָּבֹא אֶל־אָבִיו וַיֹּאמֶר i. e. et ingressus est ad patrem suum et dixit: *Pater mi? At ille respondit: Audio,* הִנֶּנִּי i. e. ἰδοὺ ἐγώ (pag. 323). *Quis es tu fili mi:* [19]*Dixitque Iacob* patri suo (Hebraicus et Graecus): *Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut praecepisti mihi: surge, sede, et comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua.* [20]*Rursumque* (deest *rursum* in Hebraico et Graeco) *Isaac ad filium suum: Quo modo,* מַה־זֶּה, *inquit, tam cito invenire potuisti, fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit ut cito occurreret mihi quod volebam,* וַיֹּאמֶר כִּי הִקְרָה יְהוָה אֱלֹהֶיךָ לְפָנָי i. e. et dixit: quia Dominus Deus tuus fecit ut occurreret mihi (cf. pag. 344). [21]*Dixitque Isaac* ad Iacob (Hebraicus et Graecus): *Accede huc, ut tangam te fili mi, et probem* (deest *et probem* in Hebraico et Graeco) *utrum tu sis filius meus Esau, an non.* [22]*Accessit ille ad patrem, et palpato eo, dixit Isaac,* LXX accuratius ἤγγισεν δὲ Ἰακὼβ πρὸς Ἰσαὰκ τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ ἐψηλάφησεν αὐτὸν καὶ εἶπεν· *Vox quidem, vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau.* [23]*Et non cognovit eum, quia pilosae manus similitudinem maioris expresserant,* LXX accuratius ἦσαν γὰρ αἱ χεῖρες αὐτοῦ ὡς αἱ χεῖρες Ἠσαὺ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ δασεῖαι. *Benedicens ergo illi,* [24]*ait,* LXX accuratius καὶ ηὐλόγησεν αὐτόν. [24]καὶ εἶπεν· *Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego sum.* [25]*At ille: Affer*

mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, LXX accuratius *καὶ εἶπεν· Προσάγαγε μοι καὶ φάγομαι ἀπὸ τῆς θήρας σου, τέκνον* (Masorethicus מִצֵּיד בְּנִי i. e. de venatione filii mei), *ut benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum. quo hausto,* LXX accuratius *καὶ προσήνεγκεν αὐτῷ, καὶ ἔφαγεν· καὶ εἰσήνεγκεν αὐτῷ οἶνον, καὶ ἔπιεν.* Nullum dubium est, quin Iacob mentitus sit. Mendacium enim „est locutio contra mentem sive verbis sive factis. Videlicet ad mendacium tria concurrunt: voluntas dicendi falsum; locutio et significatio contraria iudicio mentis; ex quibus plerumque sequitur deceptio proximi ... qui vero decipere vult sua locutione, semper mentitur" (Gatterer, Theolog. Moralis 304). Atqui Iacob tam verbis quam factis sciens et volens falsum dixit, ut patrem suum deciperet. Ergo certissime mentitus est. Si autem interrogamus, utrum Iacob mentiens et Rebecca eum ad mentiendum instigans obiective peccaverint necne, doctores dissentiunt. „Veteres, secuti imprimis Aug. (De mendacio, cap. 5; M. 40. 491), variis modis illos excusare nituntur. Hodie cum Cai. consentiunt auctores, illos obiective sine dubio peccasse" (Hummelauer 465). Subiective forsitan excusari possunt, uti Hoberg 243 cum Lapide censet. „Forte ex ignorantia invincibili putabat, scribit Lapide, tam mater quam Iacob, id quod putavit Orig. Cassian. et S. Chrys., scilicet licere sibi tali casu et necessitate mentiri", quia videlicet a Deo praenuntiatum fuit *maior serviet minori* (55, 23), et quia Esau una cum iure primogeniturae etiam benedictionem paternam vendiderat (cf. pag. 382). Si autem Hoberg 243 adiungit, actionem Iacobi matri soli imputandam esse, eo quod Iacob suggestione et auctoritate matris permotus egerit, consentire non possumus. Nam vir 77 annorum (cf. pag. 396) obiective non excusatur, si „matri simpliciter obedivit fecitque quicquid illa suggessit" (Lapide), sed actio obiective ipsi imputatur. Ceterum tam Rebecca quam Iacob a Deo graviter punitus est. Rebecca dilectum filium suum in Mesopotamiam mittere (℣. 41 ss.) et per 20 annos (31, 41) ab eo separata vivere debuit; Iacob non solum in Mesopotamia verum etiam in Chanaan tam multis malis affligebatur (cf. infra), ut ad Pharaonem diceret: *Dies peregrinationis meae ... parvi et mali* (47, 9). — Illud *Benedicens ergo illi,* וַיְבָרְכֵהוּ, in ℣. 23.

ob contextum eodem modo explicandum est ut *benedicens illi,* וַיְבָרְכֵהוּ, in ℣. 27, scilicet de solemni benedictione Iacobo impertita: in ℣. 23. factum astruitur, in ℣. 24 ss. modus describitur (cf. Gen. 1, 26 s.; 2, 7. 21 s.; cf. pag. 20 et Hoberg 245).

Notissima sunt verba S. Augustini, quae ex cap. 10. libri contra mendacium in Breviarium Romanum (Dom. II. Quadrag., Noct. II) assumpta sunt. „Iacob quod matre fecit auctore, ut patrem fallere videretur, si diligenter et fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. Quae si mendacia dixerimus, omnes etiam parabolae ac figurae significandarum quarumcumque rerum, quae non ad proprietatem accipiendae sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse mendacia: quod absit omnino." Sed in hac causa S. Augustinus certissime fallitur, licet eruditus philosophus sit (cf. Hagemann, Metaphysik 8). Mendacium Iacobi nimis manifestum est. Non solum asserit: *Ego sum primogenitus tuus,* quod ob venditam sibi primogenituram cum restrictione mentali dicere potuisset, verum etiam adiungit: *Ego sum Esau . . . feci sicut praecepisti mihi . . . comede de venatione mea . . . Voluntas Dei fuit ut cito occurreret mihi quod volebam;* accessit ad patrem, ut tangeretur et attrectatione manuum pilosarum *Esau* probaretur; iterum patri interroganti respondet, se esse filium eius *Esau.* Sciens et volens falsum dixit, ut patrem deciperet: ergo certissime mentitus est (cf. pag. 401). Frusta S. Augustinus ad parabolas et figuras appellat. Nam loquens, qui variis speciebus sensus improprii (cf. Exegeticam 9 ss.) utitur, neque falsum dicere neque decipere vult; audiens vero tales locutiones ex usu loquendi vel ex contextu vel ex circumstantiis historicis (cf. Exegeticam 102 ss.) intelligere potest, eas non proprie sed improprie accipiendas esse. Contra Isaac ex usu loquendi et contextu et circumstantiis historicis concludere debuit, reapse Esavum pilosum, non autem Iacobum glabrum adesse. „Quandoque bonus dormitat Homerus" (cf. Exegeticam 53). — Lapide scribit: „Dices, mysterium fuit hic, ergo non mendacium. Antecedens patet: quia Iacob induens vestes et personam Esau significabat Christum, qui nostra peccata et poenas in se suscepit. Rursum significabat gentes surrogandas esse Iudaeis in filiatione et benedictione Abrahae, puta in gratia, iustitia et salute, uti explicat Apostolus Rom. 9 et 10. Respondeo, mysterium hoc fuit ex parte Dei et Spiritus sancti, qui intendebat allegorice hoc significare; sed mendacium fuit ex parte Iacobi: ipse enim litterali sensu intendebat patri persuadere, se esse Esau in persona. Unde mysterium Dei iam dictum eum non excusat, praesertim cum ipse illud tunc ignorasse videatur. Adde, mysterium hoc et hunc mysticum sensum non esse situm in mendacio Iacobi, nec enim veritas falsitate niti potest; sed situm esse in facto Iacob, quo se patri exhibuit."

Ut iam pag. 401 diximus, Rebecca et Iacob subiective forsitan a peccato excusari possunt; quodsi probabilius peccarunt, venialiter tantum peccarunt; „mendacium hoc Iacob, ait Lapide, non perniciosum

nec iniurium alicui, sed officiosum fuit ac consequenter veniale tantum peccatum. Erant enim ei ex Dei dono debita iura primogeniturae, ac proinde ea praeripiendo Esau per dolum nullam ei faciebat iniuriam, sed rem suam sibi vindicabat: ita Tostatus, Lipoman., Caietanus". — Plures mirati sunt, quod hagiographus factum Rebeccae et Iacobi non vituperat. Respondeo: si non explicite, tamen implicite illud vituperat, quatenus punitionem Rebeccae et Iacobi narrat (cf. pag. 401).

In ℣. 18. pro וַיָּבֹא *et ingressus est* Graecus, Latinus, Syrus legerunt וַיָּבֵא *et attulit.* — In ℣. 19. ad *surge* Hummelauer notat: „recumbebat enim vel dormierat"; de *sede* conferas pag. 285. — Ob contextum (cf. pag. 402 et Dillmann) parum probabile est quod Hummelauer ad ℣. 23. scribit: „est vera benedictio, qua se sc. salutabant (cf. 47, 7. 10; 4 Reg. 4, 29; Knobel), qui invicem occurrebant. Hanc ante non pronuntiaverat Isaac, quia nunc primum sibi videtur certius perspicere, quisnam coram adsit". — Hagiographus testatur, Isaacum ab Esavo carnes ferinas postulasse (℣. 3s.), Iacobum autem Isaaco etiam panes (℣. 17) et vinum obtulisse (℣. 25). Ex quo concludimus, Esavum quoque panes ac vinum oblaturum fuisse, quia alioquin Rebecca et Iacob astuti ea non obtulissent, quibus Isaac dolum detegere potuisset. Gunkel quidem interrogat: „Si Esau de venatione vivit, unde panes et vinum sumet?" At Scriptura non dicit, Esavum de sola venatione vixisse et numquam panibus ac vino usum esse. Conferas pag. 381.

℣℣. 26—29. dixit ad eum, LXX accuratius *καὶ εἶπεν αὐτῷ Ἰσαὰκ ὁ πατὴρ αὐτοῦ· Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi.* 27*Accessit, et osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam,* LXX accuratius *καὶ ὠσφράνθη*, וַיָּרַח, *τὴν ὀσμὴν*, אֶת־רֵיחַ, *τῶν ἱματίων αὐτοῦ, benedicens illi, ait: Ecce,* רְאֵה, *odor,* רֵיחַ, *filii mei sicut odor agri pleni* (deest *pleni* in Hebraico), *cui benedixit Dominus.* 28*Det tibi Deus de rore caeli, et de pinguedine,* וּמִשְׁמַנֵּי, *terrae* et (Hebraicus et Graecus) *abundantiam frumenti et vini,* וְתִירֹשׁ i. e. musti (pag. 162). 29*Et serviant tibi populi, et adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae. qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur,* בָּרוּךְ i. e. sit benedictus. — Gunkel asserit, Isaacum cum dolo (Hintergedanken) osculum Iacobi postulasse, videlicet ut odore (cf. pag. 399) dinoscere posset, utrum filius praesens esset Esau necne; sed hanc sententiam nullo argumento (ut plerumque, cf. pag. 341) confirmare potest; iuxta usum loquendi et contextum Isaac ante benedictionem a filio praesenti, quem primogenitum suum dilectum putabat (pag. 400).

consuetum signum amoris filialis postulavit. Odor vestimentorum utique omne dubium compescuit et opinionem iam prius conceptam confirmavit (Hummelauer, Hoberg); ab eo secundum legem associationis idearum (cf. Exegeticam 45) Isaac formulam benedictionis inchoavit (cf. Dillmann et Hummelauer cum Delitzsch). Quomodo *odor filii sicut odor agri* fuerit, Hummelauer sic exponit: „Non agitur de illo odore arte quaesito, quo fragrant magnatum vestes (Per.); neque de odore quorumdam florum aut fructuum, quae mulieres vestibus in arcis repositis interspargere soleant (Menoch.); sed de odore illo, qui ab ipso Esau in vestes derivatus arva referebat et venationem" (cf. pag. 399). Benedictio, qua *Dominus agro benedixit* (cf. pag. 16), sunt herbae, plantae, flores odoriferae (Dillmann et Hummelauer cum antiquioribus). Benedictio, qua Isaac Iacobo benedixit, poetice proponitur ac secundum Lapide quattuor partibus constat. „Prima ad opes pertinet": Isaac optat et precatur, ut Dominus pinguem seu fertilem Chanaan, posteris Abrahae promissam (pag. 226), rore perfundat itaque Iacobo posterisque eius abundantiam frumenti et vini praebeat. „Dicit potius in rore quam in pluvia, notat Lapide, quia in Palaestina bis tantum in anno pluit, nimirum in Octobri, cum seminant, ut semen germinet: qui proinde in Scriptura vocatur imber temporaneus; secundo in Aprili, ut fruges maturescant: qui vocatur imber serotinus. Hinc intermedio tempore agri continuo rore indigent, ut sata et segetes non exarescant, sed vegetentur, alantur et crescant." Similiter Benzinger-Baedeker (Palaestina XLVs.); conferas Gen. 49, 25; Deut. 33, 13. 28; Os. 14, 6; Zach. 8, 12 (Dillmann). „Secunda ... ad imperium." Isaac optat et precatur, ut Iacobo vel potius posteris eius nationes et populi subiiciantur, quod inde a tempore Iosue et praesertim a tempore David reapse factum est (Dillmann). „Tertia ad principatum inter fratres": *esto dominus* etc. (cf. pag. 382). „Quarta ... ad Dei favorem pertinet, quasi dicat: Deus tuas tuorumque partes et causam aget; qui tui sunt amici vel inimici, suos censebit; his maledicendo, id est malefaciendo, illis benedicendo, id est benefaciendo" (Lapide; cf. pag. 223 s.).

Osculum antiquitus in oriente frequens fuit (cf. Winer, I, 688). — Gunkel supponit, *Esavum* odorem proprium habuisse, quo etiam vestes

eius imbutae fuerint; at hoc assertum „satis rusticum (reichlich derb)“ non est hagiographi sed Gunkeli: verba hagiographi sensum rationabiliorem admittunt (cf. pag. 399, 404); *odor filii mei* = *odor vestimentorum eius* (℣. 27). — רְאֵה (imp. kal verbi רָאָה) = *vide,* „quasi dicat: video, id est sentio, percipio, odoror miram fragrantiam filii mei; visus enim pro quovis sensu ponitur“ (Lapide et Strack², qui Gen. 2, 19 et Is. 44, 16 citat). — In ℣. 28. מִשְׁמַנֵּי pro מִשְׁמַנֵּי, ergo ex שְׁמַנֵּי et מִן compositum (Gesenius-Kautzsch 71). Partem illam, quam Isaac ex locis pinguibus totius terrae, מִשְׁמַנֵּי הָאָרֶץ, filio suo optat, Chanaan esse, omnes consentiunt. De fertilitate Chanaan Winer, II, 188 loquitur. — In ℣. 29. pro kᵉthibh וְיִשְׁתַּחוּ legendum (kᵉre) est וְיִשְׁתַּחֲווּ, ut plerique censent. — הֱוֵה = הֱיֵה (cf. lexicon). — Phrasis *fratrum tuorum* atque *filii matris tuae* sensu latiore posteros Esavi significat; ita interpretes communiter (cf. lexicon). — Sententia אֹרְרֶיךָ אָרוּר וּמְבָרֲכֶיךָ בָּרוּךְ sic reddi potest: *maledicentes tibi* (unusquisque eorum) *sit maledictus, et benedicentes tibi* (unusquisque eorum) *sit benedictus.* Singularis praedicati est distributivus (Gesenius-Kautzsch 472). — Abraham Dominum iudicem totius terrae ideoque cuilibet iuxta opera eius reddentem prefessus est (cf. pag. 291); quare concludere non possumus, Isaacum optasse, ut Dominus Deus patris sui posteros Iacobi cum studio partium tractet. Lapide (ad 12, 3) verba *Maledicam maledicentibus tibi* recte ex usu loquendi sic declarat: „Inimicos tuos tuasque iniurias ulciscar et puniam.“ Hanc agendi rationem cum iustitia Dei optime conciliari posse, manifestum est.

Gunkel 281 (cf. et Dillmann 327, Holzinger 179 s.) in Gen. 27, 15—27ᵃ duplicem recensionem eiusdem facti invenit. Nam iuxta 16—23 Iacob pelliculis hoedorum in collo et manibus tectus patri respondet, se esse Esavum, ab Isaaco tangitur, pro Esavo habetur ac benedicitur; iuxta 15 et 24—27ᵃ vestibus Esavi indutus patri respondet, se esse Esavum, carnem ferinam et vinum affert, patrem osculatur, pro Esavo habetur ac benedicitur. At hae recensiones, a Gunkel suppositae, sunt incompletae et insufficientes descriptiones facti, si separantur. Etenim neque solis pelliculis hoedorum neque solis vestibus Esavi Iacob patrem decipere potuit; e contrario tam pelliculis quam vestibus simul indigebat (cf. pag. 399). Praeterea in priore recensione utique asseritur Isaac Iacobum tetigisse, ut probaret, utrum Esau esset necne; in altera autem recensione nullo verbo indicatur osculum petiisse, ut ex odore filium suum cognosceret (cf. pag. 403): ergo hic nulla adest probatio. Denique in altera recensione quidem narratur Isaac de venatione filii sui manducasse; in priore autem hoc omnino tacetur. Atqui nullus scriptor prudens factum callidissime excogitatum, ut Gunkel quoque affirmat, modo tam incompleto et insufficienti narrare potuit, quia narratione sua in legentibus contrariam omnino persuasionem excitasset. Ergo concludamus oportet, in ℣℣. 15—27ᵃ continuam adesse narrationem, ex qua tum astutia Rebeccae et Iacobi tum circumspectio Isaaci elucet. Versus 24—27ᵃ cum versibus 21—23 non male coniungi, Dillmann 329

ultro concedit. Quoad duplicem phrasim *benedicens* (pag. 402) et duplicem interrogationem Isaaci, quae maxime animos perturbare possunt, Hummelauer scribit: „Tamen ex hac voce et ex iterata quaestione ,tune es Esau?' putant effici, duo h. l. consuta esse documenta. Non satis attendere indolem senis caeci viri doctissimi. Cuius visus iam factus est hebes, is dubitat possitne satis fidere auditui iunioris vocem referenti, tandemque dubium dirimit testimonio tactus et odoratus. Non audit et tangit in uno documento senex et in altero odoratur, sed in una individua narratione omnes ex ordine sensus applicat. Simul nomen repetito quaerit: Tune es Esau? Illud norat sine patenti mendacio fingi non posse."

℣℣. 30—33. Vix Isaac *sermonem impleverat: et egresso Iacob foras, venit Esau,* LXX multo accuratius *καὶ ἐγένετο μετὰ τὸ παύσασθαι Ἰσαὰκ εὐλογοῦντα τὸν Ἰακὼβ . . . καὶ ἐγένετο ὡς ἐξῆλθεν,* וַיְהִי אַךְ יָצֹא יָצָא, *Ἰακὼβ ἀπὸ προσώπου Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ Ἠσαὺ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ἦλθεν ἀπὸ τῆς θήρας αὐτοῦ,* [31] *coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens,* LXX accuratius *καὶ ἐποίησεν καὶ αὐτὸς ἐδέσματα καὶ προσήνεγκεν τῷ πατρὶ αὐτοῦ· καὶ εἶπεν τῷ πατρὶ αὐτοῦ· Surge pater mi, et comede de venatione filii tui: ut benedicat mihi anima tua* (cf. ℣. 19). [32]*Dixitque illi Isaac* pater eius (Hebraicus et Graecus): *Quis enim* (deest *enim* in Hebraico et Graeco) *es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau.* [33]*Expavit Isaac stupore vehementi: et ultra quam credi potest, admirans, ait,* LXX multo accuratius *ἐξέστη δὲ Ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην σφόδρα καὶ εἶπεν· Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi,* LXX accuratius *τίς οὖν ὁ θηρεύσας μοι θήραν καὶ εἰσενέγκας μοι, et comedi ex omnibus priusquam tu venires? benedixique ei, et erit benedictus.* Isaac examine absoluto persuasum habuit, se Esavo benedicere: hinc eius admiratio et interrogatio rhetorica, quando voce Esavi sibi nota (cf. pag. 400) didicit, se fraude deceptum fuisse et Iacobo benedixisse. Benedictio Iacobo impertita propter errorem in persona invalida erat: non Iacobo sed Esavo Isaac benedicere volebat (cf. pag. 396). Resciscens vero Isaac, cui reapse benedixerit, benedictionem datam confirmavit, Dei agnoscens voluntatem (cf. pag. 377; Dillmann, Hummelauer, Hoberg cum Bonfrerio et Estio). Ergo Iacob non propter fraudem suam, sed ob voluntatem Dei benedictionem accepit.

In ℣. 30. tempus dupliciter determinatur, quod ex Hebraico et Graeco melius elucet: bis וַיְהִי, *καὶ ἐγένετο*. Ex quo tamen iuxta prae-

cepta logica non necessario sequitur, duplex documentum consutum esse; nam idem scriptor narrare potuit: postquam Isaac benedixit et postquam Iacob exiit. Ceterum si Moyses reapse duo coniunxisset documenta, auctoritas narrationis non laederetur (cf. pag. 37). Hummelauer inter alia refert, pro וַיְהִי אַךְ forsitan וְאַךְ sine יְהִי legendum esse; at LXX obstant. — כַּאֲשֶׁר = postquam (cf. lexicon). — Phrasis אַךְ יָצֹא יָצָא . . . בָּא significat, istas actiones immediate secutas esse (Gesenius-Kautzsch 511). — In ℣. 33. וַיֶּחֱרַד חֲרָדָה necnon הַצֶּד־צַיִד est schema etymologicum (obiectum internum); cf. Gesenius-Kautzsch 370. — עַד מְאֹד = „usque ad vehementiam, i. e. vehementissime" (Gesenius 36). — Isaac interrogatione *Quis igitur ille est qui* etc. non dubium sed admirationem suam exprimere voluit; si enim dubitasset, quem benedixisset, certo non adiunxisset *et erit benedictus.* — Illud *dudum* deest in Hebraico et Graeco. — Pro מִכֹּל Kittel aliique אָכֹל emendant; sed versiones antiquissimae obstant, neque ratio textus mutandi adest. Variae mutationes a Ball factae nullo argumento confirmari possunt, ergo negligendae sunt. — Loco גַּם habent Samaritanus et Syrus וְגַם (Kittel). — Gunkel und Holzinger asserunt, benedictionem Isaaci similem fuisse cantioni magicae (Zauberformel), quae independens ab intentione eloquentis mechanice effectum produceret, etiamsi error in persona adesset. At haec expositio falsa est. Iacob benedictus manebat, quia Isaac benedictionem prius per errorem impertitam postea non revocavit, sed confirmavit.

℣℣. 34—38. Auditis Esau, LXX *ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἤκουσεν Ἠσαύ, sermonibus patris, irrugiit clamore magno: et consternatus, ait,* LXX accuratius *ἀνεβόησεν Ἠσαὺ φωνὴν μεγάλην καὶ πικρὰν σφόδρα καὶ εἶπεν· Benedic etiam et mihi, pater mi,* בָּרְכֵנִי גַם־אָנִי אָבִי. [35] *Qui ait: Venit germanus tuus,* אָחִיךָ, *fraudulentur, et accepit benedictionem tuam.* [36] *At ille subiunxit,* וַיֹּאמֶר: *Iuste,* הֲכִי, *vocatum est nomen eius Iacob: supplantavit enim me,* וַיַּעְקְבֵנִי, *en altera vice: primogenita mea ante* (deest *ante* in Hebraico et Graeco) *tulit,* לָקָח, *et* ecce (Hebraicus) *nunc secundo* (deest *secundo* in Hebraico et Graeco) *surripuit,* לָקַח, *benedictionem meam. Rursumque ad patrem* (deest *rursum ad patrem* in Hebraico)*: Numquid non reservasti, ait, et* (deest *et* in Hebraico et Graeco) *mihi benedictionem?* [37] *Respondit,* וַיַּעַן, *Isaac* et dixit ad Esau (Hebraicus et Graecus): Ecce, הֵן, *Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres eius servituti illius subiugavi,* נָתַתִּי לוֹ לַעֲבָדִים: *frumento et vino,* וְתִירֹשׁ (cf. pag. 162), *stabilivi eum,* סְמַכְתִּיו, *et tibi post haec* וּלְכָה אֵפוֹא i. e. et tibi igitur, *fili mi, ultra* (deest *ultra* in Hebraico et Graeco) *quid faciam?* [38] *Cui,* אֶל־אָבִיו, *Esau:*

Num unam, inquit, tantum benedictionem habes, pater? mihi quoque obsecro ut (deest *obsecro ut* in Hebraico et Graeco) *benedicas* pater mi (Hebraicus et Graecus). *Cumque eiulatu magno fleret,* וַיִּשָּׂא עֵשָׂו קֹלוֹ וַיֵּבְךְּ i. e. et levavit Esau vocem suam et ploravit. — Auditis verbis Isaaci, praesertim illis *benedixique ei, et erit benedictus,* Esau voce magna et amara patrem rogavit, ut sibi quoque talem benedictionem daret, qualem Iacobo dederat. Respondente Isaaco Iacobum benedictionem primogenito destinatam (cf. pag. 382), ergo singularem omnino recepisse, Esau naturam fratris sui nomine post nativitatem ei imposito bene significatam pronuntiavit: eum esse revera *Iacobum,* יַעֲקֹב i. e. supplantatorem; simulque cum lacrimis a patre petiit, ut sibi minorem saltem benedictionem impertiret. Misericordia motus Isaac Esavo illam benedictionem impertivit, quae permanente benedictione Iacobo data adhuc impertiri potuit (cf. Hoberg).

In ℣. 34. ante כִּשְׁמֹעַ inserendum videtur וַיְהִי (cf. Samaritanum, LXX, Dillmann, Kittel). — De וַיִּצְעַק צְעָקָה atque עַד־מְאֹד videas pag. 407. Post *ait,* וַיֹּאמֶר, in Hebraico additur לְאָבִיו *patri suo.* — Illud בָּרְכֵנִי גַם־אָנִי litteraliter vertendum erat: „benedic mihi, etiam ego benedictus esse volo"; ad sensum tamen bene redditur: benedic etiam mihi (Gesenius-Kautzsch 445). Ad rem Lapide scribit: „Hebraea maius habent pathos: *benedic mihi, etiam ego pater mi,* subaudi, filius tuus sum, isque vere primogenitus tibique hactenus carior, et cui paulo ante benedictionem hanc promisisti, qui nunc dolo fratris praeventus sum quique hanc iacturam feci, eo quod tuae iussioni obediverim discedens venatum, ut pararem quae optabas; par ergo est, ut mihi quoque benedicas." — In ℣. 36. הֲכִי = *„nonne* est *quod?"* (Gesenius 678) = iure, merito (Gesenius-Kautzsch 482). — יַעֲקֹב וַיַּעְקְבֵנִי est annominatio. De propria et impropria significatione nominis *Iacob,* quam Esau protulit, conferas pag. 379. — In ℣. 37. Vulgata הֵן omittit, LXX autem εἰ vertunt (cf. lexicon). — *Fratres* Iacobo subiecti sunt *fratres* sensu latiore, i. e. posteri Agar et Ceturae, necnon posteri Esavi (cf. Lapide). — וּלְכָה = וּלְךָ (Gesenius-Kautzsch 300). — De וַיֵּבְךְּ (a בָּכָה *ploravit*) in ℣. 38. videas Gesenius-Kautzsch 210. — Ultima sententia „et levavit Esau vocem suam et ploravit" in plerisque manuscriptis LXX deest (cf. Brooke et Swete). — S. Paulus scribit (Hebr. 12, 17): *scitote enim quoniam et postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam,* nimirum benedictionem (cf. Lapide ad Gen. 27, 37; Bisping in Hebr. 12, 17). — „Philo et Eusebius

censent, Esau ita irrugiisse non tam ex dolore amissae benedictionis (quamquam et hic eum pupugit) quam ex invidentia fraterni incrementi, praesertim quod illum sibi praetulerat seque illi subiecerat pater“ (Lapide).

℣℣. 39. 40. motus Isaac, וַיַּעַן יִצְחָק i. e. *ἀποκριθεὶς δὲ Ἰσαάκ, dixit ad eum:* Ecce (Hebraicus et Graecus) *In pinguedine,* מִשְׁמַנֵּי, *ἀπὸ τῆς πιότητος, terrae, et in rore,* וּמִטַּל, *καὶ ἀπὸ τῆς δρόσου, caeli desuper,* מֵעָל, *ἄνωθεν,* ⁴⁰ *erit benedictio tua.* מוֹשָׁבֶךָ, *ἡ κατοίκησίς σου. Vives in gladio* tuo, *et fratri tuo servies: tempusque veniet, cum excutias,* וְהָיָה כַּאֲשֶׁר תָּרִיד, *ἔσται δὲ ἡνίκα ἐὰν καθέλῃς, et solvas iugum eius de cervicibus tuis.* Sensus est: procul a pinguedine terrae et a rore caeli, i. e. procul a terra promissa (pag. 405) habitabis fratrique servies (pag. 382) quidem, sed suo tempore servitutem exies. In ultimis his duobus verbis benedictio continetur, quam Isaac benedictione Iacobi permanente (pag. 404) adhuc dare potuit. Quomodo benedictio simulque praedictio impleta sit, iam pag. 378 notavimus.

Verbum עָנָה tam *respondit* quam *afflictus est* significat (cf. lexicon); quare וַיַּעַן in Vulgata *motus,* in LXX vero *ἀποκριθεὶς δέ* vertitur: versio LXX commendatur ℣. 37, ubi Vulgata quoque *respondit* vertit. — Hoberg cum Lapide aliisque antiquioribus praepositionem מִן in מִשְׁמַנֵּי et וּמִטַּל partitivam accipit, ut sit sensus: in terra pingui et rore caeli irrigata erit habitatio tua. Sed hic sensus cum ℣℣. 28. 37. 40 non bene congruit; propterea Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hummelauer, Strack[2] מִן privativam accipiunt (cf. lexicon). Terra *Seir* vel *Edom* (cf. pag. 379), ubi Esau et posteri eius habitarunt, reapse multo minus fertilis est quam Palaestina (Dillmann cum geographis antiquioribus ac recentioribus). Quod Seir partes valde fertiles habet sicut Palaestina partes steriles, regulam generalem non abrogat (cf. Dillmann). — Quare מוֹשָׁב (ab יָשַׁב *habitavit*) in Vulgata *benedictio* reddatur, non patet; LXX recte *κατοίκησις* vertunt. — Ad sententiam *Vives in gladio tuo,* וְעַל־חַרְבְּךָ תִחְיֶה, *καὶ ἐπὶ τῇ μαχαίρῃ σου ζήσῃ,* Lapide scribit: „Non tam ex agricolatione quam ex rapina et praedatione vives, non tam tu quam tua prosteritas. Quam rapaces et bellicosi fuerint Idumaei, docet Iosephus lib. 4. de bello Iudaico.“ Similiter Dillmann, Hummelauer aliique. — Verbum רוּד (imperf. hiph'il יָרִיד) in ea significatione retinemus, quam etiam Ier. 2, 31 et Os. 12, 1 habet, nimirum *libere vagari* (Gesenius, Buhl). Est igitur sensus: veniet (tempus) quando libere vagaberis et franges iugum eius de cervicibus tuis. Quod prius effectus (libera vagatio) et deinde causa efficiens (fractio et excussio iugi) nominetur, in oratione poetica minime offendit. Dillmann et cum eo Strack[2] verbo significationem conandi, contendendi tribuit; sed

verbum hanc in nullo loco biblico habet. Bachmann textum mutat et legit: כַּאֲשֶׁר תָּרִים יָד i. e. quando elevabis manum (videas רוּם hiph'il) = quando potens eris. At mutatio nullo argumento confirmari potest neque necessaria est. Interpretes antiqui non litteram sed sensum reddiderunt. — Hummelauer sententiam interrogative sic vertit: „Et si (seu quantumcunque) te agitaveris, num etiam confringes iugum eius de collo tuo?" atque putat misellum Esau nullam omnino accepisse benedictionem. Quae explicatio cum usu loquendi, contextu, circumstantiis historicis (cf. pag. 406 ss.) non bene congruit neque a ceteris exegetis probatur.

℣℣. **41—45. Oderat ergo** *semper* (deest *semper* in Hebraico et Graeco) *Esau Iacob pro*, עַל, *περί*, *benedictione qua benedixerat ei pater: dixitque* Esau (Hebraicus et Graecus) *in corde suo: Venient dies luctus patris mei, et occidam Iacob fratrem meum.* [42] *Nunciata sunt haec Rebeccae*, LXX multo accuratius *ἀπηγγέλη δὲ Ῥεβέκκᾳ τὰ ῥήματα Ἠσαῦ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς τοῦ πρεσβυτέρου· quae mittens et vocans Iacob filium suum*, minorem (Hebraicus et Graecus), *dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te*, מִתְנַחֵם לְךָ לְהָרְגֶךָ i. e. „vindictam sumet a te interficiendo te" (Gesenius ad נָחַם). [43] *Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, et consurgens* (pag. 321) *fuge*, בְּרַח־לְךָ (cf. pag. 222), *ad Laban fratrem meum in Haran* (pag. 344. 348): [44] *habitabisque cum eo dies paucos*, אֲחָדִים, *donec requiescat*, תָּשׁוּב i. e. amoveatur, *furor fratris tui*, [45] *et* donec *cesset*, עַד־שׁוּב, *indignatio eius* a te (Hebraicus et Graecus), *obliviscaturque eorum quae fecisti in eum: postea mittam, et adducam te inde huc. cur utroque orbabor filio*, LXX accuratius *ἀτεκνωθῶ ἀπὸ τῶν δύο ὑμῶν*, *in uno die?* Esau fratrem suum fraudulentum non vivente sed mortuo patre, et quidem diebus lugubris, occidere volebat, ne patrem suum dilectum (pag. 380) contristaret neve ab eo malediceretur. Licet haec prius in corde suo diceret, i. e. cogitaret dumtaxat, postea tamen aliis manifestavit, quia alioquin Rebeccae non potuissent nutiari (cf. pag. 154). In verbis Rebeccae quoque mutabilitas mentis Esavi insinuatur (cf. pag. 383 s.). *Utroque* filio orbata esset Rebecca, quia Esau propter fratricidium occidendus fuisset (cf. pag. 105) vel saltem fugere debuisset (Dillmann, Gunkel, Hummelauer, Hoberg cum Calmet, Lapide).

Verum est aut *donec requiescat furor fratris tui* aut *donec cesset indignatio eius a te* sufficiens fuisse; sed nostris quoque diebus idem auctor nonnumquam unam ideam duabus propositionibus synonymis exprimit.

Ergo immerito Dillmann duos fontes statuit et Hummelauer opinatur: „Si priorem lectionem supponas fuisse obliteratam, facile aliquo tentante illam coniectura restituere nasci potuit altera lectio; postmodum utraeque in unum textum coaluere." Haec nullo argumento confirmari possunt. — Rebecca, quae Iacobum ad surripiendam benedictionem instigaverat, postea dixit *quae fecisti in eum* (cf. Strack[2]). — In sequentibus non legimus, Rebeccam ad Iacobum misisse, ut eum revocaret. — Ex paucis diebus multi anni facti sunt, quibus Rebecca et Iacob divisi erant.

VV. 46—28, 5. Dixitque Rebecca ad Isaac: *Taedet me vitae meae propter filias Heth: si acceperit Iacob uxorem de stirpe huius terrae,* מִבְּנוֹת־חֵת כָּאֵלֶּה מִבְּנוֹת הָאָרֶץ i. e. de filiabus Heth, sicut hae, de filiabus terrae, *nolo vivere,* LXX accuratius *ἵνα τί μοι ζῆν;* [28, 1] *Vocavit itaque Isaac Iacob, et benedixit eum, praecepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere,* אִשָּׁה, מִבְּנוֹת, *Chanaan:* [2] *sed* (deest *sed* in Hebraico et Graeco) *vade, et proficiscere,* קוּם לֵךְ (pag. 321), *in Mesopotamiam Syriae* פַּדֶּנָה אֲרָם (pag. 375 s.), *ad domum Bathuel patris matris tuae, et accipe tibi inde uxorem de filiabus,* אִשָּׁה מִבְּנוֹת, *Laban avunculi tui,* LXX accuratius *Λαβὰν τοῦ ἀδελφοῦ τῆς μητρός σου.* [3] *Deus autem omnipotens,* וְאֵל שַׁדַּי, *benedicat tibi, et crescere te faciat, atque multiplicet: ut sis in turbas populorum* (cf. pag. 272 ss.). [4] *Et det tibi benedictiones,* בִּרְכַּת, *εὐλογίαν, Abrahae,* tibi (Hebraicus et Graecus) *et semini tuo post te,* אִתָּךְ, *μετὰ σέ· ut possideas terram peregrinationis tuae, quam pollicitus est avo tuo,* LXX accuratius *ἣν δέδωκεν ὁ θεὸς τῷ Ἀβραάμ.* [5] *Cumque dimisisset eum Isaac, profectus venit,* LXX accuratius *καὶ ἀπέστειλεν Ἰσαὰκ τὸν Ἰακώβ, καὶ ἐπορεύθη, in Mesopotamiam Syriae,* פַּדֶּנָה אֲרָם (pag. 375 s.), *ad Laban filium Bathuel Syri,* הָאֲרַמִּי, *fratrem Rebeccae matris suae,* LXX accuratius *τῆς μητρὸς Ἰακὼβ καὶ Ἠσαύ.* Postquam Iacobum ad proficiscendum pronum reddidit, etiam Isaacum ad mittendum pronum reddere debuit, quod facile erat, quia uxores Esavi itiam Isaaco displicebant (26, 35; 28, 8), atque Isaac ipse Rebeccam de domo Bathuelis acceperat. *Ad quid mihi vita,* exclamat Rebecca iuxta textum Hebraicum et Graecum, quasi dicens: „Tristis et acerba mihi erit vita, ut mori potius optem quam vivere." Ita Lapide, qui merito adiungit: „Nota prudentiam Rebeccae. Ut enim fratricidium impediat, fratrem alterum ablegat, neve alterius crimen et machinationem patri prodat itaque patri tristitiam, filio patris

indignationem conciliet, aliam praetexit ablegandi filii causam eamque veram; scilicet nolle se Iacobum ducere immorigeram et improbam aliquam Hethaeam, sed cupere ut ducat cognatam aliquam ex Haran, in qua bene morata erat domus patris sui, quae ratio movit Isaacum eique persuasit, ut mox . . . Iacobum ablegaret in Haran." Ergo 27, 46 optime in contextum quadrat, et Hoberg contra Dillmann aliosque versum 46 diverso fonti attribuentes recte notat, ipsos clarum contextum destruere velle. *Benedictio Abrahae* in 17, 8 (pag. 274) legitur.

In 27, 46 LXX vertunt *γυναῖκα ἀπὸ τῶν θυγατέρων τῆς γῆς ταύτης*, quae versio forsitan genuinam lectionem continet; lectio Masorethica corrupta videtur (Dillmann, Himmelauer). — Ad 28, 5 *venit in Mesopotamiam* antiquiores interpretes notant, adesse prolepsim, cum adventus in Mesopotamiam in sequentibus narretur. Sed istud *venit* tam in Hebraico quam in Graeco textu deest. Textus originalis refert, quomodo Iacob iter ingressus sit (28, 5), illud perrexerit (28, 10 ss.) et confecerit (29, 1 ss.).

℣℣. **6—9. Videns autem,** וַיַּרְא, *Esau quod benedixisset pater suus* (Hebraicus et Graecus pro *pater suus* habent *Isaac) Iacob, et misisset eum in Mesopotamiam Syriae,* פַּדֶּנָה אֲרָם, *ut inde uxorem duceret* sibi (Hebraicus et Graecus); *et quod post benedictionem praecepisset,* LXX accuratius *ἐν τῷ εὐλογεῖν αὐτὸν καὶ ἐνετείλατο, ei, dicens: Non accipies uxorem de filiabus Chanaan:* [7] *quodque obediens Iacob parentibus suis,* LXX accuratius *καὶ ἤκουσεν Ἰακὼβ τοῦ πατρὸς καὶ τῆς μητρὸς ἑαυτοῦ, isset in Syriam,* פַּדֶּנָה אֲרָם: [8] *probans quoque,* וַיַּרְא, Esau (Hebraicus et Graecus) *quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus,* LXX accuratius *ὅτι πονηραί εἰσιν αἱ θυγατέρες Χανάαν ἐναντίον Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ,* [9] *ivit ad Ismaelem, et duxit uxorem absque iis, quas prius habebat, Maheleth filiam Ismael filii Abraham, sororem Nabaioth,* LXX accuratius *καὶ ἐπορεύθη Ἠσαὺ πρὸς Ἰσμαὴλ καὶ ἔλαβεν τὴν Μαελὲθ θυγατέρα Ἰσμαὴλ τοῦ υἱοῦ Ἀβραάμ, ἀδελφὴν Ναβαιώθ, πρὸς ταῖς γυναιξὶν αὐτοῦ γυναῖκα.* Esau vidit et audivit, quod Isaac pro Iacobo uxorem de Mesopotamia, non de Chanaan vellet, quodque Iacob ex voluntate parentum faceret; vidit etiam quod uxores suae patri displicerent: propterea non ad domum Bathuelis quidem, sed ad familiam Ismaelis abiit, ut inde sibi uxorem duceret, quae patri magis placeret.

A *videns quod* in ℣. 6. dependent non solum *benedixisset, misisset, praecepisset* eiusdem ℣. 6., verum etiam *obedisset, isset* in ℣. 7 (cum Dillmann contra Hoberg). — Idem verbum וַיַּרְא Vulgata in ℣. 6. *videns autem,* in ℣. 8. *probans quoque* reddit. — רָאָה *vidit* in Scriptura non tantum de oculis, sed etiam de aliis sensibus dicitur (Gesenius, Buhl). — Benedictio, de qua hagiographus in his versibus loquitur, in ℣. 3. consignata est. — Quod uxores etiam Rebeccae displicebant, Esavum non movit, quia ipsa Iacobum protegebat (Strack[2]). — Esau *ivit ad Ismaelem.* Hoc non de persona sed de familia eius (cf. pag. 374 s.) intelligendum est. Nam Ismael ipse 14 annis ante Isaacum natus (16, 16; 21, 5) atque vir 137 annorum mortuus (25, 17) anno 137 Isaaci (cf. pag. 379 coll. 396) non amplius inter vivos fuit. — De uxoribus Esavi videas 36, 2. — Quando Iacob in Mesopotamiam profectus est, et Esau tertiam uxorem duxit, ambo 77 annorum erant (cf. pag. 396), quod Strack[2] sine ullo argumento vix credibile censet, sed Keil, Köhler, Frc. Delitzsch quoque retinent.

Gunkel 269 asserit, narrationes 25, 21—23 et 25, 29—34 et 27, 1 ss. esse variantes, quibus declaretur, quomodo iunior seniorem superaverit: vel propter oraculum divinum vel propter primogenita empta vel propter benedictionem surreptam. In veritate tamen non sunt variantes eiusdem facti. Nam scriptor inspiratus in 25, 21—23 narrat, quod Deus praedixerit maiorem minori subiiciendum fore; in 27, 1 ss. autem refert, quomodo maior reapse minori subiectus sit, quatenus videlicet Isaac fraude detecta benedictionem ab Iacobo surreptam sciens et volens confirmavit (pag. 406). Venditionem primogenitorum Isaac non agnoverat, quemadmodum ex agendi ratione Isaaci et Rebeccae, Esavi et Iacobi elucet.

Idem Gunkel 287 affirmat, Iacob = *Israel* atque Esau = *Seʿir—Edom* originaliter populos fuisse: *Seʿir* fuisse populum antiquissimum, postea ab *Edom* superatum et vocatum; *Israel* fuisse populum iuniorem, qui tamen populum antiquiorem Edom devicerit. Haec veritas historica iuxta Gunkel fabula (non in populo Israel orta sed aliunde sumpta) duorum fratrum Esavi et Iacobi illustratur, qui reapse numquam vixerunt. Huic opinioni opponimus: *a)* usus loquendi et contextus ostendunt, a scriptore inspirato Esavum et Iacobum personas reapse exsistentes nobis proponi, quae propositio falsa esse nequit (pag. 35. 37). *b)* Scriptor inspiratus testatur, unam personam tam Esau quam Edom (pag. 379. 381 s.), alteram

vero tam Iacob quam Israel (32, 28; 35, 10) nominatam esse. *c)* Scriptor inspiratus in sequentibus refert, ab Iacobo populum *Israel* (29, 31 ss.; 46, 8 ss.; Ex. 1, 1 ss.) et ab Esavo populum *Edom* descendisse (36, 1 ss.). Quibus testimoniis scriptoris inspirati suppositiones Gunkeli evertuntur. *d)* Argumenta a Gunkel congesta logice nihil probant. Primo quidem asserit: factum quod duo immo tria nomina traduntur, ostendit diversas figuras intelligendas esse. Sed idem scriptor inspiratus, qui diversa nomina tradit, diserte declarat, unam personam tribus et alteram duobus vocatam esse. Deinde ad 36, 9 ss. 20 ss. appellat; at videas explicationem eorum locorum. Denique exponit, quomodo narratio de duobus fratribus cum historia et benedictione non conveniat. In narratione Iacob nec fortis nec bellicosus, Esau ut stupidus proponitur; in historia autem Israel populum Edom vicit, et hic sapientia eminuit (Ier. 49, 7; Bar. 3, 22 s.). In narratione duo tantum fratres nominantur, quorum unus venator et alter pastor erat; in benedictione autem plures fratres necnon terra frumento et vino uberrima commemoratur. Attamen Gunkel consulto res confundit, quas scriptores inspirati distinguunt: alia enim de duobus individuis, alia de posteris eorum seu populis asserunt, quod usus loquendi et contextus demonstrant.

Fata Iacob, 28, 10—35, 29.

℣℣. **10. 11. Igitur egressus Iacob** (℣. 5) *de Bersabee* (pag. 391), *pergebat Haran.* [11]*Cumque venisset a quendam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum,* LXX accuratius *καὶ ἀπήντησεν τόπῳ,* וַיִּפְגַּע בַּמָּקוֹם, *καὶ ἐκοιμήθη ἐκεῖ, ἔδυ γὰρ ὁ ἥλιος, tulit de lapidibus qui iacebant,* LXX accuratius *καὶ ἔλαβεν ἀπὸ τῶν λίθων τοῦ τόπου, et supponens capiti suo, καὶ ἐπέθηκεν πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ, dormivit,* וַיִּשְׁכַּב i. e. recubuit, *in eodem loco.* Verbum פָּגַע *incidit* (Gesenius) significat, Iacobum non consulto, sed casu in Bethel (℣. 19) pernoctasse, ubi Abraham altare aedificaverat et nomen Domini invocaverat (12, 8; cf. pag. 226 s.); Dillmann in hac re providentiam divinam agnoscit. *Lapidem* pro pulvino adhibuit (Gunkel).

Textus Masorethicus בַּמָּקוֹם (cum articulo) habet, sed LXX sine articulo *τόπῳ* exhibent, et Vulgata *quendam* praemittit; propterea Hoberg בְּמָקוֹם (sine articulo) legendum putat. Quod si quis articulum genuinum

iudicaverit, recordetur in Hebraico saepius nomini personae vel rei in se determinatae, licet nondum nominatae, articulum praefigi (Gesenius-Kautzsch 413 s.; Strack[2] 108). Possumus igitur cum Strack[2] 108 vertere: „incidit in locum, scilicet eum quem ad pernoctandum elegit". Conferas quae pag. 148. de fenestra arcae et corvo scripsimus. Ergo arbitrarium omnino est, si Gunkel, Holzinger etc. הַמָּקוֹם (cum articulo) locum sanctum, locum cultus interpretantur, quia articulus non certus est, et si certus esset, non necessario locum cultus significaret (cf. 29, 22 hebr.). — Unum de lapidibus loci illius posuit מְרַאֲשֹׁתָיו. Pluralis מְרַאֲשׁוֹת (denom. a ראשׁ) proprie locum „qui *ad caput* est" significat et in accusat. adverb. „ad caput", *πρὸς κεφαλῆς* vertendus est (cf. Gesenius 1252; Buhl 415). S. Chrysostomus, Lapide, Gunkel et plurimi alii sentiunt, Iacobum istum lapidem loco pulvini sumpsisse; Holzinger vero asserit, Iacobum lapidem a numine loci inhabitatum ad caput suum posuisse, ut incubationem adduceret. Sed hanc suppositionem arbitrariam, immo contextui contrariam Gunkel quoque repudiat. Videas Theol. bibl. Vet. Test. 407 ss.

ŸŸ. **12—15. Viditque in somnis** (pag. 223) *scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens caelum: Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam,* LXX accuratius *καὶ ἐνυπνιάσθη· καὶ ἰδοὺ κλίμαξ ἐστηριγμένη ἐν τῇ γῇ, ἧς ἡ κεφαλὴ ἀφικνεῖτο εἰς τὸν οὐρανόν, καὶ οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ ἀνέβαινον καὶ κατέβαινον ἐπ' αὐτῆς,* [13]*et Dominum innixum scalae dicentem sibi, ὁ δὲ κύριος ἐπεστήρικτο ἐπ' αὐτῆς καὶ εἶπεν,* וְהִנֵּה יְהוָה נִצָּב עָלָיו וַיֹּאמַר: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac: Terram, in qua dormis, tibi dabo et simini tuo.* [14]*Eritque semen tuum quasi pulvis terrae: dilataberis ad Occidentem, et Orientem, et Septentrionem, et Meridiem: et BENEDICENTUR IN TE et in semine tuo cunctae tribus terrae.* [15]*Et ero custos tuus quocumque perrexeris,* LXX accuratius *καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μετὰ σοῦ, διαφυλάσσων σε ἐν τῇ ὁδῷ πάσῃ οὗ ἐὰν πορευθῇς, et reducam te in terram hanc: nec,* כִּי, *ὅτι, dimittam* te *nisi,* עַד אֲשֶׁר אִם, *complevero universa* (deest *universa* in Hebraico) *quae dixi* tibi (Hebraicus et Graecus). — Sensus huius visionis biblicae (cf. Exegeticam 12) talis est: *scala* in terra stans et caelum tangens fuit symbolum providentiae et gubernationis divinae (Theodoretus, Aben Ezra, Pererius, Lapide, Knobel, Dillmann, Hummelauer, Hoberg); quod *Dominus scalae innixus* ab Iacobo visus fuerit, significat „Deum esse primum principium atque ultimum finem totius providentiae" (Pererius), Dominum lassis manum porrigere et ascendentes suo ad laborem

provocare aspectu (S. Hieronymus a Lapide citatus); *angeli ascendentes et descendentes* spiritus caelestes denotant „per quos Deus in hoc mundo quae sunt suae providentiae exsequitur: et per ascendentes quidem eos qui nostras preces, vota, desideria quasi ad Deum deferunt et cum nostris sua voce coniungunt, ut nobis divina beneficia impetrent; per descendentes eos qui ad nos divina beneficia afferunt et divinam voluntatem renuntiant" (Bonfrerius, Hoberg). In ista visione Dominus Iacobo benedictionem a patre acceptam confirmavit eique pro tempore exilii suam protectionem ac denique reditum in terram promissam pollicitus est.

Versio Vulgatae *viditque in somnis scalam* etc. libera quidem est, sed sensum fideliter reddit. — De *scala caeli* multa apud Lapide leguntur, quae ad pietatem fovendam servire possunt. — De *Angelis* videas pag. 266 s. et Theol. bibl. Vet. Test., pag. 560 ss. — In ℣. 13. נִצָּב עָלָיו (videas יָצַב atque נָצַב in lexico) potest significare: *stans prope eum* scil. Iacobum (cf. pag. 283) aut *stans super eam* scil. scalam; alteram hanc significationem versiones Graeca, Latina, Syriaca exprimunt et contextus commendat (Gunkel). „Nec mirum est, inquit Lapide, Deum e caelo locutum esse Iacobo in terra exsistenti, quia locutio haec uti et visio non fuit sensibilis sed imaginaria vel intellectualis, quae inter remotissimos fieri potest saepeque fit." — *Deus Abraham,* cf. pag. 391; *Terram,* cf. pag. 226. 238 s.; in ℣. 14. *pulvis terrae,* cf. pag. 238 s.; *dilataberis,* cf. pag. 238. 263; *benedicentur* cf. pag. 223 s. 328; in ℣. 15. *ero tecum, ἐγὼ μετὰ σοῦ,* cf. pag. 316. 386. — עַד אֲשֶׁר אִם = usque illuc quando (Gesenius-Kautzsch 512); phrasis tempus ultra terminum decurrens non necessario excludit (Gesenius 992), sed simpliciter indicat, quid usque ad terminum quendam fiat aut non fiat: utrum etiam ultra terminum necne, e contextu diiudicandum est. Contextus autem monstrat, Iacobum in terram reductum a Domino non dimissum esse. — Lapide cum aliis recte notat, quod Deus ista visione Iacobum consolari et animare voluerit, „qui parentes derelinquens et fratri exosus, profugus, exul et solitarius, moestus et sollicitus dure hic cubabat in saxo"; bene etiam Dillmann scribit, angelos *ascendentes et descendentes* (non descendentes et ascendentes) Iacobo innuisse, protectionem divinam iam praesentem esse: Gunkel hanc Dillmanni expositionem repudiat quidem, sed pro more suo nullum argumentum affert. — Quomodo Gunkel asserere possit, scalam non imaginem esse sed reapse in Bethel stare, comprehendi nequit, cum hagiographus diserte notet, Iacobum in somno scalam vidisse, ergo visionem habuisse. Quid alii populi orientales, e. g. Aegyptii, de scala caeli fabulentur, ad rem non pertinet; hic considerandum est, quid scriptor inspiratus (cf. pag. 35. 37) referat. — Holzinger affirmat, ex מַלְאַךְ הָאֱלֹהִים factos esse מַלְאֲכֵי אֱלֹהִים atque pro numine

loci non solum Iahve positum, sed illud in gratiam Dei mundum transcendentis sublatum esse. Has suppositiones de numine loci atque de Iahve ut deo locali et nationali in Deum universi transformato omnino falsas esse, in Theol. bibl. Vet. Test., pag. 407 ss. diffuse monstravimus; de *Angelo Domini* ibidem, pag. 469 ss. locuti sumus.

℣℣. 16—19. Cumque evigilasset *Iacob de somno* suo (Hebraicus et Graecus), *ait: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* [17]*Pavensque Quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei,* בֵּית אֱלֹהִים, *et* hic (Hebraicus et Graecus) *porta caeli.* [18]*Surgens ergo Iacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo,* אֲשֶׁר־שָׂם מְרַאֲשֹׁתָיו (pag. 415), *et erexit* eum (Hebraicus et Graecus) *in titulum,* מַצֵּבָה, *fundens oleum desuper.* [19]*Appellavitque nomen urbis,* אֶת־שֵׁם־הַמָּקוֹם הַהוּא, *τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου, Bethel,* בֵּית־אֵל, *quae prius Luza vocabatur,* וְאוּלָם לוּז שֵׁם־הָעִיר לָרִאשֹׁנָה i. e. verumtamen Luz erat nomen urbis prius. — Iacob nescierat et admiratus est, quod Dominus in loco isto esset „peculiari scil. ratione“ qua „se Deus ipsi manifestaverat et specialem favorem ostenderat“ (Bonfrerius et Hummelauer). Propter specialem hanc praesentiam Dei pavore affectus est (cf. pag. 1) atque locum appellavit *terribilem,* i. e. „reverentia, tremore, humilitate“ colendum (Lapide); *domum Dei,* i. e. locum ubi Deus omnipraesens speciali modo praesentiam suam manifestat (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 423); *portam caeli,* quia ibi angelos ex habitatione Dei egredientes eamque ingredientes viderat (cf. Lapide, Hummelauer, Hoberg). *Lapidem* autem, quem pro pulvino adhibuerat, erexit ut monumentum apparitionis esset „eumque summitati infuso oleo consecravit Deo“ (Hummelauer). Simul locum, in quo dormierat *Bethel* nominavit; nomen autem urbis iuxta istum locum sitae erat antiquitus Luz vel Luza. — Bethel et Luza sunt iuxta viam, quae a Bersabee in Mesopotamiam ducit, et quidem inter Ierusalem et Sichem.

Iacob omnipraesentiam Dei non negat, quia de speciali ista praesentia loquitur. — מַצֵּבָה (derivatum a נָצַב *statuit, posuit*) idem est ac *positum, statutum, erectum;* columna vel cippus vel statua (Gesenius, Fürst, Buhl). Potest esse monumentum rerum gestarum omnino licitum (cf. Gen. 31, 45; 35, 14. 20; Ex. 24, 4; Ios. 4, 8 s.; 1 Reg. 7, 12); potest e contrario esse signum dei seu idoli illicitum (Lev. 26, 1; Deut. 16, 22 et alibi, cf. Gesenius vel Mandelkern): respiciendus est contextus. Iacob

lapidem erexit, ut monumentum apparitionis et promissionis Domini esset, quod verba textus comprobant. — Unctio erat iam antiquitus symbolum consecrationis (cf. Ex. 30, 30; Dillmann). Lapide putat, Iacobum in urbe Luzae oleum emisse; sed multo probabilius est, eum oleum quo orientales libenter utuntur, secum habuisse (cf. 1 Reg. 10, 1; 4 Reg. 9, 1. 3; Winer; Bisping ad Luc. 10, 34). — Iacob non urbem, sed locum apparitionis *Bethel* nominavit (cf. Ios. 16, 2; Hoberg). „Urbis incolae perrexerunt urbem vocare Luzam, Abrahamidae vocabant Bethel (cf. Ios. 18, 13; Iud. 1, 23); quando regio ab Hebraeis subacta est, tandem unum praevaluit nomen Bethel" (Hummelauer). Videtur igitur, quod sententia „verumtamen Luz erat nomen urbis prius" post occupationem Chanaan in sacrum textum inserta sit (Hoberg). Nomen *Bethel* ab Iacobo postea (35, 7. 15) innovatum est.

Gunkel sequentia statuit: בֵּית אֱלֹהִים est domus deorum, quos Iacob egredientes et ingredientes vidit. *Lapis* ab Iacobo erectus erat a deo inhabitatus seu animatus; בֵּית־אֵל cum *βαίτυλοι, baetuli* (= lapides ut dii honorati) cohaeret, quorum cultus apud varios populos antiquos reperiatur neque ab Israelitis alienus fuerit, uti Gen. 31, 45. 49; Ex. 24, 4; Ios. 4; Iud. 6, 21; 1 Reg. 4, 1; 7, 12 demonstrent: propterea *Iahve* in Gen. 49, 24 *lapidem Israel* vocari. Etiam unctionem lapidum esse usum antiquum: tales lapides *λίθοι λιπαροί* vel *ἀληλιμμένοι,* lapides uncti, lubricati, unguine delibuti appellati sunt. Unctio iuxta intellectum antiquum fuisse sacrificium deo lapidem inhabitanti oblatum. — Holzinger quoque asserit, in istis versibus lapidum cultum Israelitarum certo supponi atque בֵּית אֱלֹהִים esse *betylum,* i. e. rem a daemone animatam (Fetisch). — His opinionibus, nullo argumento firmatis, opponimus: Libenter concedimus, plures populos antiquos (Chananaeos, Syros, Arabes; cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 406 s. 410), lapides unctos et baetulos habuisse; negamus vero, patriarchas Abraham, Isaac et Iacob lapides a deo inhabitatos credidisse vel coluisse. Abraham erat cultor Domini Dei excelsi, *creatoris caeli et terrae* (Gen. 12, 1 ss.; 14, 22; 24, 3), ergo Dei mundum transcendentis, non immanentis; Isaac erat cultor Dei patris sui Abrahae (Gen. 26, 3 ss.; 28, 3 s.), Iacob erat cultor Dei Abrahae et Isaaci (Gen. 28, 13 ss.; 32, 9 ss.; 46, 1 ss.), ergo cultor Dei mundum transcendentis, non autem cultor dei lapidem animantis et inhabitantis. Iacobum et posteros eius lapides a deo inhabitatos coluisse, nullus locorum a Gunkel citatorum probat, uti Dillman et Strack profitentur. אֱלֹהִים in hoc contextu non deos, sed Deum significat (cf. pag. 1); personae ascendentes et descendentes non dii sed angeli erant, quod hagiographus diserte notat; unctionem lapidis fuisse sacrificium deo lapidem inhabitanti oblatum, Gunkel et Holzinger cum Stade aliisque affirmant quidem, sed nullo textus vocabulo probare possunt: Iacob, qui in toto contextu cultor unius Dei veri, *creatoris caeli et terrae* proponitur, ob hanc fidem suam daemoni lapidem inhabitanti minime sacrificare, i. e. cultum divinum offerre potuit. Ceterum videas ℣. 22. בֵּית־אֵל cum *βαίτυλοι, baetuli* cohaerere, iuxta Dillmann valde dubium

est. Quod Iahve in Gen. 49, 24 eatenus *lapis Israel* appelletur quatenus lapidem ab Iacobo erectum inhabitaverit, contextus refutat. — Rationalistae interpretes, utpote Hegelianismo seu systemati evolutionis addicti (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 16. 407. 430), consequenter asserere debent, a primis hominibus varios spiritus seu daemones aut libere circumvagantes aut in rebus naturalibus, e. g. lapidibus, arboribus, fontibus, animalibus habitantes ut deos habitos ac veneratos fuisse. Praeconceptam hanc suam opinionem sacro textui obtrudunt, licet verba scriptoris inspirati contrarium omnino sensum habeant, si iuxta usum loquendi et contextum explicentur. De hac re in Theol. bibl. Vet. Test., pag. 407 ss. multa scripsi.

℣℣. 20—22. Vovit etiam Iacob (Hebraicus et Graecus) *votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum,* [21]*reversusque fuero prospere,* בְּשָׁלוֹם, *μετὰ σωτερίας, ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum,* [22]*et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur,* יִהְיֶה, *ἔσται, Domus Dei,* בֵּית אֱלֹהִים: *cunctorumque quae dederis mihi, decimas offeram tibi,* LXX accuratius *δεκάτην ἀποδεκατώσω αὐτά σοι.* Triplici promissioni Dei (ero tecum, ero custos tuus in via, reducam te in terram hanc; cf. ℣. 15, pag. 415) Iacob triplicem promissionem seu votum opponit: erit mihi Dominus in Deum, lapis iste erit domus Dei, cunctorum decimas offeram. Iacob voluit Dominum, qui sibi specialem amorem, protectionem, benedictionem promiserat, speciali modo, proprio et singulari cultu honorare (17, 7; pag. 274); in loco apparitionis, quem lapide signaverat, Dominum colere (35, 7; Lapide, Dillmann, Hummelauer) eique decimas offerre.

Votum est „promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili" (theologi cum S. Thoma). — Apodosis non cum verbis ℣. 22. *et lapis iste* incipit (ut Tuch, Hengstenberg, Hummelauer, Hoberg putant) sed cum verbis ℣. 21. *erit mihi Dominus in Deum*: ita constructionem intellexerunt Graecus, Latinus, Syrus; Dillmann, Gunkel, Strack aliique. — De phrasi וְהָיָה יְהוָֹה לִי אֱלֹהִים videas pag. 274; Hummelauer nimis arcte eam explicat: „et Dominus protexerit me", atque hac explicatione cogitur, ut contra antiquiores ac recentiores interpretes eam ad prodosin trahat. Strack[2] opinatur, originaliter sic scriptum fuisse וְהָיִיתָ לִי אֱלֹהִים, sed opinionem suam probare nequit. — *Lapis iste erit Domus Dei.* Lapide scribit: „Est metonymia; locatum enim ponitur pro loco; quasi dicat: Locus, in quo est lapis hic, mea applicatione, destinatione et quasi consecratione erit et vocabitur sanctus ac domus sive habitaculum Dei atque

super lapide hoc, quasi super altari, Deo sacrificabo. Ita Chaldaeus, Caietanus, Lipom. et alii." Similiter Dillmann. Holzinger et alii putant, in textu templum supponi, quam sententiam Gunkel recte ut arbitrariam reiicit, sed adhuc peiorem substituit, scilicet Iacobum lapidem ut sedem dei considerare voluisse ac venerari (cf. pag. 418). Idem Gunkel asserit, votum Iacobi esse simplex et lepidum (naiv), quatenus donis promissis deitatem sibi propitiam reddere, ad desideria implenda commovere voluerit. At hoc assertum est contra contextum. Nam Dominus Iacobo absolute promiserat: *nec dimittam nisi complevero universa quae dixi* (℣. 15), ergo Iacobus non eo consilio vovere potuit, ut Dominum ad desideria implenda commoveret. Sensus potius est: si feceris quae promisisti, ego sequentibus gratias agam.

Gunkel 291 haec asserit: In Bethel iam antiquitus sacrarium fuit (Iud. 20, 18. 26 s. in textu Hebraico et Graeco), quo homines peregrinabantur (1 Reg. 10, 3); in Bethel postea Ieroboam vitulum aureum posuit (3 Reg. 12, 28 s.); rex Iosias denique illud sacrarium destruxit (4 Reg. 23, 15). Narratio fabulosa autem in Gen. 28, 10 ss. consignata declarare vult, quomodo illud sacrarium in Bethel ortum sit. Antiquissimo tempore in Bethel lapis a deo animatus erat; religione magis evoluta dicebant, deos, Elohim esse quidem in caelo, sed scalam caeli esse in Bethel, ideoque Elohim de caelo in terram descendentes aut e terra in caelum revertentes semper per Bethel ire debere: si igitur homo deitatem invenire valuerit, in Bethel pergat, ibi deitatem certo inveniet. Demum religione maxime evoluta narrarunt, in Bethel Dominum, Iahve apparuisse, ideoque locum sanctum esse. — Contra haec asserta notamus: Gunkel Hegelianismo seu pantheismo logico seu panlogismo seu systemati evolutionis (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 430) addictus exsistentiam Dei personalis mundum transcendentis negare debet. Secundum Hegel enim unicum dumtaxat ens exsistit, absolutum et indeterminatum, scilicet *idea:* haec semetipsam determinat vel evolvit itaque universitatem rerum in genera, species, individua distinctam constituit. Deus non est aliquid transcendens, sed spiritus in omnibus spiritibus: Deus est Deus, quatenus se scit; haec scientia Dei est conscientia Dei in homine, et haec conscientia Dei est scientia hominis de Deo et scientia sui in Deo. Religio est scientia hominis de Deo et de semetipso in Deo simulque (in unico actu) scientia Dei de semetipso in homine. Quae religio pedetemptim evoluta est. Primus gradus sunt religiones naturales, in quibus Deus ut substantia naturalis consideratur; secundus religiones individualitatis spiritualis, in quibus spiritus a natura se discernit, ut in religione Iudaica, Graeca et Romana; tertius religio aperta vel absoluta, in qua absolutum ad conscientiam sui in homine venit, haec est religio christiana. Ita Hegel (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 16). Hoc systema philosophicum est fundamentum recentioris scholae criticae; cum hoc systemate narrationes biblicas artificiis criticis et hermeneuticis conciliare conantur. Gunkel in ista narratione tria strata distinguit, quorum primum deitatem in lapide habitantem consideret;

secundum deitatem a lapide solvat, in caelo collocet, sed per scalam cum Bethel coniunctam doceat; tertium momenta mythologica et polytheistica semoveat et de apparitione solius Iahve loquatur. Falsitatem panlogismi seu systematis evolutionis philosophi (e. g. Gutberlet, Hagemann, Stöckl) comprobant, quare omnia corruunt, quae interpretes in systemate evolutionis aedificant. Propterea pauca addimus. Lapidem ab Iacobo erectum non fuisse baetulum, angelos ascendentes et descendentes non fuisse deos, ab Iacobo Deum transcendentem, creatorem caeli et terrae, cultum esse, iam supra (pag. 418) diximus. Cur autem Israelitae Beniamitas debellantes (Iud. 20, 1 ss.) in Bethel venerint (Iud. 20, 18. 26 hebr. et graec.) ibidem indicatur: *Eo tempore ibi erat arca foederis Dei* (Iud. 20, 27); videas commentarios. Narrationem in Gen. 28, 10 ss. consignatam non fabulosam esse, ex iis sequitur, quae pag. 35 et 37 de inspiratione scripsimus. De variis stratis narrationis conferas introductionem huic operi praepositam.

C. 29. ℣℣. 1—3. **Profectus ergo Iacob venit,** LXX accuratius *καὶ ἐξάρας Ἰακὼβ τοὺς πόδας ἐπορεύθη*, *in terram Orientalem,* אַרְצָה בְנֵי־קֶדֶם i. e. in terram filiorum Orientis. [2]*Et vidit puteum in agro,* LXX accuratius *καὶ ὁρᾷ, καὶ ἰδοὺ φρέαρ ἐν τῷ πεδίῳ*, ecce (Hebraicus) ibi (Hebraicus et Graecus) *tres quoque greges ovium accubantes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, et os eius grandi lapide claudebatur,* LXX accuratius *ἐκ γὰρ τοῦ φρέατος ἐκείνου ἐπότιζον τὰ ποίμνια· λίθος δὲ ἦν μέγας ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ φρέατος.* [3]*Morisque erat ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem, et refectis gregibus rursum super os putei ponerent,* LXX accuratius *καὶ συνήγοντο ἐκεῖ πάντα τὰ ποίμνια, καὶ ἀπεκύλιον τὸν λίθον ἀπὸ τοῦ στόματος τοῦ φρέατος καὶ ἐπότιζον τὰ πρόβατα καὶ ἀπεκαθίστων τὸν λίθον ἐπὶ τὸ στόμα τοῦ φρέατος εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ.* Iacob ad puteum (pag. 270) in agro venit, qui cum puteo urbis Haran (pag. 344 s.) non confundendus est. Antiquum exemplum putei in agro est puteus Iacob (Ioan. 4, 6) ad radicem montis Garizim effossus, quem Iudaei patriarchae Iacob ascribunt (Ioan. 4, 12). Est rotundus, 2, 30 *m* latus et saltem 23 *m* profundus, saxo textus quod in medio foramen ad aquam hauriendam habet. Hoc foramen seu *os putei* grandi lapide claudebant, ne singuli homines aquam in multis locis Orientis pretiosam haurire possent (cf. Benzinger, Archäologie 228; Dillmann 339 s.; Guthe, Bibelwörterbuch 285 s.; Strack[2] 109; Winer I, 198 s.; Zeller 119).

Phrasis וַיִּשָּׂא רַגְלָיו *et levavit pedes suos* in hoc loco tantum occurrit (Dillmann aliique), ad quam Lapide scribit: „Iacob visione Dei scalae incumbentis votoque suo roboratus, excitatus et alacer perrexit in Haran." — Hoberg cum Graeca et Latina versione בְּנֵי omittit; אֶרֶץ קֶדֶם Mesopotamiam (cf. Num. 23, 7), sed etiam aliam terram ex oriente Palaestinae sitam significare potest, quapropter LXX addunt *πρὸς Λαβὰν τὸν υἱὸν Βαθουὴλ τοῦ Σύρου, ἀδελφὸν δὲ Ῥεβέκκας μητρὸς Ἰακὼβ καὶ Ἠσαῦ·* additamentum tamen a plerisque non genuinum iudicatur. Sive retineamus sive omittamus בְּנֵי, hic ℣. 1. neque 28, 2. 7 (pag. 411) neque 28, 10 (pag. 414) contrarius est. Etiam idem auctor eandem terram variis nominibus vocare potest. — Gunkel 294 putat, tres greges ovium a pastoribus tam cito ad puteum adductos fuisse, quod oves iuxta ordinem adventus adaquarentur. — In ℣. 3. pro הָעֲדָרִים *greges* habet Samaritanus הָרֹעִים *pastores.*

℣℣. 4—8. **Dixitque ad pastores,** LXX accuratius *εἶπεν δὲ αὐτοῖς Ἰακώβ· Fratres* mei (Hebraicus), *unde estis* vos (Hebraicus et Graecus)? *Qui responderunt: De Haran* sumus (Hebraicus et Graecus). [5]*Quos interrogans, Numquid, ait,* LXX accuratius *εἶπεν δὲ αὐτοῖς, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt: Novimus.* [6]*Sanusne est,* הֲשָׁלוֹם לוֹ? *inquit* eis (Hebraicus et Graecus): *Valet,* שָׁלוֹם, *inquiunt: et ecce Rachel filia eius venit cum grege suo,* עִם־הַצֹּאן (pag. 99). [7]*Dixitque Iacob* (deest *Iacob* in Hebraico): *Adhuc multum diei superest, nec est tempus ut reducantur ad caulas greges,* LXX accuratius *ἔτι ἐστὶν ἡμέρα πολλή, οὔπω ὥρα συναχθῆναι τὰ κτήνη· date ante potum ovibus, et sic eas ad pastum reducite,* LXX accuratius *ποτίσαντες τὰ πρόβατα ἀπελθόντες βόσκετε.* [8]*Qui responderunt: Non possumus, donec omnia pecora congregentur, et amoveamus,* וְגָלֲלוּ, *καὶ ἀποκυλίσωσι, lapidem de ore putei, ut adaquemus greges,* הַצֹּאן. Plures interpretes (e. g. Lapide, Dillmann, Gunkel, Strack[2]) censent, pastores trium gregum idcirco oves non adaquasse, quod sine auxilio pastorum adhuc absentium lapidem grandem amovere non potuissent. „Si illud, ait Hummelauer, ergo sane gigas robore erat Iacob, si is supponatur lapidem removisse solus. Potuit autem etiam inter pastores illos convenisse, propter frequentes de puteo rixas et ne quis alium defraudaret, praesertim ubi aquae fortasse non ita magna erat copia, ut ne quis adaquandi faceret initium, donec omnes adessent, utque qui primi adessent, primi etiam ad aquas

accederent." Altera haec sententia probabilior videtur. Nam de rixis pastorum alibi quoque legimus (cf. pag. 389 s.); Iacobum autem tam robustum fuisse, ut solus lapidem amovere potuerit (℣. 10), quem pastores trium gregum sine auxilio pastorum adhuc absentium removere non poterant, prorsus improbabile est.

Iacob pastores vocat *fratres suos* vel socios muneris: „ut pastor pastores alloquitur" (Lapide); nam אָח *frater* etiam socium muneris vel quemlibet hominem „sola humani generis societate nobiscum coniunctum" significat (Gesenius 64). — Laban hic filius Nachor nominatur, sed iuxta 22, 23; 24, 29 fuit filius Bathuelis, filii Nachoris, ergo nepos Nachoris. Contradictio facile dissolvitur, cum בֵּן *filius* non tantum filium sensu stricto, verum etiam filium sensu lato seu nepotem denotet (cf. 4 Reg. 9, 20 coll. ℣. 14; 1 Esd. 5, 1 coll. Zach. 1, 1; Buhl, Fürst, Gesenius, Holzinger, Strack[2]). Supra אָח *frater* et infra (32, 9) אָב *pater* quoque sensu latiore sumitur (Holzinger). — Hummelauer 475 scribit: „Rachel vero, quod a rudibus hominibus semper nonnisi ultima ad puteum accedere permitteretur, diutius cum grege in pascuis perseverabat, ceteris serius ad puteum accedebat." Haec asserta e textu sacro vix demonstrari poterint. — Ad ἔτι ἐστὶν ἡμέρα πολλή Strack[2] citat „il fait (il est) grand jour"; Vulgata sensum fideliter reddit, sed illud *ad caulas* inserit. — Ad ℣. 7[b] Holzinger notat, Iacobum cum Rachel solum loqui voluisse; at Gunkel recte opponit, contextum huic sententiae non favere. Iacob perspectum habuit, pastores imprudenter tam mature greges a pascuis abducere et ideo eos monuit, ut greges iterum reducerent (Hummelauer, Gunkel). — Pro הָעֲדָרִים habent Samaritanus et Graecus הָרֹעִים (cf. pag. 422). וְגָלְלוּ est verbum cum indeterminato subiecto personali (Strack[2]; Gesenius-Kautzsch 468).

℣℣. 9—14[a]. Adhuc loquebantur, et ecce Rachel, LXX accuratius *ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος αὐτοῖς καὶ Ῥαχήλ, veniebat cum ovibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat,* כִּי רֹעָה הוא. [10]*Quam cum vidisset Iacob, et sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui: amovit lapidem quo puteus claudebatur.* [11]*Et adaquato grege osculatus est eam;* Hebraicus textus sic vertendus erat: „et factum est cum vidisset Iacob Rachel, filiam Laban fratris matris suae, et pecora Laban fratris matris suae, accessit Iacob et revolvit lapidem ab ore putei et adaquavit pecora Laban fratris matris suae. [11]Et osculatus est Iacob Rachel": *et elevata voce flevit,* [12]*et indicavit* Iacob (Hebraicus) *ei* (pro *ei* Hebraicus et Graecus *Rachel* habent) *quod frater* (cf. supra) *esset patris sui, et filius Rebeccae: at illa festinans nunciavit patri suo.* [13]*Qui*

cum audisset venisse Iacob filium sororis suae, LXX accuratius *καὶ ἐγένετο ὡς ἤκουσεν Λαβὰν τὸ ὄνομα,* אֶת־שֵׁמַע i. e. rumorem, *Ἰακὼβ τοῦ υἱοῦ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ, cucurrit obviam ei: complexusque eum, et in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris,* [14]*respondit,* LXX accuratius *καὶ διηγήσατο τῷ Λαβὰν πάντας τοὺς λόγους τούτους. Καὶ εἶπεν αὐτῷ Λαβάν·* Utique, אַךְ, *Os meum es* tu (Hebraicus et Graecus), *et caro mea.* — Iacob ob amorem fratris matris suae (videas textum Hebraicum ℣. 10) tam filiae quam pecoribus Labani bene fecit et Labano exposuit, se venisse ut iram fratris declinaret atque sibi uxorem quaereret; Laban ob consanguinitatem consensit (אַךְ *utique*), ut in domo sua maneret.

Hummelauer ad ℣. 9. scribit: „Haec verba cum aliis, quae de pastoribus legimus, collata suggerunt pascere greges non fuisse generatim mulierum"; Dillmann tamen refert, apud Arabes Sinaiticos regulariter virgines pascere pecora (similiter Gunkel et Holzinger cum Benzinger); videas Ex. 2, 16. — Iacob solus lapidem amovit. Hagiographus notaverat, lapidem grandem fuisse (pag. 421); Robinson (Palästina II, 414) a Strack[2] citatus narrat, se saepius super puteos lapides vidisse, qui non a paucioribus quam 2 vel 3 viris removeri possent. Si Iacob solus lapidem amovit, ad quem removendum ceteroquin 2 vel 3 viri necessarii erant, utique robustissimus fuit; at similia facta testes adhuc viventes de nonnullis viris Tirolis quoque narrant (cf. Innsbrucker-Nachrichten, 1907, Nr. 295, pag. 1 s.). Strack[2] affirmat, amorem Rachelis Iacobo tantam virtutem tribuisse! Dillmann et Gunkel supponunt, Iacobum gigantem (cf. pag. 131) fuisse, quod tamen e textu sacro probare nequeunt (cf. pag. 421. 423). — Iuxta puteos erant canales vel alvei, quo aqua de puteo hausta effundebatur (pag. 346). — Enarrat poetice Hummelauer: „Iacob virginem sanguine iunctam defendendam suscepit; vir robustissimus cum esset, se Rachelis cognatum palam professus, neglectis pastoribus ad puteum accessit, lapidem nemine rogato vel adiuvante sustulit, gregem Rachelis ante alios admisit. Mirati sunt pastores rudes et in mulierem audaces virum insignis roboris atque intrepidum neque illum cohibere ausi sunt. Ceterum ex his colligas duo: primum, Labani greges non aeque sapienter ante quam post Iacobi adventum esse administratos; secundum, omnia circa Labanum avaritiam sapere, nescio quam. Fortasse etiam ipse antea reliquos pastores defraudare attentaverat." Num singula haec asserta in textu sacro inveniantur, ipse iudicare poteris. — Iacob consobrinam suam etiam publice osculari potuit (Lapide et reliqui cum S. Augustino, Quaest. 87). — Quod Iacob, vir tanti roboris, inventis cognatis suis publice fleverit, nobis mirum videtur, ut Gunkel recte observat; sed idem interpres in memoriam legentium revocat, heroes Homeri similiter egisse et familias Iudaicas nunc quoque teneriore

affectus vinculo coniungi. Manifestatio affectuum alia apud orientales alia apud occidentales, alia in terris septentrionalibus alia in meridionalibus reperitur, quod itinerantes testantur. — שָׁמַע אֶת־שֵׁמַע = audivit auditum, percepit rumorem scil. de adventu Iacobi. — Iuxta textum Hebraicum et Graecum Laban Iacobum valde osculatus est, probabiliter non tantum propter consanguinitatem, verum etiam propter utilitatem, quam a filio Isaaci sperabat (cf. pag. 348 s.; Gunkel, Strack[2]). — אַךְ = utique (Gunkel, Strack[2]). — De phrasi *os meum es, et caro mea* videas pag. 64. „Cum ad me quasi avunculum tum tutelae tum coniugii causa confugeris, exponit verba Labani Lapide, tibi utpote nepoti nihil negare possum: pone ergo metum, o nepos, apud me mane, ut securus sis, et ex familia mea uxorem delige. Domus mea, domus tua esto.“ — Non male Gunkel observavit, etiam de astutia valere illud *Os meum es, et caro mea.* — Male tamen idem Gunkel asserit, Gen. 29, 1—14 atque Ex. 2, 15—21 esse variantes unius eiusdemque narrationis liberae (herrenlos), quae tam Iacobo quam Moysi applicata sit. Haec opinio cum catholica inspirationis notione conciliari nequit (cf. pag. 231 ss.).

℣℣. 14ᵇ—19. Et postquam impleti sunt dies *mensis unius, dixit ei,* LXX accuratius *καὶ ἦν μετ' αὐτοῦ μῆνα ἡμερῶν. Εἶπεν δὲ Λαβὰν τῷ Ἰακώβ· Num quia frater meus es, gratis servies mihi? dic quid mercedis accipias,* LXX accuratius *ἀπάγγειλόν μοι τίς ὁ μισθός σού ἐστιν.* [16]*Habebat vero* Laban (Hebraicus et Graecus) *duas filias, nomen maioris Lia,* לֵאָה: *minor vero appellabatur Rachel,* וְשֵׁם הַקְּטַנָּה רָחֵל i. e. nomen vero minoris Rachel. [17]*Sed Lia lippis erat oculis,* LXX accuratius *οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ Λείας ἀσθενεῖς· Rachel decora facie, et venusto aspectu,* LXX accuratius *Ῥαχὴλ δὲ ἦν καλὴ τῷ εἴδει καὶ ὡραία τῇ ὄψει.* [18]*Quam diligens Iacob, ait,* LXX accuratius *ἠγάπησεν δὲ Ἰακὼβ τὴν Ῥαχὴλ καὶ εἶπεν· Serviam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis.* [19]*Respondit Laban: Melius est ut tibi eam dem quam alteri viro, mane apud me.* Laban Iacobum, quem spatio mensis decurrente pastorem expertum cognoverat, in domo sua retinere; Iacobus, qui ob iram fratris exsul manere debebat, servitio septem annorum Rachelem pulchriorem uxorem acquirere voluit.

Labanum propriae utilitatis semper memorem fuisse, sequentia clarissime demonstrant; „at cognatum, cui etiam maior quam extraneo tribuenda esset merces, diutius gratis famulari permittere non poterat“ (Hummelauer cum Knobel). — לֵאָה significat iuxta Gesenius et Fürst defatigatam (a לָאָה *defatigatus est*), iuxta alios vaccam feram

(cf. arab. *la'ât*^{un}) vel dominam (cf. assyr. *li'at*); videas Dillmann, quem alii sequuntur. רָחֵל = ovis (Lapide, Gesenius et ceteri). — Oculi Liae erant רַכּוֹת. Adiectivum רַךְ, רַכָּה = tenuis, tener, mollis, lenis, delicatus, debilis, infirmus. Liae igitur erant „oculi debiles i. e. hebetes, qui turpes habebantur ab orientalibus, quippe qui oculos vividos et fulgentes in deliciis habeant . . . Vulg. paullo fortius: oculi *lippi*“ (Gesenius, quem omnes recentiores sequuntur). Idem iam Lapide docuerat, qui de versione Vulgata scribit: „Lippitudo Liae videtur fuisse sola debilitas, mollities et teneritudo oculorum, qua fit ut non possint diu in rem aliquam defigi, sed volubiles sint pronique in lacrimas, ita ut pupillae suis orbibus quasi innatare videantur.“ Liam fuisse deformem (häßlich) Gunkel 297, at non hapiographus affirmat. — Cum eodem Lapide catholici et acatholici interpretes notant, ab Iacobo servitute longa et dura tam Rachelem quam Liam iuxta mores antiquorum emptam esse. „Moris enim fuit apud Graecos, Romanos et Hebraeos, ut viri dato pretio emerent sibi uxorem“ (Lapide). — Arabes nunc quoque inter varios procos cognatum praeferunt (Dillmann aliique). — Contra Knobel aliosque asserentes, „eundem auctorem qui ℣. 9—12 Rachelem descripserit non potuisse h. l. de ea loqui, quasi nulla eius ante occurrerit mentio“, bene et breviter Hummelauer observat: „℣. 9—12 Rachel non describebatur, Iacob non venustate sed consanguinitate ad lacrimas provocabatur; describitur primum, ubi etiam soror describitur et de alterutra ducenda agitur.“

℣℣. 20—24ᵃ. Servivit ergo Iacob *pro Rachel septem annis: et videbantur illi pauci dies prae amoris magnitudine,* LXX manuscripta accuratius *καὶ ἦσαν ἐναντίον αὐτοῦ*, בְּעֵינָיו, *ὡς ἡμέραι ὀλίγαι παρὰ τὸ ἀγαπᾶν αὐτὸν αὐτήν.* [21]*Dixitque* Iacob (Hebraicus et Graecus) *ad Laban: Da mihi uxorem meam: quia iam tempus* meum (Hebraicus et Graecus) *impletum est, ut ingrediar ad illam.* [22]*Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias,* LXX multo accuratius *συνήγαγεν δὲ Λαβὰν πάντας τοὺς ἄνδρας τοῦ τόπου καὶ ἐποίησεν γάμον*, מִשְׁתֶּה. [23]*Et vespere,* וַיְהִי בָעֶרֶב, *Liam filiam suam introduxit,* וַיִּקַּח . . . וַיָּבֵא אֹתָהּ (cf. pag. 55), *ad eum,* [24]*dans ancillam filiae, Zelpham nomine. Ad quam cum ex more Iacob fuisset ingressus,* LXX accuratius *καὶ εἰσῆλθεν πρὸς αὐτὴν Ἰακώβ. Ἔδωκεν δὲ Λαβὰν Ζέλφαν Λείᾳ τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ τὴν παιδίσκην αὐτοῦ αὐτῇ παιδίσκην.* Laban Iacobum decipere potuit, quia sponsa iuxta consuetudinem antiquam, in oriente etiam hodie observatam, sponso velata tradebatur (cf. pag. 358; Dillmann, Gunkel, Strack[2]). „Deceptus est in primogenita Iacob, qui primogenitum fratrem deceperat“ (Hummelauer 478; similiter iam Dillmann 340).

Hanc Dillmanni explicationem Gunkel et Holzinger sine ullo argumento repudiant.

Gunkel scribit, Iacobum nobis amabilem repraesentari, quatenus septem annos quasi paucos dies aestimaverit, aliter ac moderni amatores molles sentiant. Videas etiam Lapide et Dillmann. — Soluto pretio Iacob Rachelem *uxorem suam,* scil. sibi debitam appellare potuit (Dillmann, Gunkel, Holzinger). — Phrasis בּוֹא אֶל *ingredi ad* euphemistica est (Gesenius 181). — De celebratione nuptiarum Archaeologiam biblicam conferas. — „Cur fraudem vespere non senserit Iacob, causam assignat Iac. Edess. multam viri verecundiam, Ios. vinum et noctem", refert Hummelauer. — Ancillae Liae et Rachelis tam accurate indicantur, quia ipsae quoque uxores Iacobi factae sunt.

℣℣. 24ᵇ—30. facto mane vidit Liam, LXX accuratius *ἐγένετο δὲ πρωί, καὶ ἰδοὺ ἦν Λεία·* 25 *et dixit ad socerum suum,* וַיֹּאמֶר אֶל־לָבָן, *εἶπεν δὲ Ἰακὼβ Λαβάν· Quid est quod facere voluisti,* LXX accuratius *τί τοῦτο ἐποίησάς μοι; nonne pro Rachel servivi tibi,* עִמָּךְ? *quare imposuisti mihi?* 26 *Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias,* LXX accuratius *οὐκ ἔστιν οὕτως ἐν τῷ τόπῳ ἡμῶν, δοῦναι τὴν νεωτέραν πρὶν ἢ τὴν πρεσβυτέραν,* הַבְּכִירָה. 27 *Imple hebdomadam dierum huius copulae* (deest *dierum* et *copulae* in Hebraico et Graeco): *et hanc quoque dabo tibi pro opere quo serviturus es mihi,* עִמָּדִי, adhuc (Hebraicus et Graecus) *septem annis aliis.* 28 *Acquievit placito: et hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem:* 29 *cui pater servam Balam tradiderat.* LXX accuratius *ἐποίησεν δὲ Ἰακὼβ οὕτως καὶ ἀνεπλήρωσεν τὰ ἕβδομα ταύτης· καὶ ἔδωκεν Λαβὰν Ῥαχὴλ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ αὐτῷ γυναῖκα.* 29 *Ἔδωκεν δὲ Λαβὰν Ῥαχὴλ τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ Βάλλαν τὴν παιδίσκην αὐτοῦ αὐτῇ παιδίσκην.* 30 *Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori praetulit,* LXX accuratius *καὶ εἰσῆλθεν πρὸς,* גַּם אֶל, *Ῥαχήλ· ἠγάπησεν δὲ Ῥαχήλ,* גַּם־אֶת־רָחֵל, *μᾶλλον ἢ Λείαν, serviens apud eum* adhuc (Hebraicus) *septem annis aliis.* Laban sua agendi ratione tam ambas filias cum divite viro (pag. 350 coll. 382 s.) copulare quam pastorem expertum (pag. 425) pro aliis septem annis sibi devincire voluit. Propterea consuetudinem loci Iacobo non indicavit, quando Rachelem uxorem petebat, et fraudulenter Liam in thalamum introduxit. Iacob, Rachelem desiderans, in his circumstantiis nihil aliud facere potuit quam consilium Labani sequi, sol-

lemnitatem nuptialem septem dierum complere, deinde Rachelem ducere et per alios septem annos illi servire. — Iacob erat 84 annorum, quando Liam et Rachelem uxores duxit (cf. pag. 396).

Indignatio Iacobi facile comprehenditur (Gunkel). — Consuetudo, ad quam Laban appellat, etiam apud Indos (Manu 3, 160) aliasque gentes (Dillmann) invenitur; sed Laban Iacobo eam indicare debuerat (Dillmann, Strack[2]). — Convivium nuptiale per septem dies celebrabatur (Iud. 14, 12; Tob. 11, 21; Dillmann aliique); sensus verborum *Imple hebdomadam huius* est: celebra convivium nuptiale Liae per septem dies. Sollemnitatem nuptialem turbare in oriente (Gunkel 296) et occidente res valde indecens iudicatur. — *Dabo,* וְאֶתֵּן, habent Samaritanus, Graecus, Latinus, Syrus; textus Masorethicus est וְנִתְּנָה *dabimus,* scil. ego et mei (cf. Dillmann et Kittel). — Decursis diebus septem Iacob etiam Rachelem duxit; in Lev. 18, 18 Dominus prohibuit, quominus vir duas sorores simul uxores haberet: antiquo tamen tempore talia matrimonia non prohibita erant (Gunkel). Videas simile quid pag. 107. Hummelauer scribit: „Iam Liam compellitur ducere, quacum rem habuerat, quam si repudiasset, et stupri infamia notasset omnemque obtinendae Rachelis spem abdicasset. Ergo sane ob duplices nuptias non est vituperandus Iacob: culpa omnis Labani fuit." Certum est, Labanum et Liam obiective peccasse (cf. Lapide); sed etiam Iacob Rachelem ducens peccasset, si talia matrimonia iam illo tempore prohibita fuissent. — In ℣. 30. alterum גַּם cum Graeco et Latino omittatur (Dillmann, Gunkel, Holzinger, Kittel), quia usui loquendi contrarium est (Dillmann); Hummelauer et Hoberg nihilominus illud retinent.

℣℣. 31—35. Videns autem Dominus *quod despiceret Liam,* כִּי־שְׂנוּאָה לֵאָה i. e. ὅτι μισεῖται Λεία, *aperuit vulvam eius, sorore sterili permanente,* LXX accuratius Ῥαχὴλ δὲ ἦν στεῖρα. [32]*Quae conceptum genuit filium,* LXX accuratius καὶ συνέλαβεν Λεία καὶ ἔτεκεν υἱόν, *vocavitque nomen eius Ruben,* רְאוּבֵן, *dicens,* כִּי אָמְרָה: *Vidit,* כִּי־רָאָה, *Dominus humilitatem meam,* בְּעָנְיִי, *nunc,* כִּי עַתָּה, *amabit me vir meus.* [33]*Rursumque concepit et peperit filium, et ait: Quoniam,* כִּי, *audivit me Dominus haberi contemptui,* כִּי־שְׂנוּאָה אָנֹכִי (℣. 31), *dedit etiam istum mihi. vocavitque nomen eius Simeon,* שִׁמְעוֹן. [34] *Concepitque tertio,* עוֹד, ἔτι, *et genuit alium* (deest *alium* in Hebraico et Graeco) *filium: dixitque Nunc quoque,* עַתָּה הַפַּעַם i. e. nunc tandem aliquando (pag. 63), *copulabitur,* יִלָּוֶה i. e. adhaerebit, *mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios: et idcirco appellavit nomen eius, Levi,* לֵוִי. [35]*Quarto,* עוֹד, ἔτι, *concepit, et peperit filium, et ait: Modo,* הַפַּעַם i. e. hac vice (pag. 63), *confitebor,* אוֹדֶה, *Domino. et ob hoc vocavit eum,* LXX accuratius

ἐκάλεσεν τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Iudam, יְהוּדָה: *cessavitque parere.* Liae specialis pulchritudo et amor viri, quibus Rachel gaudebat, negata erant; propterea Deus fecunditate eam donavit, quam Racheli pluribus annis negavit. Lia beneficium divinum agnoscebat et gratias agebat. Quod ad declarationem nominum attinet, scriptor inspiratus testatur quidem, uxores Iacobi ita ut sequitur nomina filiorum declarasse; at nihil omnino dicit, utrum istae declarationes rectae sint necne. Si declarationes quaedam cum praeceptis philologiae non conveniant, non mirandum est: uxores Iacobi non e numero philologorum fuerunt. *Ruben,* רְאוּבֵן = רְאוּ בֵן i. e. videte filium (Lapidem, Gesenius, Fürst aliique); ex sententia Liae *Ruben* = רָאוּ בְעֳן i. e. „provisum est in miseria mea" (Gesenius, Fürst) = רָאָה בְּעָנְיִי, quae declaratio a philologis reiicitur: saltem assonatio inter nomen filii et declarationem matris adest. *Simeon,* שִׁמְעוֹן = exauditio, a verbo שָׁמַע *audivit* (Gesenius, Fürst). *Levi,* לֵוִי = adhaesio, associatio, a verbo לָוָה *adhaesit* (Gesenius, Fürst). *Iuda,* יְהוּדָה = laudatus, imperf. hophʿal verbi יָדָה, in hiphʿil = laudavit (Gesenius, Fürst).

שְׂנוּאָה = odio habita, part. pass. verbi שָׂנֵא *odio habuit.* Sed illud odium non fuit absolutum, sed relativum (Dillmann, qui Deut. 21, 15 et Matth. 6, 24 citat); „non fuit positivum, sed negativum, puta defectus amoris" (Lapide). Vulgata sensum bene reddit. — De phrasi *aperuit vulvam eius* videas pag. 264. — Deus *omnia suaviter* disponit (Sap. 8, 1), *quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus,* ὁμοίως τε προνοεῖ περὶ πάντων (Sap. 6, 8). — Lapide scribit: „*Videte filium,* quem scilicet dedit mihi Deus, oculis suae misericordiae aspiciens me, cum a marito despicerer. Hoc est enim quod subdit Lia: *Vidit Dominus humilitatem meam* . . . id est abiectionem et afflictionem meam. Huc respexit B. Virgo canens: *Respexit humilitatem* (ταπείνωσιν id est exiguitatem, vilitatem, abiectionem) *ancillae suae* . . . agnoscit et confitetur suam vilitatem, quod reapse erat actus humilitatis, quem adamat, respicit et exaltat Deus." — Gunkel 301 asserit, scriptorem nomina filiorum Iacobi declarare voluisse. Hoc falsum est. Scriptor solummodo narrat, quomodo uxores Iacobi nomina declaraverint, quin ipse declarationes earum approbet. Videas hos atque sequentes textus. — Pro *Ruben* habent manuscripta Graeca, Iosephus, versio Syriaca, Arabica, Aethiopica *Ῥουβίλ, Ῥουβήλ,* quam formam (iuxta arab. *riʾbâl*) leonem vel lupum declarant (Dillmann). *Simeonem* quoque nonnulli (iuxta arab. *simʿu* = de lupo et hyaena natus) nomen bruti declarare voluerunt (Dillmann). Sed tales et similes opiniones (cf. Dillmann) nullo argumento logice valido confir-

mantur; declarationes vero supra ex Gesenio et Fürst ascripta cum praeceptis linguae Hebraicae prorsus congruunt. — De variis significationibus particulae כִּי videas lexicon. — In Ỷ. 34. pro קָרָא plures recentiores cum Samaritano et Syro קָרְאָה legendum iudicant.

C. **30.** ỶỶ. **1—8. Cernens autem Rachel** *quod infecunda esset,* LXX accuratius *ἰδοῦσα δὲ Ῥαχὴλ ὅτι οὐ τέτοκεν τῷ Ἰακώβ, invidit* Rachel (Hebraicus et Graecus) *sorori suae, et ait marito suo,* LXX accuratius *καὶ εἶπεν τῷ Ἰακώβ· Da mihi liberos, alioquin,* וְאִם־אַיִן, *moriar* ego (Hebraicus et Graecus). [2]*Cui iratus respondit Iacob,* וַיִּחַר־אַף יַעֲקֹב בְּרָחֵל וַיֹּאמֶר i. e. tunc exarsit ira Iacobi contra Rachel et dixit: *Num pro Deo,* הֲתַחַת אֱלֹהִים, *ego sum, qui privavit te fructu ventris tui?* (deest *tui* in Hebraico et Graeco). [3]*At illa: Habeo,* הִנֵּה, *ἰδού, inquit, famulam Balam,* בִלְהָה: *ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, et habeam ex illa filios,* וְאִבָּנֶה, *ἵνα τεκνοποιήσωμαι,* etiam ego (Hebraicus et Graecus). [4]*Deditque illi Balam in coniugium: quae,* [5]*ingresso ad se viro, concepit, et peperit filium.* LXX accuratius *καὶ ἔδωκεν αὐτῷ Βάλλαν τὴν παιδίσκην αὐτῆς αὐτῷ γυναῖκα, καὶ εἰσῆλθεν πρὸς αὐτὴν Ἰακώβ·* [5]*καὶ συνέλαβεν Βάλλα . . . καὶ ἔτεκεν τῷ Ἰακὼβ υἱόν.* [6]*Dixitque Rachel: Iudicavit mihi Dominus,* דָּנַנִּי אֱלֹהִים, *et* etiam (Hebraicus) *exaudivit vocem meam, dans mihi filium. et idcirco appellavit nomen eius, Dan,* דָּן. [7]*Rursumque Bala* famula Rachel (Hebraicus et Graecus) *concipiens, peperit alterum* filium Iacobo (Hebraicus et Graecus), [8]*pro quo ait Rachel,* LXX accuratius *καὶ εἶπεν Ῥαχήλ· Comparavit me Deus cum sorore mea, et invalui,* נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים נִפְתַּלְתִּי עִם־אֲחֹתִי גַּם־יָכֹלְתִּי i. e. luctationes Dei luctata sum cum sorore mea, etiam vici: *vocavitque eum* vel potius nomen eius (Hebraicus et Graecus), *Nephthali,* נַפְתָּלִי. — Responsum, quod Iacob iratus Racheli invidenti et lamentanti atque stulte petenti dedit, hunc habet sensum: „Numquid Deus ego sum, aut vice et parte Dei fungor? . . . Non a me, sed a Deo pete proles“ (Lapide; cf. Dillmann). Ad phrasim *ut pariat super genua mea* scribit Lapide: „Ut ego filium ex ea, utpote ancilla mea, natum excipiam pro meo, uti solent matres in genibus filios suos statuere, Isaiae 66, 12“; similiter Hummelauer, Hoberg, Dillmann qui Iob 3, 12 et Gen. 50, 22 citat. Gunkel et Holzinger cum Stade immerito crassum sensum proprium

accipiunt. Filium ancillae suae Rachel *Dan* i. e. iudicem (Gesenius, Fürst) nominavit, quia Deus causam Rachelis *iudicavit* i. e. tuitus est (Gesenius 335). Luctationes Dei sunt luctationes magnae seu defficiles, „quae enim magna sunt, dicuntur esse Dei" (Lapide; cf. et Hummelauer); vicit autem Rachel Liam, quatenus Lia *cessavit parere* (29, 35), ancilla Rachelis vero fecunda apparebat (Lapide). Propterea filium suum secundogenitum *Nephthali,* נַפְתָּלִי i. e. luctatio mea (Gesenius) vocavit.

Bala, בִּלְהָה, forsitan idem est ac verecundia, imbecillitas, a verbo בָּלַהּ *imbecillus, verecundus fuit* (Gesenius). — Verbum פָּתַל iuxta aram. syr. arab. aeth. *torsit, contorsit, nevit* denotat (Gesenius, Fürst, Buhl). In niphʿal significat proprie *luctatus est* „quod fit membra torquendo et versando" (Gesenius cum Lapide), improprie *versutus fuit* (Prov. 8, 8; Iob 5, 13); in hithpaʿel = versutum se gessit (Ps. 18, 27 hebr.; 2 Reg. 22, 27). Hinc נַפְתָּלִי = luctatio mea, נַפְתּוּלִים = luctationes (Gesenius). De figura etymologica (obiecto interno) נַפְתּוּלִים נִפְתַּלְתִּי videas Gesenius-Kautzsch 370. — Hoberg negat, פָּתַל denotare *luctatus est;* at iudicium philologorum Buhl, Fürst, Gesenius, quibuscum antiquiores quoque consentiunt, nobis sufficere potest. Hoberg vertere vellet: „Dei providentiam (Fügungen) experta sum iuxta sororem meam"; sed nullo loco Scripturae nulloque lexico recentiore probare potest, נַפְתּוּלִים ea quae accidunt (Fügungen) significare. Hummelauer scribit: „Sat commode verti potest: Contorsionibus Dei, i. e. vehementissimis, contorquebar cum sorore mea et invalui. Vel ita: Contorsiones Dei! Et explicatur exlamatio: Contorquebar cum sorore mea, i. e. sicut soror mea, et invalui. Contorsiones illas aut intellige dolores partus, quos in Bala patiebatur Rachel (!); vel commodius cum Ios. machinationes, artes, quibus suffecta in suum locum Bala foecunditatem demum assecuta est Rachel." LXX vertunt: *Συνελάβετό μοι ὁ θεός, καὶ συνανεστράφην τῇ ἀδελφῇ μου καὶ ἠδυνάσθην·* Vulgata autem: *Comparavit me Deus cum sorore mea, et invalui;* ambae versiones nimis liberae sunt. — Quare Rachel luctationes suas cum sorore luctationes Dei appellet, varii varie explicant: quia erant luctationes in re divina (Knobel), quia a Deo finitae sunt (Hengstenberg), quia Rachel istis luctationibus gratiam et benedictionem divinam sibi acquirere voluit (Tuch, Delitzsch, Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack[2]). — Nomen filii secundi iuxta Swete et Brooke in LXX est *Νεφθαλεί,* licet plura manuscripta *Νεφθαλείμ* habeant. — נַפְתָּלִי iuxta Fürst = נַפְתָּלְיָה = נַפְתָּלְיָּה = luctatio Iahve. — Gunkel ob verba Rachelis „etiam vici" concludit, Liam tunc unum tantum filium habuisse. Sed etiamsi Lia tunc iam quattuor filios habuit, nihilominus Rachel secundum filium suscipiens dicere potuit „etiam vici", quatenus Bala fecunda apparebat (Lapide), Lia vero parere ces-

saverat (29, 35). Ergo nihil nos cogit, ut traditiones diversas supponamus.

℣. 9—13. **Sentiens Lia,** LXX accuratius *ἴδεν δὲ Λεία, quod parere desiisset,* tulit (Hebraicus et Graecus; cf. pag. 265) *Zelpham,* זִלְפָּה, *ancillam suam* et *marito* (pro *marito* Hebraicus et Graecus habent *Iacobo*) *tradidit* eam uxorem (Hebraicus et Graecus). [10]*Qua post conceptum edente filium,* [11]*dixit: Feliciter.* LXX habent *καὶ συνέλαβεν* (deest in Hebraico) *Ζέλφα ἡ παιδίσκη Λείας καὶ* (deest in Hebraico) *ἔτεκεν τῷ Ἰακὼβ υἱόν.* [11]*Καὶ εἶπεν Λεία· Ἐν τύχῃ,* בָּגָד. *et idcirco* (deest *idcirco* in Hebraico et Graeco) *vocavit nomen eius, Gad,* גָּד. [12]*Peperit quoque Zelpha* ancilla Liae filium (Hebraicus et Graecus) *alterum* Iacobo (Hebraicus et Graecus). [13]*Dixitque Lia: Hoc* (deest *Hoc* in Hebraico et Graeco) *pro beatitudine mea,* בְּאָשְׁרִי: *Beatam quippe me dicent,* אִשְּׁרוּנִי, *mulieres,* בָּנוֹת. *propterea appellavit eum,* LXX accuratius *καὶ ἐκάλεσεν τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Aser,* אָשֵׁר. Nomen *Gad* גָּד, idem est ac *τύχη,* fortuna; *Aser,* אָשֵׁר, idem ac *μακάριος,* felix (Gesenius, Fürst). Hodie quoque apud Iudaeos magnus filiorum numerus fortuna ac felicitas reputatur (cf. Gen. 22, 17; pag. 327).

Zelpha, זִלְפָּה, iuxta Gesenium = stilla, iuxta Fürst = stilla myrrhae. — LXX exhibent ℣. 10. talem: *εἰσῆλθεν δὲ πρὸς αὐτὴν Ἰακώβ, καὶ συνέλαβεν Ζέλφα ἡ παιδίσκη Λείας καὶ ἔτεκεν τῷ Ἰακὼβ υἱόν.* — In ℣. 11. scriptum (kᵉthibh) est בָּגָד sed legendum (kᵉre) notatur בָּא גָד i. e. venit fortuna; Kittel aliique punctandum censent בְּגָד i. e. in fortuna (scil. hoc mihi accidit; cf. Gesenium 264). — אֹשֶׁר = felicitas, ergo בְּאָשְׁרִי = in felicitate mea (scil. hoc mihi accidit). — אִשְּׁרוּנִי est perfectum propheticum (Gesenius-Kautzsch 311). — Pro בָּנוֹת habent LXX *πᾶσαι αἱ γυναῖκες.* — „Huc allusit B. Virgo Deipara, cum cecinit: *Beatam me dicent omnes generationes*" (Lapide). — *Gad, Τύχη,* Fortuna, fuit numen „a Babyloniis et Iudaeis apud hos exulantibus cultum, alibi Baal dictum . . . i. e. Iovis sidus in toto oriente pro fortunae auctore habitum . . . Tum in turri Babylonica tum a Iudaeis appositis lectisterniis colebatur, Ies. 65, 11" (Gesenius, Thesaurus 264, aliique multi). אֲשֵׁרָה i. e. fortuna „secundum Phoenicum Aramaeorumque mythologiam Astarte s. stella Veneris . . . Baalis ut videtur, socia et coniux" (Gesenius, Buhl; cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 151 s.). Ball pro בְּאָשְׁרִי legit בַּאֲשֵׁרָה illudque declarat „cum auxilio Ascherae", sicut בְּגָד „cum auxilio Gadi" explicat, sed opinionem suam neque probat neque probare potest. Nam Lia Deum Iahve colens (pag. 428 s.) certo filios suos ab aliis diis non nominavit.

℣℣. **14. 15. Egressus autem Ruben** *tempore*, בִּימֵי, *messis triticeae in agrum, reperit mandragoras*, דוּדָאִים: *quas matri* suae (Hebraicus et Graecus) *Liae detulit. Dixitque Rachel* ad Liam (Hebraicus et Graecus): *Da* quaeso (Hebraicus) *partem de mandragoris*, מִדּוּדָאֵי, *filii tui.* [15]*Illa* (deest in Hebraico) *respondit* ei (Hebraicus): *Parumne tibi videtur quod praeripueris maritum mihi*, הַמְעַט קַחְתֵּךְ אֶת־אִישִׁי i. e. parumne est sumere te virum meum, *nisi etiam mandragoras filii mei tuleris*, וְלָקַחַת? *Ait* autem (Hebraicus et Graecus) *Rachel: Dormiat* ideo, לָכֵן, *tecum hac nocte pro*, תַּחַת, *mandragoris filii tui.* Quae recentiores viri docti (cf. Dillmann) de mandragoris narrant, iam Gesenius (Thesaurus 324 s.) docuit. דוּדָאִים sunt, inquit, „poma amatoria (Liebesäpfel) . . . i. e. pomula Mandragorae (Atropae Mandragorae, Linn.; Mandragorae vernalis, Bertolon.), herbae foliis magnis, betae similibus, radice rapae simili inferius bipartita et quodammodo humanam speciem imitante philtris parandis adhibita, floribus albis et subrubicundis pomisque flavis, odoratis . . . et esu idoneis . . . parvi ovi magnitudine . . . quae a Maio ad Iulium fere maturescunt, et quibus tum vim soporiferam . . . tum efficaciam in rebus amatoriis tribuebant et hodieque in oriente tribuunt . . . germ. Alraun“. Hummelauer recte scribit: „Quibus tribuebatur atque tribuitur vis ad venerem excitandam et conceptum facilitandum. Eam ceteroquin vim Scriptura h. l. non affirmat, licet eam populari errore supposuerit Rachel.“ Hinc conventio eius cum Lia explicatur.

Ruben tunc erat 4 annorum. — Tempus messis triticeae erat mensis Maius (Dillmann aliique). — Pro infinitivo constr. וְלָקַחַת plures perfectum consecut. וְלָקַחַתְּ punctant (cf. Bachmann). — Gunkel e ℣. 15. deducit, Iacobum communiter cum Rachele dormivisse; melius tamen Hummelauer cum S. Augustino (c. Faust. 22, 49) et Lapide asserit: „Suas singulae attributas habebant uxores noctes.“

℣℣. **16—21. Redeuntique ad vesperam Iacob** *de agro, egressa est in occursum eius Lia, et ad me, inquit, intrabis: quia mercede conduxi te*, כִּי שָׂכֹר שְׂכַרְתִּיךָ (pag. 56), *pro mandragoris filii mei. Dormivitque cum ea nocte illa.* [17]*Et exaudivit Deus preces eius* (pro *preces eius* est in Hebraico אֶל־לֵאָה): *concepitque et peperit* Iacobo (Hebraicus et Graecus) *filium quintum,* [18]*et ait*

Lea (Hebraicus et Graecus): *Dedit Deus mercedem mihi,* שְׂכָרִי, *quia dedi ancillam meam viro meo. appellavitque nomen eius, Issachar,* יִשָּׂשכָר. [19]*Rursum Lia concipiens, peperit sextum filium* Iacobo (Hebraicus et Graecus), [20]*et ait* Lia (Hebraicus et Graecus): *Dotavit me Deus dote bona: etiam* (deest *etiam* in Hebraico et Graeco) *hac vice,* הַפַּעַם i. e. tandem aliquando (pag. 63), *mecum erit,* יִזְבְּלֵנִי i. e. habitabit mecum, *maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios: et idcirco* (deest *idcirco* in Hebraico et Graeco) *appellavit nomen eius, Zabulon,* זְבֻלוּן. [21]*Post quem,* וְאַחַר i. e. et post, *peperit filiam, nomine Dinam,* LXX accuratius *καὶ ἐκάλεσεν τὸ ὄνομα αὐτῆς Δείνα,* דִּינָה i. e. iudicata (Gesenius). Bene scribit Hummelauer: „Precum ante nulla habebatur mentio: ergo, aiunt Knobel, Dillmann, alius haec auctor eloquitur, dum alter auctor (Knobel) effectum non precibus sed mandragoris adscribebat. Nugae hae sunt: precum ante non requirebatur mentio, cum eae perspici queant e secuta exauditione. Immo neque preces necessario sunt supponendae: audivit Deus verba ℣. 16, quibus desiderium prolis sat clare exprimebatur, et exaudivit hoc desiderium . . . En, rursum ait Dillmann, hic (℣. 18) merces data affirmatur pro concessa ancilla, ℣. 16 pro concessis mandragoris: ergo diversi auctores. Uterque versus ludit in voce שכר, at non agit de re eadem: ℣. 16 tractat de mercede *a Lia,* ℣. 18 de mercede *Liae* data.“ שָׂכַר = mercede conduxit, שָׂכָר (cum suff. שְׂכָרִי) = merces. Scriptum (k^e^thibh) est יִשָּׂשכָר, sed legendum (k^e^re) notatur יִשָּׂכָר (deriv. imperf. niphʿal = mercede acquisitus; cf. Gesenius 1331): recte tamen cum Ben Naphtali, Gesenio aliisque pronuntiandum est יִשְׂשָׂכָר = יֵשׁ שָׂכָר *est merces* (Gesenius, Dillmann, Lapide). Lia istum filium iudicavit mercedem „charitatis et liberalitatis, qua ancillam“ viro tradiderat (Lapide, Bonfrerius, Hoberg, Strack[2]). זְבֻלוּן = habitatio, a זָבַל habitavit (Gesenius).

Lia et Rachel separata habuerunt habitacula, quod contextu innuitur (Gunkel). Nomen *Issachar* etiam alio modo declaratur, nimirum אִישׁ שָׂכָר (Wellhausen, Kittel) vel יִשָּׂא שָׂכָר = affert praemium (Fürst). Gunkel singulas hasce explicationes reiicit, deinde sine ullo argumento asserit, in nomine יִשָּׂכָר litteram *iod* a narratoribus simpliciter neglectam esse, denique de simplicitate talis etymologiae conqueritur!

Respondemus: nomen *Issachar* non a scriptore inspirato sed a Lia declaratum est, quae non e numero philologorum erat, quare non mirandum esset, si etymologia minus accurata esset (pag. 429); ceterum declaratio a Dillmann, Gesenio, Lapide data valde probabilis est, et assertioni Gunkeli illud „Quod gratis asseritur, gratis negatur" opponimus. — זָבַל iuxta assyr. idem denotare atque „e x a l t a v i t", demonstrari nequit (cf. Dillmann, Buhl). — Dillmann aliique cum eo affirmant, tam *Issachar* quam *Zabulon* dupliciter declarari. *Issachar* mercedem pro mandragoris et pro ancilla appellari. At hoc falsum est. Merces pro mandragoris fuit, quod Iacob in tabernaculo Liae dormivit (pag. 433); merces autem pro ancilla viro concessa filius quintus a Lia diserte declaratur (pag. 434). Potuit tamen Lia ad *mercede conduxi te* a l l u d e r e (cf. pag. 382). Dicunt, *Zabulon* verbis *Dotavit me Deus dote bona,* זְבָדַנִי אֱלֹהִים אֹתִי זֵבֶד טוֹב, atque יִזְבְּלֵנִי *habitabit mecum* declarari, cum ל et ד nonnumquam commutentur. Sed ex textu elucet, Liam ideo filio sexto nomen *Zabulon* imposuisse, quod speraret nunc tandem Iacobum secum cohabitaturum esse; potuit tamen ad illud donum, cui hanc mutationem ascribebat, a l l u d e r e. — Iacob alias quoque filias habuit (37, 35 hebr.; 46, 7); ob sequentia (34, 1 ss.) sola *Dina* nominatur.

Gunkel 302 s. cum Wellhausen sequentia tradit: Lia et Rachel eodem tempore conceperunt: Lia, quia virum mercede sibi conduxit, Rachel propter efficientiam mandragorarum. Issachar et Ioseph eodem tempore nati sunt; Issachar ita nominatus est, quia Lia virum mercede sibi conduxit. Hunc esse sensum originalem narrationis, qui tamen in textu sacro obscuratus sit. Nativitatem Dinae in hoc contextu originaliter defuisse eo probetur, quod declaratio nominis non adiungatur. Reponimus: Gunkel asserit, Iacobum Liae debitum coniugale denegasse, sed contextus contrarium docet; asserit, Rachelem propter efficientiam mandragorarum concepisse, textus conceptionem eius Domino ascribit (Ỷ. 22 ss.); asserit, Liam et Rachelem eodem tempore concepisse et peperisse, quam assertionem contextus falsam demonstrat (ỶỶ. 17—23); asserit, Issachar propter conductionem viri ita vocatum esse, quod a veritate alienum est (pag. 434); asserit, suum sensum esse sensum originalem narrationis, sensum vero sacri textus esse obscuratum, at n u l l o a r g u m e n t o assertum confirmat. Dillmann opinionem Wellhauseni recte repudiat, quia probari nequit. Quod nomini *Dinae* declaratio non adiungatur, non mirum est: hoc nomen filiae ex nomine filii *Dan* clarescit. Etiam si ad inspirationem (pag. 35 et 37) non appellemus, asserta Gunkeli omni fundamento obiectivo destituta apparent. Est semper idem peccatum logicum: *asserere sed non demonstrare.* — Conferas notam ad Ỷ. 24. ascriptam.

ỶỶ. 22—24. Recordatus quoque Dominus, אֱלֹהִים, ὁ θεός, ***Rachelis, exaudivit eam*** D e u s (Hebraicus et Graecus), *et aperuit vulvam eius* (pag. 264). 23 *Quae concepit, et peperit filium, dicens: Abstulit,* אָסַף, *Deus opprobrium meum.* 24 *Et vocavit nomen eius,*

Ioseph, יוֹסֵף, *dicens: Addat,* יֹסֵף, *mihi Dominus filium alterum.* Iterum (cf. pag. 434) bene scribit Hummelauer contra Dillmann: „Verba *Recordatus* etc., quod apud *exaudivit* videantur abundare (!), Dillm. adscribit A; *exaudivit eam* tribuit B; *et aperuit* etc. assignat C: et haec vocatur critica textus expositio.“ Nomen יוֹסֵף (imperf. verbi יָסַף *addidit*) idem est atque *addat* scilicet Iahve (cf. Fürst, Gesenius), quare in Ps. 81, 6 hebr. יְהוֹסֵף scribitur et a Rachel in ℣. 24. recte declaratur יֹסֵף יְהוָֹה לִי *addat mihi Dominus.* In ℣. 23. ad verbum אָסַף *abstulit* alludit (cf. pag. 435). „Videbat iam Calmetus, refert Hummelauer, nomen *Ioseph* respicere utrumque verbum אסף *(abstulit)* et יסף *(addat),* quamvis etymologice nonnisi ad hoc alterum revocari queat. Hinc recentiores statuere, duas h. l. tradi nominis derivationes a diversis auctoribus petitas. Id gratuito statuitur. Quinam sensus magis obvii fingi possunt in mente matris dudum sterilis, quam gaudium de opprobrio ablato et desiderium filii alterius? Utrumque convenienter exprimi potuit nomine *Ioseph,* utrumque una mater eodem expressit. Si nomine Zabulon et matris speratus honor derivatione et donum divinitus acceptum allusione exprimi potuit, non est cur negemus, *Ioseph* primitus esse selectum ut monumentum et opprobrii ablati et speratae alterius prolis.“ Sterilitatem suam Rachel vocat *opprobrium,* quia „tunc erat probrum et dedecus“ (Lapide; cf. Dillmann, Strack[2]); etiam Elisabeth dixit: *Dominus . . . respexit auferre opprobrium meum inter homines* (Luc. 1, 25).

Gunkel 299 s. et Holzinger 199 cum Stade asserunt, in 29, 31—30, 24 non veram historiam, sed fictionem contineri. Genealogiam pro cognoscenda historia Israelis nullum pretium habere, iam ex eo elucere quod totus populus Israel iuxta genealogiam de una familia descendat, iuxta veritatem autem e variis familiis vel tribubus mixtus fuerit (Holzinger). Contra has assertiones, nullo argumento logice valido confirmatas, valent ea omnia quae pag. 367—373 scripta sunt.

℣℣. **25—31. Nato autem Ioseph,** LXX accuratius *ἐγένετο δὲ ὡς ἔτεκεν Ῥαχὴλ τὸν Ἰωσήφ, dixit Iacob socero suo* (Hebraicus et Graecus pro *socero suo* habent *Labano*): *Dimitte me ut revertar in patriam,* אֶל־מְקוֹמִי, *εἰς τὸν τόπον μου, et ad terram meam.* [26]*Da mihi uxores, et liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam: tu nosti servitutem qua servivi tibi.* [27]*Ait illi Laban:*

Inveniam, אִם־נָא מָצָאתִי, *εἰ εὗρον, gratiam in conspectu tuo: experimento didici,* נִחַשְׁתִּי, *οἰωνισάμην ἄν, quia benedixerit mihi Deus, θεός,* יְהוָה, *propter te:* [28]et dixit (Hebraicus): *constitue mercedem tuam* apud me (Hebraicus et Graecus) *quam dem tibi,* LXX accuratius *καὶ δώσω σοι.* [29]*At ille* (deest *ille* in Hebraico) *respondit* ei (Hebraicus et Graecus): *Tu nosti quo modo servierim tibi, et quanta in manibus meis fuerit possessio tua,* LXX accuratius *σὺ γινώσκεις ἃ δεδούλευκά σοι, καὶ ὅσα ἦν κτήνη σου μετ' ἐμοῦ.* [30]*Modicum habuisti antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es,* LXX accuratius *μικρὰ γὰρ ἦν ὅσα ἦν ἐναντίον μου, καὶ ηὐξήθη εἰς πλῆθος· benedixitque tibi Dominus ad introitum meum,* LXX accuratius *ἐπὶ τῷ ποδί μου. iustum est igitur ut aliquando provideam etiam domui meae,* וְעַתָּה מָתַי אֶעֱשֶׂה גַם־אָנֹכִי לְבֵיתִי i. e. et nunc quando faciam etiam ego pro domo mea? (similiter LXX). [31]*Dixitque Laban* (deest *Laban* in Hebraico): *Quid tibi dabo? At ille* (pro *ille* in Hebraico et Graeco habetur *Iacob*) *ait: Nihil volo,* LXX accuratius *οὐ δώσεις μοι οὐθέν· sed si feceris quod postulo, iterum pascam, et custodiam pecora tua,* LXX accuratius *ἐὰν ποιήσεις μοι τὸ ῥῆμα τοῦτο, πάλιν ποιμανῶ τὰ πρόβατά σου καὶ φυλάξω.* E contextu patet, post nativitatem Ioseph 14 annos servitutis, in quam Iacob pro uxoribus se addixerat, completos fuisse (cf. 31, 41), quare domum Labani relinquere volebat. Laban eum rogavit, ut tertiam (cf. pag. 427) secum pactionem conficeret. Iacob prius quidem consentire nolebat, quia iam 91 annorum erat (pag. 396), uxores filiosque habebat, sed nihil adhuc possidebat. Iteratae tamen petitioni Labani acquievit, nihil aliud ab eo postulans quam ut conditionem sequentem acciperet.

Dillmann, quem alii sequuntur, impossibile iudicat, quod Lia decurrentibus 7 annis 6 filios et 1 filiam pepererit; at pag. 343 gratis supponit, Liam post nativitatem Iuda saltem 1 annum non concepisse: hoc modo construuntur contradictiones. — Affirmat quoque, in ℣. 26. idem atque in ℣. 25ᵇ et ℣. 29ᵃ enuntiari; sed non est verum. Nam in ℣. 25ᵇ Iacob postulat, ut ipse dimitteretur; in ℣. 26. petit, ut uxores cum filiis sibi tradantur, cum pretium solutum sit; in ℣. 29ᵃ Labano exponit, quomodo ex servitute sua utilitatem sat magnam iam perceperit. Ergo nulla adest repetitio eiusdem rei. — Holzinger cum aliis verba *et liberos meos* glossam declarat; Dillmann, Hoberg, Hummelauer et antiquiores recte ea retinent genuina: sententia *pro quibus servivi tibi* utique directe

ad uxores referenda est, sed liberos non excludit. — Responsio Labani in Ỳ. 27. iuxta Hebraicum et Graecum ellipsis est: „Si inveni gratiam in conspectu tuo", (supplendum) „mane apud me" (Strack [2], Gesenius-Kautzsch 507). — נִחַשְׁתִּי (pi'el inusitati kal נָחַשׁ) = auguria captavi, οἰωνισάμην (ab οἰωνός, avis); eundem sensum S. Hieronymus versione *experimento* i. e. augurio *didici* expressit: Gesenius 875 citat Liv. 1, 36 „experiri augurio". Hummelauer scribit: „Neque dicas, non augurio sed experimento didicisse Laban, Deum sibi propter Iacob benedixisse. Benedictionem utique oculis conspiciebat: at eam propter Iacob esse concessam, id augurio vir superstitiosus comperisse sibi videbatur." Constructionem praegnantem נִחַשְׁתִּי וַיְבָרְכֵנִי יְהוָֹה Gesenius-Kautzsch 328, nota 2 sic declarant: *observavi et* inveni: *benedixit mihi Iahve*. — Dillmann putat, Ỳ. 28. ex alio scriptore insertum esse, cum in Ỳ. 31. idem repetatur; sed iterata interrogatio Labani necessaria erat, quia Iacob prius consentire noluit (pag. 437). — De אָשׁוּבָה = iterum in Ỳ. 31 videas שׁוּב in lexico. — *Pascam* et *custodiam* duo momenta officii pastoralis significant; ergo nihil nos cogit, ut duos fontes diversos pro istis verbis statuamus (contra Dillmann aliosque).

ỲỲ. **32—36. Gyra,** *παρελθάτω*, אֶעֱבֹר i. e. gyrabo, **omnes greges tuos,** צֹאנְךָ i. e. oves et capras (pag. 99), hodie (Hebraicus et Graecus), *et separa, καὶ διαχώρισον*, הָסֵר i. e. separans, inde (Hebraicus et Graecus) *cunctas oves varias, et sparso vellere: et quodcumque furvum, et maculosum, variumque fuerit, tam in ovibus quam in capris, erit merces mea.* Hebraice כָּל־שֶׂה נָקֹד וְטָלוּא וְכָל־שֶׂה־חוּם בַּכְּשָׂבִים וְטָלוּא וְנָקֹד בָּעִזִּים וְהָיָה שְׂכָרִי i. e. omnem pecudem punctis distinctam et maculosam, et (haec 7 verba in LXX desunt) omnem pecudem nigram in ovibus et maculosam et punctis distinctam in capris, et erit merces mea. [33]*Respondebitque mihi*, וְעָנְתָה־בִּי, *cras*, בְּיוֹם מָחָר, *ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ αὔριον* i. e. „tempore postero" (Gesenius 784), *iustitia mea*, צִדְקָתִי, *quando placiti tempus advenerit coram te*, כִּי־תָבוֹא עַל־שְׂכָרִי לְפָנֶיךָ i. e. quando veneris ad mercedem meam coram te: *et* vel tunc *omnia quae non fuerint varia*, נָקֹד i. e. punctis distincta, *et maculosa* in capris (Hebraicus et Graecus), *et furva, tam* (deest *tam* in Hebraico et Graeco) *in ovibus quam in capris* (ultima 3 verba desunt in Hebraico et Graeco) *furti me arguent*, גָּנוּב הוּא אִתִּי i. e. *κεκλεμμένον ἔσται παρ' ἐμοί.* [34]*Dixitque Laban: Gratum habeo quod petis,* הֵן לוּ יְהִי כִדְבָרֶךָ i. e. sane, utinam fiat iuxta verbum tuum. [35]*Et separavit in die illa capras, et oves, et hircos, et arietes varios, atque maculosos: cunctum autem gregem*

unicolorem, id est albi, et nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum. Aliter in Hebraico et Graeco: Et separavit in die illa hircos virgatos et maculosos et omnes capras punctis distinctas et maculosas, omne in quo album erat, et omne nigrum in agnis et dedit in manu filiorum suorum. 36*Et posuit spatium itineris,* דֶּרֶךְ, *ὁδόν, trium dierum inter se et generum* (pro *generum* habent Hebraicus et Graecus *Iacob*), *qui* (pro *qui* habent Hebraicus et Graecus *et Iacob*) *pascebat reliquos greges eius,* צֹאן לָבָן. Interpretes antiquiores et recentiores, catholici et acatholici communiter notant, textum horum versuum non incorruptum ad nos pervenisse, quare varii varie eum emendant ac declarant. Prius sententiam, quae mihi probabilior videtur, deinde aliorum sententias proponam. — In istis versibus factum supponitur (Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger, Hummelauer, Strack[2]), quod in Syria oves regulariter albae (Ps. 146, 16; Cant. 4, 2; 6, 5; Is. 1, 18; Dan. 7, 9), caprae vero regulariter nigrae vel fuscae sunt, ergo oves nigrae et caprae diversicolores parcissime dumtaxat reperiuntur. Iuxta textum Hebraicum et Graecum versuum 35 et 36 Laban capras diversicolores et oves nigras filiis suis, oves et capras coloris regularis autem Iacobo pascendas tradidit atque utrumque gregem divisit, ne commixtio fieri posset (cf. Lapide, Gunkel, Dillmann). Cum hoc textu Graecus textus versus 32 omnino congruit, quare illum textui Hebraico et Latino versus 32 praeferimus. Illud *et erit merces mea* in ℣. 32 e comparatione versuum 31 et 33 et 36 ss. intelligendum est: non capras diversicolores et oves nigras a Labano segregatas Iacob mercedem suam postulavit, sed capras diversicolores et oves nigras, quae a capris et ovibus coloris regularis tempore futuro nascerentur (Dillmann, Strack[2]). Propterea Laban tam libenter conditionem accepit *(sane, utinam fiat)*, quia ritu naturae paucae tantum exspectari poterant (cf. Gunkel). Post verba *et erit merces mea* sententia mercedem declarans excidisse videtur (cf. Wellhausen, Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hummelauer).

S. Hieronymus scribit: „Multum apud Septuaginta interpretes confusus est sensus, et usque in praesentem diem nullum potui invenire nostrorum, qui ad liquidum, quid in hoc loco diceretur, exponeret." De versione autem Hieronymiana Bonfrerius aliique notant, eam neque cum Graeco neque cum Hebraico textu convenire, licet S. Hieronymus eundem

textum Hebraicum atque nos in manibus habuerit, ut ex Quaest. Hebr. eius elucet. S. Hieronymus magis paraphrastae quam interpretis officio functus est (Bonfrerius) et sensum, quem non perceperat, non accurate reddidit. — In Ѷ. 32. Ball cum Vulgata recte imperativum עֲבֹר . . . וְהָסֵר scribit, quia textus Masorethicus אֶעֱבֹר . . . הָסֵר (= imperfectum cum infinitivo absoluto) grammaticaliter non bene quadrat (Holzinger), et iuxta Ѷ. 35. reapse Laban separationem fecit. Plerique tamen interpretes אֶעֱבֹר *gyrabo* genuinam lectionem retinent, at miras interpretationes proferunt. Hummelauer asserit: „Altera lectio fere supponit Labani fraudem, qui, antequam Iacob uti convenerat circumiret, circumiverit ipse et omnia, quae Iacobi futura essent, trium dierum itinere abduxerit et in deserto veluti celaverit“ (pag. 485). „Verba pacti illud habebant, ut ea ipsa die *(hodie)* ac sane vesperam versus, quo tempore greges omnes ad puteos cogebantur, divisio pecorum fieret ab ipso Iacob. Laban eadem die *(eo ipso die)* neque vespera exspectata cito circuit greges nondum in unum coactos et varia pecora omnia et agnos nigros a gregibus eliminat et longissimo itinere removendos curat, quo et Iacobum effugiant neque cum reliquo grege unicolore misceantur. Ubi reliqui greges ad Iacobum convenere, nihil quod separaret reperit, sola iustitiae testificatione ditatus est. Ita duplex viro damnum infligitur. Privatur mercede die *crastina* accipienda universa. Sequentium temporum mercedes extenuantur“ (pag. 486). Haec interpretatio ex phantasia, non ex contextu desumpta est (cf. Strack[2] 115). Lapide explicat: „*Gyra,* coge in gyrum oves et capras tuas, ut simul omnes lustremus et separemus unicolores a diversicoloribus: unde hebraice est אעבור *eebor* id est transibo et lustrabo tecum omnes greges.“ Hoberg contra reliquos interpretes affirmat, in Ѷ. 35. non Labanum sed Iacobum esse subiectum, *filios* significare servos Iacobi, ideoque in Ѷ. 36. *Iacobum* (cf. textum Hebraicum et Graecum) pro pronomine positum esse eumque non solum tempore futuro sed iam die separationis ovium et caprarum mercedem recepisse. At haec quoque sententia est contra contextum (cf. Ѷ. 31, Dillmann, Gunkel, Strack[2]). Gunkel cum aliis duas recensiones statuit: iuxta unam Iacob, iuxta alteram Laban capras et oves separavit. Attamen, si omnes omnino concedunt, textum esse corruptum (cf. pag. 439), quare cum Vulgata et Ball non imperativum scribunt itaque contradictionem dissolvunt? — Etiam Kittel, Holzinger, Hoberg, Ball in Ѷ. 32. illa verba, quae in LXX desunt, delenda censent; Hummelauer cum aliis verba genuina retinet et declarat: „Iacob prius universale dictum per suas partes explicat“; Dillmann et Strack *'athnach* ֑ non ad בָּעִזִּים sed ad prius וְטָלוּא ponendum putant.

In Ѷ. 33. בְּיוֹם מָחָר idem esse ac „tempore postero“, praeter Gesenium etiam Fürst, Buhl, Dillmann, Strack affirmant. S. Hieronymus pro עַל־שְׂכָרִי *ad mercedem meam* legisse videtur עת־כשר (Hummelauer); LXX vertunt *ὅτι ἐστὶν ὁ μισθός μου ἐνώπιόν σου.* Sensus versiculi hic

est: merces mea, i. e. caprae et oves, abscondi nequit, sed *coram te* est; colorem earum statim conspicere potes, et omnes caprae non diversicolores necnon omnes oves non nigrae iuxta pactum ut iniuste ablatae apparebunt; ergo *iustitia,* quae unicuique quod suum est tribuit, ipsa de me testabitur, וְעָנְתָה־בִּי, et quidem pro me (cf. עָנָה in lexico), eo quod tibi fraudem facere nequeam (cf. Dillmann, Strack[2]). Holzinger putat, *iustitia mea* forsitan non proprietatem, sed mercedem Iacobi iure acquisitam designare (cf. Buhl ad צְדָקָה): sensus non mutatur. Quomodo Holzinger affirmare possit, iuxta ℣. 33. Iacobum neque oves albas neque capras nigras in grege sibi commissa habuisse, comprehendi nequit. Videas textum Hebraicum. Secundum Hoberg *Respondebitque mihi iustitia mea* = detur mihi pars mea, qui sensus cum significatione vexbi עָנָה vix conciliari poterit. Longius a vero recedere videtur Lapide cum S. Hieronymo explicans: „Tecum facit natura pecorum, ut alba ex albis, nigra ex nigris nascantur; mecum vero erit iustitia mea mihi respondens, i. e. me remunerans, cum Deus, uti certo confido, humilitatem meam respiciet laboremque meum iusta mercede . . . remunerabit et compensabit, efficiendo videlicet ut ex unicoloribus tuis mihi diversicolores nascantur.“ In ℣. 35. Ball pro הָעֲקֻדִּים *virgatos* scribit הַנְּקֻדִּים *punctis distinctos;* at videas 30, 39s.; 31, 8. 10. 12. In sententia *omne in quo album,* לָבָן, *erat* allusio ad nomen *Laban* continetur (Gunkel 306). — Gunkel cum Wellhausen in narratione duplicem distinguit recensionem. Iuxta priorem Iacob *hodie* pecora segregavit, quae Laban *cras* inspexit; pecora coloris non regularis tunc segregata merces Iacobi fuerunt, pro qua deinde totum gregem pascebat. Iuxta alteram Iacob in praesenti nihil voluit, sed pro futuro pecora coloris non regularis postulavit; Laban pecora segregavit, Iacob oves et capras coloris regularis pascebat. Cui opinioni opponimus: primo, textus ex quo Gunkel suam distinctionem hausit, omnibus confitentibus incertus est, ergo fundamentum talis distinctionis esse nequit. Secundo, valde improbabile est, prudentem scriptorem Genesis duas recensiones sibi contradicentes in unam coniunxisse. Tertio, ista distinctio nullo argumento obiective valido confirmatur neque cum catholica inspirationis notione conciliari potest (cf. pag. 35. 37). Gunkel saepe phantasiam suam, non logicam sequitur; videas ℣. 43, notam, et pag. 435.

℣℣. **37—39. Tollens ergo** sibi (Hebraicus et Graecus) *Iacob virgas populeas* vel styracinas, לִבְנֶה, *στυρακίνην, virides, et amygdalinas,* וְלוּז, *et ex platanis,* וְעַרְמוֹן, *ex parte decorticavit eas: detractisque corticibus, in his, quae spoliata fuerant, candor apparuit: illa vero quae integra fuerant, viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius;* in Hebraico: et decorticavit in eis decorticationes albas, nudationem albi quod est in virgis; in LXX *καὶ ἐλέπισεν αὐτὰς Ἰακὼβ λεπίσματα*

λευκά, περισύρων τό χλωρόν· ἐφαίνετο δὲ ἐπὶ ταῖς ῥάβδοις τὸ λευκὸν ὃ ἐλέπισεν ποικίλον. [38]*Posuitque eas,* LXX accuratius καὶ παρέθηκεν τὰς ῥάβδους ἃς ἐλέπισεν, *in canalibus, ubi effundebatur aqua,* בָּרְהָטִים בְּשִׁקֲתוֹת הַמָּיִם, ἐν ταῖς ληνοῖς τῶν ποτιστηρίων τοῦ ὕδατος· *ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, et in aspectu earum conciperent;* in Hebraico: quo veniebant pecora ad bibendum, coram pecoribus, et incalescebant, quando veniebant ad bibendum. [39]*Factumque est ut in ipso calore coitus, oves intuerentur virgas,* Hebraice: et coibant pecora apud virgas, *et parerent* p e c o r a (Hebraicus et Graecus) maculosa, עֲקֻדִּים i. e. virgata, *et varia,* נְקֻדִּים i. e. punctis distincta, *et diverso colore respersa,* וּטְלֻאִים i. e. maculosa. — Dillmann cum Lapide (ad ℣. 37) testimonio variorum scriptorum comprobat, imaginatione rerum diversicolorum, quas animalia concipientia aspiciunt, reapse colorem fetus determinari. Sed conferas 31, 8ss. quoque.

Utrum לִבְנֶה populum albam an styracem officinalem significet, incertum est. LXX in G e n. 30, 37 στυρακίνην, sed in O s. 4, 13 λεύκης reddunt; Gesenius 740 styracem, Dillmann vero populum albam intelligit, quae sententia cum O s. 4, 13 melius congruit (cf. Buhl). — Gunkel sine argumento obiective valido וְלוּז וְעַרְמוֹן variantem ad לִבְנֶה declarare vellet. — In sequentibus textus Hebraicus brevior, textus versionum diffusior (paraphrasis) est. — לִבְנֶה et לְבָנוֹת et הַלָּבָן allusiones ad nomen *Laban* esse possunt. — In ℣. 38. בְּשִׁקֲתוֹת הַמָּיִם est declaratio praecedentis בָּרְהָטִים (Dillmann); Gunkel cum Wellhausen בְּשִׁקֲתוֹת usque לִשְׁתּוֹת inclusive delet, sed lectio difficilior retinenda est (Bibelkritik 178). — תָּבֹאןָ = תָּבֹאנָה a verbo בּוֹא *venire* (Gesenius-Kautzsch 217). — In וַיֵּחַמְנָה pro praeformativo תְּ scriptum est יְ (cf. Gesenius-Kautzsch 126 s.); יָחַם = חָמַם idem est atque „incaluit, spec. pecus libidine" (Gesenius). — In ℣. 39. וַיֶּחֱמוּ = וַיֵּחַמוּ (Gesenius-Kautzsch 187) = „et incaluerunt i. e. conceperunt" (Gesenius ad יָחַם). — Gunkel et Holzinger cum Wellhausen versum 39ª ut repetitionem versus 38ᵇ delere volunt; LXX vertunt ἐνκισσήσωσιν τὰ πρόβατα εἰς τὰς ῥάβδους. [39]Καὶ ἔτικτον τὰ πρόβατα διάλευκα κτλ.

℣℣. **40—42. Divisitque gregem Iacob,** *et posuit virgas in canalibus ante oculos arietum: erant autem alba et nigra quaeque, Laban: cetera vero, Iacob, separatis inter se gregibus;* in Hebraico: oves autem, וְהַכְּשָׂבִים, separavit Iacob et posuit facies pecorum, הַצֹּאן, versus virgatum et omne nigrum in

pecoribus, בַּצֹּאן, Labani, et posuit sibi greges separatim et non posuit eos ad pecora, עַל־צֹאן, Labani; in LXX autem: *τοὺς δὲ ἀμνοὺς διέστειλεν Ἰακὼβ καὶ ἔστησεν ἐναντίον τῶν προβάτων κριὸν διάλευκον καὶ πᾶν ποικίλον ἐν τοῖς ἀμνοῖς καὶ διεχώρισεν ἑαυτῷ ποίμνια καθ' ἑαυτὸν καὶ οὐκ ἔμιξεν αὐτὰ εἰς τὰ πρόβατα Λαβάν.* [41]*Igitur quando primo tempore ascendebantur oves,* in Hebraico: et factum est, quotiescumque incalescebant, בְּכָל־יַחֵם, pecora, הַצֹּאן, robusta; in LXX *ἐγένετο δὲ ἐν τῷ καιρῷ ᾧ ἐνεκίσσων τὰ πρόβατα ἐν γαστρὶ λαμβάνοντα, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum* (deest *aquarum* in Hebraico et Graeco) *ante oculos arietum et ovium,* לְעֵינֵי הַצֹּאן i. e. ante oculos pecorum, *ut in earum contemplatione conciperent,* LXX accuratius *τοῦ ἐγκισσῆσαι αὐτὰ κατὰ τὰς ῥάβδους·* [42]*quando vero serotina admissura erat, et conceptus extremus,* וּבְהַעֲטִיף הַצֹּאן i. e. sed quando debilia erant pecora, *non ponebat eas. Factaque sunt ea quae erant serotina,* וְהָיָה הָעֲטֻפִים i. e. et facta sunt debilia, *Laban: et quae primi temporis,* וְהַקְּשֻׁרִים i. e. robusta autem, *Iacob.* — In his versibus duo nuntiantur, scilicet Iacobum oves et capras coloris non regularis a pecoribus Labani separasse, sed artem suam in robustis tantum pecoribus adhibuisse.

℣. 40. certo corruptus est, uti comparatio textuum ostendit; quomodo autem emendandus sit, non patet. Hoberg pro אֶל־עָקֹד cum LXX scribit אֶל־אַיִל עָקֹד et reddit: „oves separavit Iacob; vertit faciem feminearum ovium, הַצֹּאן, in diversicolorem arietem; tunc (factum est) nigrum dumtaxat in grege, בַּצֹּאן, Labani". At opinioni eius gravissimae abstant difficultates: idem nomen צֹאן in ℣. 38s. de capris et hircis, in ℣. 40ᵃ de ovibus femineis, in ℣. 40ᵇ de toto grege accipitur; deinde valde improbabile est, in grege Labani propterea n i g r u m dumtaxat factum esse, quia facies ovium feminearum in arietem d i v e r s i c o l o r e m versa erat (cf. pag. 442). Melius Hummelauer cum aliis (cf. Dillmann) pro אֶל ponit כָּל־ atque פְּנֵי „primum agmen" intelligit (cf. lexicon), ideoque vertit et explicat: „Et oves separavit Iacob et constituit primum agmen pecudum omnes maculatas et nigras de ovibus Laban, (alterum vero agmen albas) et coegit illas in greges seorsum, separatos ab ovibus Laban (i. e. albis). De solis o v i b u s explicite agitur, vel quod lector facile censeatur dicta esse applicaturus ad capras vel quod e textu ceteroquin haud intacto aliqua sententia exciderit." Nimis radicitus textum tractantes Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack[2] cum aliis (cf. Dillmann) putant, verba *et posuit facies pecorum versus virgatum et omne nigrum in pecoribus Labani* (cf. textum Hebraicum) non originalia ideoque delenda esse; Dillmann insuper

וְהַכְּשָׂבִים non solum de ovibus, verum etiam de capris intelligit, qui intellectus cum Ṽ. 32 ss. pugnat. Probabilius mihi videtur, וְהָעִזִּים *caprae* excidisse, pro אֶל legendum esse כָּל־ et פְּנֵי *primum agmen* significare (cf. Hummelauer), ita ut vertendum sit: et oves et capras separavit Iacob; et posuit primum agmen pecorum omne virgatum et omne nigrum in pecoribus Labani, et posuit sibi greges separatim et non posuit eos ad pecora Labani. Ita emendatus Ṽ. 40. cum antecedentibus congruit: capras virgatas et oves nigras (cf. ṼṼ. 32—39) a capris et ovibus coloris regularis segregavit easque primo loco collocavit, forsitan ob rationem pag. 439 cum Dillmann allatam.

Inter textum Hebraicum versuum 41 s. et versiones antiquas quoad rem nulla differentia est, ut Dillmann aliique iam notarunt. Antiqui enim interpretes „narrata contulere cum opinione, animalia robustiora iam aestate, debiliora autumno coire, atque hinc prolem hieme editam robustiorem esse verna. Putabant igitur, Iacobum aestivo, non autumnali tempore virgas adhibuisse". Ita Hummelauer, qui tamen adiungit: „Verum, licet haec explanatio fortasse admitti potest, non tamen debet. Potuit etiam Iacob loco segregare robusta a debilibus, illis forte primum et adhibitis virgis ad aquas productis, his postea aut alio loco et sine virgis." — De וְהָיָה ... וְשָׂם videas Gesenius-Kautzsch 337. — יַחֵם est inf. constr. pi'el verbi יָחַם; Ball cum LXX aliisque (cf. Kittel) בְּכָל־עֵת יָחֵם emendat (cf. 31, 10). — לְיַחְמֶנָּה (pro לְיַחֲמֵן) est inf. constr. pi'el verbi יָחַם cum suffixo irregulari ֶנָּה (cf. Gesenius-Kautzsch 255). — Conferas ea, quae 31, 7 ss. narrantur.

Ṽ. 43. **Ditatusque est homo** *ultra modum,* מְאֹד מְאֹד, *σφόδρα σφόδρα, et habuit greges,* צֹאן, *multos, ancillas et servos, camelos et asinos.* Gunkel 305 rationem agendi Iacobi fraudationem vocare vellet; Hoberg 266 eam non formalem violationem pacti, sed materialiter vix excusandam censet; Lapide tamen scribit: „Dices, Iacob hac arte, quasi fraude, contractum cum Labano initum vitiavit, itaque dolose et iniuste rem alienam Labani acquisivit. Contractus enim, ut unicolores nascituri cederent Labano, diversicolores Iacobo ex communi mente contrahentium intelligebatur de iis, quae talia naturaliter et casu, non autem per artem et fraudem nascerentur. Respondeo, verum est contractum hunc communiter ita intelligi solere et debere, itaque a Iacobo et Labano intellectum esse. Iacob ergo alio titulo hac stropha usus est, nimirum: primo, titulo compensationis; ipse enim a Labano, homine avaro et iniquo, violenter opprimebatur et iustam laborum suorum mercedem

aliter extorquere nequibat, nisi hac arte . . . Iacob ergo cum non haberet iudicem, ad quem recurreret, ipse sibi ex necessitate ius dixit suumque hac arte repetiit, ut mercedem sibi debitam hac arte consequeretur. Secundo, fecit hoc Iacob Dei, per angelum monitu . . . ergo Deus dedit illi has pecudes Labani hac arte nascituras." Videas 31, 9 ss.

Gunkel 305 ss. scribit: „De vindicta Iacobi narrant antiquae fabulae cum mille gaudiis . . . Quod tam astute egerit et Labanum tam radicitus raserit, narratorem et auditores summa voluptate replet . . . Narratio huius artificii antiquissimos auditores manifeste summa voluptate replevit . . . Hic auditores laetos tollunt clamores." Et tales ineptiae garruli nugatoris, nullo augumento logico vel hermeneutico probandae, ut interpretationes scientificae proponuntur. Pauperem scientiam!

C. **31.** **℣℣. 1—4. Postquam** (deest in Hebraico et Graeco) *autem audivit verba filiorum Laban dicentium: Tulit Iacob omnia quae fuerunt patris nostri, et de illius facultate ditatus, factus est inclytus,* LXX accuratius *καὶ ἐκ τῶν τοῦ πατρὸς ἡμῶν πεποίηκεν πᾶσαν τὴν δόξαν ταύτην·* [2]*animadvertit quoque,* LXX accuratius *καὶ εἶδεν Ἰακώβ, faciem Laban, quod non esset,* LXX accuratius *καὶ ἰδοὺ οὐκ ἦν, erga se sicut heri et nudiustertius,* [3]*maxime dicente sibi Domino,* LXX accuratius *εἶπεν δὲ κύριος πρὸς Ἰακώβ· Revertere in terram patrum tuorum, et ad generationem tuam,* וּלְמוֹלַדְתֶּךָ i. e. et ad cognationem tuam vel ad locum nativitatis tuae (cf. 12, 1; pag. 222), *eroque tecum* (cf. 26, 3; pag. 386). [5]*Misit* igitur Iacob (Hebraicus et Graecus), *et vocavit Rachel et Liam in agrum, ubi pascebat greges,* הַשָּׂדֶה אֶל־צֹאנוֹ i. e. in campum ad pecora sua, *εἰς τὸ πεδίον οὗ τὰ ποίμνια.* Duplex causa Iacobum ad fugam petendam permovit: causa profana, scil. invidia Labani filiorumque eius, et causa religiosa, scil. mandatum Domini. Gunkel putat, duas has causas sibi contrarias esse: nam pio solum mandatum divinum sufficere, aliam causam non necessariam esse; prudentem Iacobum autem etiam sine mandato divino intellexisse, fugam capiendam esse. At Gunkel iterum non logicam, sed phantasiam sequitur (cf. pag. 441). Si pio solum mandatum divinum sufficit, iuxta praecepta logica eo non excluditur, quod pius iam ante acceptum mandatum divinum naturali quoque causa ad eandem actionem incitatus sit: haec causa naturalis vel profana ab hagiographo prius (in ℣. 1 s.) exponitur, causa religiosa seu mandatum di-

vinum postea (in ℣. 3.) narratur. Si Iacob e prudentia sua necessitatem fugae intelligere potuit, ex eadem prudentia etiam manifestum periculum praevidere debuit, quod fugiens incurreret; propterea fugam distulit, donec Dominus diceret: *Revertere eroque tecum.* Laban fugientem Iacobum reapse persecutus est eique comprehenso dixit: *valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Iacob quidquam durius* (℣. 29).

Scriptio et interpunctio officialium editionum Sixtinae ac Clementinae non bona est. Licet ℣. 1. cum *Postquam* incipiat, tamen in ℣. 3. post *tecum* punctum ponitur, et in ℣. 4. illud *Misit* littera maiuscula scribitur. Videas criticam meam editionem Vulgatae. — Quomodo verba *Tulit Iacob omnia quae fuerunt patris nostri* (℣. 1; cf. ℣. 9) accipienda sint, contextus ostendit et interpretes communiter comprehendunt; solus Gunkel 307 phantasia sua ex eis deducit, totum Labani gregem in possessionem Iacobi venisse! — כָּבֹד tam divitias quam gloriam significat (cf. lexicon), quare LXX *δόξαν* reddiderunt et S. Hieronymus *inclytus* vertit inserens *ditatus;* sed in hoc contextu verba עָשָׂה אֵת כָּל־הַכָּבֹד הַזֶּה verti debent: acquisivit omnes divitias has. — Phrasis *heri et nudiustertius* = antea vel prius (Dillmann cum aliis). — Phrasim *misit et vocavit* Gesenius 1413 sic exponit: „misit aliquem, qui arcesseret". Rachel, uxor dilecta, ante Liam nominatur.

℣℣. **5—13. dixitque eis:** *Video* ego (Hebraicus et Graecus) *faciem patris vestri quod non sit erga me sicut heri, et nudiustertius: Deus autem patris mei fuit mecum* (cf. pag. 386). [6]*Et ipsae nostis quod totis viribus meis servierim patri vestro.* [7]*Sed et* (in Hebraico וְ, in Graeco *δέ*) *pater vester circumvenit me, et mutavit mercedem meam decem vicibus: et tamen* (in Hebraico וְ, in Graeco *καί*) *non dimisit eum Deus ut noceret mihi.* [8]*Si quando,* אִם־כֹּה, *ἐὰν οὕτως, dixit: Variae,* נְקֻדִּים i. e. punctis distincta, *erunt mercedes tuae,* LXX accuratius *ἔσται σου μισθός· pariebant omnes oves,* כָּל־הַצֹּאן i. e. omnia pecora, *varios foetus* נְקֻדִּים i. e. punctis distincta. *quando vero econtrario,* וְאִם־כֹּה, *ait: Alba,* עֲקֻדִּים i. e. virgata, *accipies pro mercede,* LXX accuratius *ἔσται σου μισθός· omnes greges,* כָּל־הַצֹּאן i. e. omnia pecora, *alba,* עֲקֻדִּים i. e. virgata, *pepererunt.* [9]*Tulitque Deus substantiam,* מִקְנֵה i. e. gregem, *patris vestri, et dedit mihi.* [10]*Postquam enim conceptus ovium tempus advenerat,* in Hebraico: et factum est, in tempore ardoris pecorum, *levavi oculos meos, et vidi in somnis*

et ecce (Hebraicus et Graecus) *ascendentes mares*, הָעַתֻּדִים, *super feminas*, עַל־הַצֹּאן, *varios*, עֲקֻדִּים i. e. virgatos, *et maculosos*, נְקֻדִּים i. e. punctis distinctos, *et diversorum colorum*, וּבְרֻדִּים i. e. et maculosos. [11]*Dixitque angelus Dei ad me in somnis: Iacob? Et ego respondi: Adsum*, הִנֵּנִי. [12]*Qui ait: Leva* quaeso (Hebraicus) *oculos tuos, et vide universos masculos*, הָעַתֻּדִים, *ascendentes super feminas*, עַל־הַצֹּאן, *varios*, עֲקֻדִּים, *maculosos*, נְקֻדִּים, *atque respersos*, וּבְרֻדִּים. *Vidi enim omnia quae fecit tibi Laban.* [13]*Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem*, מַצֵּבָה, *et votum vovisti mihi. Nunc ergo* (deest *ergo* in Hebraico) *surge, et egredere de terra hac, revertens*, וְשׁוּב i. e. *καὶ ἄπελθε*, *in terram nativitatis tuae*, מוֹלַדְתֶּךָ (cf. pag. 445). — Hunc sermonem Iacob uxoribus suis adhibuit, ut eas ad fugam promptas redderet. Exposuit eis, quomodo Laban non tantum comitatem priorem deposuisset, sed etiam contra pactum initum saepius mercedem mutasset, licet servitus sua et benedictio divina ei utilissimae fuissent (cf. 30, 27 ss.). Explicavit eis, quomodo Deus effecisset, ne Laban sibi noceret, providens videlicet, ut pecora fetum eius coloris ederent, quem Laban mercedem determinaverat. Demonstravit eis, non semetipsum, ut filii Labani asserebant, sed Deum gregem Labani tulisse, revelationem divinam in somnio sibi factam proferens. Denique nuntiavit eis, Deum in somnio sibi mandasse, ut in patriam reverteretur.

Omnia bene cohaerent. Ad ℣. 1. respicit ℣. 9, qui per ℣℣. 10—12 probatur; ad ℣. 2. spectant ℣℣. 5—7, qui ℣. 7ᵇ declaratur per ℣. 8; ad ℣. 3. pertinet ℣. 13. Ergo nulla adest necessitas, ut istos ℣℣. dilaceremus particulasque variis auctoribus ascribamus. — Verba Iacobi in ℣. 6. *totis viribus meis servierim patri vestro* Gunkel admiratur, cum Iacob servitute sua totam Labano substantiam abstulerit; at hoc falsum est. Videas pag. 443 et 446. — In ℣. 7. pro perf. hiph'il וְהֶחֱלִף Kittel cum Samaritano imperf. hiph'il וַיַּחֲלִף fortasse legendum putat (cf. ℣. 41). — *Decem vicibus* = saepius; ita antiquiores et recentiores interpretes, nam numerus determinatus nonnumquam pro indeterminato ponitur (cf. Dan. 7, 10; Exegeticam 9). Putat tamen Lapide, in hoc loco phrasim etiam proprie accipi posse. Iacob enim secundum ℣. 41. servivit Labano „sex annis pro gregibus et ovibus, bis autem in anno pariebant oves, et qualibet vice ex pacto per singularem Dei providentiam ditabatur Iacob. Hoc videns Laban qualibet vice rescindebat et mutabat pactum; quinque ergo annis decies mutavit pactum, unde anno sexto huius mutationis pertaesus Iacob aufugit." Ita Lapide; conferas ea, quae mox dicentur. — Ad ℣. 8.

nota: iuxta pactum omnes oves non albae omnesque caprae non nigrae ad Iacobum pertinebant, sive virgatae sive maculosae sive punctis distinctae (cf. pag. 439). Hoc pactum Laban mutavit atque mox punctis distinctas dumtaxat mox virgatas tantum mercedem eius constituit; sed pecora fetum eius coloris edebant, quem Laban determinaverat. Probabile est, Labanum primo anno pactum observasse, sequentibus vero quinque annis ante quemlibet partum pecorum illud mutasse. — Narratione somnii (℣℣. 10—12) Iacob uxoribus probare voluit, Deum Labano pecora abstulisse. Strack[2] confidenter sine ullo argumento asserit, Deum Iacobo hircos diversicolores super feminas ascendentes reapse non monstrasse, sed Iacobum mentiendo somnium naturale ut divinam revelationem finxisse; simul tamen affirmat, in ℣. 13. veram revelationem divinam contineri. Haec asserens Strack contra logicam peccat. Idem enim Iacob testatur, sibi a Deo hircos monstratos atque mandatum revertendi datum esse: ergo utrumque testimonium aut respuendum aut suscipiendum est; unum suscipere et alterum respuere, et quidem sine ullo argumento, iuxta praecepta logica non licet. — Alia quaestio est, quando Iacob illud somnium viderit. Hoberg putat, Iacobum ante quemlibet partum in somnio colorem fetus conspexisse, et Gunkel opinatur, Iacobum fetum eiusdem coloris a Labano mercedem postulasse. At haec opinio cum contextu non bene congruere videtur. Nam colorem mercedis iuxta ℣. 8. non Iacob sed Laban determinavit; ℣℣. 12s. vero innuunt, „visionem obtigisse, quo supremo ante Iacobi ad uxores alloquium tempore pecora coivissent" (Hummelauer 491). Qua visione simulque verbis *Vidi enim omnia* etc. Deus Iacobo indicavit, *se* providisse, ut pecora fetum eius coloris ederent, quem Laban determinaverat (cf. Dillmann 350s.). Inde clarescit, quare Iacob uxores alloquens artificium suum tacuerit. Causa principalis enim divitiarum suarum Deus erat, qua uxoribus indicata (pag. 447) causam secundarium tacere potuit. — Inter 30, 37ss. atque 31, 8ss. nulla adest contradictio, quia ibi providentia Dei et hic artificium Iacobi tacetur quidem, sed non diserte excluditur (cf. Exegeticam 116s.).

In nomine אֲבִיכֶם (℣. 9) suffixum mascul. ad substantiva femin. (Liam et Rachel) refertur (cf. Gesenius-Kautzsch 447s.); sed c. 50 manuscripta et Samaritanus habent אֲבִיכֶן (cf. Kittel). — De *angelo Dei* (℣℣. 11 coll. 13) videas pag. 266 et Theol. bibl. Vet. Test., pag. 469ss. — In ℣. 11. editiones officiales interpungunt *Iacob?* pro *Iacob!* — Strack[2] aliique sine ullo argumento ac necessitate opinantur, inter ℣. 12. et ℣. 13. quaedam verba excidesse. — In ℣. 13. sententia הָאֵל בֵּית־אֵל grammatice sic declarari potest הָאֵל אֵל בֵּית־אֵל (cf. Gesenius-Kautzsch 419); Kittel autem legendum putat הָאֵל הַנִּרְאֶה אֵלֶיךָ בְּבֵית־אֵל; sed LXX reddunt *ὁ θεὸς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τῷ τόπῳ ᾧ ἤλειψάς μοι ἐκεῖ κτλ.* Idem Kittel cum 5 manuscriptis, Samaritano, Graeco et Latino pro אֲשֶׁר secundo וַאֲשֶׁר emendat. Conferas ad hunc ℣. 13. quae pag. 418 scripta sunt, necnon Theol. bibl. Vet. Test., pag. 470 (contra Gunkel aliosque Hegelianos interpretes).

℣℣. 14—16. Responderuntque Rachel et Lia et dixerunt ei (Hebraicus et Graecus): *Numquid habemus residui quidquam in facultatibus, et hereditate domus patris nostri,* LXX accuratius μὴ ἔστιν ἡμῖν ἔτι μερὶς ἢ κληρονομία ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ πατρὸς ἡμῶν; [15]*Nonne quasi alienas reputavit nos,* LXX accuratius οὐχ ὡς αἱ ἀλλότριαι λελογίσμεθα αὐτῷ; *et* vel potius nam (Hebraicus et Graecus) *vendidit* nos (Hebraicus et Graecus), *comeditque,* וַיֹּאכַל גַּם־אָכוֹל i. e. et comedit continenter (cf. Gesenius-Kautzsch 347 s.) *pretium nostrum?* [16]*Sed Deus tulit opes patris nostri, et eas tradidit nobis, ac filiis nostris,* in Hebraico (similiterque in Graeco): nam omnes divitiae, quas tulit Deus a patre nostro, nobis sunt et filiis nostris: *unde,* וְעַתָּה i. e. νῦν οὖν, *omnia quae praecepit tibi Deus, fac.* — Semetipsas cum domo, i. e. familia (cf. lexicon ad בַּיִת) patris non amplius communionem, חֵלֶק, habere nullumque patrimonium, נַחֲלָה (cf. Gesenius), exspectare posse, Rachel et Lia eo probant quod a patre non sicut filiae sed sicut (deest *sicut* in Hebraico) alienae vel ancillae tractentur atque de pretio suo seu de fructu servitutis Iacobi nihil omnino recipiant; nam divitias suas non a patre sed a Deo se recepisse profitentur: ergo mandatum Dei boni observandum et domum patris mali relinquendam esse concludunt.

℣℣. 17—20. Surrexit itaque Iacob, *et impositis liberis, ac coniugibus suis super camelos, abiit,* in Hebraico (similiterque in Graeco): et imposuit liberos suos et coniuges suas (Samaritanus et LXX τὰς γυναῖκας καὶ τὰ παιδία αὐτοῦ) super camelos. [18]*Tulitque omnem substantiam suam, et* omnes *greges* suos (Hebraicus, ubi prius *greges* deinde *substantia* ponitur), *et quidquid in Mesopotamia acquisierat,* in Hebraico: quam (scil. substantiam) acquisierat, greges possessionis suae quos acquisierat in Paddan Aram, *pergens* vel potius ut pergeret (Hebraicus et Graecus) *ad Isaac patrem suum in terram Chanaan.* [19]*Eo tempore* (in Hebraico et Graeco loco *eo tempore* simplex וְ, δέ legitur) *ierat Laban ad tondendas oves, et Rachel furata est idola patris sui,* אֶת־הַתְּרָפִים אֲשֶׁר לְאָבִיהָ. [20]*Noluitque Iacob confiteri socero suo quod fugeret,* in Hebraico (similiterque in Graeco): et furatus est Iacob cor Labani (= et fefellit Iacob Labanum) Aramaei, quia non, עַל־בְּלִי, manifestavit ei quod

fugiturus esset. Hagiographus notat, Iacobum ea tantum secum tulisse, quae sibi *acquisierat* (cf. ℣. 18 hebr.), Rachelem vero teraphim patris sui furatam esse. Teraphim, תְּרָפִים, fuerunt „dii domestici, quasi penates veterum Hebraeorum, ex Aramaea advecti . . . Erant autem simulacra fatidica, quae de rebus dubiis et occultis responsa reddere credebantur . . . habebantque, certe a capite facieque, figuram humanam (1 Sam. 19, 13). Id vero . . . non apparet, num totam corporis humani staturam habuerint, an hermarum in modum pectore tenus efficta fuerint; nec hoc scimus, utrum magnitudine nunquam non aequaverint corpus hominis, an diversae fuerint molis. Ut enim in loco Sam. laudato simulacrum agitur maioris moduli, ut homini simile esset, ita contra Gen. 31, 34 simulacra minora videntur indicari, utpote quae in pilento camelino reposita Rahela in iis considens celavit.“ His verbis Gesenius (Thesaurus 1520) breviter et bene ea exhibet, quae viri docti de teraphim diffuse tradiderunt. Domum Nachoris deos gentium coluisse, iam pag. 221 et 349 diximus. Ratio, ob quam Rachel teraphim furata est, secundum Aben Ezra et Hummelauer erat, ne Laban illos consulens „cognoscere posset, per quod iter Iacob cum suis abiisset et fugisset“ (Lapide); ratio autem, cur Iacob Labano discessum suum indicare nollet, erat timor ne sibi divitiae acquisitae auferrentur (cf. ℣℣. 31. 42, Caietanum).

Etymologia nominis *teraphim* ab omnibus philologis recentioribus incerta dicitur. Gesenius-Roediger plures opiniones adducunt; Fürst nomen a תָּרַף = טָרַף *satiavit, nutrivit,* sanscr. *trip,* graece τρέφειν derivat, ita ut teraphim = conservantes, nutrientes. Holzinger cum Stade non improbabiliter putat, teraphim fuisse imagines maiorum. תְּרָפִים in plurali tantum occurrit, sed nihilominus plerumque unam dumtaxat imaginem significat; Hoberg et Strack[2] putant, Rachelem plures imagines furatam esse; at neque אֱלֹהָי in ℣. 30 (cf. Dillmann cum Ewald contra Strack) neque suffixa pluralia in ℣℣. 32. 34 (cf. Gesenius-Kautzsch 404 s.) neque 35, 2—4 (cf. explicationem locorum) sententiam probant. — Quare Rachel teraphim patris furata sit, alii aliter explicant. Iosephus, ut eos consuleret; S. Basilius aliique, ut patri occasionem idololatriae auferret; S. Chrysostomus aliique, ut ab eis iter felix aliaque bona consequeretur; Pererius, quia ex auro confecti ideoque pretiosi erant. Videas Lapide, qui sententiam S. Chrysostomi reliquis praefert. — עַל־בְּלִי in hoc tantum loco invenitur et iuxta philologos = eo quod non (cf. Gesenius).

℣℣. 21—25. Cumque abiisset *tam ipse quam omnia quae iuris sui erant, et amne transmisso pergeret contra montem Galaad,* in Hebraico: et fugit ipse et omne quod erat illi; et surrexit et transgressus est fluvium et convertit faciem suam in montanum Galaad. [22]Et *nunciatum est Laban die tertio quod fugeret Iacob.* [23]*Qui assumptis fratribus suis* secum (Hebraicus et Graecus) *persecutus est* post (Hebraicus et Graecus) *eum diebus septem,* LXX accuratius *ὁδὸν ἡμερῶν ἑπτά, et comprehendit eum in Monte* seu montano *Galaad.* [24]*Viditque in somnis dicentem sibi Deum: Cave ne quidquam aspere loquaris contra Iacob,* LXX accuratius *ἦλθεν δὲ ὁ θεὸς πρὸς Λαβὰν τὸν Σύρον καθ' ὕπνον τὴν νύκτα καὶ εἶπεν αὐτῷ· Φύλαξαι σεαυτόν, μή ποτε λαλήσῃς μετὰ Ἰακὼβ πονηρά,* מִטּוֹב עַד־רָע. [25]*Iamque Iacob extenderat in monte tabernaculum: cumque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem Monte Galaad fixit tentorium,* LXX accuratius *καὶ κατέλαβεν Λαβὰν τὸν Ἰακώβ· Ἰακὼβ δὲ ἔπηξεν τὴν σκηνὴν αὐτοῦ ἐν τῷ ὄρει, Λαβὰν δὲ ἔστησεν τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ ἐν τῷ ὄρει Γαλαάδ.*

Montanum Galaad vocatur sensu stricto terra a meridie fluvii Iaboc, sensu latiore terra a meridie atque a septentrione eiusdem Iaboc usque ad fluvium Hieromacem seu Iarmuk, sensu latissimo tota terra ab oriente Iordanis sita (cf. Strack[2]; Guthe, Bibelwörterbuch). Locus, ubi Laban Iacobum comprehendit, non Galaad sensu stricto esse potest, quia Iacob post reversionem Labani ad Mahanaim (32, 2) et ad Iaboc (32, 22) venit (Gunkel, Strack[2]); posset esse Galaad sensu latiore; nihil denique impedit, quominus Galaad sensu latissimo intelligamus. Strack[2] cum aliis protestantibus (Dillmann, Gunkel, Holzinger) impossibile iudicat, quod Laban infra septem dies et Iacob cum gregibus infra decem dies ex Haran vel ab Euphrate in montanum Galaad venerit, etiamsi partem maxime septentrionalem accipiamus. Hummelauer tamen valde bene scribit: „Die tertio, sive pleno sive non pleno, nuntius ad Laban affertur. Colligit is *fratres* suos, i. e. praeter servos et filios, qui soli *filii* dicerentur aut *pueri,* certe aliquos veri nominis fratres (24, 53) vel etiam cognatos (22, 20ss.). Iam si ipsi Labani servi et greges tanta spatia occuparent, ut tridui itinere (30, 36) aliqui separarentur inter se, sup-

ponere fas erit fratres etiam longius ab illo incoluisse. Ad hos missi nuntii et remissi, statutus dies et locus, quo convenirent, locus inquam non Haran, sed propius versus flumen. Quot dies his rebus sint insumpti et consequenter quot dies Iacob fuerit in itinere, penitus ignoramus . . . At, num Laban tandem iter ab Haran ad Galaad septiduo confecit? Negant, id vel a citissimis camelis effici potuisse . . . Equidem non video, camelos istud praestare non potuisse. Teste Diodoro XIX, 37 citissimi cameli 1500 stadia seu 274 kilom. unico die percurrebant. Teste Strabone XV, 724 iidem undecim diebus iter confecere, quod secus viginti vel triginta dies insumpsisset . . . Lectissimi proregis Aegyptii dromedarii horis septuaginta duabus iter a Port Said Hierosolymam, circiter 320 kilom., confecere. Cf. G. Ebers: Durch Gosen zum Sinai, Leipzig 1872, pag. 108. Commode ergo potuere lecti cameli septiduo conficere iter fere 640 kilom. ab Haran ad Galaad.“ — Deus prohibens, ne Laban Iacobo quid mali diceret, eo magis prohibuit, ne quid mali ei faceret (Hummelauer, Gunkel). — ℣. 25. ex Hebraico sic reddi potest: comprehendit igitur Laban Iacobum; Iacob autem fixerat tentorium suum in montano (scil. Galaad; cf. ℣℣. 21. 23), etiam Laban fixit (scil. tentorium suum, quod ex immediate antecedentibus supplendum est) cum (אֶת) fratribus suis in montano Galaad. Montanum *Galaad* per prolepsim ita nominatur (cf. ℣. 48 hebr.; S. Hieronymum, Hummelauer, Gunkel); ob ea, quae ℣. 44 ss. narraturus est, hagiographus iam heic notat, Iacobum et Labanum in eodem montano tentoria sua fixisse.

Fluvius, הַנָּהָר, quem Iacob transgressus est, ab omnibus Euphrates intelligitur. Gunkel ex ℣. 21. deducit, Labanum non in Haran habitasse, sed immediatum accolam Euphratis fuisse, quae tamen conclusio iuxta praecepta logica (cf. pag. 435) in verbis versiculi non continetur. — Faciem suam convertere in locum aliquem (שׂוּם פָּנָיו cum seq. accusat.) = ad eum tendere, proficisci (Gesenius). — הַר tam singularem montem quam regionem montanam significat (Buhl, Fürst, Gesenius). Nomen הַגִּלְעָד in ℣. 48. declaratur. — Officiales editiones Vulgatae in ℣. 21. ***montem,*** in ℣℣. 23. 25. autem ***Monte*** impressum exhibent; tales inconsequentiae plures occurrunt (cf. epilogum criticum meae editionis Vulgatae. pag. 165*). — Strack[2] opinatur, in ℣. 23. numeros corruptos esse; Gunkel

(ad ℣. 21) iudicat, scriptorem de situ Haran non accurate institutum fuisse: nulla tamen harum opinionum argumentis confirmari potest, et explicatio Hummelaueri (cf. pag. 452) omnino sufficit. — De revelatione in somnio facta videas pag. 223. 307. — Phrasim מִטּוֹב עַד־רָע *a bono ad malum* Bachmann et Hoberg cum Knobel sic declarant: ne loquaris *a bono* recedens et *ad malum* te convertens; ergo LXX recte *πονηρά* vertunt (Dillmann), quam versionem Holzinger immerito falsam dicit. Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack² istam phrasim eodem modo intelligunt, quo alteram רַע אוֹ־טוֹב in 24, 50 (cf. pag. 353) explicavimus: at phrasis diversa est; Vulgata eadem verba hic *aspere,* in ℣. 29. vero *durius* reddit. — In ℣. 25. בָּהָר iuxta ℣℣. 21. et 23. idem est ac בְּהַר הַגִּלְעָד (Dillmann). Nihilominus Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack² putant, post בָּהָר nomen montis excidisse; Kittel iuxta ℣. 49 fortasse בְּהַר הַמִּצְפָּה legendum censet; Grätz et Ball ita textum mutant: sed haec mutatio non est necessaria (cf. pag. 452). — Pro אֶת־אֶחָיו *cum fratribus suis* Kittel aliique (cf. Holzinger) emendant אֶת־אָהֳלוֹ *tentorium suum;* emendatio tamen non necessaria est (cf. pag. 452; Dillmann) neque antiquis versionibus commendatur. Versio Graeca in hac re minus probabilis est quam Latina; videas lexicon ad verbum תָּקַע.

Holzinger putat, הַר non montanum, sed singularem montem denotare, et quidem montem ab austro fluvii Iaboc (aut = nahr ez-Zerka aut = Iarmuk). At pro opinione sua nullum argumentum affert, immo in sacrum textum contradictionem importat. Nam Iacob post reversionem Labani ad fluvium Iaboc venit (cf. pag. 451 et ℣℣. 47 s.). — Gunkel 313 asserit, bis narrari, Iacobum cum suis omnibus fugisse (℣℣. 17. 18ᵃ et 21ᵃ); bis notari, eum surrexisse (℣℣. 17 et 21); bis referri, eum a Labano comprehensum esse (℣℣. 23ᵇ et 25ᵃ). Verumtamen narratio in ℣℣. 17 s. 21. 23 inchoata insertis notis (℣℣. 19 s. 22. 24) interrupta est, quare hagiographus in ℣℣. 21 et 25 eam continuat et absolvit. Etiam recentiores scriptores narrationi suae notas inserunt itaque digrediuntur ac deinde ad propositum revertuntur; quare ex ista ratione scribendi ad diversas relationes concludere non licet.

℣℣. 26—32. Et dixit Laban (Hebraicus et Graecus) *ad Iacob: quare ita,* מָה, *τί, egisti, ut clam me* (in Hebraico: ut furareris cor meum et; cf. pag. 449) *abigeres filias meas quasi captivas gladio?* ²⁷*Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi* (in Hebraico: cur clam fugisti et fefellisti me et non indicasti mihi), *ut prosequerer te cum gaudio, et canticis, et tympanis, et citharis?* ²⁸*Non es passus ut oscularer filios meos et filias* meas: nunc (Hebraicus et Graecus) *stulte operatus es: et nunc* (deest *et nunc* in Hebraico) *quidem* (deest in Hebraico

et Graeco) [29]*valet manus mea,* יֶשׁ־לְאֵל יָדִי, *reddere tibi* (עִמְּךָ, ita Kittel cum Samaritano et Graeco; Masorethicus עִמָּכֶם habet) *malum: sed Deus patris vestri* (ita et Masorethicus; Kittel cum Samaritano et Graeco emendat אָבִיךָ) *heri,* אֶמֶשׁ i. e. nocte praeterita (Gesenius aliique) *dixit mihi* dicens (Hebraicus et Graecus): *Cave ne loquaris contra Iacob quidquam durius* (cf. pag. 453). [30]*Esto, ad tuos ire cupiebas, et desiderio erat tibi domus patris tui,* in Hebraico: sed nunc iam discessisti, quia valde desiderasti domum patris tui: *cur furatus es deos meos?* [31]*Respondit Iacob* et dixit Labano (Hebraicus et Graecus): *Quod inscio te profectus sum, timui,* כִּי יָרֵאתִי כִּי אָמַרְתִּי i. e. quia timui (haec 2 verba LXX omittunt), nam dixi, *ne violenter* (deest *violenter* in Hebraico et Graeco) *auferres filias tuas* a me (Hebraicus et Graecus), LXX addunt *καὶ πάντα τὰ ἐμά. Καὶ εἶπεν αὐτῷ Ἰακώβ.* [32]*Quod autem furti me arguis* (haec 5 verba desunt in Hebraico et Graeco): *apud quemcumque inveneris deos tuos, necetur,* לֹא יִחְיֶה, *οὐ ζήσεται, coram fratribus nostris. scrutare, quidquid tuorum apud me inveneris, et aufer,* in Graeco *ἐπίγνωθι τί ἐστιν τῶν σῶν παρ' ἐμοὶ καὶ λάβε,* in Hebraico: scrutare tibi quod apud me est, et sume tibi (scil. deos tuos). *haec dicens* (desunt in Hebraico et Graeco) *ignorabat* Iacob (Hebraicus et Graecus) *quod Rachel furata esset idola* (pro *idola* in Hebraico et Graeco legitur *eos*). — Duas quaestiones proponit Laban, nimirum quare Iacob clam discesserit itaque suprema oscula et officium sollemne impedierit, et quare teraphim furatus sit; duas responsiones dat Iacob, scilicet se timuisse, ne Laban filias suas vi retineret, teraphim vero a se non ablatos esse.

Bene scribit Lapide: „Vide hic rursus in verbis Laban ingenium mundi. Nam 1. licet sciret, se perfidia sua causam dedisse iusto fugiendi, id tamen dissimulat et omnem culpam in iustum reiicit, et cum deberet deprecari culpam ac iustum reconciliare, ultro eum arguit . . . 2. Laban fingit se amicum, cum esset adversarius: *ut prosequerer te,* inquit, *cum gaudio, et canticis* etc. . . . 3. Prodit suam impietatem et stultitiam, cum ait: *cur furatus es deos meos?* Impietatis est, quod idola colit; stultitiae, quod deos dicit, qui se a furibus custodire nequeunt. 4. Ait: *stulte operatus es* . . . non stulte egit iustus oppressus patriam repetendo . . . 5. Arrogantiae est quod dicit: *valet manus mea reddere tibi malum* . . . Demum tamen, velit nolit, confiteri cogitur veritatem, se videlicet a Domino prohiberi et cohiberi.“

Captivae gladio (℣. 26) = captae in bello, contra voluntatem parentum, etiam non permissis osculis (℣. 28) abduci possunt. — ℣. 27ᵃ est repetitio versus 26ᵃ, aliis tamen verbis, quare Dillmann et sectatores eius diversum fontem odorantur; sed „repetitioni" in ℣. 26ᵇ atque 27ᵇ alia continuatio adiungitur: tales autem repetitiones nunc quoque ab eodem scriptore in oratione fervida adhibentur. — נֶחְבֵּאתָ לִבְרֹחַ (℣. 27) = abscondisti te ut fugeres = clam fugisti; nam חָבָא in niph'al sequenti infinitivo „vim habet adverbii *clam* (ut λανθάνω sq. part.)". Ita Gesenius 437; cf. etiam Gesenius-Kautzsch 353, nota 1, de forma נַחְבֵּאתָ pag. 165, de forma וָאֲשַׁלֵּחֲךָ pag. 172. — In ℣. 28. *filios meos* = „nepotes ex filiabus" (Lapide et ceteri). — עֲשׂוֹ = עֲשׂוֹת (Gesenius-Kautzsch 209); הִסְכַּלְתָּ עֲשׂוֹ = stulte egisti (hiph'il verbi סָכַל) operam = stulte operatus es (cf. Gesenius-Kautzsch 350). — יֶשׁ־לְאֵל יָדִי (℣. 29) = „est in potestate manus meae" = est in potentia mea (Prov. 3, 27; Mich. 2, 1; Eccl. 5, 1; 14, 11 hebr.; Gesenius, Fürst, Buhl); אֵין לְאֵל יָדֶךָ = „nihil est in potestate manus tuae i. e. nihil vales" (Deut. 28, 32; Neh. 5, 5; Gesenius, Fürst, Buhl). Conferas pag. 1 et Holzinger 205 et Theol. bibl. Vet. Test., pag. 372. — In ℣. 30. inf. absol. הָלֹךְ atque נִכְסֹף vim verbi sequentis augent (Gesenius-Kautzsch 344 s.). — Pro לָמָּה legerunt LXX וְלָמָּה = at cur. Sensus est: iam discessisti, de hac re non amplius loquar; at cur etc. — אָמַר (℣. 31) = dixit, cogitavit. — Pro עִם אֲשֶׁר תִּמְצָא (℣. 32) iuxta regulam grammaticae (cf. Gesenius-Kautzsch 453) scribendum erat אֲשֶׁר תִּמְצָא עִמּוֹ (cf. Strack[2]). — Illud *coram fratribus nostris* non solum in Vulgata, verum etiam in LXX a Swete atque Brooke ad antecedens *necetur, οὐ ζήσεται* trahitur; Strack[2] cum aliis ad sequens *scrutare* trahit: Hummelauer utramque relationem admittit. — Ad *necetur* Hummelauer bene scribit: „Tanto maiorem suggessit poenam Iacob, quanto firmius persuasam habebat suam suorumque innocentiam." Videas ultima huius ℣. verba.

℣℣. **33—35. Ingressus itaque Laban** *tabernaculum Iacob et* tabernaculum (Hebraicus) *Liae, et* tabernaculum (Hebraicus) *utriusque famulae, non invenit. Cumque intrasset tentorium Rachelis,* in Hebraico: et egressus est e tabernaculo Liae et ingressus est in tabernaculum Rachelis, [34] *illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, et sedit desuper: scrutantique omne tentorium, et nihil invenienti,* [35] *ait,* in Hebraico et Graeco: [34] Rachel autem sumpserat teraphim et posuerat eos in lectica cameli et assederat super eos, et manibus exploravit Laban totum tabernaculum et non invenit, [35] et dixit ad patrem suum: *Ne irascatur dominus meus,* in Hebraico: ne

exardescat in oculis domini mei, *quod coram te assurgere nequeo: quia iuxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi,* כִּי־דֶרֶךְ נָשִׁים לִי. *sic delusa solicitudo quaerentis est,* in Hebraico (similiterque in Graeco): et scrutatus est et non invenit teraphim. — De lectica cameli, כַּר הַגָּמָל, scribit Gesenius 715: Est „sellae s. pilenti genus, quod camelorum clitellis superne alligatum et velo cortinave obumbratum mulieribus et infantibus transportandis inservit . . . Vulg. *stramenta cameli,* i. e. non stramen camelis substratum (Luth. die Streu der Camele), sed strata iis imposita (Caes. b. gall. 7, 45. Cai. in Pandect. 16, 234), quod a vero prope abest. Magno consensu ita iam veteres.“ דֶּרֶךְ נָשִׁים = „mos s. sors mulierum“ est „euphemismus pro menstrua“ pati (Gesenius 353 et ceteri). Interpretes communiter citant Lev. 15, 19ss.: „Mulier, quae redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperum: et in quo dormierit vel sederit diebus separationis suae, polluetur. Qui tetigerit lectum eius, . . . immundus erit usque ad vesperum.“ Ita patet, quare Laban lecticam non scrutatus sit; simul etiam teraphim ridiculi redduntur: e domo Labani auferuntur, in lectica absconduntur, mulier immunda aliosque immundos faciens super eis sedet! Cf. Gunkel, qui concludit: „Pauperem Labanum, pauperem deum!“

LXX hoc modo ℣. 33. vertunt: *εἰσελθὼν δὲ Λαβὰν ἠρεύνησεν εἰς τὸν οἶκον Λείας καὶ οὐχ εὗρεν· καὶ ἐξελθὼν ἐκ τοῦ οἴκου Λείας ἠρεύνησεν εἰς τὸν οἶκον Ἰακὼβ καὶ ἐν τῷ οἴκῳ τῶν δύο παιδισκῶν καὶ οὐχ εὗρεν· εἰσῆλθεν δὲ καὶ εἰς τὸν οἶκον Ῥαχήλ.* Hic textus probabilis videtur. Kittel cum aliis putat, in Hebraico post לָבָן adiungendum esse וַיְחַפֵּשׂ, pro qua sententia etiam Samaritanum et manuscripta Hebraica citat: textum Masorethicum corruptum esse, ex eo patet quod Iacob prius dicatur ingressus in tabernaculum Liae et in tabernaculum utriusque famulae, deinde vero egressus e tabernaculo Liae in tabernaculum Rachelis ingressus asseratur. Kittel cum aliis opinatur, verba *et in tabernaculum utriusque famulae* originaliter defuisse, at sententiam suam demonstrare nequit; Dillmann et alii verba *et tabernaculum Liae* post verba *utriusque famulae* collocanda censent, quo facto contradictio reapse evanescit. — In ℣℣. 33. 34 hebr. verba *non invenit* sine obiecto sunt, nam obiectum pronominale in Hebraico saepissime omittitur, si e contextu suppleri potest (Gesenius-Kautzsch 367); in ℣. 35 hebr. obiectum additur. — In ℣. 34. tria verba priora in plusquamperfecto vertenda sunt (Gesenius-Kautzsch 329). — Quare Rachel coram patre assurgere debuisset,

Lev. 19, 32 exponitur. „Deluditur Laban a filia, quam ipse 29, 23 deluserat" (Hummelauer cum Dillmann). — Vulgata quoad hos versus non versio verbalis, sed versio libera seu periphrasis est (cf. Exegeticam 132).

℣℣. 36—42. **Tumensque Iacob,** *cum iurgio ait,* LXX multo accuratius *ὠργίσθη δὲ Ἰακὼβ καὶ ἐμαχέσατο τῷ Λαβάν· ἀποκριθεὶς δὲ Ἰακὼβ εἶπεν τῷ Λαβάν· Quam ob culpam meam, et ob quod peccatum meum sic exarsisti post me,* LXX accuratius *τί τὸ ἀδίκημά μου καὶ τί τὸ ἁμάρτημά μου, ὅτι κατεδίωξας ὀπίσω μου;* [37]*et,* כִּי, *καὶ ὅτι, scrutatus es omnem supellectilem meam,* כֵּלַי? *Quid invenisti de cuncta substantia,* כְּלֵי, *domus tuae? pone hic coram fratribus meis, et fratribus tuis, et iudicent inter me, et te,* בֵּין שְׁנֵינוּ, *ἀνὰ μέσον τῶν δύο ἡμῶν.* [38]*Idcirco,* זֶה i. e. iam, *viginti annis fui tecum? oves tuae et caprae* tuae (Hebraicus et Graecus) *steriles non fuerunt,* לֹא שִׁכֵּלוּ i. e. non abortaverunt, et (Hebraicus) *arietes gregis tui non comedi:* [39]*nec captum a bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, a me exigebas,* in Hebraico: dilaceratum non attuli ad te, ego luebam illud, e manu mea petisti illud, surreptum die et surreptum nocte: [40]*die noctuque aestu urebar, et gelu,* in Hebraico: fui, in die comedit me aestus et gelu in nocte, *fugiebatque somnus* meus (Hebraicus et Graecus) *ab oculis meis.* [41]*Sicque,* זֶה, *per viginti annos in domo tua* fui (Hebraicus et Graecus) *servivi tibi* (haec verba Vulgata falso cum antecedentibus, Hebraicus et Graecus cum subsequentibus coniungunt) *quattuordecim* annos (Hebraicus et Graecus) *pro* duabus (Hebraicus et Graecus) *filiabus* tuis (Hebraicus et Graecus), *et sex* annos (Hebraicus et Graecus) *pro gregibus tuis: immutasti quoque mercedem meam decem vicibus* (cf. pag. 446 s.). [42]*Nisi Deus patris mei* Deus (Hebraicus) *Abraham, et timor,* וּפַחַד, *Isaac affuisset mihi, forsitan,* כִּי, *modo nudum me dimisisses: afflictionem meam et laborem manuum mearum respexit Deus, et arguit te heri,* וַיּוֹכַח אָמֶשׁ i. e. et iudicavit nocte praeterita. — Obiurgat Iacob Labanum, quod ipsum insecutus totamque supellectilem sine causa (cf. pag. 456) perscrutatus sit, quod ipsum per tot annos male tractaverit atque nunc vacuum dimittere voluerit, nisi Deus Abrahae prohibuisset. De phrasi *timor Isaac* bene scribit Lapide: „Deus, qui fuit Deus Abrahae.

vocatur timor Isaac, quasi dicat: Deus, quem coluit Abraham, et quem timuit ac reveritus est Isaac quasi summum numen summamque maiestatem. Sic Isaias cap. 8. v. 13. Deum vocat terrorem et pavorem Israel, quem scilicet Israelitae cum metu et pavore coluerunt et reveriti sunt. Timor ergo hic metonymice capitur pro obiecto timoris, puta pro Deo. Sic Iovem gentiles vocabant timorem hominum ... Sic Deus in Psalmis dicitur spes mea, patientia mea, id est, in quem spero, propter quem patior: ita Theodoretus, Chald. et S. August.", necnon multi recentiores, e. g. Dillmann, Gunkel, Hummelauer.

In Ṿ. 36. pro secundo מַה ca. 70 manuscripta Hebraica et versiones habent וּמַה (cf. Dillmann, Kittel). — פֶּשַׁע *defectio, delictum* et חַטָּאת *aberatio, peccatum* sunt synonyma, quae „in vulgari linguae usu" non subtiliter distinguuntur (Gesenius 466). Copulatio synonymorum in oratione fervida apud omnes gentes, praesertim orientales recurrit. — In Ṿ. 37. idem vocabulum כְּלִי in Vulgata mox *supellex* mox *substantia* vertitur. — Hummelauer affirmat, viros a Labano adductos tam Iacobi quam Labani fratres nominari. At hoc assertum contra usum loquendi est. Fratres Labani sunt utique viri a Labano adducti (cf. pag. 451), sed fratres Iacobi sunt servi eius (cf. 30, 43; pag. 444). — In Ṿ. 38. זֶה melius *iam* vel *nunc,* quam *idcirco* vertitur et pro signo interrogationis punctum ponitur. — Iacob refert, quod oves non abortaverint: „ex culpa siquidem pastoris abortus saepe accidit" (Caietanus, Hummelauer; cf. et Dillmann). — Ad Ṿ. 39. spectat Ex. 22, 12s.: „Quod si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino. Si comestum a bestia, deferat ad eum quod occisum est, et non restituet." Iacob Labano non solum surreptum die, verum etiam surreptum nocte restituere debuit. — De constructione Hebraica Ṿ. 40. videas Gesenius-Kautzsch 465. Ad declarandam assertionem Iacobi Benzinger-Baedeker (Palaestina und Syrien XLVI) narrant, temperiem in Syria valde mutabilem esse; e. g. mense Martio thermometrum meridie + 25⁰ Cels. et supra, nocte autem 0 et infra monstrare. Somnus Iacobo necessarius ab oculis eius fugiebat prae frigore et sollicitudine. — In Ṿ. 41. *pro gregibus tuis* = „pro grege, quem a te accepi" (Hoberg). — Secundum Gunkel (et Holzinger) verba *Deus Abraham* in Ṿ. 42. delenda sunt; at ista omissione sensus verborum *Deus patris mei* mutatur, quae mutatio non solum asseri, sed etiam argumentis obiective validis confirmari debuerat. — Gunkel opinatur, *timorem Isaac* fuisse nomen numinis loci illius Mizpa (cf. Ṿ. 49 hebr.). Verumtamen e toto contextu elucet, Iacobum fuisse cultorem illius *Iahve-Elohim,* qui creator et dominus absolutus universi caeli et terrae est (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 408), non vero numinis cuiusdam localis.

℣℣. 43—47. Respondit ei Laban, LXX accuratius *ἀποκριθεὶς δὲ Λαβὰν εἶπεν τῷ Ἰακώβ· Filiae meae et filii, et greges tui, et omnia quae cernis, mea sunt: quid possum facere filiis et nepotibus meis?* LXX multo accuratius *αἱ θυγατέρες σου θυγατέρες μου, καὶ οἱ υἱοί σου υἱοί μου, καὶ τὰ κτήνη σου κτήνη μου, καὶ πάντα ὅσα σὺ ὁρᾷς ἐμά ἐστιν· καὶ ταῖς θυγατράσιν μου τί ποιήσω ταύταις σήμερον ἢ τοῖς τέκνοις αὐτῶν οἷς ἔτεκον;* [44]*Veni ergo,* LXX accuratius *νῦν οὖν δεῦρο, et* (ita 40 manuscripta Hebraica quoque, sed Masorethicus et LXX omittunt) *ineamus foedus* e g o e t t u (Hebraicus et Graecus): *ut sit in testimonium,* לְעֵד, *inter me et te.* [45]*Tulit itaque Iacob lapidem, et erexit illum in titulum,* מַצֵּבָה: [46]*dixitque* I a c o b (Hebraicus et Graecus) *fratribus suis: Afferte,* לִקְטוּ i. e. colligite, *lapides. Qui congregantes* (וַיִּקְחוּ i. e. et attulerunt, sed Kittel aliique וַיִּלְקְטוּ emendant) l a p i d e s (Hebraicus et Graecus) *fecerunt tumulum,* גָל, *comederuntque* i b i (Hebraicus et Graecus) *super eum* (in Hebraico et Graeco: super tumulum): [47]*quem vocavit Laban Tumulum testis,* יְגַר שָׂהֲדוּתָא i. e. acervum testimonii: *et Iacob, Acervum testimonii,* גַּלְעֵד, *uterque iuxta proprietatem linguae suae* (haec 5 verba in Hebraico et Graeco desunt). — Laban a Deo et Iacobo redargutus cum hoc foedus icere (cf. 21, 22 ss.; 26, 26 ss.; Dillmann) atque signum foederis erigere voluit.

Laban asseverans, suas esse omnes possessiones Iacobi, partim verum dicit, quatenus Iacob reapse omnes a Labano accepit (cf. 32, 10; Lapide), partim falsum astruit, quatenus Iacob servitute 20 annorum omnes iure sibi acquisivit (cf. pag. 457). — Verba *quid possum facere?* Gunkel sensu bono intelligit = qualem gratiam filiabus et nepotibus meis hodie adhuc facere possum? quae opinio in ℣. 50. aliquod fundamentum habet; Dillmann aliique autem sensu malo intelligunt = licet tibi nocere possim (cf. ℣. 29), tamen non malis te afficiam, quia non solum prohibitio divina (cf. ℣. 29), verum etiam „patria pietas et amor non permittunt, ut meis filiabus et nepotibus noceam“ (Lapide), nam „te puniens illos puniam“ (Hummelauer). Haec sententia usu loquendi (cf. Gen. 22, 12; 27, 45; Ex. 14, 11; Dillmann) commendatur. *Hodie, σήμερον* = tempore supremo, tempore discessus. — In ℣. 44. imper. (verbi הָלַךְ) cum he parag. לְכָה = age (Gesenius 379). — *Ut sit* וְהָיָה, *in testimonium,* לְעֵד: quale est subiectum? Secundum Delitzsch[5] et Strack[2] s e q u e n s a c t i o s y m b o l i c a; sed actio transiens nequit esse testimonium permanens (Dillmann, Hummelauer). Secundum Hummelauer aliosque „ipsum *foedus,* ברית, concrete spectatum, qua includit etiam monumentum externum et permanens“; Dillmann quidem obiicit, mascu-

linum וְהָיָה cum antecedenti feminino בְּרִית non coniungi posse, sed apud Gesenius-Kautzsch 474 s. exempla afferuntur, quae talem constructionem non impossibilem montrant. Secundum Dillmann aut לְ delendum aut ante *ut* inserendum est גַּל vel וְנַעֲשָׂה מַצֵּבָה; sed his textus mutationibus testimonium antiquarum versionum obstat, quare sententiam Hummelaueri probabiliorem censeo. — Ad ℣. 45. Gunkel et Strack[2] cum Astruc opinantur (favet Hummelauer quoque), pro *Iacob* originaliter *Laban* scriptum fuisse, eo quod Laban in ℣. 51. dicat: *En tumulus hic, et lapis,* הַמַּצֵּבָה, *quem erexi.* At hoc argumentum valde infirmum est; conferas Latinum „eum occidit“ = „eum occidi iussit“. Etenim „quod est causa causae, est etiam causa causati“, docent philosophi (cf. Stöckl, Grundzüge der Philosophie 226). Retinemus igitur textum ab omnibus testibus criticis exhibitum. — Hoberg nomen מַצֵּבָה in hoc loco lapidem fundamentalem (Grundstein) accipit; sed hanc significationem istud nomen nullibi habet (cf. pag. 417 et opera ibi citata). — Quomodo autem monumentum concipiendum est? Secundum verba textus haec sententia probabilior videtur: Iacob ipse cippum erexit, et fratres eius circa cippum congesserunt acervum lapidum, ita ut acervus cum cippo unum monumentum esset (cf. ℣. 51). — Iam in ℣. 46. notat hagiographus, convivium quod in ℣. 54. commemoratur, super acervum lapidum celebratum fuisse (cf. Strack[2]). — In ℣. 47. aram. יְגַר = hebr. גַּל i. e. acervus lapidum, aram. שָׂהֲדוּתָא (in statu emphatico) = hebr. עֵד i. e. testis vel testimonium (cf. Gesenius, Fürst, Buhl). Tum Laban tum Iacob lingua vernacula monumentum erectum vocavit. — Hoberg tam Hebraicum quam Aramaicum nomen non in relatione genetivi positum *(acervus testis* seu *testimonii)* sed propositionem intelligit: „acervus est (sit) monumentum“. Propterea in ℣. 47. גַּל עֵד, sed in ℣. 48. גַּלְעֵד scribit. Alii in utroque versu גַּל־עֵד scribunt (cf. Kittel). — Holzinger ℣. 47. glossam dicit, eo quod Laban in ℣. 48 et 51 nomine Hebraico, non Aramaico utatur. At hoc argumentum valde infirmum est, quia nomen Hebraicum idem omnino significat ac nomen Aramaicum, ita ut Laban tam hoc quam illo uti potuerit; immo ad Iacobum loquens convenientius nomen ab eo pronuntiatum adhibuit, quo significationem monumenti erecti declararet. — Gunkel 318 cum Wellhausen asserit, nomen Aramaicum esse fictionem doctam, eo quod nomen Aramaicum sit versio nominis Hebraici. Quid tale argumentum valeat, omnes sciunt qui non omnis omnino eruditionis logicae expertes atque ignari sunt. Contra Wellhausen, qui ℣. 47. tamquam „glossam et superfluae eruditionis specimen“ reiicit, Hummelauer bene scribit: „exiguam eruditionis laudem habet is, qui duas voces aramaicas ex usitatissimis callet“.

℣℣. 48—53ª. **Dixitque Laban:** *Tumulus,* הַגַּל, *iste erit* vel potius est *testis,* עֵד, *inter me et te hodie, et idcirco appellatum est,* קָרָא, *nomen eius Galaad,* גַּלְעֵד, *id est, Tumulus testis*

(haec 4 verba in Hebraico et Graeco desunt). [49]*Intueatur et iudicet Dominus,* וְהַמִּצְפָּה אֲשֶׁר אָמַר יִצֶף יְהוָה i. e. et (scil. appellatum est) Mizpa (= specula), quia dixerat: speculetur Dominus, *inter nos* (in Hebraico: inter me et inter te), *quando recesserimus a nobis,* כִּי נִסָּתֵר אִישׁ מֵרֵעֵהוּ i. e. „ubi occulti erimus alter alteri, ubi magno spatio separati neuter alterum videbit“ (Gesenius 975), [50]*si,* אִם (cf. pag. 251) *afflixeris filias meas, et si introduxeris,* תִּקַּח, *alias* (deest in Hebraico et Graeco) *uxores super eas,* LXX accuratius *ἐπὶ ταῖς θυγατράσιν μου, nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui praesens respicit,* in Hebraico: non est homo nobiscum, vide, רְאֵה, Deus est testis inter me et inter te. [51]*Dixitque* Laban (Hebraicus) *rursus* (deest in Hebraico) *ad Iacob: En tumulus,* הַגַּל, *hic,* et en (Hebraicus) *lapis,* הַמַּצֵּבָה, *quem erexi inter me et te,* [52]*testis erit: tumulus, inquam, iste et lapis sint in testimonium,* in Hebraico: testis est tumulus, הַגַּל, iste, et testis est lapis, הַמַּצֵּבָה, *si aut ego transiero illum pergens ad te, aut tu praeterieris, malum mihi cogitans,* in Hebraico: si ego, non transibo ad te tumulum istum, et si tu, non transibis ad me tumulum istum et lapidem istum, ad malum. [53]*Deus Abraham, et Deus Nachor iudicet* (יִשְׁפְּטוּ, Samaritanus aliique יִשְׁפֹּט) *inter nos, Deus patris eorum.* — Laban, qui foederis faciendi monumentique erigendi causa erat (cf. pag. 460), etiam significationem monumenti declarat et summam foederis proponit. Tam *lapis,* הַמַּצֵּבָה, ab Iacobo erectus quam *tumulus,* הַגַּל, a fratribus Iacobi congestus ex voluntate Labani testes foederis sunt (℣. 48 et 52 hebr.) simulque innuunt, Deum speculari, utrum foedus iuramento firmatum (℣. 53^b; cf. pag. 251) observetur necne. Propter hanc Labani declarationem monumentum tum *Gal῾ed* (tumulus testis) tum *Mizpa* (specula) nominatum est (℣. 48 et 49 hebr.). Foedere et iuramento Laban relationem Iacobi ad filias suas necnon ad semetipsum ordinare voluit. Quoad filias suas postulavit, ne male tractarentur; quoad semetipsum vero, ne Iacob mala cum intentione monumentum erectum transgrederetur, quod ipse quoque promisit. Quod si hoc foedus violatum fuerit, Deus communis scil. *Deus Abraham,* a quo Iacob, simulque *Deus Nachor,* fratris Abrahae, a quo Laban descendit (pag. 218 ss. 330 s.) *Deus* nimirum *patris eorum* i. e. Thare violantem iudicet ac puniat.

Hoberg in ℣. 48. illud *hodie*, הַיּוֹם, contra testimonium textus Masorethici et versionum necnon contra sententiam ceterorum interpretum non cum antecedentibus, sed cum subsequentibus coniungit, quin opinionem suam comprobet. — קָרָא = appellatum est (cf. pag. 209). — Si nomen regionis trans Iordanem (cf. pag. 451) postea גִּלְעָד pronuntiabatur (cf. lexicon), non sequitur locum monumenti (cf. pag. 460) primitus non גַּלְעֵד appellatum fuisse. — Initium ℣. 49. LXX bene vertunt *καὶ Ἡ ὅρασις*, Vulgata nimis libera est; solus Samaritanus habet וְהַמַּצֵּבָה. Si quis voluerit, potest dicere nomen *Gal'ed* magis ad acervum lapidum, nomen autem *Mizpa* magis ad cippum spectare. Immo Holzinger et Strack[2] cum Ball initium ℣. 49. sic supplendum censent: וְהַמַּצֵּבָה אֲשֶׁר הֵרִים קָרָא הַמִּצְפָּה כִּי אָמַר i. e. et lapis, quem erexerat, appellatus est *Mizpa*, quia dixerat etc., quae emendatio ob ℣. 45 et 52 valde plausibilis, sed non necessaria est, quia cippus et acervus lapidum unum monumentum erant (cf. pag. 460); אֲשֶׁר etiam *quia* significare potest (cf. lexicon). Hummelauer e contrario valde probabile censet, ℣. 49. esse glossam marginalem, postea ipsi textui insertam, cum hic tertium eiusdem loci nomen tradatur. At non est verum. Nam in ℣. 47. unicum dumtaxat nomen, utique in lingua Hebraica et Aramaica (cf. pag. 460) traditur, ergo hic secundum nomen occurrit, quod magis ad cippum quam ad acervum spectat, uti diximus. — Cum ℣. 49. optime coniungitur ℣. 50: speculetur Dominus, quid me absente facias, et si contra promissionem tuam filias meas male tractaveris, Dominus ut testis foederis atque observationis aut laesionis eiusdem te puniat. — Quomodo Laban asserere potest: *non est homo nobiscum* (℣. 50 hebr.), cum socii tam Iacobi quam Labani praesentes fuerint? Hummelauer cum Caietano recte respondet: „Intellige de futuro tempore." — De רְאֵה *vide, ecce* conferas pag. 405. — „Queritur Dillmann, modo Deum modo tumulum testem invocari, refert Hummelauer ac respondet: Iacob non erat prope tumulum istum perpetuo habitaturus, non ibidem filias Laban amice aut dure tractaturus, cuius facti alius quam tumulus requirebatur testis. Tumulus unice testis est foederis prope tumulum sanciti." — Ista verba textus Hebraici *tumulus hic et lapis* (℣. 51 s.) Hoberg „tumulum lapidum (Hügel von Stein)" declarat; sed הַמַּצֵּבָה hunc sensum excludit (cf. pag. 417). Intelligenda sunt eo modo quo pag. 460 exposuimus. — In ℣. 51. Strack[2] pro יָרִיתִי *erexi* (scil. Laban) emendat יָרִיתָ *erexisti* (scil. Iacob); at vide pag. 460. Item affirmat, יָרָה *iecit* de acervo, non autem de cippo dici posse; at Gesenius, Fürst, Dillmann contrarium docent: conferas *βάλλεσθαι* (Passow) atque iacere (Georges). Ceterum etiam zeugma supponere possemus.

Secundum ea, quae pag. 251 dicta sunt, ℣. 52 hebr. sic vertendus esset: si ego non, אִם־אָנִי לֹא, transibo ad te tumulum istum, Dominus me puniat (ergo transibo); et si tu non, וְאִם־אַתָּה לֹא, transibis ad me

tumulum istum et lapidem istum, Dominus te puniat (ergo transibis). Sed e contextu elucet, Labanum omnino contrarium dicere voluisse. Propterea אם לא in hoc loco aliter explicandum est. Dillmann et Gesenius-Kautzsch 480 anacoluthon accipiunt, scilicet: *si ego* transibo, Dominus me puniat, ergo *non transibo* . . . *et si tu* transibis, Dominus te puniat, ergo *non transibis* etc. Hummelauero duplex hoc anacoluthon „nimis durum" videtur, quare ipse cum Delitzsch et Keil אם . . . ואם iuxta Ex. 19, 13 *sive* . . . *sive* interpretatur et vertit: „Sive ego, non transibo etc.; sive tu, non transibis etc." Vulgata sensum bene reddit. — Phrasis *ad malum* non solum ad posteriorem partem (uti Vulgata eam iungit), sed etiam ad priorem pertinet, quod contextus ostendit. — Prius *tumulum istum* textus Hebraici LXX non exhibent; Kittel posterius *tumulum istum et lapidem istum* omittendum censet; Vulgata libere semel ponit *illum:* Graecus textus probabilior fuerit. — In Ѷ. 53. lectio אלהי . . . ישפט probabilior est, quia Samaritano, Graeco et Latino commendatur. Quod si quis pluralem ישפטו textus Masorethici et Syri retinere voluerit, videat pag. 1; poterit quoque „cum Caietano dicere, Laban a suspicione idololatriae non esse plane immunem (Hummelauer). — Quomodo Strack[2] אלהי אביהם vertere possit „Deus pat*rum* eorum", non intelligo. Ceterum haec phrasis in 2 manuscriptis et Graeco deest, quapropter ab Hummelauer, Kittel aliisque glossa declaratur. — *Thare* in Chaldaea Deum verum colebat, in Haran autem diis alienis serviebat (cf. pag. 220 s.).

Plures interpretes acatholici (cf. Holzinger 204) putant, *Gal'ed* significare monten Dschil'ad ex austro fluvii Iaboc, cuius cacumen 'Oscha' vocatur, atque *Mizpa* in es-Salt ex austro montis Dschil'ad quaerendum esse. Sed ista opinio ob rationem pag. 451 adductam falsa est. — Holzinger 204 opinatur, Gal'ed et Mizpa in narrationibus primitivis urbes denotasse, sed a redactore in montes transformatas esse. Verumtamen haec audax sententia n u l l o a r g u m e n t o confirmatur et cum catholica inspirationis notione (cf. pag. 35. 37) manifeste pugnat. Idem dicendum est de alia eiusdem Holzingeri 204 audaci hypothesi, scilicet iuxta unum narratorem foedus e septentrione fluvii Iaboc, iuxta alium ex austro eius ictum esse. — Gunkel 319 asserit, in Palaestina, praesertim in terra trans Iordanem nunc quoque acervos lapidum conspici, quorum unum homines in fabulosa ista narratione Labano et Iacobo ascripserint. Antiquiore autem tempore homines secundum Gunkel putabant, in acervo lapidum et in cippo deum habitare; immo tempore antiquissimo opinabantur, montanum Gilead (cf. pag. 451) a patribus, utpote gigantibus, erectum fuisse. Similiter Holzinger 204. 207. Gunkel aliique interpretes Hegeliani ob falsum systema evolutionis naturalis suppositum (cf. pag. 420 s.) ridiculas sententias proponunt, quas usu loquendi et contextu comprobare neque possunt (cf. pag. 418 s.) neque conantur. Ergo contra logicam peccant et contra veram scientiam.

℣℣. 53[b]—55. **Iuravit ergo Iacob** (cf. pag. 251) *per timorem,* בְּפַחַד, *patris sui Isaac* (cf. pag. 457 s.): [54]*immolatisque victimis in monte,* LXX accuratius *καὶ ἔθυσεν Ἰακὼβ θυσίαν ἐν τῷ ὄρει καὶ, vocavit fratres suos ut ederent panem. Qui cum comedissent* panem (Hebraicus), *manserunt ibi* vel potius: pernoctarunt in monte (Hebraicus). [55]*Laban vero de nocte consurgens,* LXX accuratius *ἀναστὰς δὲ Λαβὰν τὸ πρωὶ, osculatus est filios* suos (Hebraicus et Graecus) *et filias suas, et benedixit illis: reversusque est,* LXX accuratius *καὶ ἀποστραφεὶς Λαβὰν ἀπῆλθεν, in locum suum.* — Iacob Deum testem invocat, se foedus observare velle (cf. pag. 392), quod more antiquo (cf. pag. 260 ss.) pepigit; quo facto omnibus praesentibus convivium apparavit (cf. Gen. 26, 30; Ex. 24, 11; 2 Reg. 3, 20 s.; Dillmann). Laban die sequenti in Haran reversus est.

Hoberg censet, Labanum non iurasse, quae sententia valde probabilis est: Laban enim a Domino prohibebatur, quominus Iacobo noceret (cf. pag. 454 et 317. 39 β). — Hummelauer scribit: „Adverte etiam, alia formula iurare Iacob, non ea quam Laban suggesserat.“ Verumtamen, *timor Isaac* eundem omnino significat ac *Deus Abraham, et Deus Nachor* (cf. pag. 458). — Etiam Isaac regi Abimelech et sociis eius convivium apparavit unaque cum eis comedit et bibit (26, 30). Sed convivium Isaaci ante iuramentum, convivium vero Iacobi post iuramentum concelebratum est (cf. pag. 393). — אָכַל לֶחֶם *comedit panem* (pag. 84) etiam „pransit, coenavit, epulatus est“ significat (Gesenius 89 aliique cum eo). Hodie quoque talia convivia apud Arabas sunt signa amicitiae vel reconciliationis (Dillmann aliique).

Gunkel 317 et Holzinger 206 in Gen. 31, 44—54 vestigia duplicis recensionis invenerunt. Ecce: 2 pacta, privatum (℣. 50) et publicum (℣. 52); 2 symbola, cippus (℣. 45) et acervus (℣. 46); 2 loca diversa, Mizpa (℣. 49) et Gilead (℣. 47 s.); 2 convivia (54 et 46[b]); 2 testationes (℣. 49 s. et 51 s.); 2 nomina Dei (53[b] et 53[a]). Attamen, in ℣. 52. publicum populorum pactum contineri, supponunt quidem sed probare nequeunt: contextus privatum individuorum, Labani et Iacobi, pactum indicat. Cippus et acervus unum symbolum (pag. 460), Mizpa et Gilead unus locus (pag. 461) fuerunt. In ℣. 46[b] et 54 hagiographus de eodem convivio loquitur (pag. 460); duae testationes ideo afferuntur, quia Laban relationem Iacobi erga filias suas atque semetipsum ordinare voluit (pag. 461); duo nomina eundem Deum denotant (pag. 458). Gunkel et Holzinger ipsi confitentur, divisionem recensionum valde difficilem esse; sed quare id discerpere volunt, quod unum est?

C. 32. ℣℣. 1. 2. **Iacob quoque abiit** *itinere quo coeperat,* LXX accuratius *καὶ Ἰακὼβ ἀπῆλθεν εἰς τὴν ἑαυτοῦ ὁδόν·*

fueruntque ei obviam seu occurrerunt ei *Angeli Dei.* [2]*Quos cum vidisset, ait* Iacob (Hebraicus et Graecus): *Castra Dei,* מַחֲנֵה אֱלֹהִים i. e. exercitus Dei, *παρεμβολὴ θεοῦ, sunt haec. et appellavit nomen loci illius Mahanaim,* מַחֲנָיִם, *Παρεμβολαί, id est, Castra* (haec 3 verba in Hebraico et Graeco desunt). Quando Iacob terram Chanaan reliquit, vidit Angelos Dei ascendentes et descendentes (pag. 416) et audivit Dominum custodiam ac reductionem sibi promittentem (pag. 415 s. 419); quando in terram Chanaan reversus est, vidit iterum Angelos Dei ut castrorum aciem ordinatos (℣. 1 s.) iterumque audivit Dominum contra Esavum (cf. ℣. 7 ss.) sibi fortitudinem promittentem (℣. 28).

Gesenius 496 nomen מַחֲנָיִם pluralem a singulari מַחֲנֶי declarat; reapse LXX *Παρεμβολαί* verterunt, et plurales מַיִם atque שָׁמַיִם invocari possunt. Plures alii antiquiores ac recentiores dualem intelligunt duasque turmas Angelorum fuisse putant (cf. Hummelauer). Sed multo probabilius מַחֲנַיִם est forma producta singularis pro מַחֲנָם (cf. Gesenius-Kautzsch 244; Strack[2] 135 s.). Haec sententia bene cum contextu congruit, in quo de uno tantum exercitu, מַחֲנֵה, *παρεμβολῇ* legimus, aliisque exemplis confirmari potest, e. g. דֹּתַיִן (Gen. 37, 17) = דֹּתָן (4 Reg. 6, 13), יְרוּשָׁלַיִם (Ier. 26, 18 etc.) = יְרוּשָׁלֵם = *Urusalim* (cf. Buhl). — Urbs Mahanaim „in confinis Gaditarum et Massanitarum ad boreale littus Iabboci haud procul a Iordane“ (Gesenius 496) sita Levitis assignata est (Ios. 13, 26. 30) et in historia Davidis (2 Reg. 2, 8. 12. 29: 17, 24. 27) necnon Salomonis (3 Reg. 4, 14) commemoratur (Dillmann, Hummelauer). — Hoberg asserit, ℣℣. 1—2' esse inscriptionem capitis 32 atque idem factum referre, quod in ℣℣. 24—30 narratur; מַלְאֲכֵי אֱלֹהִים significare „supernaturales potentias, quae in Iacobo revelatae et ab eo recte manifestationes divinae potentiae cognitae sint“. At hoc assertum cum usu loquendi et contextu pugnat ideoque ab aliis exegetis non admittitur. — Gunkel putat, in 32, 1—2 fragmentum dumtaxat esse narrationis cuiusdam prolixioris, qua relatum fuerit, quomodo exercitus deorum cum Iacobo pugnaverit. Hanc opinionem suam eo probari putat, quod praesens narratio nimis abrupta sit: Angeli apparent, quin aliquid dicant vel agant. Sed Dillmann et Holzinger quoque censent, Iacobum sola apparitione exercitus Dei de custodia divina certiorem factum esse. Ceterum conferas quae pag. 420 s. de falsis suppositionibus Gunkeli scripta sunt.

℣℣. 3—5. **Misit autem** Iacob (Hebraicus et Graecus) *et* (deest in Hebraico et Graeco) *nuncios ante se ad Esau fratrem suum in terram,* אַרְצָה, *Seir, in regionem,* שְׂדֵה, *Edom:* [4]*praecepitque eis, dicens: Sic,* כֹּה, *loquimini domino meo Esau: Haec,* כֹּה,

dicit frater tuus (in Hebraico et Graeco: servus tuus) *Iacob: Apud Laban peregrinatus sum, et fui usque in praesentem diem,* LXX accuratius *καὶ ἐχρόνισα ἕως τοῦ νῦν.* [5]*Habeo boves, et asinos, et oves, et servos, et ancillas: mittoque nunc legationem ad dominum meum,* LXX accuratius *καὶ ἀπέστειλα ἀναγγεῖλαι τῷ κυρίῳ μου, ut inveniam gratiam in conspectu tuo.* Iacob humanitate, commemoratione longae peregrinationis, humilitate a fratre suo, tunc in terra Seir (pag. 379) habitante, veniam impetrare voluit simulque ei insinuavit, se alia re non indigere.

Quando et ubi Iacob nuntios ablegaverit, non certum est; probabiliter post apparitionem Angelorum in Mahanaim. — *Terra Seir* postea *Edom* (cf. pag. 381 s.) nominabatur, quare ambo nomina hic coniunguntur (cf. Strack[2]). — Hoberg putat, Rebeccam Iacobo habitationem Esavi nuntiasse (cf. 27, 44 s.), quae opinio non improbabilis est; quod autem adiungit, Esavum iam illo tempore terram Chanaan reliquisse et sedem suam permanentem in terra Seir delegisse, cum 36, 6—8 non congruunt. Multo probabilior est sententia Stracki[2], Esavum tunc temporaliter in Seir habitasse, quam postea (36, 6—8) portionem suam occupavit (cf. pag. 409). — וְאַחַר in ℣. 5 hebr. = וָאֵאָחֵר (Gesenius-Kautzsch 170. 184). — In ℣. 5 (hebr. 6) textus Hebraicus singularem collectivum exhibet; pro צֹאן cum Samaritano et versionibus legendum est וְצֹאן, uti plerique censent. — Legationem mittendo adventumque suum annuntiando Iacob fuit humanus; Esavum dominum et se servum vocando fuit humilis; divitias suas exponendo simulque gratiam Esavi implorando monstravit, quantopere eam aestimaret; longum exilium suum commemorando animum fratris mutabilem (cf. pag. 410) commovere voluit. — Gunkel asserit, istam rationem agendi, qua Iacob se humilians et fratrem factis verbisque honorans eius gratiam sibi conciliavit, virum fortem non decere (nicht eben ritterlich). Sed gratia, venia, amicitia non gladiis et fustibus conciliantur.

℣℣. 6—8. **Reversique sunt nuncii** *ad Iacob, dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum, et ecce,* וְגַם i. e. et insuper, *properat tibi in occursum cum quadringentis viris,* LXX accuratius *ἔρχεται εἰς συνάντησίν σοι καὶ τετρακόσιοι ἄνδρες μετ' αὐτοῦ.* [7]*Timuit* autem (Hebraicus et Graecus) *Iacob valde: et perterritus divisit populum qui secum erat, greges quoque et oves* (loco harum 4 vocum in Hebraico simpliciter legitur וְאֶת־הַצֹּאן i. e. et pecora minora; cf. pag. 99) *et boves, et camelos in duas turmas,* לִשְׁנֵי מַחֲנוֹת, [8]*dicens: Si venerit Esau ad unam turmam, et percusserit eam, alia turma, quae reliqua est,* הַנִּשְׁאָר, *salvabitur,*

וַיְהִי ... לִפְלֵיטָה. Iacob audiens fratrem cum 400 viris accurrere, totam possessionem suam in duo castra distribuit, ne omnia simul perderentur, si Esau hostilia ageret.

Quare Esau cum 400 viris Iacobo occurrere voluit? Respondet Lapide: „Ut sic fratri potentiam suam ostentaret utque eum hac pompa amplius honoraret eique securum comitatum per iter praestaret.“ Holzinger asserit, Esavum iam in via fuisse, quando a nuntiis Iacobi inventus est; at contextus contrariam sententiam suggerit. — Iacob valde timuit, quia talis adventus fratris graviter offensi (pag. 410) reapse suspectus erat. — Quomodo Iacob possessionem suam in duo castra distribuerit, Lapide exponit: „Prior turma erat gregum cum pastoribus, in suos ordines apte distributa; posterior erat uxorum cum liberis, cuius tres erant ordines: primus Zelphae et Balae cum suis prolibus, secundus Liae cum suis, tertius Rachelis et Ioseph, ut patet capite sequenti Ÿ. 2.“ Conferas tamen Ÿ. 13[b] ss. 23. — Quod Dillmann cum Wellhausen putavit, videlicet in hoc loco nomen *Mahanaim* declarari, Holzinger recte repudiat: nam usus loquendi et contextus contradicunt. Hummelauer ad Ÿ. 2 scribit: „Fortasse angelorum distinctae turmae Iacobo consilium suggessere gregum Ÿ. 7 in duas turmas dividendi; cuius etiam divisionis memoriale aliquod fuerit nomen מחנים. Non tamen altera Ÿ. 7 nominis derivatio proponitur.“ — Pecora Iacobi neque 30, 43, neque 32, 5. 7 plene enumerantur. — Pro fem. הָאַחַת in Ÿ. 9 hebr. cum Samaritano masc. הָאֶחָד legendum est (Kittel cum aliis), quia masc. הַנִּשְׁאָר sequitur.

ŸŸ. 9—13[a]. **Dixitque Iacob:** *Deus patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac* (pag. 457 s.): *Domine qui dixisti mihi: Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuae,* וּלְמוֹלַדְתְּךָ (cf. pag. 222), *et benefaciam tibi:* [10] *minor sum cunctis miserationibus tuis, et veritate tua* vel potius cunctis beneficiis et fidelitate *quam explevisti servo tuo. In baculo meo* enim (Hebraicus et Graecus) *transivi Iordanem istum: et nunc cum duabus turmis regredior,* LXX accuratius *νῦν δὲ γέγονα εἰς δύο παρεμβολάς.* [11] *Erue me* quaeso (Hebraicus) *de manu fratris mei* de manu (Hebraicus) *Esau, quia valde* (deest *valde* in Hebraico et Graeco) *eum timeo* ego (Hebraicus et Graecus): *ne forte* (deest *forte* in Hebraico) *veniens percutiat* me (Hebraicus et Graecus) *matrem cum,* עַל i. e. super, *filiis.* [12] *Tu* autem (Hebraicus et Graecus) *locutus es quod benefaceres mihi,* LXX accuratius *καλῶς εὖ σε ποιήσω, et dilatares semen meum sicut arenam maris, quae prae multitudine numerari non potest* (pag. 415). [13] *Cumque dormisset,* וַיָּלֶן i. e. et pernoctavit, *ibi nocte illa.* —

Iacob ad fratrem sibi reconciliandum omnibus adiumentis externis usus est (cf. ℣℣. 3 ss. 7. 13ᵇ ss.; 33, 1 ss.) simul tamen in oratione ad Deum confugit, quem humilitate, grata beneficiorum et fidelitatis memoria commovere voluit, ut reliqua quoque promissa expleret ideoque se, uxores filiosque a caede servaret.

Holzinger putat, Iacobum de Esavo se afflictantem esse aliam figuram ac hominem audacem (kecke, frische und zähe Abenteurer) in capitibus 29 et 31 descriptum. Verumtamen in cap. 29 de audacia Iacobi nihil legimus, iuxta cap. 31 vero aufugit, quia Labanum timebat (℣. 31); postea audacter quidem ad eum locutus est (℣. 36 ss.), sed iam sciebat, per Deum Abraham et Isaac ab ira Labani se protegi (℣. 42). Cum hac descriptione Iacobi optime congruit, quod etiam Esavum timeat et contra iram eius protectionem Dei Abraham et Isaac imploret. — Gunkel 323 miratur, quod Iacob callidus religiose sentiat, Iacob anguillae similis (aalglatt) omni gratia divina se indignum dicat. Sed historia teste in eodem viro summa prudentia humana cum religiositate intima coniuncta esse potest. Lapide ad 32, 7 scribit: „Tropologice notat S. Augustinus, nos exemplo Iacobi ita debere Deo fidere, ut tamen humana praesidia et consilia non negligamus; hoc enim facere esset tentare Deum. Hinc B. P. N. Ignatius nos docuit, ita omnem spem rerum gerendarum in Deo ponere, ut nobis nostrisque viribus plane diffisi totos nos in Deum Deique providentiam ingenti fiducia coniiciamus, et tamen in ipsa exsecutione sedulo adhibere omnia naturalia media et humana praesidia, perinde ac si illis solis niteremur, illisque res omnis conficienda esset: utrumque enim docet et exigit prudentia pietasque christiana.“ — Gunkel 324 orationem Iacobi recte „exemplar orationis“ (cf. Is. 37, 16 ss.; Ier. 32, 16 ss.: 3 Reg. 8, 23 ss.; Dan. 9, 4 ss.; Tob. 3, 2 ss. 11 ss.; 1 Mach. 4, 30 ss.; Ps. 9. 15. 40. 43 aliosque) appellat. Constat enim ex invocatione, gratiarum actione, „classica enuntiatione humilitatis humanae“, petitione, commemoratione motivi. Similia iam Lapide observavit. — *In baculo meo transivi* = egenus et pauper, praeter baculum pastoralem nihil possidens. sine grege exivi (cf. sequentia et Caietanum, Lapide, Hummelauer). — Ex verbis *transivi Iordanem istum* utique sequitur, locum Mahanaim Iordani vicinum fuisse (cf. pag. 465), sed non sequitur, Iacobum statim Iordanem iterum transire voluisse (contra Holzinger), quapropter ista verba neque versui 22 neque 33, 17 contraria sunt. Hoberg ad Iob 40, 18 (hebr. 40, 23) provocans nomen הַיַּרְדֵּן ut appellativum (cf. pag. 236) accipit et de *Iaboc* (℣. 22) intelligit, quae sententia ob articulum et contextum reliquis exegetis improbabilis videtur. — Quare Iacob possessionem suam in duas turmas distribuerit, pag. 467 dictum est; istae turmae autem simul divitias Iacobi monstrarunt: ergo duae turmae non vario modo declarantur, ut Gunkel 323 opinatur. — Occidere „matrem super filiis, quos suo corpore tegit, efferatae est crudelitatis (cf. Os. 10, 14).

Exprimit id etiam excidium absolutissimum" (Hummelauer cum Calmeto aliisque). — Iacob in Mahanaim pernoctavit, ut ita inter priorem et posteriorem turmam spatium interiiceretur (Hoberg).

℣℣. 13ᵇ—16. separavit autem (Hebraicus et Graecus) *de his quae habebat,* מִן־הַבָּא בְיָדוֹ i. e. ex eo quod venerat in manum eius, *munera,* מִנְחָה (cf. pag. 100), *Esau fratri suo,* [14] *capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, et arietes viginti,* [15] *camelos foetas* vel potius lactantes, מֵינִיקוֹת, *cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, et tauros viginti* (in Hebraico et Graeco decem), *asinas viginti, et pullos earum decem.* [16] *Et misit per* vel potius et dedit in *manus servorum suorum singulos seorsum greges, dixitque pueris* vel servis *suis: Antecedite me, et sit spatium,* LXX accuratius *καὶ διάστημα ποιεῖτε, inter gregem et gregem.* — Ex turma altera, cui Iacob ipse praeerat (Hoberg), iuxta textum Hebraicum et Graecum 580 pecudes separavit, quae in 10 greges distributae erant. Inter singulos greges spatium interiectum esse voluit, ut Esau „numero, varietate et pompa" munerum se pasceret, quae hoc modo „plura ei et splendidiora" videbantur (Lapide, Hummelauer, Dillmann).

Phrasim *quod venerat in manum eius* ob contextum de turma altera intelligimus, quae in potestate et gubernatione Iacobi erat (cf. Hoberg); Dillmann cum aliis eam de possessione Iacobi generatim intelligit. — *Cameli foetae* = „quae recens pepererant et pullos lactabant" (Lapide); videas lexicon Latinum. — Repetitio עֵדֶר עֵדֶר *gregem gregem* sensum distributivum habet (Gesenius-Kautzsch 401).

℣℣. 17—21. Et praecepit priori vel potius primo (Hebraicus et Graecus), *dicens: Si obvium habueris fratrem meum Esau,* LXX accuratius *ἐάν σοι συναντήσῃ Ἠσαῦ ὁ ἀδελφός μου, et interrogaverit te* dicens (Hebraicus et Graecus), *Cuius es? aut* (melius et), *Quo vadis? aut* (melius et), *Cuius sunt ista quae sequeris* vel potius quae te praecedunt (Hebraicus et Graecus)? [18] tunc (Hebraicus et Graecus) *respondebis: Servi tui Iacob, munera misit* (in Hebraico: munus est missum) *domino meo Esau:* et ecce (Hebraicus et Graecus) *ipse quoque post nos venit* (deest *venit* in Hebraico et Graeco). [19] *Similiter dedit mandata,* LXX accuratius *καὶ ἐνετείλατο, secundo, et tertio, et cunctis qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis,*

LXX accuratius *κατὰ τὸ ῥῆμα τοῦτο, loquimini ad Esau, cum inveneritis eum.* [20]*Et addetis,* LXX accuratius *καὶ ἐρεῖτε·* Ecce (Hebraicus et Graecus) *Ipse quoque servus tuus Iacob iter nostrum insequitur,* בָּא אַחֲרֵינוּ (ita Samaritanus et Graecus; in Masorethico בָּא deest): *dixit enim: Placabo illum,* אֲכַפְּרָה פָנָיו i. e. velabo faciem eius (cf. pag. 311), *muneribus quae praecedunt* faciem meam (Hebraicus), *et postea videbo illum* vel faciem eius (Hebraicus et Graecus), *forsitan propitiabitur mihi,* in Hebraico et Graeco: forsitan (benigne) excipiet faciem meam (cf. pag. 300). [21]*Praecesserunt itaque munera ante eum, ipse vero mansit nocte illa in castris,* בַּמַּחֲנֶה. — Primus servus Esavo dixit, ista animalia munera esse et largientem fratrem sequi. At Esau non statim Iacobo, sed iterum iterumque muneribus eius occurrebat (cf. Gunkel). Decem munera erant quodammodo decem velamina, quae Iacob inter faciem suam et faciem fratris posuit, quibus Esau placaretur et ipse benignus exciperetur. Verba *dixit enim: Placabo* etc. non servorum Iacobi, sed hagiographi sunt (cf. Hummelauer). Iacob iterum (cf. pag. 467) in Mahanaim pernoctavit, ut ita etiam inter munera et turmam reliquam spatium interiiceretur (cf. pag. 469; Hoberg).

Quanta sit vis *munerum,* in Ex. 23, 8; Deut. 16, 19; Eccli. 20, 31 exponitur. — In ℣. 18 hebr. pro יִפְגָּשְׁךָ (imperf. kal verbi פָּגַשׁ *occurrit)* alii יְפַגֶּשְׁךָ alii יִפָּגֶשְׁךָ punctant (cf. Gesenius-Kautzsch 47. 50. 160). — In ℣. 19 hebr. pro הוּא שְׁלוּחָה legerunt LXX et Vulgata הוּא שְׁלָחָהּ (Kittel). — Gesenius 915 scribit: „נָשָׂא פְנֵי פ' *personam alicuius excepit* locutio propria de rege et iudice, qui admittit salutatum venientes et dona ferentes et causae eorum favet, opp. הֵשִׁיב פָּנִים non admisit salutationem alicuius.“ — In ℣. 21 (hebr. 22) בַּמַּחֲנֶה non est nomen proprium loci, sed nomen appellativum, uti plerique interpretes contra Wellhausen contendunt.

Gunkel 323 asserit, ℣℣. 3—13[a] (hebr. 4—14[a]) atque 13[b]—21 (hebr. 14[b]—22) esse narrationes parallelas: iuxta utramque narrationem Iacobum angore agitatum divisisse gregem et in eodem loco pernoctasse: in narratione altera divisionem priorem taceri. Verumtamen, in narratione priore distributio totius possessionis Iacobi in duas turmas refertur (cf. pag. 467); in narratione autem altera non divisio gregis, sed separatio munerum ex turma, cui Iacob praeerat, describitur (cf. pag. 469). Hae sunt res omnino diversae, non parallelae. Quare Iacob bis in eodem loco pernoctaverit, pag. 469 diximus.

℣℣. 22—24ᵃ. **Cumque mature surrexisset,** LXX accuratius *ἀναστὰς δὲ τὴν νύκτα ἐκείνην, tulit duas uxores suas, et totidem,* LXX accuratius *καὶ τὰς δύο, famulas* suas (Hebraicus) *cum undecim filiis* suis (Hebraicus et Graecus), *et transivit vadum Iaboc.* [23] *Traductisque omnibus quae ad se pertinebant,* LXX multo accuratius *καὶ ἔλαβεν αὐτοὺς καὶ διέβη τὸν χειμάῤῥουν,* הַנָּחַל, *καὶ διεβίβασεν πάντα* (ita cum Samaritano et versionibus etiam Kittel aliique legendum censent; in Masorethico כָּל־ deest) *τὰ αὐτοῦ, mansit* autem Iacob (Hebraicus et Graecus) *solus* — Orientales noctu proficisci solent; tamen Dillmann aliique mirantur, quod Iacob omnes greges suos noctu per Iaboc traduxerit. At non omnes greges traduxit. Iam praemiserat turmam priorem (pag. 466); iam praemiserat 580 pecudes cum servis (pag. 469); ergo turma, quae adhuc cum eo erat, non amplius copiosa esse potuit. Iacob non a septentrione, sed ab austro fluvii solus remansit, uti comparatio ℣. 24ᵃ cum 33, 1 docet; remansit autem, ut Deum exoraret.

Secundum Dillmann 362, Gunkel 325 et asseclas eorum transitus per Iaboc bis narratur: in ℣℣. 22ᵃ. 23ᵃ necnon in ℣℣. 22ᵇ. 23ᵇ. Verumtamen, in ℣. 22 traductio uxorum et filiorum dumtaxat; in ℣. 23 autem traductio turmae reliquae quoque narratur. Insuper hagiographus in ℣. 22ᵇ de transitu vadi Iaboc, in ℣. 23ᵃ autem de transitu הַנָּחַל loquitur, quod etiam vallem Iaboc significare potest (cf. pag. 390). — De *Iaboc* videas pag. 453. — In ℣. 23 hebr. pro הוּא legendum est cum Samaritano הַהוּא (Kittel cum aliis). — Filia Dina (pag. 434) tacetur. — Dillmann 362 asserit, Iacobum a septentrione fluvii Iaboc remansisse; sed Iosephus Flavius, Hummelauer, Hoberg, Gunkel 328 aliique contrariam sententiam tenent, quam contextus commendat. „Iacob revera Iabocum una cum familia et gregibus traiecit, scribit Hummelauer; flumine traiecto et reliquis progredi permissis *remansit solus* (℣. 24), similiter atque Isaac 24, 62 s. solus meditatus erat in agro.“ Etiam Fischer-Guthe (Wandkarte von Palästina) locum certaminis sequentis ab austro Iaboci signarunt.

℣℣. 24ᵇ—29. **et ecce** (deest *ecce* in Hebraico et Graeco) *vir luctabatur,* וַיֵּאָבֵק, *cum eo usque mane,* עַד עֲלוֹת הַשָּׁחַר i. e. usque ad ascensum aurorae. [25] *Qui cum videret quod eum superare non posset,* LXX accuratius *ἴδεν δὲ ὅτι οὐ δύναται πρὸς αὐτόν, tetigit nervum femoris eius,* בְּכַף־יְרֵכוֹ, *τοῦ πλάτους τοῦ μηροῦ αὐτοῦ, et statim emarcuit,* LXX multo accuratius *καὶ ἐνάρκησεν,* וַתֵּקַע, *τὸ πλάτος τοῦ μηροῦ Ἰακὼβ ἐν τῷ παλαίειν*

αὐτὸν μετ' αὐτοῦ. [26]*Dixitque ad eum* (deest *ad eum* in Hebraico et Graeco): *Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit* autem (Hebraicus et Graecus): *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* [27]*Ait ergo* ad eum (Hebraicus et Graecus): *Quod nomen est tibi? Respondit: Iacob.* [28]*At ille, Nequaquam,* לֹא, *inquit, Iacob appellabitur* amplius (Hebraicus et Graecus) *nomen tuum, sed Israel,* יִשְׂרָאֵל: *quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis?* in Hebraico: quoniam contendisti, שָׂרִיתָ, cum Deo, אֱלֹהִים, et cum hominibus, et superasti, וַתּוּכָל. [29]*Interrogavit eum* (pro *eum* lege cum Hebraico et Graeco *autem*) *Iacob* et dixit (Hebraicus et Graecus): *Dic mihi, quo appellaris nomine,* LXX accuratius *ἀνάγγειλόν μοι* (deest *μοι* in Hebraico) *τὸ ὄνομά σου. Respondit* autem (Hebraicus et Graecus): *Cur quaeris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco,* שָׁם, *ἐκεῖ.*

Quaestio principalis, a cuius solutione explicatio partium reliquarum dependet, haec est: quis fuit iste *vir,* qui cum Iacobo luctabatur? Respondeo, eum fuisse *angelum Domini* per eminentiam, i. e. *Deum se revelantem* (cf. pag. 266 et 447; Theol. bibl. Vet. Test., pag. 469), atque demonstro testimonio Osee (12, 3—5; hebr. 4—6) dicentis: *In utero supplantavit fratrem suum: et in fortitudine sua directus est,* שָׂרָה i. e. contendit, *cum angelo,* אֶת־אֱלֹהִים. *Et invaluit ad angelum, et confortatus est,* וַיָּשַׂר אֶל־מַלְאָךְ וַיֻּכָל i. e. et contendit cum (pro אֶל־ legendum videtur אֶת־; cf. Kittel) angelo et superavit: *flevit, et rogavit eum* gratiam, וַיִּתְחַנֶּן־לוֹ: *in Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobiscum,* עִמָּנוּ (Kittel cum aliis עִמּוֹ *cum eo* emendat). *Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale eius.* In hoc loco propheta virum, quocum Iacob luctabatur, primo Elohim, deinde angelum, denique Dominum Deum exercituum vocat, qui postea Iacobo in Bethel apparuit (cf. 35, 9 ss.). Non mirum est igitur, quod etiam S. Iustinus, Tertullianus, S. Hilarius, S. Cyrillus, S. Ambrosius, Theodoretus aliique (cf. Pererium et Lapide) asserant, Iacobum cum ipso Deo, et quidem cum Filio Dei (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 469 ss.) contendisse.

Contra hanc sententiam Lapide cum aliis theologis observat, Filium Dei in Vet. Test. numquam immediate sub specie visibili apparuisse. Verumtamen, haec opinio minus probabilis est quam contraria.

ut in Theol. bibl. Vet. Test., pag. 471 s. probavimus. — Deus cum Iacobo luctans *vir* appellatur, quia in specie viri apparuerat. Conferas pag. 282 s. et 300 s. — De isto viro aliae quoque circumferuntur sententiae. Iudaei opinabantur, eum fuisse angelum creatum eumque malum; multi tamen interpretes catholici censent, eum fuisse quidem angelum creatum sed bonum: vel angelum custodem Iacobi (Lapide aliique plures) vel angelum custodem Esavi seu regionis ad meridiem Iaboc (Hummelauer). Acatholici Gunkel et Holzinger cum Dillmann asserunt, istum virum fuisse deum quendam e numero ceterorum deorum fabulosorum. Singulae hae opiniones cum Os. 12, 3 ss. pugnant. Conferas Theol. bibl. Vet. Test., pag. 470 ss., ubi de hac causa diffuse locuti sumus.

Soluta quaestione principali reliquae partes textus sacri facilius explicantur. Luctatio Dei in forma viri apparentis non erat imaginaria, ut Hoberg cum S. Thoma et Ruperto aliisque (cf. Lapide et Dillmann) putat, sed realis, quemadmodum Patres communiter docent necnon Hummelauer, Dillmann et Gunkel quoque ex usu loquendi et contextu colligunt. Luctatus est autem Deus cum Iacobo, „ut hac lucta sinens se vinci a Iacobo illi spem faceret, quod pari modo, imo multo magis fratrem suum Esau, quem metuebat, mitigaret, vinceret et superaret“ (Lapide); luctatus est *usque mane*. „Cum Iacob surrexerit ‚nocte‘ . . . et in traducendis gregibus et familia sane plures horas insumpserit, postea luctatus sit ‚usque ad aurorem‘, recte scribit Hummelauer, sane rem exaggerat Hier. (ad Eph. 6, 12 . . .) luctatum esse affirmans ‚tota nocte‘. Lucta haec non plus temporis occupasse censenda est, quam eiusmodi luctis alias impendi consuevit.“ Verba *vidit quod eum superare non posset* relative, non absolute intelligenda sunt. Absolute Dominus Deus exercituum (Osee) Iacobum utique superare potuisset, quam potentiam eo monstravit quod eum simplici tactu claudicantem reddidit; relative tamen, i. e. ob finem luctationis initae (cf. supra), Iacobum impigrum ac perseverantem superare non potuit, sed ab eo vinci voluit. Illa *Dimitte me, iam enim ascendit aurora* secundum Hummelauer hunc habent „sensum maxime naturalem: Sat diu iam sumus luctati, ut ascendens testatur aurora, producentes luctam nihil proficiemus, viribus quippe sumus pares. Quae verba ab eius ore profecta, qui luctae auctor fuerat, idem sonant, ac si victum se fateatur“. Ad verba *Non dimit-*

tam te, nisi benedixeris mihi conferas Os. 12, 4: *flevit, et rogavit eum* gratiam (pag. 472). Qualem benedictionem qualemque gratiam Iacob lacrimis ac precibus a viro secum contendente praesertim impetrare voluerit, e contextu facile eruitur, nimirum ut fratrem suum Esau mitigare et superare posset (cf. pag. 467). Vir iste nomini *Iacobi,* i. e. supplantantis (pag. 379), agnomen *Israelis* (i. e. contendit Deus) addidit, quia filius Isaaci iunior non solum cum hominibus, scil. Esavo (pag. 382. 407) atque Labano (pag. 441 ss.) pugnavit eosque supplantavit, verum etiam cum Deo contendit eumque sensu declarato (pag. 473) superavit. Qua nomenclatione vir Iacobo naturam suam divinam indicavit simulque bonam spem de Esavo excitavit, nomen tamen suum ei non manifestavit. Sententia *Cur quaeris nomen meum?* hunc sensum habet: tu nunc scis, me Deum, אֵל, esse; quid ultra in *nomen* seu essentiam meam inquiris? Quibus dictis Deus Iacobo benedictionem petitam impertivit.

De וַיֵּאָבֵק *et luctabatur* scribit Gesenius 18 cum Lapide aliisque: „Verbum denom. in niph. נֶאֱבַק *pulvere se invicem conspergere,* quod fit inter luctandum, inde *luctari,* Gen. 32, 25. 26. Vocabulum paulo rarius a scriptore adhibitum videtur, ut alludatur ad nomen fluvii יַבֹּק, quasi יַאֲבוֹק *luctatio* . . . Sic apud Graecos a *κόνις* est *κονίζεσθαι, συγκονιοῦσθαι luctari,* a *πάλη pulvis tenuissimus παλαίειν, συμπαλαίειν* . . . Radici arabicae . . . *torquendi* notionem tribuunt etymologi, unde non minus *ἀναλόγως* derivaretur luctatio, modo certius de significatione constaret.“ Bachmann alteram hanc etymologiam adoptat, priorem repudiat. — Hoberg hanc luctationem cum apparitione angelorum 32, 1 s. immerito confundit (cf. pag. 465). — Gunkel 326 s. asserit, deum ut bestiam rapacem repraesentatum Iacobo mortem inferre voluisse, atque provocat ad Ex. 4, 24—26; 2 Reg. 24, 1 coll. 1 Par. 21, 1; Os. 13, 7; Is 8, 14 s. Verumtamen, in Ex. 4, 24 ss. diserte notat hagiographus, quod Dominus Moysen occidere voluerit, et quidem ob neglectam circumcisionem filii sui (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 96); hic autem talis nota deest, et Iacob mandatum Domini non neglexit, sed observavit (cf. pag. 467). In 2 Reg. 24, 1 autem ante *commovitque David* inserendum est *Satan,* ut Ewald, Klostermann, Oettli, Wellhausen quoque censent (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 561). In Os. 13, 7 et Is. 8, 14 s. denique comparationes adhibentur. Ergo nullus locorum citatorum assertionem Gunkeli confirmat. — Quare Deus luctatus sit *usque mane* atque dixerit *Dimitte me, iam enim ascendit aurora,* pag. 473 expositum est. Oleaster (cf. Pererium) putavit, contendentem cum Iacobo noluisse conspici in assumpta forma humana; sed Hummelauer recte

notat, iuxta ℣. 30. „eum reapse conspectum esse". Conferas etiam 18, 1 ss. (pag. 282 ss.). Strack[2] 122 ad Ex. 12, 29 appellans censet, eum ante ortum solis abiisse, eo quod ratio operationis divinae saltem aliquatenus nobis mysterium manere debeat. Gunkel et Holzinger asserunt, istum virum uti simulacrum nocturnum (Nachtgespenst) ante ortum solis disparere debuisse; Gunkel citat Plautum (Amphitr. I, 3, 34 s.), ubi Iupiter dicit: „Cur me tenes? tempus est; exire ex urbe, priusquam lucescat, volo." Attamen, iste vir non erat deus fabulosus uti Iupiter, quemadmodum Gunkel cum aliis Hegelianis (pag. 420 s.) gratis supponit (pag. 463), sed Deus verus, Dominus exercituum (pag. 473), cuius omnipotentiam Scripturae praedicant (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 447 s.). Quare Dillmann, Gunkel, Holzinger etiam falso opinantur, Iacobum gigantem ab isto viro revera vinci non potuisse. Gunkel insuper affirmat, iuxta Os. 12, 4 (cf. pag. 472) angelum flevisse et gratiam rogasse, quam sententiam ipse protestans Nowack (Hosea 73) impossibilem vocat. Ut Scripturam cum Hegelianismo conciliet, Gunkel absurdissimas et falsissimas explicationes non horret.

Verbum נָגַע *tetigit* tactum simpliciter significat, sive levem sive vehementem (Buhl, Fürst, Gesenius); plures interpretes sine ratione sufficienti asserunt, hic percussionem vehementem intelligendam esse: LXX verterunt *ἥψατο,* quam significationem cum Hoberg retinemus. — כַּף generatim cavum, speciatim palmam vel plantam significat; כַּף הַיָּרֵךְ communiter cum Gesenio „acetabulum femoris" declarant, i. e. „ossis cavitatem, in qua absconditur summa pars femoris, quod Graecis ischium dicitur . . . Ipsum . . . os femoris, quod in cotylen sive in ischium inseritur, hic loco suo motum est . . . ipsa coxendix Iacobi luxata est, quia scilicet angelus *nervum,* i. e. tendinem, qui femur sive coxendicem suae cotylae sive vertebrae, puta ossi superiori connectit, dissolvit atque luxavit, uti optime quoad sensum vertit noster interpres" (Lapide). וַתֵּקַע = et luxatum est, et quidem dum adhuc pugnarent (Hebraicus et Graecus). Holzinger cum Gunkel aliisque asserit, sententiam בְּהֵאָבְקוֹ עִמּוֹ, *ἐν τῷ παλαίειν αὐτὸν μετ' αὐτοῦ,* significare istam luxaturam non per tactum adversarii, sed ob motum luctantis effectam esse, quod tamen neque usu loquendi neque contextu probare potest. Immo opinatur, iuxta traditionem originalem forsitan Iacobum femur adversarii sui luxasse, quae hypothesis arbitraria cum contextu (cf. pag. 472) pugnat. — Gunkel affirmat, nomen *Iacobi* adversario eius ignotum fuisse. At Dominus Deus exercituum, quocum Iacob pugnavit (pag. 472), secundum Scripturas omnia cognoscit (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 432—443). Interrogatione *Quod nomen est tibi?* Deus Iacobum attentum reddere et ad impositionem agnominis praeparare voluit, ut contextus ostendit. Verba *Nequaquam,* לֹא, *Iacob appellabitur* amplius *nomen tuum, sed Israel* Lapide e contextu recte sic declarat: „Non tantum Iacob, sed et Israel appellaberis, nam deinceps Iacob quoque appellatus est." Hoc agnomen *Israelis* in 35, 10 confirmatur (Lapide, Hummelauer, Hoberg). — יִשְׂרָאֵל = contendit El

(Buhl), quae significatio hic quoque retineri potest. El contendit cum Iacob, ideoque etiam Iacob contendit cum El. Secundum alios *Israel* = pugnator seu miles Dei (Gesenius) vel El est dominator (Fürst). Aegyptiae inscriptiones *I-si-r-ʾl, I-s-ir-ʾâ-ra* exhibent (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 95; Buhl 289). — Plures interpretes catholici et acatholici cum Lapide dicunt, additionem agnominis benedictionem fuisse, quod aliquatenus verum est. Deus enim benedicit, quando bona seu beneficia confert (pag. 16); additio autem agnominis fuit beneficium, fuit honor: ergo. At benedictio, quam Iacob in illis circumstantiis quam maxime desideravit (pag. 467 s.), in impositione agnominis nondum continebatur, quare in fine data est. — In Ṽ. 28 (hebr. 29) Hoberg pro וַתּוּכָל legit תּוּכָל, quo facto textus Masorethicus cum Graeco et Latino convenit atque futurum de Esavo triumphum praenuntiat. — Nomen Dei praecipuum atque proprium est יְהוָה *Iahve* (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 375 ss.); vim huius nominis Deus Patriarchis non revelavit (cf. pag. 92 s. et Iud. 13, 17 s.). Gunkel iterum sine ullo argumento logice valido supponit, in antiquissima recensione narrationis deum nomen suum indicasse; nomen illud non fuisse *Iahve,* sed nomen alterius cuiusdam dei, ideoque postea omissum esse. Hae sunt phantasiae Hegelianae (cf. pag. 420 s.).

ṼṼ. **30—32. Vocavitque Iacob nomen** *loci illius Phanuel,* פְּנוּאֵל (ita Samaritanus, Symmachus, Vulgata, Syriaca; textus Masorethicus habet פְּנִיאֵל), *dicens,* כִּי: *Vidi Deum,* אֱלֹהִים, *facie ad faciem, et salva facta est,* וַתִּנָּצֵל, *anima mea.* [31]*Ortusque est ei,* וַיִּזְרַח־לוֹ i. e. et splenduit ei, *statim* (deest in Hebraico et Graeco) *sol, postquam transgressus est Phanuel,* פְּנוּאֵל: *ipse vero claudicabat pede,* עַל־יְרֵכוֹ i. e. ad femur suum. [32]*Quam ob causam non comedunt nervum,* גִּיד הַנָּשֶׁה i. e. nervum femoris, *filii Israel, qui emarcuit in femore Iacob,* אֲשֶׁר עַל־כַּף הַיָּרֵךְ i. e. qui (est) ad acetabulum femoris, *usque in praesentem,* הַזֶּה, *diem: eo quod tetigerit nervum femoris eius, et obstupuerit,* כִּי נָגַע בְּכַף־יֶרֶךְ יַעֲקֹב בְּגִיד הַנָּשֶׁה i. e. quia tetigit acetabulum femoris Iacobi, nervum femoris. — Iacob illum locum, ubi cum Deo in specie viri sibi apparente luctatus fuerat, Phanuel i. e. faciem seu speciem Dei, εἶδος θεοῦ, appellavit soleque oriente eum reliquit et turmam praemissam (pag. 471) claudicans insecutus est. Posteri eius e pia consuetudine nervum femoris animalium non manducarunt, quia Deus nervum femoris patris eorum tetigerat.

Sensus verborum Ṽ. 30. iuxta grammaticam et lexicon est, Iacobum loco nomen imposuisse, non vero nomen loci iam antea exsistens revelationi sibi factae accommodasse, uti Hoberg putat; neque e Ṽ. 31. gram-

matice vel logice deduci potest, nomen Phanuel iam antea exstitisse. — Non solum פְּנִיאֵל, verum etiam פְּנוּאֵל *faciem Dei* significat; nam ִי et וּ sunt antiquae terminationes casus (cf. Gesenius-Kautzsch 251 s.). Phanuel erat ab austro Iacobi (pag. 471); accuratius situs determinari nequit, ut omnes concedunt. — Phrasis *Vidi Deum facie ad faciem* idem significat ac vidi Deum immediate (Fürst). Gunkel haec verba non bene in contextum quadrare censet, cum Iacob Deum non tantum viderit sed etiam cum eo luctatus sit. Bene, adest alia istius phrasis explicatio, nimirum: cominus cum Deo „colluctatus sum et depugnavi, manum manui, pedem pedi, latus lateri contuli et conserui; sic enim ait Amasias rex ad Ioas *Videamus nos,* id est bello cominus decertemus (4 Reg. 14, 8), sic Iosias *vidit Pharaonem,* cum in bello a Pharaone occisus est (4 Reg. 23, 29)". Ita Lapide. — Ad *salva facta est anima mea* notant interpretes, homines antiqui temporis credidisse, Deum sine vitae periculo conspici non posse (cf. pag. 269 s.). Propterea Iacob admirans dixit: וַתִּנָּצֵל i. e. sed erepta est, scil. e vitae periculo. — Quare ortus solis notetur, pag. 473 diximus. — Utrum Iacob ad tempus an semper claudicaverit, difficile e textu eruitur. Dillmann, Strack [2] 124, Hummelauer „perdurantem effectum" statuunt, Lapide et Hoberg cum Hebraeis temporalem: haec sententia probabilior videtur. — *Nervum femoris* Gunkel musculum glutaeum intelligit, ceteri tamen interpretes cum Gesenio nervum ischiadicum accipiunt. Gesenius 921 scribit: „גִּיד הַנָּשֶׁה interpretatus sum *nervum femoris* (den Nerven der Hüftgegend), neque vero, quod olim placuit, ligamentum nervi ischiadici vel femoris, ita ut ligamentum acetabuli (capsulare vocant recentiores) intelligatur: nervus enim iste ob crassitiem et colorem a carnis colore diversum oculis facile se offert poteratque cum carne comedi, ligamentum illud vel sine lege nemo comedisset." גִּיד = nervus, tendo; נָשֶׁה = nervus ischiadicus et locus eius i. e. femur (Gesenius). — בְּכַף־יְרֵךְ est generalior, בְּגִיד הַנָּשֶׁה specialior expressio (cf. pag. 475). — Quomodo versio Vulgata, quacum LXX conveniunt, orta sit, Gesenius 921 bene exponit. „Nimirum גיד הנשה hi interpretabantur *nervum torporis* (q. d. den Lähmungs-Nerven oder Krampf-Nerven) idem fere etymon secuti, quod Talmudici habent . . . a rad. נָשָׁה, proprie *viribus defecit* . . . illumque nervum torporis et spasmi sedem causamque esse existimabant . . . Nec profecto inepta est ista ratio." — Holzinger asserit sed non demonstrat, ℣. 32 (hebr. 33) esse glossam, eo quod hic ℣. cum spiritu narrationis valde male congruat. Respondeo: hagiographus notat simpliciter consuetudinem Israelitarum, quam etiam in Mischna, Chullin 7 testatam invenimus (Dillmann), quin de convenientia consuetudinis cum spiritu narrationis iudicium suum proferat. Quodsi consuetudo cum spiritu narrationis reapse non congrueret, non esset culpa hagiographi neque signum glossae.

Gunkel 328 s. asserit, fabulosa illa narratione (32, 24—32) declarari, quare in Phanuel deitati sacrificetur et quidem ita, ut cultores deitatis

claudicantes coram ea saltent (cf. 3 Reg. 18, 26). Deitatem istius loci cultus olim fuisse ignotam vel etiam inimicam, sed postea ab Iacobo devictam itaque loco affixam, ut cultoribus coram se claudicantibus benediceret. Gunkel falso systemati philosophico Hegeli (pag. 420 s.) addictus sine ullo argumento supponit, Phanuel fuisse locum cultus; supponit, scriptorem cultum illum declarare voluisse; supponit, narrationem esse fabulosam, quia cum systemate evolutionis naturalis (pag. 420 s.) non congruit: paucis, supponit demonstratum, quod esset demonstandum, atque inde conclusiones deducit. Quid de hac methodo scientifica logici doceant, notissimum est.

Idem Gunkel 325 s. in narratione biblica duplicem eiusdem facti fabulosi recensionem invenit. Scribit enim: iuxta ℣. 25[a] tactu dei, iuxta ℣. 25[b] autem fortuito Iacob claudicans effectus est; iuxta ℣. 30 nomen Phanuel ab Iacobo loco impositum est, iuxta ℣. 31 autem iam antea exstitit; iuxta ℣. 30 vocabatur Pen*i*el, iuxta ℣. 31 autem Pen*u*el; iuxta ℣. 28 impositione novi nominis, iuxta ℣. 29 explicite Iacob benedictus est; iuxta ℣. 28 Iacob vicit, iuxta ℣. 30 e periculo vitae ereptus est; in ℣. 24 scriptor, in ℣. 26 autem deus de aurora loquitur; iuxta ℣. 27 deus Iacobi nomen, iuxta ℣. 29 autem Iacob dei nomen quaerit. — At videas explicationem versuum citatorum et perspicies, virum logicae expertem dumtaxat tales assertiones proponere posse; grammatica et lexicon Hebraicum, usus loquendi et contextus necnon philosophia eas non suggerit. Sunt nugae titulo criticae sublimioris honestatae.

C. 33. ℣℣. 1—3. **Elevans autem Iacob** *oculos suos, vidit,* וַיַּרְא וְהִנֵּה (cf. pag. 283), *venientem Esau, et cum eo quadringentos viros: divisitque filios Liae et Rachel, ambarumque famularum,* LXX accuratius τὰ παιδία ἐπὶ Λείαν καὶ ἐπὶ Ῥαχὴλ καὶ τὰς δύο παιδίσκας· [2] *et posuit utramque ancillam, et liberos earum in principio: Liam vero, et filios eius in secundo loco,* אַחֲרֹנִים i. e. posteros: *Rachel autem, et Ioseph novissimos,* אַחֲרֹנִים. [3] *Et ipse progrediens* ante eos (Hebraicus et Graecus) *adoravit pronus* (deest *pronus* in Hebraico et Graeco) *in terram septies, donec appropinquaret frater eius* vel potius ad fratrem suum (Hebraicus). — Familia Iacobi ita disposita fuit, ut primus Iacob ipse et ultima Rachel dilecta cum Ioseph percussa fuisset, si Esau hostili animo venisset. Iacob honoravit fratrem suum modo illis temporibus consueto (pag. 283).

Hummelauer putat, ea quae hic narratur „non necessario immediate post ante narrata“ accidisse. — Pro אַחֲרֹנִים priore legerunt LXX. Syrus et Latinus אַחֲרֵיהֶם, quae lectio etiam Holzingero probabilior apparet. — Iacob fuit igitur inter turmam alteram et familiam suam. Etenim praeiverat turma prior (pag. 467), secuta erant munera in decem

greges distributa (pag. 469), successit turma altera (pag. 471). Secundum Gunkel 321 s. divisio totius possessionis in duas turmas, separatio munerum et distributio eorum in decem greges, dispositio familiae in tres partes nihil aliud sunt quam tres variationes eiusdem fabulae, quae per phantasiam e duali vel plurali *Mahanaim* (pag. 465) hauriebantur. At Gunkel pro assertione sua ne umbram quidem argumenti logice validi allegat, sed falsum systema evolutionis naturalis (pag. 420 s.) supponit eique narrationem biblicam accommodat. — Hoberg opinatur, Iacobum post revelationem in capite priore narratam timorem omnem abiecisse; Dillmann, Gunkel, Hummelauer tamen cum Delitzsch aliisque censent, Iacobum postea quoque in timore versatum esse et propterea familiam suam modo praedicto disposuisse. Haec sententia cum contextu melius congruit. Post revelationem divinam Iacob utique persuasum habuit, se de fratre triumphaturum esse; nescivit tamen, utrum res ad certamen veniret necne: hinc actiones eius clarescunt. — Gunkel scribit: „Septem inclinationes Iacobi sunt prorsus nimia observantia et honos"; at e tabulis fictilibus in Tell-el-Amarna inventis (cf. pag. 28) elucet, septem inclinationes fuisse observantiam et honorem antiquis temporibus usitatum. Nam rex Ierosolymorum Pharaoni scribens (cf. pag. 28) constanter hac phrasi utitur: „Abdhiba, servus tuus. Ad pedes domini mei regis septies et septies procumbo" (cf. Winckler, Keilinschriftliches Textbuch 1 ss.). Conferas cum verbis regis Abdhiba verba Iacobi pag. 469 relata.

℣℣. 4—7. Currens itaque Esau *obviam fratri suo* (pro *fratri suo* habet Hebraicus et Graecus *ei*), *amplexatus est eum: stringensque collum eius,* וַיִּפֹּל עַל־צַוָּארָו, *et osculans* eum, וַיִּשָּׁקֵהוּ, *flevit,* וַיִּבְכּוּ, *καὶ ἔκλαυσαν ἀμφότεροι.* [5] *Levatisque oculis* suis (Hebraicus), *vidit mulieres et parvulos earum* (deest *earum* in Hebraico et Graeco), *et ait: Quid sibi volunt isti? et si ad te pertinent?* in Hebraico et Graeco loco ultimorum 9 verborum haec tantum leguntur: מִי־אֵלֶּה לָּךְ, *τί ταῦτά σοί ἐστιν; Respondit* autem (Hebraicus et Graecus): *Parvuli sunt, quos donavit mihi* (deest *mihi* in Hebraico et Graeco) *Deus servo tuo.* [6] *Et appropinquantes ancillae* ipsae (Hebraicus) *et filii earum, incurvati sunt.* [7] *Accessit quoque Lia cum pueris suis: et cum similiter adorassent,* LXX accuratius *καὶ προσήγγισεν Λεία καὶ τὰ τέκνα αὐτῆς καὶ προσεκύνησαν, extremi,* וְאַחַר נִגַּשׁ, *καὶ μετὰ ταῦτα προσήγγισεν, Ioseph et Rachel adoraverunt.* — Humiliatione Iacobi victus (pag. 466) et affectu fraterno commotus Esau fratrem suum unicum, qui tot annis peregrinatus erat (pag. 466), libentissimo animo ac supinis manibus excepit necnon consuetas salutationes (cf. pag. 358) uxorum et filiorum eius admisit.

Hummelauer putat, Esavum prostrationes Iacobi interrupisse; at iuxta Ṽ. 3 Iacob reapse *septies* adoravit. — Verba: amplexatus est eum, et strinxit collum eius, et osculatus est eum, et flevit, optime conciliari idoque omnia retineri possunt. Dillmann censet, verbum punctis extraordinariis signatum ob 45, 14; 46, 29 delendum esse; sed lectio cum parallelis non congruens probabilior est (cf. Bibelkritik 178). Plures Iudaei pro isto verbo intelligebant וַיִּשְׁכֵהוּ *et momordit eum* (cf. Dillmann), qui intellectus cum contextu proximo pugnat et ridiculus est. — צַוָּארָו = צַוָּארָיו (Gesenius-Kautzsch 257), ergo pluralis cum suffixo: cf. τὰ τράχηλα, cervices (Buhl); Kittel sine necessitate singularem צַוָּארוֹ legendum putat. — Pro plurali וַיִּבְכּוּ, quem LXX quoque legerunt, Kittel singularem וַיֵּבְךְּ commendat, quem Vulgata exhibet; sed valde probabile est, etiam Iacobum flevisse (cf. pag. 424 s.). — Idem וַיִּשְׁתַּחוּ Vulgata bis *adorari* et semel *incurvari* reddit; est hithpaʿel verbi שָׁחָה *se inclinavit*. In Ṽ. 6 ob praecedens הֵנָּה sequitur femininum וַתִּשְׁתַּחֲוֶיןָ (Holzinger).

Gunkel sine ullo argumento logice valido affirmat, originalem recensionem fabulae iocosae non affectum fraternum neque animum generosum Esavi celebrasse, sed Esavum uti bonum hominem plumbeum (als einen gutmütigen Tölpel), muneribus et honoribus et blandis verbis Iacobi devictum descripsisse; posteros vero stupidam benignitatem Esavi uti animum generosum accepisse. Hasce phantasias Gunkelianas notasse sufficit (cf. pag. 445).

ṼṼ. 8—11. **Dixitque Esau** (deest *Esau* in Hebraico et Graeco): *Quaenam sunt istae turmae,* מִי לְךָ כָּל־הַמַּחֲנֶה הַזֶּה i. e. quid tibi est omnis turma haec, *quas obviam habui? Respondit: Ut invenirem gratiam coram,* בְּעֵינֵי, *domino meo.* [9]*At ille* (pro *ille* est in Hebraico et Graeco *Esau*) *ait: Habeo plurima,* רָב, *frater mi, sint tua tibi.* [10]*Dixitque Iacob: Noli ita, obsecro,* אַל־נָא (pag. 299): *sed* (deest in Hebraico et Graeco) *si,* אִם־נָא (pag. 284), *inveni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum,* מִנְחָתִי i. e. munus meum, *de manibus meis,* מִיָּדִי: *sic enim,* כִּי־עַל־כֵּן i. e. nam idcirco (cf. pag. 285), *vidi faciem tuam,* פָּנֶיךָ, *quasi viderim,* כִּרְאֹת, *vultum,* פְּנֵי, *Dei,* ϑεοῦ· *esto mihi propitius,* וַתִּרְצֵנִי i. e. et acceptum me habuisti, [11]*et* (deest in Hebraico et Graeco) *suscipe benedictionem* m e a m, בִּרְכָתִי i. e. donum meum, *quam attuli,* הֵבֵאתִי (ita Samaritanus et versiones; textus Masorethicus habet הֻבָאת i. e. allata est) *tibi, et quam donavit mihi Deus tribuens omnia,* LXX accuratius ὅτι ἠλέησέν με ὁ ϑεός, καὶ ἔστιν μοι πάντα. *Vix fratre compellente, suscipiens,* LXX accuratius καὶ ἐβιάσατο

αὐτόν, καὶ ἔλαβεν. — Iacob per servos suos Esavo nuntiaverat, greges praemissos esse munera (pag. 469s.); Esau nunc fratrem interrogat, quo consilio (*quid tibi est* etc., cf. Hebraicum) ista munera miserit. Iacob id respondet, quod hagiographus iam notaverat (pag. 470), se munera misisse, ut gratiam eius seu veniam consequeretur. Esau more orientalium (cf. pag. 337) munera prius recusat, deinde vero (℣. 11) acceptat, ut ita facto probet, fratrem in oculis suis gratiam seu veniam invenisse (cf. ℣. 10[a] et Hummelauer). Verba „nam idcirco vidi faciem tuam sicut quis videt faciem Dei" (Hebraicus et Graecus) „et acceptum me habuisti" (Hebraicus) hunc habent sensum: qui coram Deo suo benevolo apparet, ei donum aliquod, מִנְחָה, offert (cf. pag. 100); tu autem quasi divina cum benevolentia atque indulgentia me recepisti, quare donum a me oblatum non recusare debes, eo minus quo ego Deo benedicente non solum *plurima* (℣. 9) verum *omnia* (℣. 11) possideo. Donum suum Iacob in ℣. 10 מִנְחָה, in ℣. 11 autem בְּרָכָה vocat, i. e. munus, quod „additis bonis votis offerre solemus . . . medio aevo *benedictio*, maxime de muneribus a pontificibus ad reges missis, quae benedictionibus etiam prosequi solebant" (Gesenius 243 aliique).

In ℣. 8. textus Graecus et Latinus pluralem *αἱ παρεμβολαὶ αὗται, istae turmae* exhibent, Hebraicus autem singularem: „loquitur de omnibus per modum unius, cum a singulis idem accepisset responsum" (Hummelauer). Non est necessarium, ut cum Hoberg supponamus, Esavum primam turmam (cf. pag. 466s.) non obviam habuisse; Esau de muneribus praemissis tantum loquitur, quod usus loquendi et contextus comprobant. Gunkel ob praeconceptas suas opiniones falsas asserit, Esavum de prima turma (pag. 466s.) locutum esse illamque ab Iacobo donatam accepisse. Hanc sententiam falsam esse, etiam apud Dillmann et Strack[2] videre potes. — Verba Iacobi humillima esse, verum est; ad quodlibet verbum profundam inclinationem (einen tiefen Bückling) cogitandam esse, ridicula phantasia Gunkeliana (cf. pag. 475) imaginatur. Knobel humilitatem Iacobi putidam invenit; at nunc quoque orientales phrasibus similibus utuntur, quin eos putidos dicere possimus: suus cuique regioni mos est (ländlich, sittlich). — *Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei:* etiam apud auctores profanos phrases *θεία κεφαλή, θεῖον ποτόν* (Passow), divinus vir, dona divinissima (Georges), göttliches Lächeln, göttlich ruhig, himmlisches Gesicht, himmlische Geduld (Sanders) occurrunt. אֱלֹהִים potest etiam *angelum* significare (cf. pag. 1 et 1 Reg. 29, 9; 2 Reg. 14, 17); verumtamen LXX *θεοῦ* reddiderunt. Strack[2] cum Delitzsch

censet, Iacobum benevolentiam et indulgentiam fratris Deo ascripsisse eamque imaginem repercussam divinae benignitatis accepisse. — In istis verbis aliam nominis *Phanuel* declarationem contineri, Holzinger quoque negat; ad nomen alludi, cum Hummelauer et Holzinger libenter concedimus. — Dillmann asserit, etiam in hac fabula (cf. pag. 35 et 37) supponi, deum quendam inhumanum in Phanuel se humanum manifestare (cf. pag. 477 s.).

℣℣. 12—16. **ait: Gradiamur simul,** *eroque socius itineris tui,* in Hebraico: et ait: castra moveamus et proficiscamur, et proficiscar in conspectu tuo. [13]*Dixitque Iacob* (deest *Iacob* in Hebraico et Graeco) ad eum (Hebraicus et Graecus): *Nosti domine mi,* LXX accuratius ὁ κύριός μου γινώσκει, *quod parvulos habeam teneros, et oves,* וְהַצֹּאן, *et boves foetas* (cf. pag. 469) *mecum: quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges,* in Hebraico: si acrius propelluntur die una, tunc moriuntur omnia pecora, כָּל־הַצֹּאן. [14]*Praecedat* quaeso (Hebraicus) *dominus meus ante,* לִפְנֵי, *servum suum: et ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro parvulos meos posse,* in Hebraico: et ego incedam iuxta lenitatem meam, iuxta gressum pecudum quae ante me sunt, et iuxta gressum filiorum, *donec veniam ad dominum meum in Seir.* [15]*Respondit* autem (Hebraicus et Graecus) *Esau: Oro te, ut de populo qui mecum est, saltem socii remaneant viae tuae,* LXX accuratius καταλείψω μετὰ σοῦ ἀπὸ τοῦ λαοῦ τοῦ μετ' ἐμοῦ. *Non est, inquit, necesse,* LXX accuratius ὁ δὲ εἶπεν· ἵνα τί τοῦτο; *hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo domine mi,* loco horum 12 verborum habet Hebraicus: inveniam gratiam in oculis domini mei. [16]*Reversus est itaque illo die Esau itinere quo venerat in Seir,* LXX accuratius εἰς τὴν ὁδὸν αὐτοῦ εἰς Σηείρ. — Esau Iacobum comitatu suo vel saltem partis virorum suorum honorare volebat (S. Chrysostomus, Hummelauer), sed Iacob fratri mutabili (pag. 410) non plene fidens comitatum recusavit, rationem omnino plausibilem afferens (cf. Dillmann, Gunkel). Iuxta usum loquendi Iacob in Seir venire volebat (℣. 14), sed postea consilium suum, forsitan ex eadem diffidentia, mutavit (℣℣. 17 ss.; cf. S. Augustinum, quaest. 160; Lapide, Hoberg).

In ℣. 13 pro וּדְפָקוּם cum Samaritano et versionibus legendum videtur וּדְפַקְתִּים (Bachmann). — „Moriuntur omnia pecora" est hyperbola (Lapide). — Ad phrasim *iuxta lenitatem meam* (℣. 14 hebr.) Hum-

melauer cum Caietano notat, Iacobum claudicasse. — In promissione Iacobi alii mendacium officiosum, alii promissionem conditionatam vident (cf. Hummelauer). Utrum Iacob postea in Seir Esavum visitaverit necne, nescimus. — Delitzsch, Dillmann, Strack[2] putant, Iacobum etiam ob hanc rationem comitatum quemlibet recusasse, ut libertatem (Selbständigkeit) suam servaret.

℣℣. 17—20. **Et Iacob venit in Socoth,** סֻכֹּתָה: *ubi aedificata domo et fixis tentoriis appellavit nomen loci illius Socoth, idest, tabernacula;* in Hebraico (similiterque in Graeco): et aedificavit sibi domum, pecori suo autem fecit tentoria, סֻכֹּת, idcirco vocatum est, עַל־כֵּן קָרָא (pag. 208 s.), nomen loci Succoth, סֻכּוֹת. [18]*Transivitque,* LXX accuratius καὶ ἦλθεν Ἰακώβ, *in Salem urbem Sichimorum,* שָׁלֵם עִיר שְׁכֶם, εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων, *quae est in terra Chanaan* (pag. 189 s.), *postquam reversus est,* בְּבֹאוֹ, ὅτε ἦλθεν, *de Mesopotamia Syriae,* מִפַּדַּן אֲרָם (pag. 375 s.): *et habitavit iuxta,* אֶת־פְּנֵי, *oppidum,* הָעִיר. [19]*Emitque partem agri in qua fixerat tabernacula,* LXX accuratius τὴν σκηνὴν αὐτοῦ, *a filiis Hemor,* חֲמוֹר, *patris Sichem,* שְׁכֶם, *centum agnis,* קְשִׂיטָה i. e. kesitis. [20]*Et erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israel,* LXX habent: καὶ ἔστησεν ἐκεῖ θυσιαστήριον καὶ ἐπεκαλέσατο τὸν θεὸν Ἰσραήλ, in Hebraico: et erexit ibi altare et nominavit illud, וַיִּקְרָא לוֹ, El Deus Israel. — Locus, in quem Iacob post discessum Esavi venit, in ℣. 17ᵃ per prolepsin (cf. pag. 226) *Socoth* vocatur, quia hoc nomen postea ei impositum est (℣. 17ᵇ): fuit ex austro Iaboci et Phanuel (cf. Ios. 13, 27; Iud. 8, 5. 8; Dillmann). Ibi forsitan consilium in Seir proficiscendi mutavit (cf. pag. 482), pro se domum, pro gregibus autem tuguria aedificavit atque per plures annos permansit. Nam filii et filia, qui revertente Iacobo paucorum annorum erant (cf. pag. 457) in 34, 1 ss. iam adulti proponuntur (cf. Dillmann). Deinde Iordanem transivit itaque in Chanaan venit (cf. pag. 189 s.), ab oriente urbis Sichimorum (cf. pag. 225) nomine *Salem* habitavit, a filiis Hemor partem agri emit atque erecto altari *Deum Israel* invocavit seu veneratus est (cf. pag. 112 s.).

Hoberg putat, illum locum iam ante adventum Iacobi *Socoth* appellatum fuisse; sed usus loquendi et contextus contrariam sententiam commendant. — בַּיִת tam *domum* quam *tabernaculum* significare potest (cf. Gesenius, Fürst, Buhl); hic propter commorationem Iacobi (cf. supra)

plerique interpretes domum, Hoberg vero cum Lapide tabernaculum intelligit. סֻכָּה = „casa, umbraculum, ex frondibus ramisque consertum soli arcendo inserviens“ (Gesenius). — Phrasis *idest, tabernacula* ab interprete Latino adiecta est. — *Salem,* שָׁלֵם, cum Graeca et Latina et Syriaca versione necnon exegetis antiquioribus nomen proprium urbis accipimus. „Est quidem hodie, scribit Gesenius, vicus Salim prope Neapolim, vetus Sichem, orientem versus (v. Robinson, Palaest. III, 322. J. Wilson, Lands of the Bible II, 72).“ Plerique autem lexicographi et exegetae recentiores (Buhl, Dillmann, Fürst, Gesenius, Gunkel, Hoberg, Hummelauer, Strack[2]) cum Samaritano, Caietano aliisque שָׁלֵם adiectivum = *integer, incolumis* accipiunt. Dillmann rationem pro hac opinione affert, locum *Salem* alibi in Vet. Test. non occurrere. At haec ratio valde infirma est, cum *Salem* etiam in Iudith 4, 4 graece commemoretur (cf. Zöckler, Apokryphen 194). Conferas pag. 248 s., ubi de *Salem,* urbe regis Melchisedech locuti, sumus. Kittel cum aliis putat, pro שָׁלֵם forsitan בְּשָׁלֹם legendum esse (cf. 28, 21; pag. 419); obstat tamen testimonium versionum antiquarum. — De loco *Sichem* videas pag. 225. — *Iuxta oppidum,* אֶת־פְּנֵי, propter contextum *ab oriente urbis* denotare videtur (cf. Gunkel).

Emitque partem agri in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem. Huic assertioni hagiographi S. Stephanus duplici ratione contradicere videtur. Ipse enim affirmavit (Act. 7, 16): *Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem,* παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὼρ τοῦ Συχέμ, alii Ἐμμὼρ τοῦ ἐν Συχέμ, alii Ἐμμὼρ ἐν Συχέμ (cf. criticam meam editionem Novi Testamenti). Emptio in Genesi Iacobo, in Actibus Abrahae ascribitur: Hemor in Genesi pater Sichem, in Actibus vero filius Sichem asseritur. Attamen, si textus accuratius inspiciuntur et examinantur, contradictio disparet. Nam scriptor Genesis et S. Stephanus de diversa re loquuntur. Scriptor Genesis narrat emptionem illius *partis agri, in qua Iacob tabernacula sua fixerat;* contra S. Stephanus refert, *Abrahamum* in Sichem *sepulchrum* emisse: ambae emptiones secundum praecepta logica optime conciliari possunt. Filii autem Hemor *filii Sichem* non confundendi sunt cum filiis Hemor *patris Sichem* (cf. Felten in Act. 7, 16). In serie cognatorum nonnumquam eadem nomina occurrere, tum Scriptura (cf. Gen. 11, 24 ss.; Luc. 3, 23 ss.) tum historia profana testatur. — Ex aliis solutionibus unam dumtaxat noto. Belser cum Bisping aliisque antiquioribus commentatoribus Act. 7, 16 putat, S. Stephanum emptionem ab Iacobo factam lapsu memoriae Abrahae ascripsisse atque S. Lucam errorem S. Stephani retulisse quidem, sed non approbasse. At haec opinio valde improbabilis est. Nam S. Stephanus non solum a S. Luca quam maxime celebratur (Act. 6, 5. 8. 10. 15; 7, 55; Felten, Knabenbauer), verum etiam ante concilium Iudaeorum locutus est (Act. 6, 12 ss.), quod ei contradixisset, si assertio eius cum traditione Iudaeorum pugnasset. — Cum in Genesi et Actibus diversae emptiones narrentur, non offendit quod

emptio in Actibus *pretio argenti,* in Genesi autem *centum agnis* facta referatur. Ceterum vox Hebraica קְשִׂיטָה, quam versiones antiquae *agnum* interpretantur, etiam „certum quoddam argenti aurive pondus, quo pariter atque siclo . . . patriarcharum aetate pro pecunia utebantur“, significare potest (Gesenius, Fürst, Buhl). Forsitan in isto nummo figura agni impressa fuit (cf. Fürst). Gesenius aliique ex Gen. 33, 19 cum 23, 16 collato inferunt, kesitam „quattuor fere siclis aestimandam esse“. Videas pag. 338 s.

Hummelauer cum S. Chrysostomo censet, praecipuam agri emendi rationem fuisse altare ibidem erigendum. Holzinger et Gunkel de emptione agri in Sichem idem asserunt, sed non demonstrant, quod de emptione sepulchri in Hebron dictitant (cf. pag. 341, nota 1). — Quomodo cum hac emptione conveniat Gen. 48, 22, ibi examinabimus. — In ℣. 20. textum Graecum et Latinum supra (pag. 483) explicavi; altaria „proprie ad sacrificium et invocationem eriguntur“ (Lapide). Sensus vero textus Hebraici est, „Iacobum non tantum adorasse et sacrificasse in hoc altari, sed et illud ipsum dicasse, consecrasse et inscripsisse Deo. Hunc ergo titulum inscripsit Iacob altari: *El Elohe Israel* . . . non quod ipsum altare esset Deus, inquit Caietanus, sed quod dedicatum et inscriptum esset forti Deo Israelis . . . Sic etiam Gentiles aras dicabant et inscribebant Iovi victori, Minervae sospitae, Aesculapio servatori etc.; pari modo Iacob in gratiarum actionem hic Deo liberatori, duci et ductori aram erigit et inscribit“ (Lapide). — Gunkel asserit, ad verbum וַיַּצֶּב *erexit* non מִזְבֵּחַ *altare* sed מַצֵּבָה *cippum* quadrare; propterea pro מִזְבֵּחַ וַיִּקְרָא לוֹ cum Wellhausen legit מַצֵּבָה וַיִּקְרָא לָהּ. Ex nomine autem, quo Iacob cippum appellavit, infert istum cippum pro ipso Deo Israel habitum fuisse. Ut in Gen. 28, 18 ss. ita in hunc quoque locum Gunkel falsum systema evolutionis inculcare vult, non argumentis logice validis sed audacibus assertionibus. Quid de systemate evolutionis seu de panlogismo sentiendum sit, iam pag. 420 s. scripsimus. Quod deinde asserit, ad verbum וַיַּצֶּב tantummodo מַצֵּבָה quadrare, demonstrare nequit. Versiones antiquae, Hoberg, Gesenius, Fürst, immo Buhl etc. contrarium testantur. Denique ex nomine altaris secundum praecepta logica minime sequitur, altare pro ipso Deo Israelis habitum fuisse (cf. Dillmann, atque supra). Iacob erat cultor Dei mundum transcendentis, non vero cultor dei lapidem animantis et inhabitantis (cf. pag. 418 s.). — אֵל אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל: *El* est antiquissimum et maxime generale nomen Dei Semiticum, tam Deo vero quam diis falsis impositum (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 372); sequens appositio (Dillmann) *Elohe Israel* determinat, qualem Deum Iacob altari erecto honoraverit, illum scil. a quo nomen *Israel* acceperat (cf. Gen. 32, 28 s.; Hummelauer, Dillmann, Strack[2]). Minus probabilis est sententia Hobergi putantis, hagiographum enuntiare, ab Iacobo Deum populi Israel invocatum esse; contextus proximus nostram sententiam commendat. — *El Elohe Israel* Vulgata reddit *fortissimum Deum Israel,* quia *El* potentiam denotat (cf. pag. 455); LXX simpliciter reddunt *τὸν θεὸν Ἰσραήλ.*

C. **34.** ℣℣. **1—5. Egressa est autem Dina** *filia Liae* quam genuerat Iacobo (Hebraicus et Graecus) *ut videret mulieres regionis illius,* בִּבְנוֹת הָאָרֶץ i. e. filias terrae. [2] *Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Hevaei* (pag. 195), *princeps terrae illius, adamavit eam* (ultima 3 verba desunt in Hebraico et Graeco): *et rapuit* eam (Hebraicus et Graecus), *et dormivit cum illa* (ita et LXX = אִתָּהּ, Masorethicus אֹתָהּ), *vi opprimens virginem,* וַיְעַנֶּהָ. [3] *Et conglutinata est anima eius cum ea,* in Hebraico et Graeco: cum Dina filia Iacobi, *tristemque delinivit blanditiis,* in Hebraico: et amavit puellam et locutus est ad cor puellae. [4] *Et pergens,* in Hebraico et Graeco: et dixit Sichem, *ad Hemor patrem suum, Accipe, inquit, mihi puellam hanc coniugem.* [5] *Quod cum audisset Iacob, absentibus filiis, et in pastu pecorum occupatis, siluit donec redirent,* LXX accuratius *Ἰακὼβ δὲ ἤκουσεν, ὅτι ἐμίανεν . . . Δείναν τὴν θυγατέρα αὐτοῦ· οἱ δὲ υἱοὶ αὐτοῦ ἦσαν μετὰ τῶν κτηνῶν αὐτοῦ ἐν τῷ πεδίῳ· παρεσιώπησεν δὲ Ἰακὼβ ἕως τοῦ ἐλθεῖν αὐτούς.* — Lapide ex Gen. 29, 33 s.; 30, 21 ss. coll. Gen. 37, 2 infert, Dinam a Sichem raptam circiter 15, Simeon et Levi autem tunc circiter 20 annorum fuisse: ergo hunc raptum Dinae atque excidium Sichem circiter 9 annis post discessum Iacob ex Haran contigisse (cf. pag. 483).

Ad ℣. 1ª conferas 16, 15 s.; 25, 12; 41, 50 (Dillmann, Strack[2]). — Dina e tabernaculis seu castris Iacobi (Dillmann) egressa est; curiositatem suam „luit suo raptu et tam infami stupro" (Lapide). — *Princeps terrae,* *ὁ ἄρχων τῆς γῆς·* textus Hebraicus etiam reddi potest *principis terrae;* sensus idem manet, quia Sichem ut filius *inclytus* (℣. 19) Hemoris principis etiam princeps terrae nominari potuit (cf. Lapide). — Ratio agendi Sichem cum 12, 15; 20, 2; 26, 10 conferatur (Dillmann, Hummelauer). — In ℣. 3. amor sequens notatur (Dillmann), quia odium quoque sequi potuisset (cf. 2 Reg. 13, 15). — דִּבֶּר עַל לֵב *locutus est ad cor* = consolatus est; etiam *παρακαλεῖσθαι, παραμυθεῖσθαι, alloqui* significationem consolandi habent (cf. Gesenius, Fürst, Buhl). LXX textum Hebraicum falso reddunt *καὶ ἐλάλησεν κατὰ τὴν διάνοιαν τῆς παρθένου αὐτῇ.* Vulgata sensum libere quidem sed recte exprimit. — Ad ℣. 4. conferas Gen. 21, 21; 24, 1 ss.; Iud. 14, 2. In ℣. 4. id non negatur, quod in ℣. 2. narratum est; Dillmann immerito asserit, in ℣. 4. puellam ut intactam et apud parentes habitantem proponi. — Iacob adventum filiorum suorum exspectavit, quia fratres de sorte sororum cum patribus loqui et agere potuerunt (cf. pag. 353, Dillmann). — Vulgata etiam ℣. 5. libere quidem sed recte transfert.

℣℣. **6—12. Egresso autem** ex urbe (pag. 486) *Hemor patre Sichem ut loqueretur ad Iacob,* [7]*ecce* (deest *ecce* in Hebraico et Graeco) *filii eius* (pro *eius* habent Hebraicus et Graecus *Iacob*) *veniebant* vel potius v e n e r a n t (בָּאוּ, cf. grammaticam) *de agro: auditoque quod acciderat, irati sunt valde, eo quod foedam rem operatus esset in Israel, et violata filia Iacob, rem illicitam perpetrasset,* in Hebraico (similiterque in Graeco): ut audierunt, moerore affecti sunt viri, et exarsit eis valde (cf. pag. 101, nota 2), quia stultitiam, נְבָלָה, fecerat in Israel dormiens cum filia Iacobi, et sic non debet fieri, יֵעָשֶׂה (cf. pag. 309, ℣. 9). [8]*Locutus est itaque Hemor ad eos* d i c e n s (Hebraicus et Graecus): *Sichem filii mei adhaesit anima filiae vestrae: date* q u a e s o (Hebraicus et Graecus) *eam illi uxorem:* [9]*et iungamus vicissim coniugia,* LXX accuratius ἐπιγαμβρεύσατε ἡμῖν (אִתָּנוּ, Masorethicus habet אֹתָנוּ): *filias vestras tradite nobis, et filias nostras accipite* v o b i s (Hebraicus, cf. et Graecum). [10]*Et habitate nobiscum: terra in potestate vestra est, exercete, negotiamini, et possidete eam,* in Hebraico (similiterque in Graeco): et terra sit coram vobis (cf. pag. 235, ℣. 9), manete et peragrate eam et occupate eam. [11]*Sed et Sichem ad patrem* e i u s (Hebraicus et Graecus) *et ad fratres eius ait: Inveniam gratiam coram vobis: et quaecumque statueritis* vel d i x e r i t i s m i h i (Hebraicus, cf. et Graecum), *dabo:* [12]*augete* m i h i v a l d e (Hebraicus) *dotem,* מֹהַר, *et munera,* וּמַתָּן, *postulate* (deest *postulate* in Hebraico), *et libenter* (deest *libenter* in Hebraico et Graeco) *tribuam quod petieritis* a m e (Hebraicus): *tantum date mihi puellam hanc uxorem.* — Prius Hemor, deinde etiam Sichem Iacobum filiosque eius (pag. 486) rogavit, ut Dinam uxorem traderent; ambo remunerationem magnam promiserunt.

Stultitia, נְבָלָה, in S. Scriptura (D e u t. 22, 21; 2 R e g. 13, 12 et alibi) „vocari consuevere peccata carnis, quia homo naturae, honoris et decentiae immemor carnisque pruritui obsequens reapse stultissimus est" (Hummelauer cum Delitzsch). Idem Hummelauer cum Delitzsch recte observavit: „Immerito s. scriptoris Knobel explodit simplicitatem, qui nomine *Israel* utatur pro aevo, quo p o p u l u s Israel nondum exstaret (cf. 47, 27): potuit enim patriarchae f a m i l i a *Israel* appellari, licet populus nondum esset". — Ad phrasim *filiae vestrae* conferas *soror nostra* pag. 355 (Gunkel). — מֹהַר est „pretium donumve pro sponsa p a r e n t i b u s eius oblatum" (Gesenius, Fürst, Buhl; Dillmann, Hummelauer; cf. E x. 22, 16;

1 Reg. 18, 25); מֹתָּן, a נָתַן *dedit,* donum generatim (cf. Buhl, Fürst. Gesenius), in hoc loco donum cognatis puellae oblatum significare videtur, „cum reparationem cognatis offerat Sichem“ (Hummelauer, Hoberg). Dillmann et Gunkel מַתָּן donum sponsae oblatum intelligunt; sed bene scribit Hummelauer: „Dona autem ab uxore in domum mariti auferenda vix ut reparatio a cognatis accepta considerari queant.“ Hoberg מֹהַר donum sponsae oblatum accipit; sed 1 Reg. 18, 25 huic opinioni obstat.

℣℣. 13—18. **Responderunt filii Iacob** *Sichem et* Hemor (Hebraicus et Graecus) *patri eius in dolo, saevientes,* בְּמִרְמָה וַיְדַבֵּרוּ, μετὰ δόλου καὶ ἐλάλησαν αὐτοῖς, *ob stuprum sororis,* LXX accuratius ὅτι, אֲשֶׁר, ἐμίαναν Δείναν τὴν ἀδελφὴν αὐτῶν· [14]et dixerunt eis (Hebraicus et Graecus): *Non possumus facere quod petitis,* לַעֲשׂוֹת הַדָּבָר הַזֶּה, ποιῆσαι τοῦτο, *nec dare,* לָתֵת, δοῦναι, *sororem nostram homini incircumciso,* LXX accuratius ἀνθρώπῳ ὃς ἔχει ἀκροβυστίαν· *quod illicitum et nefarium est apud nos,* LXX accuratius ἔστιν γὰρ ὄνειδος ἡμῖν. [15]*Sed in hoc,* אַךְ־בְּזֹאת, *valebimus foederari,* נֵאוֹת לָכֶם i. e. consentiemus vobiscum, *si volueritis esse similes nostri,* LXX accuratius ἐὰν γένησθε ὡς ἡμεῖς, *et circumcidatur in* (*in* deest in Hebraico et Graeco) *vobis omne masculini sexus* (in Hebraico et Graeco: omne masculinum); *tunc dabimus et accipiemus mutuo filias vestras, ac nostras,* in Hebraico (similiterque in Graeco): et dabimus filias nostras vobis et filias vestras accipiemus nobis, *et habitabimus vobiscum, erimusque unus populus:* [17]*si autem circumcidi nolueritis,* LXX accuratius ἐὰν δὲ μὴ εἰσακούσητε ἡμῶν τοῦ περιτέμνεσθαι, *tollemus filiam nostram, et recedemus.* [18]*Placuit oblatio eorum Hemor, et Sichem filio eius,* LXX accuratius καὶ ἤρεσαν οἱ λόγοι ἐναντίον Ἐμμὼρ καὶ ἐναντίον Συχὲμ τοῦ υἱοῦ Ἐμμώρ. Violationem sororis suae expiare volentes filii Iacob duplici dolo usi sunt, quatenus prohibitionem nondum exsistentem appellabant atque conditionem ferebant, cuius impletionem ad perditionem Sichimorum deflectere gestiebant.

„Dolus non solum in eo erat, scribit Hummelauer, ut simulata amicitia necem pararent, sed ut legem aliquam circumcisionis ementirentur. Etenim non prohibebantur tum posteri Abrahae ducere filias incircumcisorum . . . Possumus cum Bonfrerio dicere, id paulatim coepisse illicitum haberi, quoad a Moyse lege sit interdictum.“ — Illud וַיְדַבֵּרוּ in ℣. 13 iuxta Gesenium 315 aliosque idem est ac „machinas struxerunt“, insidiati sunt; quae tamen significatio vix demonstrari poterit (Dillmann

aliique). Hoberg vertit: „nam perpendebant (denn sie erwogen)"; at haec quoque significatio demonstrari nequit uti *saeviendi* significatio, quam Vulgata exhibet. Vertendum est cum LXX aliisque: „et locuti sunt"; si וַיְדַבְּרוּ cum Syriaco, Dillmann, Hummelauer, Kittel, Strack ante בְּמִרְמָה collocamus, duritia constructionis evanescit. — In ℣. 15 בְּזֹאת *in hoc* = hac conditione (Buhl 174). — נֵאוֹת est 1. plur. imperf. kal vel niph'al verbi אוּת vel אוֹת *consentire* (cf. Buhl, Gesenius, Gesenius-Kautzsch 195). — Ex ℣. 17 Dillmann infert, Dinam nondum in Sichem fuisse itaque inter ℣℣. 2. 26 et ℣. 17 contradictionem detegit. Attamen, verbum לָקַח non solum in ℣℣. 2. 26, verum etiam in ℣. 17 abductionem *vi* peractam significare debet (ob contextum) ideoque indicat, Dinam in possessione Sichem fuisse. — Dinam, quam in ℣. 14 *sororem* suam appellarant, filii Iacob in ℣. 17 *filiam* suam vocarunt, quia ad p a t r e m respiciebant (cf. pag. 355), quocum recedere seu regionem relinquere volebant (Hoberg). — Wellhausen (Prolegomena[4] 345 s.) ex hoc loco suspicatur, iuxta morem antiquissimum iuvenes ante nuptias circumcisos fuisse; sed usus loquendi et contextus suspicioni eius contrarii sunt.

℣℣. 19—24. nec distulit adolescens *quin statim quod petebatur expleret,* LXX accuratius *τοῦ ποιῆσαι τὸ ῥῆμα τοῦτο· amabat enim puellam valde,* LXX accuratius *ἐνέκειτο γὰρ τῇ θυγατρὶ Ἰακώβ, et ipse erat inclytus in omni domo patris sui.* [20]*Ingressique portam urbis, locuti sunt ad populum,* LXX multo accuratius *ἦλθεν δὲ Ἐμμὼρ καὶ Συχὲμ ὁ υἱὸς αὐτοῦ πρὸς τὴν πύλην τῆς πόλεως αὐτῶν καὶ ἐλάλησαν πρὸς τοὺς ἄνδρας τῆς πόλεως αὐτῶν λέγοντες·* [21]*Viri isti pacifici sunt* n o b i s c u m (Hebraicus et Graecus), *et volunt habitare nobiscum: negotientur in terra, et exerceant eam, quae spatiosa et lata cultoribus indiget,* aliter in Hebraico (similiterque in Graeco): et habitabunt in terra et peragrabunt eam, et terra ecce spatiosa utrinque, רַחֲבַת־יָדַיִם, est in conspectu eorum (cf. pag. 335, ℣. 9): *filias eorum accipiemus* n o b i s (Hebraicus et Graecus) *uxores, et* f i l i a s (Hebraicus et Graecus) *nostras illis dabimus.* [22]*Unum est quo differtur tantum bonum: Si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes.* Hic ℣. in Vulgata nimis libere redditus, in Hebraico (similiterque in Graeco) sic legitur: Sed hac conditione, אַךְ־בְּזֹאת, consentient, יֵאֹתוּ, nobiscum viri, ut habitent nobiscum, ut fiant in populum unum, si circumcidatur nobis omne masculinum, quemadmodum ipsi circumcisi sunt. [23]*Et substantia eorum, et pecora, et cuncta quae possident, nostra erunt: tantum in hoc acquiescamus, et habitantes simul, unum efficiemus populum.* In Hebraico (similiterque in

Graeco) hic ℣. sic habetur: Pecus eorum et possessio eorum et armentum eorum nonne nobis erunt? tantum consentiamus, אַךְ נֵאוֹתָה, cum eis, et habitabunt nobiscum. [24]*Assensique sunt omnes, circumcisis cunctis maribus.* In Hebraico (et Graeco) diffusius: Et auscultarunt Hemori et Sichemo filio eius omnes egredientes portam urbis, et circumcisum est omne masculinum, omnes egredientes portam urbis eius. — Sichem conditionem non tantum accepit, sed etiam statim se circumcidit (Vulgata, Dillmann 368, Gunkel 335, Hummelauer), quia amore Dinae tenebatur et propter auctoritatem suam consensu cognatorum non indigebat (cf. Hoberg). Postea cum patre in porta urbis (cf. pag. 294) civibus persuasit, ut ipsi quoque se circumciderent, hasce proferens rationes: filios Iacob pacificos esse, divitias eorum connubiis coniunctis ad Sichimos transire, terram pro istis viris satis spatiosam esse (cf. Dillmann).

Hoberg negat, Sichem statim se circumcidisse; at non solum textus Latinus, verum etiam Graecus et Hebraicus nostram sententiam commendat. — נִכְבָּד מִכֹּל בֵּית אָבִיו = honoratus ex omni domo patris sui = honoratior quam omnis domus patris sui (cf. Gesenius-Kautzsch 436). Ex his verbis Holzinger contra praecepta logica concludit, patrem Sichemi tunc iam mortuum fuisse; nam Sichem honoratior quam omnis *domus* seu familia patris, non autem absolute honoratissimus appellatur, ita ut pater vivens non excludatur. — In ℣. 21 pro וְיֵשְׁבוּ Kittel aliique cum Samaritano, Graeco et Syro יֵשְׁבוּ legunt. — רַחֲבַת־יָדַיִם = spatiosa quoad utrumque latus = spatiosa utrinque = longa et lata, late patens (Gesenius 568). — In ℣. 23 Sichem et Hemor iuxta Hoberg falsum asserunt; iuxta alios tamen verum dicunt, sensu supra exposito. — Licet Vulgata nimis libera ideoque emendanda sit, tamen substantiam sensus recte exprimit (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 437 s.).

℣℣. 25—29. Et ecce, וַיְהִי, *ἐγένετο δέ, die tertio quando gravissimus vulnerum dolor est,* בִּהְיוֹתָם כֹּאֲבִים i. e. quando erant dolentes: *arreptis,* וַיִּקְחוּ, *ἔλαβον, duo filii Iacob, Simeon et Levi fratres Dinae, gladiis,* אִישׁ חַרְבּוֹ, *ἕκαστος τὴν μάχαιραν αὐτοῦ, ingressi sunt urbem confidenter,* בֶּטַח: *interfectisque omnibus masculis,* [26]*Hemor et Sichem* filium eius (Hebraicus et Graecus) *pariter* (deest in Hebraico et Graeco) *necaverunt* in ore gladii, לְפִי־חָרֶב, *ἐν στόματι μαχαίρας, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam* (deest *sororem suam* in Hebraico et Graeco). [27]*Quibus egressis* (in Hebraico et Graeco haec ad ℣. 26 perti-

nent), *irruerunt super occisos ceteri* (deest *ceteri* in Hebraico et Graeco) *filii Iacob: et depopulati sunt urbem in ultionem stupri,* vel potius: . . . urbem, quia violaverant sororem eorum (Hebraicus similiterque Graecus). [28] *Oves eorum,* אֶת־צֹאנָם (Samaritanus, Graecus et Syrus וְאֶת־) i. e. pecora eorum, *et armenta,* בְּקָרָם i. e. boves eorum, *et asinos* eorum (Hebraicus et Graecus), *cunctaque vastantes quae in domibus et in agris erant,* LXX accuratius ὅσα τε ἦν ἐν τῇ πόλει καὶ ὅσα ἦν ἐν τῷ πεδίῳ ἔλαβον. [29] et omnes opes eorum (Hebraicus, cf. et Graecum), omnes (Hebraicus) *parvulos quoque eorum et uxores* eorum (Hebraicus et Graecus) *duxerunt captivas* et praedati sunt, שָׁבוּ וַיָּבֹזּוּ, et omne, וְאֵת כָּל־, quod in domo erat (Hebraicus, cf. et Graecum). Die tertio, quando febris vulneribus superveniens Sichimos a defensione prohibebat (Dillmann, Strack[2], Winer I, 160), Simeon et Levi cum sociis quibusdam (interpretes plerique) omnes masculos, immo etiam Hemor et Sichem quibuscum pacti erant, interfecerunt atque Dinam e domo et urbe eduxerunt. Quo facto alii filii Iacob urbem exspoliarunt.

Praeter Simeonem et Levi etiam Ruben, Iuda, Issachar, Zabulon filii Liae et fratres uterini Dinae fuerunt (cf. Gen. 29, 32 ss.; 30, 17 ss.). Quare soli Simeon et Levi Sichimos trucidarint, Iacob in Gen. 49, 5 ss. indicat: fuerunt prae ceteris furentes. Gunkel sine ullo argumento asserit, in Gen. 34, 25 aliam genealogiam supponi atque in Gen. 29, 32 ss.: 30, 17 ss.). — Pro עַל־הָעִיר Gunkel אֶל־הָעִיר legendum putat; Kittel dubitat. — בֶּטַח = confidenter, secure, cum *urbem* coniungendum est (Buhl aliique), quae talem impetum non exspectabat. — In ℣. 26 לְפִי־חָרֶב *in ore gladii* = in acie gladii „quippe quae oris instar comedere et vorare dicatur" (Gesenius, cf. et Buhl, Fürst ad פֶּה); Dillmann et Gunkel minus bene declarant: „iuxta ius gladii", „iuxta morem belli". — In ℣. 27 pro בְּנֵי habent Samaritanus, Graecus et Syrus וּבְנֵי. Secundum Vulgatam et Strack[2] non Simeon et Levi, sed *ceteri* filii Iacob urbem depopulati sunt; in textu Hebraico et Graeco non indicatur, quot et quales filii Iacob id peregerint; immo iuxta Tuch et Hoberg textus Hebraicus de Simeone et Levi explicari potest. — Pro הַחֲלָלִים *confossi, occisi* (cf. Buhl) Gunkel 335. 342 הַחֹלִים *aegroti (vulnere), debiles* legit; sed versiones antiquae lectionem Masorethicam confirmant, et ℣. 25[b] lectioni Gunkelianae obstat. — In ℣. 29 pro שָׁבוּ וַיָּבֹזּוּ וְאֵת כָּל־ cum Samaritano, Syro, Kittel legendum videtur שָׁבוּ וַיָּבֹזּוּ אֵת כָּל־ i. e. duxerunt captivas, et praedati sunt omne etc. — Pro בַּבָּיִת *in domo* habet Syrus בַּעִיר *in urbe;* LXX autem ἐν τῇ πόλει καὶ ὅσα ἦν ἐν ταῖς οἰκίαις.

℣℣. **30. 31. Quibus patratis audacter** (haec 3 verba in Hebraico et Graeco desunt), *Iacob dixit ad Simeon et Levi: Turbastis me* vel afflixistis me, עֲכַרְתֶּם אֹתִי, *et odiosum fecistis me,* לְהַבְאִישֵׁנִי i. e. me foetidum = odiosum reddendo (Gesenius, Fürst, Buhl), *Chananaeis, et Pherezaeis* (cf. pag. 235) *habitatoribus terrae huius. nos pauci sumus,* וַאֲנִי מְתֵי מִסְפָּר, *ἐγὼ δὲ ὀλιγοστός εἰμι ἐν ἀριθμῷ, illi congregati* contra me (Hebraicus et Graecus) *percutient me, et delebor ego, et domus mea.* [31] *Responderunt* autem (Hebraicus et Graecus): *Numquid ut scorto abuti debuere,* יַעֲשֶׂה (cf. pag. 309) *sorore nostra?* — Iacob Simeonem et Levi vituperat, quod illis se odiosum fecerint, a quibus cum domo exstingui possit; increpati suam agendi rationem, utpote vindictam criminis, excusant.

Recte Simeon et Levi dumtaxat directe increpantur, quia ipsi auctores eversionis urbis Sichem fuerunt. — „Unanimes iam sunt interpretes in condemnandis Simeon et Levi“ (Hummelauer). Et merito quidem. Nam peccarunt dolo (cf. ℣. 13); perfidia, quia cum Hemor et Sichem pacti fuerant (pag. 488); inobedientia, quatenus inscio patre agebant; iniustitia, quia Sichimis auctoritate privata bellum intulerunt; sacrilegio, abutentes circumcisione; crudelitate, eo quod febri vexatos aggressi sunt; excessu vindictae, quia innocentes quoque interfecerunt; temeritate, quatenus patrem domumque eius manifesto periculo obiecerunt. Ita Lapide aliique antiquiores, quibuscum Hummelauer consentit. — Ultimam istam rationem Iacob Simeonem et Levi increpans statim produxit, quia ipsa prae ceteris animos furentium permovere potuit; reliquas rationes tempore magis opportuno attulit. Etenim „severe factum reprobavit Iacob 49, 5ss., Deo inspirante locutus“ (Hummelauer). Quod si Iudith 9, 2s. factum Simeonis celebrat, Hummelauer respondet: „quae non potest demonstrari Deo inspirante locuta esse“; et melius Lapide: „Iudith hic laudat non Simeonis, sed Dei iustitiam, qua permisit trucidari impuros Sichimitas, usus ad hoc audacia et robore aeque ac scelere et perfidia Simeonis et Levi. Sic enim Deus dicitur dare gladium Chananaeis, Turcis et paganis, cum eorum viribus et armis utitur ad puniendum peccata fidelium . . . Dedit Deus gladium, i. e. fortitudinem, Simeoni ad ultionem raptus Dinae, sed non tali modo et perfidia peragendam: sic enim ipsi ea abusi sunt.“ — Holzinger asserit, Simeonem et Levi patri ferociter respondisse, quod assertum neque usu loquendi neque contextu probare potest; immo asserit, iuxta 48, 22 Iacobum facinoris filiorum participem fuisse, quod falsissimum est (cf. ad 48, 22). — In ℣. 30 מְתֵי מִסְפָּר *viri numeri* = viri, qui facile numerari possunt = viri pauci (cf. Bachmann et Gesenius-Kautzsch 422).

Excursus.

De compositione et sensu huius narrationis.

1. De compositione narrationis. Gunkel 335 s. asserit, narrationem in 34, 1—31 consignatam e duplici recensione constare, et assertionem suam sequentibus probare conatur rationibus: *a)* Versus 2^b et 3^a idem referunt atque versus 3^b. Attamen hoc falsum est, uti pag. 486 videre potes. — *b)* Mox Sichem (℣. 4) mox Iacob (℣. 5) mox Hemor (℣. 6) mox filii Iacob (℣. 7), deinde iterum Hemor (℣℣. 8—10) et Sichem (℣. 11 s.) introducuntur, quin nexus horum omnium pateat. Sed perlegas declarationem versuum supra propositam, et apparebit nexus omnium. — *c)* Secundum ℣. 11 s. Sichem ad patrem fratresque Dinae loquitur atque ipsi secundum ℣. 13 ss. respondent filii Iacob; secundum ℣℣. 6 et 8 tamen solus Hemor ad eos locutus est. Non est verum. Etenim in ℣℣. 6 et 8 utique legimus, Hemor ad eos egressum et locutum esse; non autem eum solum, i. e. sine filio id fecisse (cf. logicam de propositionibus excludentibus et non excludentibus). Secundum ℣. 13 vero filii Iacob non solum ad Sichem, verum etiam ad Hemor locuti sunt, ergo ambo praesentes erant. Verba *et Hemor patri eius* in ℣. 13 originaliter defuisse, demonstrare nequeunt sed gratis supponunt. — *d)* Dina bis uxor petitur: iuxta unam relationem ab Hemor (℣℣. 4. 6. 8—10), iuxta alteram a Sichem (℣. 11 s.); Hemor Iacobo filiisque eius connubium generale proponit (℣. 9 s.), Sichem Dinam dumtaxat uxorem petit (℣. 11 s.). Respondeo: in Iud. 14, 1—9 quoque legimus, Samsonem una cum patre et matre puellam petiisse. Sichem pro se unicam filiam Iacob volebat; Hemor vero, tanquam princeps terrae (pag. 486), etiam pro Sichimis alias (cf. pag. 435) filias Israel expetebat, ut ita divitiarum Iacobi participes fierent. — *e)* Iuxta unam recensionem filii Iacob Sichemo incircumciso sororem suam dare nolunt (℣. 14); iuxta alteram connubium oblatum accipere volunt, si Sichimi circumcidantur (℣℣. 15—17). Hanc rationem prorsus ridiculam esse, quilibet logica imbutus statim perspicit. Filii Iacob enim Sichemo *incircumciso* Dinam dare nolentes implicite significarunt, se ei dare velle, *si* circumcideretur:

ita Sichem sententiam eorum reapse intellexit (V. 19). Ergo V. 14 cum VV. 15—17 optime congruit, neque duae adsunt recensiones.

f) Dina in VV. 8 et 17 *filia*, in V. 14 *soror* appellatur. Sed videas pag. 489. — *g)* Iuxta unam recensionem circumcisio Sichemi dumtaxat (V. 14), iuxta alteram omnium Sichimorum postulatur (VV. 15—17). Relegas litt. *d* et invenies causam huius rei. — *h)* Secundum unam relationem Sichem statim se circumcidit (V. 19); secundum alteram Hemor populo circumcisionem persuasit (VV. 18^a. 20—24). At conferas litt. *d* necnon pag. 490, et hanc rationem inanem invenies. — *i)* Eversio urbis dupliciter narratur. Secundum V. 25 s. Simeon et Levi soli Sichemum dumtaxat occiderunt et deinde ex urbe fugerunt; verba *interfectisque omnibus masculis* originaliter non ad V. 25 pertinebat, quia duo viri omnes cives aggredi nequiverunt. Secundum VV. 27—29 omnes filii Iacob Sichimos occiderunt urbemque spoliarunt. Hic plures errores collecti sunt, quibus Gunkel assertum suum demonstrare conatur. Nam falsum est, Simeonem et Levi solos fuisse: nullum textus vocabulum adiutores excludit; immo verba, quae Gunkel per sophisma e V. 25 eliminare vellet, sat clare insinuant, Simeonem et Levi non solos urbem aggressos fuisse (cf. pag. 491). Falsum est, a Simeone et Levi Sichemum dumtaxat occisum esse; V. 25^b contrarium enuntiat. Falsum est, Simeonem et Levi ex urbe fugisse: nec versiones nec textus Hebraicus (וַיֵּצֵאוּ in V. 26; cf. lexicon) fugam narrat. Falsum est, iuxta VV. 27—29 omnes filios Iacob in urbem irruisse (cf. pag. 491). Falsum est, alios filios Iacob contra omnes Sichimos masculos consurrexisse eosque occidisse, nam V. 25^b et V. 27 in cunctis testibus criticis testantur, istos filios Iacob urbem exspoliasse, postquam masculi iam occisi fuerunt: Gunkel contra testimonium Masoretharum cunctarumque versionum textum mutat (cf. supra et pag. 491), ut ita in eo praeconceptam suam opinionem inveniat, neque sibi constat. Qui enim supra negavit, duos filios Iacob in omnes Sichimos irruere potuisse, nunc concedit, undecim filios Iacob, quorum posteriores valde iuvenes erant (cf. pag. 483), omnibus Sichimis necem inferre potuisse, ideoque V. 25^b cum VV. 27—29 connectit.

Hae sunt rationes revera miserabiles, quibus Gunkel compositionem narrationis biblicae comprobat! Ea quae de duabus recensionibus ita comprobatis ultra (336. 338 s.) fabulatur, refutatione indigna sunt.

2. De sensu narrationis. Gunkel 337 cum Wellhausen et Stade narrationem biblicam sine ullo argumento (cf. pag. 478) fabulam dicit eique hunc sensum historicum tribuit: *Simeon* et *Levi* non individua, sed duae tribus Israel sunt; *Sichem* est heros eponymos urbis Sichem; *Hemor* est gens in Sichem habitans; *Dina* est tribus Israel cum Simeon et Levi coniuncta. Postquam tribus Israel in Chanaan venerunt, tribus Dina in Sichem oppressa et ad coniunctionem cum Sichimis coacta est. Tribus Simeon et Levi tribum Dina vindicare volentes in urbem Sichem irruerunt, sed a Chananaeis deletae sunt. Tribus ceterae urbem Sichem non oppugnarunt, ideoque non perierunt. Holzinger 216 ex hoc sensu historico infert, occupationem terrae Chanaan in libro Iosue narratam cum veritate pugnare.

Argumenta, quibus Gunkel sensum istum historicum probat, sequentia sunt: *a)* Secundum Gen. 49, 7 Simeon et Levi propter scelus eorum in Iacob *divisi* et in Israel *dispersi* dicuntur. Verum est. At eo ipso adhuc exsistentes indicantur, non deleti, uti Gunkel extraordinaria logica concludit. *b)* Tempore posteriore Simeon et Levi non amplius exstiterunt. Haec assertio manifestus error est. Levitas in reliquis libris historicis commemorari, res notissima est; tribus Simeon vero non solum in Ios. 19, 1—9 explicite nominatur, verum etiam 3 Reg. 11, 31 exsistens supponitur (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 223).

Usus loquendi, primum principium hermeneuticum, Simeonem et Levi et Dinam necnon Hemor et Sichem evidenter personas individuas nobis proponit, quod etiam rationalistae interpretes concedunt. Gunkel igitur et consentientes cum eo argumentis obiective validis comprobare debuerant, personas istas individuas tamquam personas morales seu tribus intelligendas esse. Talia vero argumenta in libris eorum frustra quaesieris, subiectivas phantasias tantum invenies. Et haec ratio tractandae Scripturae vocitatur scientifica! Verissime in

„Zeitschrift für das Gymnasialwesen“ (Berlin, 1907, pag. 304) scribitur: „Levitas laboris, audax prolatio assertionum, pro quibus nullum argumentum adducitur . . . peccata contra logicam . . . hae sunt proprietates essentiales . . . methodi scientificae.“ Nihilominus ex hac methodo scientifica Holzinger narrationem libri Iosue cum veritate pugnare affirmat!

C. **35.** ℣. **1. Interea locutus est,** וַיֹּאמֶר, *εἶπεν δέ, Deus,* אֱלֹהִים, *ad Iacob: Surge,* קוּם (pag. 321), *et* (deest in Hebraico et Graeco) *ascende Bethel* (pag. 226), *et habita ibi, facque* ibi (Hebraicus et Graecus) *altare Deo,* לָאֵל, *qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum,* LXX accuratius *ἀπὸ προσώπου Ἠσαὺ τοῦ ἀδελφοῦ σου* (pag. 414 ss.). Deus Iacobo mandavit, ut in Bethel h a b i t a r e t, quia incolis regionis Sichem odiosus erat (34, 30; 35, 5); mandavit, ut ibi a l t a r e e r i g e r e t, quemadmodum voverat (28, 22; cf. pag. 419 s.).

Ascende Bethel, inquit, nam Sichem 570 *m*, Bethel vero 881 *m* excelsior est quam aequor maris mediterranei (Gunkel, Holzinger aliique).

℣℣. **2—4. Iacob vero** *convocata omni domo sua, ait,* LXX accuratius *εἶπεν δὲ Ἰακὼβ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ καὶ πᾶσιν τοῖς μετ' αὐτοῦ· Abiicite deos alienos,* אֱלֹהֵי הַנֵּכָר, *qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* [3]*Surgite,* וְנָקוּמָה i. e. et surgamus (pag. 321), *et ascendamus in* (deest *in* in Hebraico, ut ℣. 1) *Bethel, ut faciamus* (in Hebraico: ut faciam) *ibi altare Deo,* לָאֵל: *qui exaudivit me in die tribulationis meae, et socius fuit itineris mei,* in Hebraico: et mecum fuit in via qua ivi. [4]*Dederunt ergo ei* (pro *ei* Hebraicus et Graecus habent *Iacobo*) *omnes deos alienos quos habebant,* LXX accuratius *οἳ ἦσαν ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν, et inaures,* הַנְּזָמִים, *quae erant in auribus eorum: at ille* (pro *ille* Hebraicus et Graecus habent *Iacob*) *infodit ea subter terebinthum,* הָאֵלָה (cf. pag. 225), *quae est post urbem Sichem,* עִם־שְׁכֶם i. e. prope Sichem. — Iacob omnibus qui secum erant praecepit, ut imagines deorum peregrinorum abiicerent, corpora sua mundarent, et vestimentis mundis festivisque ornarent itaque digni evaderent, qui sacrificio Deo Iacobi offerendo interessent. Familia et servi Patriarchae non solum idola, verum etiam inaures i. e. amuleta seu phylacteria ei dederunt, quae omnia in terram infodit.

Domus Iacob = familia Iacob (cf. Gesenium, Fürst, Buhl); ergo *omnes qui cum illo erant* (Hebraicus et Graecus) = servi et ancillae Iacob. Vulgata nimis libera est. — Dii alieni seu peregrini = dii extra Deum Bethel i. e. Deum Abraham et Isaac et Iacob (cf. pag. 415. 418) exsistentes, ergo dii falsi (cf. pag. 418). Holzinger Hegelianismo addictus (cf. pag. 420 s.) putat non esse necessarium, ut Ѷ. 2 sensu monotheistico intelligamus; opinatur Iacobum deos gentium exterarum a suis amovere voluisse, ne deus localis Bethel irritaretur: hanc sententiam falsam esse, pag. 415 et 418 demonstravimus. — *Elohim* in hoc loco imagines deorum (cf. pag. 1) significare, e Ѷ. 4 elucet. — Quod Hummelauer asserit, scilicet *deos alienos* designare posse „per se vel veri numinis idola, vel verum Deum eiusque angelos secundum aliarum gentium ritus et superstitiones cultos et repraesentatos", parum probabile est, si contextum remotum spectamus. — Munditia corporalis fuit symbolum munditiae spiritualis, quod antiquiores et recentiores interpretes confitentur. — Phrasis *faciamus altare* sacrificium in altari offerendum includit (Dillmann), nam ad sacrificandum altaria eriguntur. — Ad verba *Deo, qui exaudivit me . . . et mecum fuit* etc. (Hebraicus) conferas 28, 20 ss. (pag. 419 s.) — *In die*, בְּיוֹם, *tribulationis* = in tempore tribulationis (cf. Gesenius, Fürst, Buhl). — Tradita sunt Iacobo idola et inaures. נֶזֶם *annulus* in naso gestatus Gen. 24, 22. 47 commemoratur (cf. pag. 346 s.); נְזָמִים *annuli* in auribus gestati = inaures hic notantur. Lapide cum S. Augustino, S. Chrysostomo, Lyrano et glossa illas inaures seu phylacteria intelligit, quibus idola in auribus ornabantur; Sanchez (in Is. 44, n. 20) tamen, cui textus Hebraicus et Graecus favet ac recentiores interpretes assentiunt, inaures a famulis Iacobi gestatas intelligit, quibus „effigies vel signa idolorum" insculpta erant (cf. Lapide). — Sed quare Iacob usum idolorum et inaurium seu amuletorum non iam antea interdixit? Lapide putat, illum antea „nec otium et commoditatem" habuisse, sed nunc eam captasse „ex metu Chananaeorum, quo omnes perculsi erant ob stragem editam in Sichimis: metus enim docet homines Deum agnoscere et ad eum confugere". — Quaesitum est, utrum Gen 12, 6 hebr.; 35, 4; Ios. 24, 26 eadem arbor signetur necne. Respondeo: arbor in Gen. 12, 6 hebr. אֵלוֹן = quercus, in Gen. 35, 4 אֵלָה = terebinthus, in Ios. 24, 26 אַלָּה (quidam scribunt אֵלָה) = terebinthus nominatur (cf. Gesenius 50 s.). Propterea arbor in Gen. 35, 4 et Ios. 24, 26 ab arbore in Gen. 12, 6 distinguenda videtur (cf. Buhl, Palästina 202 s.). — Holzinger affirmat, Iacobum idola et amuleta in locum sacrum infodisse, ne numina in idolis et amuletis latentes (dahinter stehenden) se vindicarent. Attamen, parum probabile est, terebinthum locum sacrum fuisse (cf. pag. 225), et omnino improbabile est Iacobum, cultorem unius Dei veri (pag. 418), exsistentiam aliorum deorum se vindicantium credidisse.

ѶѶ. 5—7. **Cumque profecti essent** vel potius proficiscerentur (Hebraicus), *terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes,* LXX accuratius

καὶ οὐ κατεδίωξαν ὀπίσω τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, יַעֲקֹב. [6] *Venit igitur Iacob Luzam, quae est in terra Chanaan, cognomento Bethel,* LXX accuratius *ἥ ἐστιν Βαιθήλ· ipse et omnis populus* qui erat (Hebraicus et Graecus) *cum eo.* [7] *Aedificavitque ibi altare, et appellavit nomen loci illius,* וַיִּקְרָא לַמָּקוֹם i. e. et nominavit locum, *Domus Dei* (ita Graecus et Syrus quoque; in Hebraico אֵל בֵּית־אֵל i. e. Deus Bethel): *ibi enim apparuit ei Deus,* נִגְלוּ אֵלָיו הָאֱלֹהִים, *cum fugeret fratrem suum,* LXX accuratius *ἀπὸ προσώπου Ἠσαὺ* (deest *Ἠσαὺ* in Hebraico) *τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ.* Deus Chananaeis terrorem incussit, ne Iacobum recedentem aggredi, eversionem urbis Sichem ulcisci, captivos liberare auderent. De *Luza—Bethel* videas pag. 417 s.; de populo Iacobum comitante cf. Gen. 30, 43; 34, 28 s. Loco, ubi altare aedificavit, nomen *Bethel* imposuit propter visionem Dei, qua in fuga recreatus fuerat (cf. pag. **417**. **419** s.).

Terror Dei = terror cuius Deus auctor est (cf. grammaticam). Holzinger bene notat, phrasim *terror Dei* ad aliam *timor Isaac* (31, 42. 53) respicere. „Vide, ait S. Chrysostomus, quid mereatur timor Isaac et Iacob, quo ipse timuit Deum, scilicet ut vicissim Deus faciat eum omnibus terribilem" (Lapide). — Dillmann asserit, alii scriptori versum 5, alii versus 4. 6 s. tribuendos esse, cum in ℣℣. 4. 6 s. Iacob, in ℣. 5 autem „plures" proficiscentes subiectum sint. At in ℣℣. 4 et 6 quoque „plures" subiectum sunt. Etiam Holzinger opinionem Dillmanni reprobat. — Lectio textus Graeci, Latini, Syri, iuxta quam Iacob locum altaris simpliciter *Bethel* = *Domus Dei* nominavit, probabilior videtur, quia cum 28, 22 et 35, 15 congruit; nomen lectionis textus Hebraici *El Bethel* mirum est, ut Holzinger non male iudicat. Si quis autem nomen Hebraicum retinere voluerit, cum Lapide dicere poterit, Iacobum altari aedificato quasi titulum inscripsisse *El Bethel* (cf. pag. 485), „hoc est altare dicatum Deo Bethel sive Deo, qui in Bethel quasi in domo sua habitat". — Pro plurali נִגְלוּ scribit Hoberg singularem נִגְלָה; sed videas pag. 1. Non est necessarium, ut cum Dillmann, Gunkel, Hoberg, Hummelauer aliisque in plurali praeter Deum etiam Angelos intelligamus.

℣. 8. **Eodem tempore mortua est,** in Hebraico et Graeco solum וַתָּמָת, *ἀπέθανεν δέ, Debora nutrix Rebeccae* (cf. pag. 355), *et sepulta est ad radices Bethel,* מִתַּחַת לְבֵית־אֵל i. e. infra Bethel, *subter quercum,* תַּחַת הָאַלּוֹן: *vocatumque est nomen loci* (deest *loci* in Hebraico et Graeco) *illius, Quercus fletus.* — Quando et ubi Debora ad Iacobum venerit, hagiographus non indicat. Hebraei, quibuscum Delitzsch[4] consentit, eam (utique cum comitibus)

a Rebecca in Haran missam tradunt, ut Iacobum revocaret (cf. 27, 45; pag. 410 s.). Longaeva mortua et iuxta Bethel sepulta est.

Traditioni Hebraeorum Hummelauer non immerito opponit, Deboram aetate provectiorem fuisse, „quam ut ad tale officium circummitteretur"; ipse cum Caietano censet, Deboram „mortua hoc fere tempore Rebecca" Iacobo obviam venisse: „Rebeccam, quo tempore Iacob nondum Hebronem redierat, supremum diem obiisse, ait, utique colligo e tacita in s. narratione eius morte." — Deboram longaevam obiisse, ex antecedentibus elucet. Iacob in Chanaan revertens erat 97 annorum (cf. pag. 396 et 457); inter reditum in Chanaan et adventum in Bethel plures anni effluxerunt (cf. pag. 483); natus fuit autem Iacob anno 20, postquam Isaac Rebeccam duxerat (cf. pag. 375 et 379): ergo Debora, nutrix Rebeccae, post matrimonium Isaaci et Rebeccae plus quam 120 annos vixit (cf. Strack[2]). Strack tantam longaevitatem Deborae addubitat; sed recentioribus quoque temporibus mulieres quaedam ad tantam longaevitatem pervenerunt, et Hummelauer scribit: „Ceterum adverte, nihil esse in textu, quo affirmetur Debora mortua esse brevi post Iacobi in Bethel adventum"; itaque Deborae maiorem quam nos longaevitatem adiudicat. Dillmann sine argumento et necessitate in 24, 59 et 35, 8 differentiam traditionis statuit. — Tres editiones Clementinae exhibent *super quercum,* Sixtina vero *subter quercum* (cf. epilogum criticum meae editionis Bibliae Sacrae, pag. 74* et 109*); lectionem Clementinam falsam esse, textus Hebraicus תַּחַת et Graecus *ὑπό* necnon ratio demonstrat (cf. ibi pag. 107*). — אַלּוֹן = quercus (Gesenius 50 s.). In Iud. 4, 5 narratur Debora prophetis *sub palma,* תַּחַת־תֹּמֶר, sedisse. Dillmann et Gunkel cum aliis opinantur, illam quercum et hanc palmam eandem arborem fuisse; at usus loquendi opinioni eorum contrarius est. — Quercus propter lamentationem funebrem nomine *quercus fletus* appellabatur.

℣℣. 9—13. Apparuit autem iterum *Deus Iacob postquam reversus est de Mesopotamia Syriae,* מִפַּדַּן אֲרָם (pag. 375 s.), *benedixitque ei* (pag. 16), [10] *dicens,* LXX accuratius *καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ θεός· Non vocaberis ultra Iacob, sed Israel erit nomen tuum* (similiter LXX; in Hebraico autem: nomen tuum est Iacob, non vocabitur nomen tuum ultra Iacob, sed Israel erit nomen tuum). *Et appellavit eum* (pro *eum* in Hebraico legitur *nomen eius*) *Israel,* [11] *dixitque ei* Deus (Hebraicus et Graecus): *Ego Deus omnipotens,* אֲנִי אֵל שַׁדַּי (pag. 271), *cresce, et multiplicare* (pag. 411): *gentes, et populi nationum,* גּוֹי וּקְהַל גּוֹיִם, *καὶ ἔθνη καὶ συναγωγαὶ ἐθνῶν* (pag. 411), *ex te erunt,* et (Hebraicus et Graecus) *reges de lumbis tuis egredientur* (cf. pag. 274 et 279).

[12] *Terramque quam dedi Abraham* (pag. 238. 274) *et Isaac* (pag. 281. 411), *dabo tibi et semini tuo post te* (pag. 411) dabo terram istam (Hebraicus et Graecus). [13]*Et recessit ab eo* LXX accuratius *ἀνέβη δὲ ὁ θεὸς ἀπ' αὐτοῦ ἐκ τοῦ τόπου ο, ἐλάλησεν μετ' αὐτοῦ.* Hagiographus narrans, Deum Iacobo *iterum* in Bethel apparuisse, ad priorem apparitionem (28, 12 ss.; cf. pag. 415 s.) respicit, ut etiam Dillmann iudicat. Hummelauer cum aliis interpretibus censet, nomen *Israelis* prius impositum hoc loco repetitione confirmari (cf. pag. 475 in fine), et cum Bonfrerio rationem affert, „animum fuisse addendum Iacobo uti prius propter timorem Esau ita nunc propter timorem Chananaeorum“. Reliqua in paginis supra indicatis iam explicata sunt. Posteri Iacobi in Hebraico non solum *gens,* גּוֹי, verum etiam *congregatio gentium,* קְהַל גּוֹיִם, vocantur, quatenus numerosi et in tribus distincti futuri erant (cf. Hummelauer).

Hummelauer putat, vocem *iterum* non ad 28, 12 ss., sed ad 35, 1 respicere. Attamen, in 35, 1 Deus Iacobo *locutus esse* (cf. pag. 223), non autem *apparuisse* dicitur. LXX nostram exprimunt sententiam vertentes *ὤφθη δὲ ὁ θεὸς Ἰακὼβ ἔτι ἐν Λουζα,* ad quem textum S. Chrysostomus bene scribit: „Sicut tunc visus est abeunti, ita nunc redeunti apparet in eodem loco.“ — In ℣. 9 post *benedixitque ei* Samaritanus et Graecus addunt *Deus.* — Sensus versus 10 hebr. est: nomen tuum est *Iacob* (pag. 472), sed agnomen tuum erit *Israel* (pag. 475). Pro *et appellavit nomen eius Israel* ex Hebraico etiam vertere possumus *et appellatum est nomen eius Israel* (cf. grammaticam). Quare et quomodo in sequentibus ambo nomina adhibeantur, in introductione exponitur. — Dillmann cum aliis acatholicis opinatur, versum 13 in Hebraico et Graeco verbis ex versu 14 sumptis corruptum, ergo in Vulgata pure conservatum esse.

Gunkel 350 asserit, in hisce versibus aliam recensionem apparitionis Dei in Bethel necnon impositionis nominis Israel contineri; comparat 35, 11 s. cum 28, 13 s. atque 35, 10 cum 32, 27 s.; affirmat, 35, 11 s. ante 35, 10 collocandum esse. Praeter rationes in introductione examinatas affert sequentes: *a)* ℣℣. 11 et 12 ante ℣. 10 collocandi sunt, quia in ℣. 11 Deus nomen suum manifestat, et quia sermo Dei in ℣. 10 relatus in ℣. 9 secundus *(iterum)* nominatur. *b)* Ea quae in ℣℣. 11 s. narrantur, fugienti Iacobo acciderunt, non autem revertenti; nam verba *cresce, et multiplicare* indicant, eum nondum liberos habuisse. — Hae rationes inanes sunt. Etenim *a)* verba *cresce, et multiplicare* in hoc contextu non indicant, Iacobum nondum liberos habuisse. Sicut enim verba *terram dabo tibi* (℣. 12) mediate tantum ad Iacobum, immediate vero ad posteros eius spectant (pag. 238); ita etiam verba *cresce, et multiplicare* immediate ad posteros Iacobi et mediate dumtaxat ad personam eius spectant. Quod ipso ℣. 11

demonstratur. Nam sententia *gentes, et populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur* mediate tantum de Iacobo intelligi possunt. Ergo e verbis a Gunkel citatis non sequitur, in ℣℣. 11s. ea narrari, quae fugienti Iacobo acciderant. *β)* Manifestationem nominis eo ipso initium orationis signare, manifeste cum experientia pugnat. Loquens tam in initio quam in medio et fine orationis nomen suum manifestare potest. *γ)* Illud *iterum* in ℣. 9 significare, sermonem Dei in ℣. 10 relatum post ℣℣. 11s. collocandum esse, omnino falsum est; videas pag. 500.

℣℣. 14. 15. Ille (in Hebraico et Graeco *Iacob*) *vero erexit titulum,* מַצֵּבָה (cf. pag. 417), *lapideum* (deest in Hebraico et Graeco) *in loco quo locutus fuerat ei Deus* (deest *Deus* in Hebraico et Graeco), titulum lapideum (Hebraicus et Graecus): *libans super eum libamina* (in Hebraico et Graeco *libamen*), *et effundens* super eum (Hebraicus et Graecus) *oleum:* [15] *vocansque nomen loci illius, Bethel,* LXX accuratius *καὶ ἐκάλεσεν Ἰακὼβ τὸ ὄνομα τοῦ τόπου, ἐν ᾧ ἐλάλησεν μετ' αὐτοῦ ἐκεῖ ὁ θεός Βαιθήλ.* Post priorem apparitionem Iacob locum *Bethel* nominavit necnon monumentum lapideum erexit illudque oleo infuso consecravit (pag. 417); post alteram apparitionem iterum monumentum lapideum erexit et consecravit statimque super illud vinum sacrificavit atque loco ob hanc quoque apparitionem nomen *Bethel* imposuit.

Hagiographus diserte notat, etiam alterum monumentum fuisse lapideum uti prius ideoque aptum quod altare adhiberetur (cf. pag. 420, supra). — Hoberg cum Winer, Knobel, Wellhausen putat, sententiam *libans super eum libamen* per sequentem *effundens super eum oleum* declarari, ergo utraque consecrationem altaris indicari: melius tamen Dillmann in priore sententia sacrificium vini indicatum censet, quia *libamen,* נֶסֶךְ, communiter effusionem vini significat (cf. Buhl), neque ulla ratio ad relinquendam hanc notionem nos cogit. Quod prius sacrificium ac deinde consecratio altaris narretur, non mirandum est, quia hysterologia saepius in scriptis occurrit. — Hummelauer scribit: „Reapse, Iacob bis vocatus est Israel (Sa), potuit et loco illi bis imponi nomen Bethel; et, si in una ecclesia plura reperiuntur altaria, non est cur Iacob non erexerit duos in uno loco titulos."

Gunkel 344 cum Cornill affirmat: ℣. 14 originaliter cum ℣. 8 immediate coniunctus erat; verba ℣. 14 *in loco quo locutus fuerat ei (Deus)* additamentum redactoris sunt; sepulchrum Deborae (℣. 8) originaliter locus sacer erat; libamentum vini pro mortua destinatum fuit. Similiter Holzinger 217 qui addit, usum libamentorum ad defunctos potandos non solum apud Arabas, Aegyptios, Graecos, Persas, verum etiam apud Israelitas inveniri, quemadmodum Deut. 26, 14; Tob. 4, 18; Eccli. 30, 18

comprobent; in coemeteriis Catholicorum nunc quoque defunctis aquam benedictam spargi! — Contra has affirmationes, quas Dillmann imaginationes nominat, notamus: *a)* innituntur opinioni, quam pag. 418 ss. refutavimus, ideoque cum ea corruunt. *b)* Ne umbra quidem argumenti logice validi afferri potest, quod verba *in loco quo locutus fuerat ei (Deus)* versui 14 serius inserta sint; si autem ad textum originalem pertinent, monumentum non ad sepulchrum Deborae, sed in loco apparitionis Dei erectum est. *c)* Sepulchrum Deborae originaliter locum sacrum fuisse, asserunt quidem sed pro consuetudine sua (cf. pag. 435, infra) non probant. *d)* Israelita sad defunctos potandos libameta obtulisse, ex Deut. 26, 14; Tob. 4, 18; Eccli. 30, 18 non demonstratur: hi loci enim de epulis funebriis vel de eleemosynis in sepultura defunctorum distributis intelligendi sunt (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 626); cultus manium in istis locis non docetur (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 413). *e)* Quare Catholici locis variis aquam benedictam aspergant, Holzinger e formula benedictionis aquae lustralis discere poterat, in qua inter alia haec habentur: „Deus, . . . elemento huic . . . virtutem tuae benedictionis infunde, ut . . . quidquid in domibus vel in locis fidelium haec unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa.“ Conferas Theol. bibl. Vet. Test., pag. 623 ss.

℣℣. **16—18. Egressus autem inde** (in Hebraico: et profecti sunt ex Bethel), *venit verno tempore ad terram quae ducit Ephratam,* at in Hebraico וַיְהִי־עוֹד כִּבְרַת־הָאָרֶץ לָבוֹא אֶפְרָתָה i. e. et erat adhuc *k^ebara* terrae usque Ephratam: *in qua cum parturiret Rachel,* [17] *ob difficultatem partus periclitari coepit,* in Hebraico similiterque in Graeco: et peperit Rachel et partum difficulter edidit; [17] et factum est cum partum difficulter edebat. *Dixitque ei obstetrix: Noli timere quia et hunc habebis filium,* LXX accuratius *καὶ γὰρ οὗτός ἐστιν υἱός.* [18] *Egrediente autem anima prae dolore, et imminente iam morte,* LXX accuratius *ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἀφιέναι αὐτὴν τὴν ψυχήν, ἀπέθνησκεν γάρ, vocavit nomen filii sui* (pro *filii sui* in Hebraico et Graeco *eius*) *Benoni,* בֶּן־אוֹנִי, *id est filius doloris mei* (haec 5 verba in Hebraico et Graeco desunt): *pater vero* eius (Hebraicus et Graecus) *appellavit eum Beniamin,* בִּנְיָמִין, *id est filius dextrae* (haec 4 verba in Hebraico et Graeco desunt). — *Ephrath* vel *Ephrátha* (= fertilitas, a פָּרָה *fructifer fuit*), a qua parum distans Rachel alterum filium peperit, erat nomen antiquius illius loci in tribu Iuda, qui postea *Bethlehem* (בֵּית לֶחֶם i. e. domus panis appellatus est (cf. Gen. 35, 19; 48, 7; Ruth 1, 2; 1 Reg. 17, 12; Mich. 5, 2). Gesenius 195 putat, *Ephrátha* non solum antiquius nomen

oppidi fuisse verum etiam regionem circumiacentem designasse. Probabilius *Ephrátha* sensu stricto territorium vel regionem, *Bethlehem* vero urbem in ea regione sitam significasse videtur (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 590; Nowack ad Micha 210). Nam principes sacerdotum et scribae populi ab Herode congregati verba Michaeae 5, 2 *Et tu Bethlehem Ephratha* sic reddiderunt *Et tu Bethlehem terra Iuda* (Matth. 2, 6), ergo *Ephratham* regionem urbis acceperunt (cf. Bisping ad Matth. 2, 6). Quare autem illi loco haec nomina imposita sint, ex 1. libro Paralipomenon colligere possumus. Ibi enim legimus: „accepit uxorem Caleb, Ephratha: quae peperit ei Hur (2, 19); Hi erant filii Caleb, filii Hur primogeniti Ephratha, Sobal pater Cariathiarim. Salma pater Bethlehem (2, 50 s.); isti sunt filii Hur primogeniti Ephratha patris Bethlehem“ (4, 4). Conferas pag. 201, lit. *a*, et Holzinger 218. — Nomen כִּבְרָה, quod Gen. 35, 16; 48, 7 et 4 Reg. 5, 19 tantum occurrit secundum recentiores interpretes mensuram viae significat (cf. Gesenius, Fürst, Buhl), forsitan ca. 1 *km* (cf. ℣. 19); a כָּבַר *multus* vel *longus fuit* derivatum proprie longitudinem vel spatium significat. Vulgata in Gen. 35, 16; 48, 7 *verno tempore* (a בָּכַר = primus fuit), in 4 Reg. 5, 19 autem *electo tempore* (a בָּרַר = elegit) habet, quas versiones et derivationes interpretes recentiores recte reiiciunt. — *Beniamin* (= filius, בֵּן, dextrae, יָמִין) absolute reddi potest filius roboris (cf. Gesenius 219) vel filius plagae australis (cf. יָמִין in lexico) vel filius felicitatis, quatenus „dextra manus boni ominis erat“, quod e lingua Araba elucet (Gesenius 599); ob contextum tamen ultima significatio retinenda videtur, quia nomini *Benoni* (= filius, בֵּן, doloris mei, אוֹנִי, cf. אָוֶן) opponitur. Similiter Dillmann, Hummelauer, Hoberg.

LXX versum 16 sic exhibent *ἀπάρας δὲ Ἰακὼβ ἐκ Βαιθὴλ ἔπηξεν τὴν σκηνὴν αὐτοῦ ἐπέκεινα τοῦ πύργου Γάδερ* (cf. ℣ 21 Vulgatae). *Ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἤγγισεν χαβραθὰ εἰς γῆν ἐλθεῖν Ἐφραθά, ἔτεκεν Ῥαχὴλ κτλ.* — לָבוֹא proprie *ad venire* = usque (cf. Buhl ad בּוֹא). — *Noli timere* est „formula. qua animum alicuius confirmant“ (Gesenius 622). — Gunkel opinatur, בֶּן־אוֹנִים = filius gemituum (cf. אָנָה) scribendum esse; sed iam LXX *υἱὸς ὀδύνης μου* reddunt. Rachel filium suum alterum ita appellavit, quia sibi dolorem et mortem attulit; „sed pater Iacob vocavit eum Beniamin, idque post mortem matris, ut ostenderet se aequo animo illam ferre . . . hac spe et nomine, quod futurus esset Beniamin . . . hoc est

felix ac validus, licet in senectute patris esset genitus" (Lapide). Gunkel et Holzinger cum Stade sine ullo argumento asserunt, Beniamin originaliter idem fuisse ac filius plagae australis.

℣℣. 19. 20. Mortua est ergo Rachel, *et sepulta est in via quae ducit* (deest *quae ducit* in Hebraico et Graeco) *Ephratam, haec est Bethlehem.* [20]*Erexitque Iacob titulum,* מַצֵּבָה, *super sepulchrum eius: Hic est titulus monumenti* vel sepulchri *Rachel, usque in praesentem diem,* עַד־הַיּוֹם. Iuxta traditionem Iudaeorum, Christianorum, Muhamedi sectatorum (cf. Dillmann) sepulchrum Rachelis inter Ierusalem et Bethlehem situm est, ab altera hac urbe ca. 1 *km* distans (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 76).

Contra istam traditionem Dillmann, Gunkel, Holzinger aliique ad 1 Reg. 10, 2 atque Ier. 31, 15 provocant asserentes, iuxta aliam traditionem sepulchrum Rachelis a septentrione Ierusalem fuisse. Perperam. Secundum 1 Reg. 10, 2 Samuel ad Saul dixit quidem: *Cum abieris hodie a me, invenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus,* בִּגְבוּל, *Beniamin, in Meridie, dicentque tibi* etc. Sed Hummelauer locum sic explicat: „*in finibus Beniamin* i. e. prope fines Beniamin, nam hunc quoque sensum praepositio בְּ habet, et locus Sauli describitur per illud, quod ipse prae ceteris norat, suae tribus fines": ergo textus de sepulchro inter Bethlehem et fines Beniamin sito intelligi potest. Apud Ieremiam 31, 15 *Haec dicit Dominus: Vox in excelso,* בְּרָמָה, *audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt:* „ergo, inquiunt, Rachel prope Ramam Beniamin sepulta erat. Sed Rachelis lamentatio non e sepulchro resonat, sed ex loco in quo ipsa praesens adest posteris iamiam in exsilium deducendis . . . Insuper vox hebr. (בְּרָמָה) cum Vulgata verti potest *in excelso,* ut Rachel supponatur de colle quodam filiorum miseriam contemplans . . . Certe, quod Matthaeus textum applicaverit caedi innocentium in Bethlehem factae, indicat intimiorem aliquem inter Rachel et Bethlehemitas exstitisse nexum, qui alius esse non potest a situ sepulchri." Ita Hummelauer (ad 1 Reg. 10, 2). Ceterum Deus, uti veritas et veracitas essentialis, sibi contradicere nequit; atqui in Gen. 35, 19 per hagiographum (cf. pag. 35. 37) diserte testatur, Rachelem in Ephratha-Bethlehem (cf. pag. 503) sepultam esse: ergo per Ieremiam contrarium asserere nequit. Verba Samuelis autem, si divino testimonio reapse contraria essent, illud infringere non possent. — Sepulchrum Rachelis hodie quoque ca. 1 *km* a Bethlehem distans monstratur. Saeculo XV p. Ch. n. et deinceps saepius restauratum atque 1841 vestibulo auctum est. Videas Benzinger-Baedeker (Palästina, pag. 118 s.) et Theol. bibl. Vet. Test., pag. 76 s., ubi imago eius conspicitur.

℣℣. 21. 22ª. Egressus inde, in Hebraico: et profectus est Israel et, *fixit tabernaculum* suum (Hebraicus et Graecus)

trans Turrem gregis, מִגְדַּל־עֵדֶר. [22]*Cumque habitaret in illa regione,* LXX accuratius ἐγένετο δὲ ἡνίκα κατῴκησεν Ἰσραὴλ ἐν τῇ γῇ ἐκείνῃ, *abiit Ruben, et dormivit cum Bala concubina patris sui: quod illum minime latuit.* Loco 4 ultimorum verborum legimus in Hebraico וַיִּשְׁמַע יִשְׂרָאֵל i. e. et audivit Israel; in Graeco autem καὶ ἤκουσεν Ἰσραήλ, καὶ πονηρὸν ἐφάνη ἐναντίον αὐτοῦ. Turres pro custodibus gregum aedificatae etiam alibi (4 Reg. 17, 9; 18, 8; 2 Par. 26, 10; Dillmann) commemorantur; haec turris, ultra quam Iacob habitabat, inter Bethlehem et Hebron (cf. ℣. 27) sita esse videtur (Lapide, Dillmann, Hummelauer). In ea regione Ruben opus foedissimum operatus est, quo primogenitura se indignum reddidit (cf. 49, 4).

„S. Hieronymus, Tostatus, Adrichomius et alii putant, iuxta hanc turrim apparuisse angelum pastoribus vigilantibus super gregem suum“ (Lapide); etiam Gesenius 268 putat, hanc turrim in vicinia Bethlehemi fuisse. Gunkel et Holzinger cum aliis (cf. Dillmann) propter Mich. 4, 8 opinantur, turrim in Ierusalem vel saltem iuxta eam fuisse, cui opinioni LXX versum 21 antea collocantes (cf. pag. 503) favent, sed Dillmann, Hummelauer, Hoberg recte contradicunt, quia Michaeas „per tropum, aenigmatice et parabolice“ Ierusalem turrim gregis vocat (Lapide). — Hummelauer scribit: „Fortasse ibi (i. e. ad turrim gregis) Iacob greges reliquit, dum patrem salutatum properaret; quo absente Ruben nactus est occasionem incestus committendi.“ Et Lapide asserit: „Balam autem deinceps Iacob deseruit nec eam amplius attigit, utpote hoc incestu pollutam, sicuti David abstinuit concubinis, quas Absalon incestarat“ (2 Reg. 16, 22 coll. 20, 3). — Holzinger affirmat, post verba hebr. *et audivit Israel* originaliter obiurgationem adiunctam fuisse ut 34, 30 s.: reapse LXX breve additamentum actionem vituperans exhibent, quod forsitan genuinum est. — Idem Holzinger opinatur, narrationi hunc sensum possibilem subesse, videlicet tribum Balae a tribu Ruben modo iniusto subactam esse; at usus loquendi et contextus huic opinioni contrarii sunt: non de tribubus, sed de individuis hagiographus loquitur (cf. pag. 495). — In ℣. 22 a verbo וַיִּשְׁכַּב usque יִשְׂרָאֵל (post quam vocem in textu Masorethico spatium vacuum relinquitur) duplex accentuatio habetur. Secundum Gesenius-Kautzsch 60 Masorethae innuere voluerunt, versum 22 cum verso 23 in unum coniungendum et verba offendentia cito percurrenda esse.

℣℣. 22b—26. **Erant autem filii Iacob** *duodecim.* [23]*Filii Liae: primogenitus* Iacobi (Hebraicus et Graecus) *Ruben, et Simeon, et Levi, et Iudas, et Issachar* (cf. pag. 434), *et Zabulon.* [24]*Filii (autem* addunt Samaritanus, Graecus, Syrus) *Rachel:*

Ioseph et Beniamin. [25]*Filii* (*autem* addunt Hebraicus et Graecus) *Balae ancillae Rachelis: Dan et Nephthali.* [26]*Filii* (*autem* addunt Hebraicus et Graecus) *Zelphae ancillae Liae: Gad et Aser: hi sunt filii Iacob, qui nati sunt ei* (יֻלְּדוּ־לוֹ, Ball et Kittel cum Samaritano et Syro; Masorethicus יֻלַּד־לוֹ) *in Mesopotamia Syriae,* בְּפַדַּן אֲרָם (pag. 375 s.). „Recenset hîc Moses posteros Israelis, quasi semen electum, ut eos opponat posteris Esau, quasi reiectitiis, quos recenset cap. sequenti" (Lapide). Enumeratio filiorum Iacob hoc loco inseritur quia in antecedentibus nativitas ultimi filii eius narratur, in subsequentibus autem (℣. 29) Esau inducitur. Enumerantur primo filii Liae, deinde filii Rachelis, tertio filii ancillae Rachelis, denique filii ancillae Liae: iuxta aetatem eorum; Dina filia tacetur (cf. 29, 32—30, 24). Videas in pag. 201. tabulam. „Quia omnes excepto Beniamin nati fuerant in Padan Aram, et exceptionem manifestaverat, ideo sciens Moyses sermonem suum intelligi, subintellecta hac exceptione, dixit enumeratis omnibus filiis: qui nati sunt in Padan Aram" (Caietanus).

In ℣. 25 tres editiones Clementinae *Bale,* sed Sixtina cum aliis editionibus recte *Balae* impressum exhibent (cf. epilogum criticum meae editionis Bibliae Sacrae, pag. 74* et 109*). — De יֻלַּד videas Gesenius-Kautzsch 393. — Dillmann, Gunkel, Holzinger asserunt, iuxta ℣. 26 etiam Beniamin in Paddan Aram natum esse, aliter ac ℣. 16 ss. narrant. At bene eis Hoberg opponit: „Historiographus, qui Genesim e multis scriptis sibi praeiacentibus musive composuisset, naturaliter, si unus auctorum suorum Beniaminum in Paddan Aram natum scripsisset, hanc circumstantiam hic tacuisset, ne ‚harmoniam' laboriose constructam turbaret. Sic vero haec asperitas propositionis argumentum historicae fidelitatis rei totius est."

℣℣. 27—29. Venit etiam vel potius autem Iacob (Hebraicus et Graecus) *ad Isaac patrem suum in Mambre* (cf. pag. 239), *Civitatem Arbee,* קִרְיַת הָאַרְבַּע, *haec est Hebron* (cf. pag. 333 s.): *in qua peregrinatus est Abraham et Isaac.* [28]*Et completi sunt,* LXX accuratius ἐγένοντο δέ, *dies Isaac centum octoginta annorum.* [29]*Consumptusque aetate mortuus est,* in Hebraico: et exspiravit Isaac et mortuus est (cf. pag. 365): *et appositus est populo suo senex et plenus dierum* (cf. pag. 365): *et sepelierunt eum Esau et Iacob filii sui.* — Iacob erat 91 annorum, quando Ioseph natus est (pag. 396); 108 annorum, quando Ioseph 17

annos natus (37, 2) venditus est; 120 annorum, quando Isaac mortuus est (25, 26 coll. 35, 28): ergo Isaac post venditionem Ioseph adhuc 12 annos vixit (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 76. 78). Quemadmodum Isaac et Ismael patrem Abraham in spelunca duplici (pag. 336 s.) sepelierunt (25, 9), ita Esau et Iacob patrem Isaac in eodem sepulchro (49, 31) condiderunt.

Iacob erat 97 annorum, quando in Chanaan rediit (cf. pag. 396) et 120 annorum, quando Isaac obiit (cf. supra): ergo inter reditum Iacobi et mortem Isaaci 23 anni transierunt. Lapide putat, Iacobum post reditum suum per 10 annos seorsum a patre suo peregrinatum esse (cf. pag. 483 ss.), anno autem 107 aetatis suae (quo Rachel mortua et Beniamin natus est) Hebronem ad patrem suum venisse et stabiliter per 13 annos cum eo habitasse. Cum hac computatione 37, 2. 14 bene congruunt. Ergo venditio Ioseph (cf. supra) chronologice inter 35, 27 et 35, 28 collocanda esset: coniunguntur tamen adventus Iacobi in Hebron et mors Isaaci, ne sequens narratio interrumpatur (cf. Strack[2]). — Hoberg minus recte opinatur, Iacobum ad mortem patris Hebronem venisse. — Esau, qui temporaliter in Seir habitaverat (cf. pag. 466), illo tempore cum patre fratreque habitavit (cf. 36, 6—8). — Dillmann (quem Holzinger sequitur) ad 26, 34; 27, 46; 28, 1 ss. appellans asserit, Iacobum 40—50 annos natum in Paddan Aram fugisse: ergo inter istam fugam et mortem Isaaci vel descensum Iacobi in Aegyptum ca. 80 annos praeteriisse. At iuxta praecepta logica loci citati probant quidem, Iacobum post annum 40, non probant vero, eum ante annum 50 aetatis suae fugisse (videas textus); ex aliis autem locis discimus, eum anno 77 in Paddan Aram profectum esse (cf. pag. 396), quare etiam acatholici (cf. Dillmann) nobiscum consentiunt. — In Ṽ. 27 habent Graecus et Syrus *Χεβρὼν ἐν γῇ Χανάαν*. In Ṽ. 28 reddunt LXX *αἱ ἡμέραι Ἰσαὰκ ἃς ἔζησεν*.

4. Sectio. Generationes Esau, 36, 1—43.

In paenultima sectione uxores et filii Esau (36, 2—5), immigratio eorum in Seir (36, 6—8), nepotes Esau (36, 9—14), duces filiorum Esau (36, 15—19), filii et nepotes Seir Horraei (36, 20—28), duces Horraeorum (36, 29 s.), reges Edomitarum (36, 31—39), duces Edomitarum (36, 40—43) enumerantur.

C. **36. Ṽ. 1. Hae sunt autem generationes,** וְאֵלֶּה תֹּלְדוֹת (pag. 43) *Esau, ipse est Edom* (pag. 381 s.). In ṼṼ. 9 et 43 Esau = Edom vocatur pater seu progenitor „gentis Edomiticae“ (Hummelauer cum Dillmann), quae assertio versui 1 non contraria est.

ŸŸ. **2. 3. Esau accepit** vel potius acceperat (cf. grammaticam) *uxores de filiabus Chanaan: Ada,* עָדָה, *filiam Elon,* אֵילוֹן, Ἐλώμ, *Hethaei, et Oolibama,* אָהֳלִיבָמָה, Ὀλιβεμά, *filiam Anae,* עֲנָה, *filiae Sebeon,* בַּת־צִבְעוֹן, τοῦ υἱοῦ Σεβεγών, *Hevaei,* הַחִוִּי, τοῦ Εὑαίου, [3] *Basemath,* בָּשְׂמַת, *quoque filiam Ismael sororem Nabaioth,* נְבָיוֹת (pag. 374). In 26, 34 et 28, 9 uxores Esavi aliis nominibus recensentur, scilicet: *duxit uxores Iudith filiam Beeri Hethaei, et Basemath filiam Elon eiusdem loci* vel potius Elon Hethaei (cf. pag. 395), *Maheleth filiam Ismael filii Abraham, sororem Nabaioth* (cf. pag. 412). Quomodo haec differentia declaranda est? Strack[2] 132 scribit: „Nomina, praesertim nomina feminarum, in Oriente valde volubilia fuerunt atque adhuc sunt.“ Propterea cum Caietano, Lapide, Hummelauer aliisque (cf. Dillmann) censeo, tres uxores Esavi binomines fuisse: Iudith (26, 34) etiam Oolibama (36, 2), Basemath (26, 34) etiam Ada (36, 2), Maheleth (28, 9) etiam Basemath (36, 3) vocatam esse.

Tertia uxor tam 28, 9 quam 36, 3 filia Ismael et soror Nabaioth, primogeniti Ismael (pag. 374) dicitur; duo nomina eius quoad litteras diversa idem significant: *Maheleth* = cithara (Gesenius) = suavis (Fürst), *Basemath* = suave olens (Gesenius) = suavis (Fürst). Secunda in 26, 34 Basemath filia Elon Hethaei vocatur, quae eadem est atque Ada filia Elon Hethaei in 36, 2; *Basemath* = suave olens = suavis (supra), *Ada* = ornatus, pulchritudo (Gesenius, Fürst): ergo haec quoque nomina idem significant. Prima in 26, 34 Iudith filia Beeri Hethaei appellatur, quam eandem esse iudicamus atque Oolibama filiam Anae filiae Sebeon Hevaei in 36, 2; *Iudith* = laudata (Gesenius), *Oolibama* = tentorium excelsi (Gesenius): ergo idem quasi sensus. Probabiliter etiam *Beeri* = explicans (Fürst) vel fontanus (Gesenius) et *Ana* = respondens (cf. עָנָה *respondit*) duo nomina eiusdem viri sunt (cf. Ÿ. 24 s.); Hummelauer suggerit, Beeri filium Anae fuisse, quod ob ŸŸ. 14. 18. 24 s. non probabile est. Pro *filiae Sebeon* aut legendum est *filii,* בֵּן, *Sebeon* (Samaritanus, Graecus, Syrus; Hummelauer, Kittel) aut vertendum *filia,* בַּת = neptis, *Sebeon* (Strack[2]), quia Ana non femina sed vir fuit (cf. Ÿ. 24 s.). Sed quomodo Beeri = Ana in 26, 34 Hethaeus, in 36, 2 Hevaeus, in 36, 20 Horraeus nominari potest? Respondeo: Hethaei et Hevaei erant Chananaei (cf. pag. 194 s. et 36, 2) et iam antiquitus confundebantur; ita 26, 34 Elon in textu Masorethico et Latino Hethaeus, in Samaritano et Graeco et Syro autem Hevaeus vocatur (cf. pag. 395). Quare 36, 2 quoque falso Hevaeus scriptus fuerit, cum 27, 46 duae priores uxores Esavi diserte *filiae Heth* appellentur. *Horraei,* חֹרִי, = trogloditae, in cavernis habitantes (Gesenius, Buhl aliique, quibus Gunkel 355 frustra contradicit)

nominabantur homines, „qui antiquissimo tempore montana Seir rupibus excavatis abundantia“ habitabant (Gesenius 458). De origine eorum nihil scimus; „quid, si ii fuerint ramus aliquis magnae Hethaeorum familiae?“ Ad hanc interrogationem Hummelaueri affirmative respondendum videtur, quo facto elucet, quare Beeri-Ana tam Hethaeus quam Horraeus nominari potuerit. — Hummelauer 519 „textum misere corruptum“ censet, quapropter Hoberg eum emendavit. In 28, 9 pro *Maheleth* ponit *Basemath;* in 26, 34 pro *Basemath* scribit *Ada* atque pro *Iudith* emendat *Oolibama.* Ad cap. 36 autem notat: in ℣. 25 *Oolibama* originaliter fili*um* Anae, additamento tamen posteriore fili*am* declaratam esse; hanc genealogiam deinde in ℣. 2 insertam esse, ita ut e viro Ana mulier facta *(filiam Anae filiae Sebeon)* et nomen *Beeri* deletum sit; in ℣. 2 loco *Oolibama filiam Anae filiae Sebeon Hevaei* legendum esse „Oolibama filiam Beeri Hethaei“; simili modo etiam ℣. 14 et 18 emendandos esse. Verumtamen, hae emendationes neque necessariae sunt neque argumentis criticis confirmari possunt (cf. ℣. 24s.). — Dillmann cum aliis asserit, in ℣. 2 loco *Hevaei* legendum esse *Horraei,* ideoque verba *de filiabus Chanaan* (℣. 1) non amplius in contextum quadrare, eo quod una tantum uxor Chananaea fuerit: at videas pag. 508. Idem Dillmann, Strack[2] aliique diversitatem nominum e variis fontibus declarare volunt, quod non necessarium est, uti vidimus. Ceterum in 26, 34; 28, 9; 26, 2s. idem Deus inspirans per hagiographum loquitur, qui falsa vel contradictoria enuntiare nequit (cf. pag. 35. 37).

℣℣. 4. 5. **Peperit autem Ada** Esavo (Hebraicus et Graecus), *Eliphaz:* et (Hebraicus et Graecus) *Basemath genuit Rahuel,* רְעוּאֵל, Ῥαγουήλ· [5]et (Hebraicus et Graecus) *Oolibama genuit Iehus,* יְעוּשׁ (ita k^e^rê, Samaritanus et versiones; k^e^thibh יְעִישׁ) *et Ihelon,* יַעְלָם, Ἰεγλόμ, *et Core,* קֹרַח, Κόρε. *hi filii Esau qui nati sunt ei in terra Chanaan.* Filiae Esavi (℣. 6) tacentur (Hoberg; cf. pag. 508).

℣℣. 6—8. **Tulit autem Esau** *uxores suas et filios et filias, et omnem animam domus suae, et substantiam,* מִקְנֵהוּ i. e. pecora sua (pag. 234), *et pecora,* כָּל־בְּהֶמְתּוֹ i. e. omnia armenta sua, *et cuncta quae habere poterat,* כָּל־קִנְיָנוֹ אֲשֶׁר רָכַשׁ i. e. omnem possessionem quam acquisierat, *in terra Chanaan: et abiit in alteram regionem* (in Hebraico *alteram* deest; Samaritanus et Graecus habent: et abiit e terra Chanaan; Syrus: et abiit in terram Seir), *recessitque* (deest in Hebraico et Graeco) *a fratre suo Iacob,* LXX accuratius ἀπὸ προσώπου Ἰακὼβ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. [7]*Divites enim erant valde, et simul habitare non poterant,* LXX accuratius ἦν γὰρ αὐτῶν τὰ ὑπάρχοντα πολλὰ τοῦ οἰκεῖν ἅμα· *nec sustinebat eos,* LXX accuratius καὶ οὐκ ἐδύνατο . . .

φέρειν αὐτούς, terra peregrinationis eorum prae multitudine, מִפְּנֵי i. e. a conspectu (= propter), *gregum* e o r u m (Hebraicus et Graecus). [8]*Habitavitque Esau in monte Seir,* E s a u (Hebraicus et Graecus) *ipse est Edom.* — Post mortem patris Isaaci (pag. 507) Esau cum uxoribus et liberis, servis et ancillis, animalibus ceterisque rebus sibi propriis terram Chanaan posteris Iacobi promissam (pag. 404 s.), reliquit; nam fructus terrae, in qua alii quoque homines habitabant (pag. 235), pro ambobus fratribus valde divitibus (pag. 444. 466. 480) non sufficiebant (pag. 234). Profectus est autem in regionem *Seir* (pag. 242. 379) seu *Edom* (pag. 466), in qua iam antea temporaliter habitaverat (pag. 466. 507).

Hummelauer 519, quem Hoberg sequitur, scribit: „Cum Esau iam 32, 3 exhibeatur incolens in Seir, patet ante patris obitum eo secessisse (Aug.); ad patris tamen funus e Seir Hebronem venit . . . Sane e bonorum divisione (Per.) post funus in Chanaanitide facta plura cessere Esau, q u a e i p s e n u n c a b s t u l i t; a l i a a n t e a b s t u l e r a t." Haec assertio cum claris verbis textus sacri pugnat (cf. pag. 466; Dillmann, Strack² 120). — In ℣. 8 cum Syro *in terram Seir* legendum videtur (Dillmann, Kittel).

℣℣. 9. 10. Hae autem sunt generationes (cf. ℣. 1) *Esau patris Edom in monte Seir,* [10]*et haec,* וְאֵלֶּה (ita etiam 3 manuscripta Hebraica, Samaritanus, Graecus, Syrus; Masorethicus וְ omittit) *nomina filiorum eius* (pro *eius* in Hebraico et Graeco *Esau*): *Eliphaz filius Ada uxoris Esau: Rahuel quoque* (deest *quoque* in Hebraico) *filius Basemath uxoris eius* (pro *eius* in Hebraico et Graeco *Esau*). — Filii uxoris Oolibama hic non enumerantur, quia hagiographus filios eorum non recenset (cf. ℣. 14. 18), ut Dillmann et Hoberg putant.


℣℣. 11. 12. Fueruntque Eliphaz filii: *Theman,* תֵּימָן, *Θαιμάν, Omar,* אוֹמָר, *᾿Ωμάν, Sepho,* צְפוֹ, *Σωφάρ, et Gatham,* וְגַעְתָּם, *Γοθόμ, et Cenez,* וּקְנַז, *καὶ Κενέζ.* [12]*Erat autem Thamna,* תִּמְנָע (cf. ℣. 22), *concubina Eliphaz filii Esau: quae peperit ei* (pro *ei* in Hebraico et Graeco *Eliphaz*) *Amalech,* עֲמָלֵק, *᾿Αμαλήκ. hi sunt filii Ada uxoris Esau.* — Hummelauer cum Knobel et Dillmann notat: „*Theman,* a quo terra Themanorum ℣. 34 nomen duxit, gentis ob sapientiam celebratae (Ier. 49, 7. 20; Ez. 25, 13; Bar. 3, 22) . . . Textus eam terram copulant cum monte Pharan (Hab. 3, 3) et opponunt Dedan (Ez. 25, 13). *Amalech* in Seir

natus cum Amalech in Negeb habitante (cf. pag. 242) non confundendus est (Dillmann, Hummelauer). Verba *hi sunt filii Ada* (etiam in ℣. 16) ad Amalech quidem non spectant; sed „a potiore fit denominatio“.

℣. 13. Filii autem Rahuel hi (Hebraicus et Graecus): *Nahath,* נַחַת, *Ναχόμ, et Zara,* זֶרַח, *Ζάρε, Samma,* שַׁמָּה, *Σομέ, et Meza,* וּמִזָּה, *καὶ Μοζέ. hi* erant (Hebraicus et Graecus) *filii Basemath uxoris Esau.*

℣. 14. Isti quoque erant filii Oolibama *filiae Anae filiae* (lege cum Samaritano, Graeco et Syro *filii*) *Sebeon, uxoris Esau, quos genuit ei,* LXX accuratius *ἔτεκεν δὲ τῷ Ἠσαύ, Iehus et Ihelon et Core.* Videas ℣. 5 et pag. 508 s.

Addimus tabulam filiorum et nepotum Esau.



℣℣. 15—19. Hi duces, אַלּוּפֵי, *filiorum Esau: Filii Eliphaz primogeniti Esau: dux,* אַלּוּף, *Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez,* [16]*dux Core, dux Gatham, dux Amalech. hi filii,* אֵלֶּה אַלּוּפֵי, *οὗτοι ἡγεμόνες* (cf. ℣. 17), *Eliphaz in terra Edom, et* (deest *et* in Hebraico et Graeco; cf. ℣. 17) *hi filii Ada.* [17]*Hi quoque filii Rahuel filii Esau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza. hi autem* (deest *autem* in Hebraico et Graeco) *duces Rahuel in Terra Edom: isti filii Basemath uxoris Esau.* [18]*Hi autem filii Oolibama uxoris Esau: dux Iehus, dux Ihelon, dux Core. hi duces Oolibama filiae Anae uxoris Esau.* [19]*Isti sunt filii Esau, et hi duces eorum: ipse est Edom.* — אַלּוּף inter alia ducem familiae (אֶלֶף) vel tribus significat et „imprimis de phylarchis Idumaeorum“ adhibetur (Gesenius 105). In textu 14 enumerantur, qui duces familiarum et tribuum facti sunt; sed in ℣. 16 verba *dux Core* cum Samaritano delenda sunt, ut plerique interpretes censent, quia Core non filius Eliphaz, sed filius Oolibama erat (℣. 14): ergo 13 duces filiorum Esau remanent.

℣℣. **20. 21. Isti sunt filii Seir Horraei,** *habitatores terrae: Lotan,* לוֹטָן, *et Sobal,* וְשׁוֹבָל, *et Sebeon,* וְצִבְעוֹן, *et Ana,* וַעֲנָה, [21]*et Dison,* וְדִשׁוֹן, *et Eser,* וְאֵצֶר, *καὶ Σάαρ, et Disan,* וְדִישָׁן, *καὶ Ῥεισών. hi duces Horraei, filii Seir in Terra Edom.* — Posteri cuiusdam Horraei (cf. pag. 509) nomine Seir (cf. pag. 379) erant primi habitatores illius terrae, in quam Esau cum suis immigravit (Dillmann, Hummelauer, Hoberg, cum Calmeto aliisque), quamque ab eo postea Edom nominarunt (pag. 466).

In ℣. 20 pro אֵלֶּה Samaritanus, Graecus et Syrus legerunt וְאֵלֶּה (cf. Kittel). Duces Horraeorum tam hic quam ℣. 29 s. enumerantur.

℣. **22. Facti sunt autem filii Lotan:** *Hori,* חֹרִי, *et Heman,* וְהֵימָם, *καὶ Αἱμάν· erat autem soror Lotan, Thamna* (cf. ℣. 12).

℣. **23. Et isti filii Sobal:** *Alvan,* עַלְוָן, *Γωλών, et Manahat,* וּמָנַחַת, *et Ebal,* וְעֵיבָל, *καὶ Γαιβήλ, et Sepho,* שְׁפוֹ, *Σώφ, et Onam,* וְאוֹנָם, *καὶ Ὠμάν.*

℣℣. **24. 25. Et hi filii Sebeon:** *Aia,* וְאַיָּה (Samaritanus et versiones וְ omittunt), *Ἀιέ, et Ana,* וַעֲנָה, *καὶ Ὠνάν. Iste est Ana,* עֲנָה, *Ὠνᾶς, qui invenit aquas calidas,* הַיֵּמִם, *τὸν Ἰαμείν, in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon,* לְצִבְעוֹן, *patris sui:* [25]*habuitque filium Dison, et filiam Oolibama,* LXX accuratius *οὗτοι δὲ υἱοὶ Ἀνά· Δησών,* דִּשֹׁן, *καὶ Ὀλιβεμὰ θυγάτηρ Ἀνά.* — Iuxta Vulgatam Ana, filius Sebeon (℣. 24), filium Dison filiamque Oolibama habuit (℣. 25). At interpretes recentiores e contextu (cf. ℣℣. 20—30) recte colligunt, in ℣. 25 non Anam, filium Sebeon (℣. 24), sed Anam, filium Seir Horraei (℣. 20) intelligendum esse. Sed quomodo Oolibama bis (℣℣. 2 et 14) filia Anae filii Sebeon vel filia Anae, filia Sebeon (cf. pag. 508) nominari potest? Gunkel, Holzinger aliique verba *filii* vel *filia Sebeon* tam in ℣. 2 quam in ℣. 14 glossam „cuiusdam versum 25 negligenter legentis“ declarant, sed assertionem suam non demonstrant: „quod autem gratis asseritur, gratis negatur“. Alia explicatio, quam saltem ex parte iam Delitzsch et Dillmann insinuarunt, multo probabilior est. Retineo, mulierem Oolibama fuisse *filiam Anae filii Sebeon* (℣℣. 2 et 14); considero, Oolibama fuisse etiam nomen virorum (cf. ℣. 41); unde infero, ℣℣. 24 et 25 originaliter ita constructos fuisse: [24]*Et hi filii Sebeon: Aia et Ana. Iste est Ana qui . . .*

Sebeon patris sui: et Oolibama erat filia Anae (cf. ℣. 25[b] in Hebraico et Graeco, similemque constructionem in ℣. 22[b]). [25] *Et hi filii Ana* (scil. filii Seir, ℣. 20): *Dison et Oolibama* (cf. textum Hebraicum et Graecum). Postea vero verba „et Oolibama erat filia Anae" in ℣. 24[b] cum verbis „et Oolibama" in 25[b] coniuncta sunt, ad quod idem nomen *Ana* in ℣℣. 24 et 25 librarios commovere potuit. Hanc explicationem ℣℣. 2 et 14 coll. ℣. 24 s. commendant. — *Ana,* filius Sebeon, in deserto הַיֵּמִם invenit. Verbum istud Hebraicum in hoc tantum loco occurrit neque certam significationem habet. Gesenius 586 testatur, Hieronymum bene *aquas calidas* vertisse, cum יֵמִים a radice inusitata יוֹם derivetur „quae caloris potestatem habuisse videtur" atque respondentia verba Syriaca et Arabica thermas significent, „quae ipsae in regionibus ab oriente maris mortui sitis propter naturam loci frequentes sunt". Similiter Fürst; cf. Buhl et Dillmann quoque.

Hoberg pro הַיֵּמִם scribit הַחַמִּים = aqua calida, sed mutationem suam probare nequit. — Gesenius 586 scribit: „Quod Hieronymus notat: ‚nonnulli putant, *aquas calidas* iuxta linguae Punicae viciniam, quae Hebraeae contermina est, hoc vocabulo significari', id fortasse ab Augustino accepit, nisi forte Punicam linguam cum Syriaca confudit, in qua *hamim,* ut vidimus, thermas designat . . . Duae aliae explicandi rationes apud veteres obviae illi longe inferiores sunt. Una est Onkelosi, vers. Sam., quibus יֵמִים est i. q. אֵימִים *gigantes;* altera Saadiae, Kimchii aliorumque Rabbinorum qui *mulos* intelligunt." Hummelauer opinionem Onkelosi adoptat. — *Ana* igitur aquas calidas invenit, ob quam causam forsitan *Beeri* = fortanus appellatus est (Strack[2]; cf. pag. 508).

℣. **26. Et hi filii Dison:** *Hamdan,* חֶמְדָּן, *Ἀμαδά, et Eseban,* וְאֶשְׁבָּן, *καὶ Ἀσβάν, et Iethram,* וְיִתְרָן, *et Charan,* וּכְרָן, *καὶ Χαῤῥάν.*

℣. **27. Hi quoque filii Eser:** *Balaan,* בִּלְהָן, *et Zavan,* וְזַעֲוָן, *καὶ Ζουκάμ, et Acan,* וַעֲקָן, *καὶ Ἰωυκὰμ καὶ Οὐκάν.*

℣. **28. Habuit autem filios Disan,** LXX accuratius *οὗτοι δὲ υἱοὶ Ῥεισών· Hus,* עוּץ, *Ὥς, et Aram,* וַאֲרָן, *καὶ Ἀῤάμ.*

℣℣. **29. 30. Hi duces Horraeorum:** *dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana,* [30] *dux Dison, dux Eser, dux Disan: isti duces Horraeorum qui imperaverunt in Terra Seir,* LXX *οὗτοι ἡγεμόνες Χοῤῥεὶ ἐν ταῖς ἡγεμονίαις αὐτῶν,* לְאַלֻּפֵיהֶם, *ἐν γῇ Ἐδώμ,* שֵׂעִיר. Lectioni Masorethicae לְאַלֻּפֵיהֶם (= iuxta duces eorum) Dillmann, Gunkel, Hoberg, Strack[2] recte lectionem

Graecam praeferunt. Duces Horraeorum filii tantum Seir, non autem filii filiorum (cf. duces filiorum Esau, ℣. 15 ss.) fuerunt; ita Hummelauer et Hoberg cum aliis.

℣℣. 31. 32. **Reges autem** *qui regnaverunt in Terra Edom antequam haberent regem filii Israel,* in Hebraico: antequam regnaret rex in filios Israel; in Graeco: *πρὸ τοῦ βασιλεῦσαι βασιλέα ἐν Ἰερουσαλήμ, fuerunt hi:* 32 et regnavit in Edom (Hebraicus et Graecus) *Bela,* בֶּלַע, *Βάλακ, filius Beor, nomenque urbis eius Denaba,* דִּנְהָבָה. Octo reges Edomitarum, qui in ℣℣. 32—39 enumerantur, ante Saul primum regem Israelitarum regnarunt: quando Moyses filios Israel ad terram promissam perduxit, Edomitae iam regem habebant (cf. Num. 20, 14; Iud. 11, 17): ergo octo reges inter Moysen et regem Saul collocandi erunt (cf. Knobel et Dillmann). Ex quo patet, versus 31—43 non a Moyse scriptos, sed tempore regum Israel adiectos esse (cf. Strack[2]). Nullus regum enumeratorum filius prioris fuit, quapropter Knobel, Dillmann, Hummelauer concludunt, eos aut electione aut violentia regnum accepisse. Urbes quoque, in quibus habitabant, diversae sunt (cf. ℣℣. 32. 35. 39).

Gunkel cum Dillmann putat, verba ℣. 31 לִפְנֵי מְלָךְ־מֶלֶךְ לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל etiam significare posse „antequam rex ex Israel in Edom regnaret", ideoque Davidem intelligi posse; at haec opinio valde improbabilis est (videas lexicon et grammaticam). — *Bela filius Beor;* ariolus *Balaam,* בִּלְעָם, *filius Beor* non in australi terra Edom habitavit, sed e septentrione venit (cf. Num. 22, 36 coll. 21, 26): ergo cum rege Edomitarum non confundendus est. Videas Theol. bibl. Vet. Test., pag. 123 s. — Situs urbis Edomiticae *Denaba* ignotus est (Dillmann aliique).

℣℣. 33—35. **Mortuus est autem** *Bela, et regnavit pro eo Iobab,* יוֹבָב, *filius Zarae,* זֶרַח, *de Bosra,* מִבָּצְרָה, *ἐκ Βοσόρρας.* 34 *Cumque mortuus esset Iobab, regnavit pro eo Husam,* חֻשָׁם, *Ἀσόμ, de terra Themanorum.* 35 *Hoc quoque mortuo,* LXX accuratius *ἀπέθανεν δὲ Ἀσόμ, regnavit pro eo Adad,* הֲדַד, *filius Badad,* בְּדַד, *Βαράδ, qui percussit Madian* (pag. 362) *in regione Moab* (pag. 306): *et nomen urbis eius Avith,* עֲוִית, *Γεθθάιμ.* — Bosra, urbs primaria Edomitarum (Is. 34, 6; 63, 1; Ir. 49, 13. 22; Am. 1, 12; 1 Par. 1, 44), a plerisque recentioribus in hodierna el-Buṣaire ad meridiem maris mortui inventa dicitur (cf. Buhl, Dillmann, Hummelauer). De terra Themanorum

(cf. pag. 510.) Moabitae inter mare mortuum et torrentem Salicum, desertum et fluvium Arnon habitabant (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 122); habitatio Madianitarum pag. 632 indicata est. Ubi urbs Avith fuerit, incertum est.

℣℣. 36—39. **Cumque mortuus esset** *Adad, regnavit pro eo Semla,* שַׂמְלָה, *Σαλαμά, de Masreca,* מִמַּשְׂרֵקָה, *ἐκ Μασέκκας.* 37*Hoc quoque mortuo,* LXX accuratius *ἀπέθανεν δὲ Σαλαμά, regnavit pro eo Saul,* שָׁאוּל, *de fluvio Rohoboth,* מֵרְחֹבוֹת הַנָּהָר, *ἐκ Ῥοωβὼθ τῆς παρὰ ποταμόν.* 38*Cumque et hic obiisset, successit in regnum,* LXX accuratius *ἀπέθανεν δὲ Σαούλ, καὶ ἐβασίλευσεν ἀντ' αὐτοῦ, Balanan,* בַּעַל חָנָן, *Βαλαεννών, filius Achobor,* עַכְבּוֹר, *Ἀχοβώρ.* 39*Isto quoque mortuo,* LXX accuratius *ἀπέθανεν δὲ Βαλαεννὼν υἱὸς Ἀχοβώρ, regnavit pro eo Adar,* הֲדַר, *Ἀρὰθ υἱὸς Βαράθ, nomenque urbis eius Phau,* פָּעוּ, *Φόγωρ· et appellabatur uxor eius,* LXX accuratius *ὄνομα δὲ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, Meetabel,* מְהֵיטַבְאֵל, *Μετεβεήλ, filia Matred,* בַּת־מַטְרֵד, *θυγάτηρ Ματραείδ, filiae Mezaab,* בַּת מֵי זָהָב, *υἱοῦ* (ita et Syrus) *Μεζοόβ. R^e^choboth hannahar* = R^e^choboth (cf. 26, 22; 10, 11) ad fluvium sita (1 Par. 1, 48); sed ad qualem fluvium? Gesenius 1281 aliique, quibus Dillmann favet, Euphraten; Gunkel cum Winckler rivum Aegypti (cf. pag. 263); Hoberg, Hummelauer, Strack² cum Eusebio, S. Hieronymo aliisque fluvium quendam terrae Edom intelligunt: ultima haec sententia probabilior videtur. In ℣. 39 pro הֲדַר multa manuscripta הֲדַד exhibent (cf. 1 Par. 1, 50s.; Kittel, Dillmann). *Phau* forsitan in hodierna Phauara quaerenda est (Knobel). Pro *filiae Mezaab* probabiliter cum Graeco et Syro *filii Mezaab* legendum est (videas supra). Regis *Adar* urbs atque uxor cum brevi genealogia notatur, sed mors tacetur, probabiliter quia scriptor tempore eius vixit (cf. Hummelauer); forsitan Adar vel Adad a Davide tributarius factus est (cf. 2 Reg. 8, 13s.; 3 Reg. 11, 15s.: 1 Par. 18, 12s.), et Adad Idumaeus, *de semine regio,* adversarius Salomonis (cf. 3 Reg. 11, 14ss.) e familia istius regis Adar fuit (cf. Dillmann). In 1 Par. 1, 51 adiungitur: „Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom esse coeperunt: dux Thamna" etc. ut Gen. 36, 40ss.

℣℣. 40—43. **Haec ergo nomina ducum,** אַלּוּפֵי, *Esau in cognationibus,* לְמִשְׁפְּחֹתָם, *et* (deest in Hebraico et Graeco) *locis,* לִמְקֹמֹתָם, *et* (deest in Hebraico et Graeco) *vocabulis suis,* בִּשְׁמֹתָם:

dux Thamna, תִּמְנָע, *dux Alva,* עַלְוָה, *Γωλά, dux Ietheth,* יְתֵת, *Ἰεθέρ,* [41]*dux Oolibama,* אָהֳלִיבָמָה, *Ἐλιβεμᾶς, dux Ela,* אֵלָה, *Ἠλᾶς, dux Phinon,* פִּינֹן, *Φινές,* [42]*dux Cenez,* קְנַז, *dux Theman,* תֵּימָן, *dux Mabsar,* מִבְצָר, *Μαζάρ,* [43]*dux Magdiel,* מַגְדִּיאֵל, *Μετοδιήλ, dux Hiram,* עִירָם, *Ζαφωεί· hi duces Edom habitantes,* LXX accuratius *οὗτοι ἡγεμόνες Ἐδὼμ ἐν ταῖς κατῳκοδομημέναις,* לְמֹשְׁבֹתָם, *in terra imperii sui,* אֲחֻזָּתָם, *τῆς κτήσεως αὐτῶν, ipse est Esau pater Idumaeorum,* אֱדוֹם, *Ἐδώμ.* — David Idumaeos sibi tributarios fecit (2 Reg. 8, 13 s.; 1 Par. 18, 12 s.); in diebus autem Ioram, filii Iosaphat regis Iuda, *recessit Edom, ne esset sub Iuda, et constituit sibi regem* (4 Reg. 8, 20; cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 264); ergo duces in ℣℣. 40—43 enumerati inter Davidem et Ioram in Edom fuerunt. — *Nomina* undecim, in istis versibus consignata, sunt nomina tum ducum ipsorum tum cognationum seu familiarum eorum (pag. 189) tum locorum seu regionum (pag. 189) in quibus habitabant; illud *vocabulis suis* ea ratione tractandum erit, quam pag. 373 exposui.

Nöldeke (cf. Dillmann) inter 36, 15 ss. atque 36, 40 ss. „flagrantem contradictionem" invenit. Verumtamen, in 36, 15 ss. duces Esau ante, in 36, 40 ss. autem duces Esau post reges Idumaeos recensentur. Ergo non mirandum est, quod plura nomina diversa sint; neque mirandum est, quod pauca nomina aequalia sint, quia testantibus sacris et profanis litteris nomina quaedam saepius recurrunt. — LXX versum 40ᵃ sic exhibent: *ταῦτα τὰ ὀνόματα τῶν ἡγεμόνων Ἠσαὺ ἐν ταῖς φυλαῖς αὐτῶν κατὰ τόπον αὐτῶν, ἐν ταῖς χώραις αὐτῶν καὶ ἐν τοῖς ἔθνεσιν αὐτῶν.* — De ℣. 43ᵇ videas pag. 507.

Hagiographus de Idumaeis diffuse scripsit, quia posteri Esau cum posteris Iacob propinqua cognatione coniuncti erant (cf. Gunkel 354) et per saecula cum eis colluctabantur, quemadmodum iam pag. 378 in nota breviter monstravimus. — Primi habitatores terrae inter mare mortuum et sinum Aelaniticum sitae probabiliter *Horraei* fuerunt (cf. pag. 242); duces Horraeorum in 36, 20 s. 29 s. enumerantur. Deinde familia Esau in istam terram immigravit (36, 6—8), forsitan quia Esau mulierem Horraeam duxerat (cf. pag. 508); etiam Eliphaz Horraeam duxit (cf. pag. 510) Duces filiorum Esau (36, 15 ss.) iuxta duces Horraeorum habitarunt. Horraeis *expulsis atque deletis* filii Esau soli in Seir habitaverunt (Deut. 2, 12) regesque habuerunt (cf. pag. 514 s.). Reliqua historia Idumaeorum supra et pag. 378 descripta; videas Hoberg 304 s. quoque, qui putat, iudices in 36, 40 ss. nominatos a Davide constitutos esse. Quomodo 3 Reg. 22, 48; 4 Reg. 3, 9 ss.; 8, 20 conciliandi sint, in Theol. bibl. Vet. Test., pag. 264 declaravi.

„E veterum Iudaeorum Christianorumque traditione" (Gesenius 81; Lapide et Dillmann ad 36, 33) *Iobab* idem est atque *Iob* patiens. At videas

Theol. bibl. Vet. Test., pag. 91 s. — Coniecturas, quae argumentis obiective validis confirmari nequeunt, cum Gunkel, Hummelauer, Hoberg omisi: sunt saburra commentarios gravans.

5. Sectio. Generationes Iacob, 37, 1—50, 25.

Librum Genesis absolvens Moyses nobis depingit: *a)* Ioseph humiliatum et exaltatum (37, 1—41, 57). Narrat, quomodo furto ablatus (37, 2—38, 30), innocens in carcere (39, 1—40, 23), ante Pharaonem ductus (41, 1—36) et praepositus Aegypti constitutus (41, 37—57) fuerit. *b)* Ioseph cum fratribus agentem (42, 1—45, 28) et quidem in priore (42, 1—38) et altero adventu (43, 1—45, 28). *c)* Iacob in Aegypto degentem (46, 1—50, 25). Refert, eum in Gessen habitasse (46, 1—47, 28) atque benedicentem et prophetantem vita excessisse (47, 29—50, 14). *d)* Ioseph pie viventem ac morientem (50, 15—25).

C. **37. ℣℣. 1. 2ª. Habitavit autem Iacob** *in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est.* Similiter Graecus; in Hebraico: habitavit autem Iacob in terra peregrinationis patris sui, in terra Chanaan. ²*Et* (ita versiones; Hebraicus *et* omittit) *hae sunt generationes,* תֹּלְדוֹת (pag. 43) *eius* (pro *eius* in Hebraico et Graeco *Iacob*). Secundum ea, quae pag. 507 diximus, Ioseph mox post adventum Iacobi in Hebron (35, 27) ante mortem Isaaci et demigrationem Esavi a fratribus in Aegyptum venditus est. Inseruit autem hagiographus (cf. pag. 507) narrationem mortis Isaaci et historiae Esau (35, 28—36, 43); propterea nunc revertitur ad id, unde digressus est. Scripserat 35, 27 „Venit etiam Iacob in Hebron, in qua peregrinatus est Abraham et Isaac"; prosequitur 37, 1 „Habitavit autem Iacob in terra peregrinationis patris sui in terra Chanaan". Phrasim *in terra peregrinationis patris sui* de Hebron intelligimus; eam *in terra Chanaan* esse, hagiographus forsitan ad 36, 6—8 respiciens addidit.

℣℣. 2ᵇ—4. Ioseph cum sedecim (Hebraicus et versiones ceterae *septemdecim) esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer: et erat cum filiis* (vel potius iuxta Hebraicum: fuit pascens cum fratribus suis in grege, isque puer erat, וְהוּא נַעַר, cum filiis) *Balae et* cum filiis (Hebraicus et Graecus

Zelphae uxorum patris sui: accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo (in Hebraico: et detulit Ioseph infamiam eorum malam, דִּבָּתָם רָעָה, ad patrem eorum). [3]*Israel* (ita et Hebraicus, LXX Ἰακώβ) *autem diligebat Ioseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum,* LXX accuratius ὅτι υἱὸς γήρους ἦν αὐτῷ: *fecitque ei tunicam polymitam,* כְּתֹנֶת פַּסִּים. [4]*Videntes autem fratres eius quod a patre plus cunctis filiis amaretur,* LXX accuratius ὅτι αὐτὸν ἐφίλει ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἐκ πάντων τῶν υἱῶν αὐτοῦ (בָּנָיו, ita et Samaritanus cum 5 manuscriptis Hebraicis: Masorethicus אֶחָיו = fratribus suis), *oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* — Historia Iacob et filiorum eius abhinc cum fatis Ioseph ita colligata atque mixta est, ut Ioseph primas partes agens appareat. Adolescens 17 annorum cum Dan et Nephthali, Gad et Aser (cf. pag. 506) pascens erat, quorum factum infandum patri narravit. A patre praecipue dilectus ideoque tunica manicata et talari ornatus in odium acerbum fratrum omnium incurrit.

Lectio Vulgatae *sedecim* secundum principia critica (cf. Bibelkritik 170 ss.) certo falsa est, sed cum vera lectione reliquorum testium conciliari potest, „scilicet expleverat Ioseph annum 16. et inchoaverat 17., unde Philo: erat, inquit, circiter 17 annorum“ (Lapide). — הָיָה רֹעֶה *fuit pascens* actionem perdurantem significat (Gesenius-Kautzsch 461). — Plures interpretes putarunt, sententiam *isque puer erat cum filiis . . . uxorum patris sui* (pag. 517) cum antecedentibus non bene congruere ideoque ad alium fontem pertinere (Dillmann, Strack[2]). At haec observatio omnino vana est. Nam נַעַר, ut Gesenius aliique lexicographi probant, saepius „puerum vel adolescentulum famulum significat (ut gr. παῖς, nostr. Junge, Knappe, Bursche)“: ergo ista sententia est declaratio antecedentis. Dixerat hagiographus: Ioseph pascebat gregem cum fratribus suis; deinde adiunxit: isque (et quidem) famulus (puer pastoris, Hirtenknabe, Hirtenknecht) erat apud filios Balae et Zelphae (Gesenius 894, Fürst II, 44, Buhl 463): determinat, cum quibus fratribus gregem paverit et quale officium fecerit. Obiicit quidem Hummelauer: „licet Ioseph, quod aetate minor esset et viribus tenuior, fratres in opere iuvare tantum eisque servire posset, at certe filius uxoris primariae non tamquam servus assignatus est filiis concubinarum“. Verumtamen nostris quoque diebus pueri et adolescentes magis nobiles, immo nobilissimi viris minus nobilibus, sed in arte bene versatis tamquam famuli adiunguntur, ut artem ediscant. Ne dicas, נַעַר *puerum* cum *septemdecim annorum* pugnare; nam Hebraicum נַעַר ut Graecum παῖς et Latinum *puer* non solum infantes, verum etiam puberes significat (cf. Fürst, Passow, Georges).

Hummelauer opinatur, illud *isque puer erat* „e natura fraterni sceleris“ intelligendum esse; at nequaquam probare potest, „eos speciosissimo iuveni impuras manus inferre conatos esse“. Gunkel 446 affirmat וְהוּא נַעַר אֶת־ nullum sensum habere et forsitan legendum esse וְהוּא נֵעֹר עַל i. e. et abhorruit ab eis, vel וְהוּא רֹעֶה i. e. et conversatus est. Sed phrasis reapse bonum habet sensum, ut vidimus; lectiones vero a Gunkel propositae nullo argumento confirmari possunt. — Contextus probabile ostendit quod Lapide censet, nimirum Iacobum „divisisse gregem suum in duos, unum dedisse pascendum sex filiis Liae, alterum commisisse filiis Balae et Zelphae ancillarum“; Iosephum autem non cum filiis Liae Ruben, Simeon, Levi, Iudas, Issachar, Zabulon (cf. pag. 505) iunxisse, eo quod iam inter Rachelem et Liam aemulatio fuerit. — *Accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Vulgata sensum bene reddit, quia verba Hebraica „infamiam eorum malam“ metonymice de facto infando accipi possunt (cf. Hoberg). De qualitate „fraterni sceleris“ Hummelauer scribit: „Fuisse crimen pudendum e casto Scripturae silentio omnes colligunt. Porro si advertas, Scripturam cap. 34 et 38 clare loqui de fornicatione, immo 35, 22 de incestu, facile perspicies, quod hic reticetur crimen, fuisse contra naturam. Ubi Syrus suggerit bestialitatem . . . Nos cum Ruperto sodomiam interpretamur.“ Hoberg eiusdem sententiae est. Lapide e verbis Hebraicis „infamiam eorum malam“ colligit, peccatum fratrum fuisse „infame et publicum“. In voce דִּבָּתָם suffixum obiective accipi debet; quare רָעָה sine articulo sit, Gesenius-Kautzsch 416 exponit. — Strack[2] (ad Ꝟ. 3) Ioseph a patre speculatorem fratrum constitutum fuisse dicit, quae affirmatio neque e Ꝟ. 2 neque e Ꝟ. 3 probabilis evadit. — LXX finem Ꝟ. 2 sic reddunt: *κατήνεγκαν* (= accusaverunt, scil. filii Balae et Zelphae) *δὲ Ἰωσὴφ* (Iosephum) *ψόγον πονηρὸν πρὸς Ἰσραὴλ τὸν πατέρα αὐτῶν*, quam lectionem nonnulli interpretes Graeci secuti sunt (cf. Lapide), sed recentiores communiter reiiciunt. — Lapide, Dillmann, Gunkel et sectatores eorum affirmant, istam accusationem fuisse primam causam odii fratrum; sed Dillmann quoque concedit, hagiographum hanc causam nullibi indicare, et Strack[2] putat, delationem Iosephi fratribus forsitan ignotam mansisse. Multo probabilius crimen filiorum ancillarum uti crimen Ruben (pag. 505), Simeonis et Levi (pag. 490), filiorum Liae, notatur ad ostendendum, quantis malis afflictus et quam graviter punitus sit Iacob (cf. pag. 401. 403); forsitan iam hic ad castitatem Iosephi alluditur, quam in domo Putipharis custodivit (39, 7 ss.).

In Ꝟ. 3 s. **prima** causa adducitur, ob quam Ioseph odio habitus sit, scil. amor et favor Iacobi in Iosephum. Holzinger, Lapide, Philo (lib. de Abraham) bene observarunt, „parentes solere diligere filios in senectute genitos prae aliis filiis, quia tales sunt ultimi parentum fructus, post quos non sperant alios“ (Lapide). Hummelauer cum Caietano putat, versum 3 ad illud tempus spectare, quo Beniamin nondum natus et Rachel adhuc superstes erat. Melius forsitan Dillmann cum Lapide censet, Beniaminum, utpote infantem unius anni (pag. 517), nullo loco

numerari. — De tunica Iosephi Gesenius 1117 scribit: „כְּתֹנֶת פַּסִּים Gen. 37, 3. 23. 32; 2 Sam. 13, 18. 19 genus tunicae a pueris puellisque nobilioribus et regiis gestatum, amplum longumque . . . Illud duobus modis explicant: *a)* tunica versicolor, e pannorum frustis varii coloris consuta vel praetexta et limbis ornata, quod ductum volunt a chald. פַּס *manus . . . frustum, gleba . . . b)* tunica manicata et talaris, pr. pertinens ad פַּסִּים i. e. usque ad manus plantasque pedum.“ Plerique antiquiores ac recentiores interpretes alteram significationem adoptant; Hummelauer tamen bene adiungit: „Ceterum lectiores illas tunicas etiam fuisse diversicolores, disce ex Aegyptiorum monumentis, ubi Semitae eiusmodi tunicas induti Pharaonibus dona offerunt.“ Ergo versio Graeca et Latina *χιτῶνα ποικίλον, tunicam polymitam* recta est sed non perfecta; accuratius in ℣. 23 Latina habet *tunica talari, et polymita.* — Illud וְעָשָׂה (Kittel putat, forsitan וַיַּעֲשֶׂה legendum esse, Ball וַיַּעַשׂ emendat) *fecitque* Gesenius-Kautzsch 333 perfectum cum וְ consecutivo declarat, ut sit sensus: quotiescumque Ioseph tunica indigebat, fecit ei Iacob talarem et versicolorem (cf. 1 Reg. 2, 19); Holzinger textum de unico facto intelligit. — Lapide monet: „Discant hoc exemplo parentes, filios aequaliter amare, vestire, educare suaque dona et bona aequaliter, quoad fieri potest, partiri, ne si unum alteri praeferant, hic fiat pusillanimis, ille superbiat, itaque perpetuam inter eos invidiam et rixas ac consequenter sibi perpetuum dolorem et tristitiam concilient.“ Experientia hoc monitum non superfluum esse ostendit. — De דַּבְּרוֹ videas Gesenius-Kautzsch 356; ceterum Kittel לְדַבֵּר לוֹ legendum censet. — Hoberg opinatur, in ℣. 4 filios Balae et Zelphae dumtaxat intelligendos esse; illos ad Iosephum comiter loqui nequivisse, eo quod ab ipso accusati fuerint. Verum hagiographus non accusationem Iosephi (pag. 519) sed amorem Iacobi, quo Iosephum omnibus filiis vel fratribus (pag. 518) praeferebat, causam adducit (pag. 519), quare filii vel fratres minus amati eum odio habuerint: ergo ℣. 4 etiam de filiis Liae intelligendus est.

℣℣. 5—8. **Accidit quoque ut visum somnium** *referret fratribus suis,* LXX accuratius ἐνυπνιασθεὶς δὲ Ἰωσὴφ ἐνύπνιον ἀπήγγειλεν αὐτὸ τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ· *quae causa maioris odii seminarium fuit,* וַיּוֹסִפוּ עוֹד שְׂנֹא אֹתוֹ i. e. et vehementius etiam oderunt eum (Gesenius 603; cf. supra pag. 104 s. 362; LXX hanc sententiam omiserunt). [6]*Dixitque ad eos: Audite* quaeso (Hebraicus) *somnium meum quod vidi,* LXX accuratius τοῦ ἐνυπνίου τούτου οὗ ἐνυπνιάσθην· [7]*Putabam nos ligare* (in Hebraico: ecce enim nos ligabamus) *manipulos in* medio (Hebraicus et Graecus) *agro: et quasi consurgere manipulum meum, et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum* (in

Hebraico similiterque in Graeco: et ecce surrexit manipulus meus et stetit quoque, et ecce cingebant manipuli vestri et adorabant manipulum meum). [8]*Responderunt* autem ei (Hebraicus et Graecus) *fratres eius: Numquid rex noster eris? aut subiiciemur ditioni tuae?* LXX accuratius *μὴ βασιλεύων βασιλεύσεις ἐφ' ἡμᾶς ἢ κυριεύων κυριεύσεις* (pag. 56) *ἡμῶν; Haec ergo causa somniorum atque sermonum, invidiae et odii fomitem ministravit,* LXX multo accuratius *καὶ προσέθεντο ἔτι μισεῖν αὐτὸν* (cf. pag. 520) *ἕνεκεν τῶν ἐνυπνίων αὐτοῦ καὶ ἕνεκεν τῶν ῥημάτων αὐτοῦ.* — Hic secunda (non tertia, ut Caietanus multique alii volunt; cf. pag. 519 s.) causa affertur, cur fratres Iosephum odio habuerint, scil. somnia quae fratribus narravit quorumque sensum hi statim perceperunt.

Somnia Iosepho divinitus immissa fuerunt (Lapide, Dillmann, Hummelauer), quod Iacob suspicabatur (cf. ℣. 11; Dillmann, Strack[2]). — Videtur, quod prudentius fuisset, si Ioseph fratribus sibi invidentibus (pag. 518) somnia non narrasset; fratres narrationem tamquam signum elationis vel superbiae acceperunt atque aegre tulerunt. Pererius putat, Iosephum tam simplicem et innocentem fuisse, ut nihil mali de fratribus suspicaretur: huic sententiae ℣. 2^b non favet. Hummelauer supponit, „fratres consuevisse sua invicem somnia enarrare", atque opinatur, enarrationem somniorum Iosephi „providente Deo" factam esse. — ℣. 5^b in Graeco quidem omittitur, in ceteris vero testibus exhibetur, ergo pro genuino habendus est. Dillmann asserit, hanc notam inepte ante enarrationem somnii insertam esse. Sed hagiographus potuit aptissime prius generatim dicere, Iosephum somnium suum fratribus manifestasse itaque in acerbius eorum odium incurrisse, deinde autem speciatim enarrare, quale illud somnium fuisset; similes propositiones etiam apud profanos scriptores inveniuntur. — Observa, tam in ℣. 5^b quam in ℣. 8^b hagiographum notare, Iosephum propter somnia maius odium concitasse (cf. textum Hebraicum et Graecum): ergo ℣. 4^b necessario supponitur. — In ℣. 7 triplex *et ecce* (cf. textum Hebraicum) admirationem somniantis et narrantis insinuat (cf. Gunkel). — Etiam pater Iacobi agrum colebat (pag. 388 s.; Dillmann, Hummelauer). — Ager Aegyptum significat; manipuli indicant, quam ob rem Ioseph elevandus et a fratribus adorandus sit (cf. Lapide et Gunkel); medium agri forsitan urbem regiam innuit, in qua Ioseph veneratus est.

℣℣. 9—11. **Aliud quoque vidit somnium,** *quod narrans fratribus, ait* (LXX *καὶ διηγήσατο αὐτὸ τῷ πατρὶ αὐτοῦ καὶ τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ καὶ εἶπεν*): *Vidi per somnium, quasi solem, et lunam, et stellas undecim adorare me,* in Hebraico (similiterque

in Graeco): ecce somniavi somnium iterum, et ecce sol . . . adorabant me. 10*Quod cum patri suo, et fratribus retulisset* (haec sententia in LXX deest), *increpavit eum pater suus, et dixit* ei (Hebraicus): *Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego et mater tua, et fratres tui adorabimus te super terram?* LXX accuratius *ἆρά γε ἐλθόντες ἐλευσόμεθα* (pag. 56) *ἐγώ τε καὶ ἡ μήτηρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου προσκυνῆσαί σοι ἐπὶ τὴν γῆν*, אָרְצָה (pag. 283). 11*Invidebant ei igitur fratres sui: pater vero rem tacitus considerabat*, LXX accuratius *ὁ δὲ πατὴρ αὐτοῦ διετήρησεν τὸ ῥῆμα.* In ℣. 8 hagiographus dixerat *somniorum atque sermonum;* in ℣℣. 5—7 prius somnium narravit, hic alterum refert, quod „priori longe est clarius et distinctius. Illustrior astrorum quam manipulorum imago. Fratrum numerus expressus undenus, dum in priore somnio saltem Beniamin non cernebatur manipulis ligandis occupatus. Fratribus additi parentes“ (Hummelauer). Quod duplici somnio Ioseph eandem rem viderit, *firmitatis indicium est* (cf. 41, 32; Lapide, Dillmann, Hummelauer); forsitan etiam duplex iter fratrum in Aegyptum eo insinuatur (Gunkel). Iacob Iosephum increpavit quidem, ut eum ab invidia fratrum liberaret atque „in modestia contineret“; rem tamen memoria conservavit, quia somnium divinitus immissum et futura protendens suspicabatur (Lapide, Hoberg; cf. pag. 521).

Textus LXX, qui in ℣. 9 *τῷ πατρὶ αὐτοῦ καί* addunt, ℣. 10a vero omittunt, probabilior videtur; qui textum Masorethicum et Latinum probabiliorem censet, cum Hoberg duplicem narrationem statuere debet atque potest. — At quomodo Ioseph a *luna* i. e. a matre se adoratum vidit, cum neque Rachel (cf. 48, 7) neque Lia (cf. 49, 31) in Aegyptum venerit, sed ambae in Chanaan sepultae fuerint? Hoberg cum Lapide aliisque antiquioribus putat, lunâ Balam, ancillam Rachelis, significari quae Rachele mortua Iosepho instar matris fuerit; Hummelauer scribit: „superest solutio perquam plana et Hebraeorum ingenio accommodata: Rachel reapse Iosephum adoravit, non quidem in persona propria, sed in coniuge (Ephr.) aut, si mavis, in filio Beniamin“; idem Hummelauer notat, eiusmodi figuras non „in singulis quibusque et minimis rebus figuratis respondere“, ideoque „sole, luna et stellis Iacobi familiam universim praefigurari“ posse; nonnulli (cf. Hummelauer, Dillmann) asserebant, eo tempore quo Ioseph somnium vidit, Rachelem adhuc vixisse, quin hac assertione illam difficultatem solverent quod Rachel Iosephum numquam adoravit. Consideratis omnibus sententia a Lapide et Hoberg retenta probabilior videtur. — Ad 11b *ὁ δὲ πατὴρ αὐτοῦ*

διετήρησεν τὸ ῥῆμα Dillmann et Gunkel bene citant Luc. 2, 19. 51 *Et mater eius conservabat omnia verba haec in corde suo.*

Gunkel cum Knobel et Delitzsch asserit, stellis 12 signa zodiaci indicari, quam assertionem Dillmann et Holzinger repudiant, quia demonstrari nequit. — Idem Gunkel affirmat, tam Christo homini (cf. Matth. 2) quam Iosepho (Gen. 37) mythum quendam orientalem accommodari, quo nativitas magni dei, domini caeli et terrae narretur, quem entia potentissima honorent; istum mythum Iosepho applicari eo probat, quod in narratione mater una commemoratur, licet filii Iacob secundum alias fabulas matres 2 vel 4 habuerint. Respondeo: argumentum hoc Gunkeli nihil valet. Filii Iacob utique 4 matres habuerunt (pag. 505 s.); sed in 37, 9 s. hagiographus de sola matre Iosephi eaque ipsum adorante loquitur. Explicatio autem Gunkeli cum usu loquendi et contextu Matth. 2 atque Gen. 37 manifeste pugnat, ideoque non solum a catholicis exegetis reiicitur, verum etiam ab Holzinger tacetur.

℣℣. 12—14. Cumque fratres illius *in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem,* [13] *dixit ad eum Israel,* LXX accuratius *ἐπορεύθησαν δὲ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ βόσκειν τὰ πρόβατα τοῦ πατρὸς αὐτῶν εἰς Συχέμ,* [13] *καὶ εἶπεν Ἰσραὴλ πρὸς Ἰωσήφ· Fratres tui,* LXX accuratius *οὐχ,* הֲלוֹא, *οἱ ἀδελφοί σου, pascunt oves* (deest *oves* in Hebraico et Graeco) *in Sichimis: veni,* לְכָה (pag. 459), *mittam te ad eos. Quo respondente,* [14] *Praesto sum, ἰδοὺ ἐγώ, ait ei: Vade* quaeso (Hebraicus), *et* (deest in Hebraico et Graeco) *vide si cuncta prospere sint erga fratres tuos, et pecora* (in Hebraico: vide salutem fratrum tuorum et salutem pecorum): *et renuncia mihi quid agatur,* וַהֲשִׁבֵנִי דָּבָר i. e. et affer mihi nuntium. *Missus de Valle Hebron,* LXX accuratius *καὶ ἀπέστειλεν αὐτὸν ἐκ τῆς κοιλάδος τῆς Χεβρὼν καί, venit in Sichem.* — Si ℣. 12ᵃ (hebr. et gr.) cum ℣. 14ᵇ conferimus, elucet Iosephum somnia sua in Hebron narrasse, fratribus in Sichem proficiscentibus in Hebron remansisse, postea speculatorem ad eos missum esse. Rationem, cur Iacob Iosephum retinuerit, Lapide (quocum Hummelauer et Hoberg consentiunt) assignat, „ut hac eius absentia invidiam fratrum sopiret".

Filii Iacob cum gregibus Hebronem reliquerunt, quia ibi non amplius pascua invenerunt (cf. pag. 234 s.; Strack[2]). — In ℣. 12 אֶת duobus punctis delendum signatur (Dillmann, Gunkel, Strack[2]). — In eo, quod filii Iacob *in Sichem* profecti narrantur, Gunkel contradictionem cum cap. 34 invenit. Sed Hummelauer bene notat: „Perdurabat forte terror

35, 5 divinitus immissus; aut eo perdurante filii Iacob cum accolarum quibusdam foedera icerant. Refriguerat ardor ulciscendae iniuriae non suae." — Idem Gunkel affirmat, Iacobum iuxta ℣. 14ᵇ in Hebron, iuxta ℣℣. 14ᵃ. 15 ss. autem apud Sichem habitasse: ergo contradictionem adesse. Verumtamen, nulla voce versuum 14ᵃ. 15 ss. demonstrare potest, Iacobum tunc apud Sichem habitasse: haec est phantasia Gunkeliana (cf. pag. 435 in fine). — הֵשִׁיב דָּבָר = attulit nuntium (cf. lexicon ad שׁוּב). — Quare Iacob Iosephum ad fratres misit? Lapide respondet: quia putabat, invidiam fratrum esse sopitam; quia volebat, ut Ioseph eorum benevolentiam sibi conciliaret.

℣℣. 15—17. **invenitque eum vir** *errantem in agro, et interrogavit* vir (Hebraicus et Graecus) *quid quaereret.* [16]*At ille* (deest *ille* in Hebraico) *respondit: Fratres meos quaero, indica* quaeso (Hebraicus) *mihi ubi pascant greges* (deest *greges* in Hebraico et Graeco). [17]*Dixitque ei* (deest *ei* in Hebraico) *vir: Recesserunt de loco isto,* מִזֶּה, ἐντεῦθεν· *audivi autem* (pro *autem* habent Hebraicus et Graecus *enim*) *eos dicentes: Eamus in Dothain,* דֹּתָיְנָה. *Perrexit ergo Ioseph post fratres suos, et invenit eos in Dothain,* בְּדֹתָן. De formis Dothain et Dothan videas quae pag. 465 scripta sunt. Est locus e septentrione Sichem hodieque Tell-Dothan vocatur (Dillmann cum aliis).

In ℣. 15ᵃ תֹעֶה sine הוּא scriptum est, quod saepius omittitur (cf. Gesenius-Kautzsch 363). — In ℣. 17 loco שָׁמַעְתִּי *audivi* legendum est cum Samaritano, Graeco et Latino שְׁמַעְתִּים *audivi eos* (Kittel; cf. Gesenius-Kautzsch 368). Iuxta textum Samaritani et versionum vir cognitum habuit, loquentes fuisse filios Iacobi, quod omnino probabile est (cf. pag. 497 s.); iuxta textum Masorethicum vero *(audivi* quosdam *dicentes)* id in medio relinquit (Bachmann).

℣℣. 18—24. **Qui cum vidissent eum procul,** *antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere* (in Hebraico: insidiati sunt ei, ut occiderent eum): [19]*et mutuo,* אִישׁ אֶל־אָחִיו (cf. pag. 205) *loquebantur: Ecce somniator* iste (Hebraicus et Graecus) *venit:* [20]nunc igitur (Hebraicus et Graecus) *venite,* et (Hebraicus) *occidamus eum, et mittamus* eum (Hebraicus et Graecus) *in cisternam veterem* (pro *veterem* in Hebraico et Graeco *aliquam*): *dicemusque Fera pessima* (pro *pessima* in Hebraico et Graeco *mala*) *devoravit eum: et tunc apparebit quid illi prosint somnia sua,* LXX accuratius καὶ ὀψόμεθα τί ἔστιν τὰ ἐνύπνια αὐτοῦ. [21]*Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus*

eorum, et dicebat: [22]*Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem,* in Hebraico (similiterque in Graeco): [21]et audivit Ruben et liberavit eum e manu eorum et dixit: Non occidamus eum; [22]et dixit eis Ruben: Ne effundatis sanguinem: *sed* (deest in Hebraico) *proiicite eum in cisternam hanc, quae est in solitudine, manusque vestras servate innoxias,* LXX accuratius *χεῖρα δὲ μὴ ἐπενέγκητε αὐτῷ· hoc autem dicebat* (desunt haec 3 verba in Hebraico et Graeco), *volens eripere eum de manibus eorum, et reddere* eum (Hebraicus et Graecus) *patri suo.* [23]*Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari, et polymita: miseruntque eum in cisternam veterem, quae non habebat aquam.* LXX accuratius *ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἦλθεν Ἰωσὴφ πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, ἐξέδυσαν τὸν Ἰωσὴφ τὸν χιτῶνα τὸν ποικίλον* (in Hebraico: tunicam suam, tunicam talarem et polymitam; cf. pag. 520) *τὸν περὶ αὐτόν,* [24]*καὶ λαβόντες αὐτὸν ἔρριψαν* (*eum* addit Hebraicus) *εἰς τὸν λάκκον· ὁ δὲ λάκκος ἐκεῖνος* (*vacuus erat* addit Hebraicus) *ὕδωρ οὐκ εἶχεν.* Odium fratrum interea non sopitum (cf. pag. 524), sed adeo auctum erat, ut sanguinem sitiret. Volebant fratres Iosephum interficere et cadaver eius in cisternam quandam abicere, ut ibi computresceret. Ruben autem persuasit illis, ut eum vivum in cisternam vacuam mitterent, itaque Iosephum a morte liberavit.

„Narrator non prodit, notat Hummelauer, quis auctor fuerit crudelis consilii"; sed ex 34, 25 et 42, 25 cum probabilitate quadam inferre possumus, Simeonem auctorem fuisse (cf. Hoberg 357). — In Ỳ. 18ᵇ hithpaʿel וַיִּתְנַכְּלוּ cum accusativo אֹתוֹ coniungitur, quare Holzinger aut cum Dillmann alium fontem aut cum Kuenen retractationem textus originalis suspicatur. At verbum נָכַל quater tantum in Scriptura occurrit (cf. Buhl et Mandelkern), e quibus locis usum linguae vivae statuere non possumus (cf. Gunkel); ceterum videas Gesenius-Kautzsch 372. — *Somniator* בַּעַל הַחֲלֹמוֹת i. e. dominus somniorum = „qui somnia habet"; etenim „dominus s. possessor rei saepe vocatur, qui ea re praeditus est et pollet" (Gesenius 224). — De הַלָּזֶה videas pag. 358. — *Cisterna,* בּוֹר, est foramen terrae, in quo aquae pluviales colliguntur et servantur (Gesenius 176) ideoque a puteo et fonte (cf. pag. 270) distinguenda est; „cisternis aqua carentibus uti solebant pro carceribus, Zach. 9, 11; Ier. 38, 6 s." (Gesenius 176). Reliqui fratres Iosephi de cisterna aliqua, Ruben vero de cisterna determinata loquitur, quam vacuam esse cognoverunt (cf. ỲỲ. 24 et 26 ss.), ne immissus aqua suffocaretur (cf. Gunkel). —

Καὶ ὀψόμεθα τί ἔστιν τὰ ἐνύπνια αὐτοῦ = num somnia verum praenuntiaverint. — Hagiographus prius in ℣. 21 breviter notat, quomodo Ruben Iosephum a morte liberaverit, videlicet fratribus consulens, ne statim eum occiderent, uti statuerant (cf. pag. 524). Deinde verba refert, quibus Ruben fratribus consilium suum exposuit, ne sanguinem Iosephi funderent neve alio modo violenti fratrem interficerent, sed vivum in cisternam determinatam mitterent. Denique narrat, quare Ruben fratribus hoc consilium attulerit, nimirum ut Iosephum patri restituere posset. — Gunkel asserit, Rubenum mentitum esse, sed istud mendacium ob finem bonum narratori plane licitum apparuisse; esse characteristicum quod omnes patriarchae data occasione mentiantur. Quibus oppono: *α)* Gunkel ne unico quidem argumento confirmare potest, omnes patriarchas mentitos esse. *β)* Supposito, Rubenum revera mentitum esse, Gunkel demonstrare nequit, istud mendacium ob finem bonum narratori plane licitum apparuisse, cum hagiographus verba Rubeni neque approbet neque reprobet. *γ)* Ruben revera non mentitus est. Consuluit fratribus, ne Iosephum interficerent; consuluit eis, ut eum vivum in cisternam determinatam mitterent: non dixit tamen, ut eum in cisterna fame necarent. Quod si fratres Rubeno assentientes id intendebant et intelligebant, ut Ioseph in cisterna fame necaretur: hanc intentionem et hunc intellectum verborum Ruben non produxit, sed admisit tantum, quod licitum fuit. Relegas ea, quae pag. 228 et 388 de restrictione mentali atque pag. 401 s. de mendacio scripta sunt, ut perspicias Rubenum non mentitum sed licita restrictione mentali usum esse. — Lapide putat, Rubenum ideo pro Iosepho locutum esse eumque ad patrem reducere voluisse, „ut amissam incestu patris gratiam hac in fratrem tam patri charum pietate recuperaret". — Conferas ad praecedentia 42, 22: *E quibus unus Ruben, ait: Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum: et non audistis me? en sanguis eius exquiritur.*

Ruben consilio suo fratrem reapse a morte *liberavit,* uti textus Hebraicus et Graecus habent; Latinus minus accurate *nitebatur liberare eum* reddit. — In ℣. 21ᵇ hebr. לֹא נַכֶּנּוּ נָפֶשׁ = non percutiamus eum quoad vitam, „ita ut vitam amittat" (Gesenius 884) = non occidamus eum (cf. Gesenius-Kautzsch 375 s.); videas hiphʿil verbi נָכָה. — Duplex *et dixit* in ℣. 21 s. ex iis clarescit, quae supra diximus, neque duplicem fontem innuit, ut Dillmann opinatur. — *Sanguinem alicuius fundere* horribilius est quam *manum* seu vim *alicui inferre* (שָׁלַח יָד), ideoque a Ruben apte praemittitur. — *In solitudine,* בַּמִּדְבָּר i. e. in pascuo: nam מִדְבָּר non solum regionem desertam et sterilem, verum etiam vastam et gregibus pascendis aptam significat (Gesenius 318), quae significatio ob contextum hic retinenda est. — Ad ℣. 23 hebr. Hummelauer scribit: „Pulchra emphasis: detrahunt eam, quae tantae invidiae causa fuerat: detrahunt, non qua vestiantur ipsi, sed qua sanguine tincta patrem decipiant." Gunkel explicationem communem, qua fratres Iosephi eo consilio tunicam detraxisse dicuntur, ut illam sanguine tinctam patri mitterent, falsam

vocat et putat, fratres istud consilium post venditionem Iosephi cepisse; contextus sequens (℣. 30 s.) sententiam Gunkeli confirmare videtur. — Gunkel cum aliis protestantibus supponit, versus 21 et 23 ex alio fonte esse ac versus 22 et 24; supponit, in ℣. 21 originaliter non Ruben sed *Iuda* scriptum fuisse; supponit, versus 21 et 23 compluries retractatos esse; opinatur, versus originaliter sic sonasse: „audiens hoc Iuda dixit eis: ne occidamus eum. Cum autem Ioseph ad fratres appropinquaverat, exuerunt eum tunica sua; ipse vero eripuit eum e manu eorum". Verumtamen Gunkel et patroni eius ad confirmandas suppositiones suas ne unicum quidem argumentum logice validum afferunt: quod autem gratis asseritur, gratis negatur, docent philosophi. Videas excursum sequentem.

℣℣. **25—28. Et sedentes** vel potius sederunt (Hebraicus et Graecus) *ut comederent panem,* et elevarunt oculos suos et (Hebraicus et Graecus) *viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad, et camelos eorum portantes aromata, et resinam, et stacten in Aegyptum,* in Hebraico: viderunt, et ecce commeatus Ismaelitarum venit e Galaad, et cameli eorum portarunt tragacanthum, נְכֹאת, et masticem, וּצְרִי, et ladanum, וָלֹט, euntes ut deferrent in Aegyptum. [26] *Dixit ergo Iudas fratribus suis: Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, et celaverimus sanguinem ipsius?* [27] *Melius est ut venundetur Ismaelitis, et manus nostrae non polluantur,* LXX accuratius δεῦτε ἀποδώμεθα αὐτὸν τοῖς Ἰσμαηλίταις τούτοις, αἱ δὲ χεῖρες ἡμῶν μὴ ἔστωσαν ἐπ' αὐτόν, *frater enim* noster (Hebraicus et Graecus) *et* (ita etiam Samaritanus, Graecus, Syrus; Hebraicus *et* omittit) *caro nostra est. Acquieverunt fratres* eius (Hebraicus et Graecus) *sermonibus illius* (haec 2 verba in Hebraico et Graeco desunt). [28] *Et praetereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis, viginti argenteis: qui duxerunt eum in Aegyptum,* in Hebraico et Graeco: et transierunt viri Madianitae negotiatores; extraxerunt autem et eduxerunt Ioseph e cisterna et vendiderunt Ioseph Ismaelitis viginti argenteis; et duxerunt Ioseph in Aegyptum. — Negotiatores, quibus Ioseph venditus est, in 37, 28ᵃ. 36 *Madianitae*: in 37, 25. 27. 28ᵇ; 39, 1 autem *Ismaelitae* nominantur. Similiter in libro Iudicum *Madianitae* a Gedeone devicti (cf. 6, 1 ss.; 7, 1 ss.; 8, 1 ss. 22. 26. 28) *Ismaelitae* vocantur (8, 24). Hic usus loquendi facile declarari potest. Nam posteri Ismaelis et Madian propinquitate coniuncti erant, quia Ismael et Madian filii

Abrahae fuerunt (cf. pag. 270 et 361 s.), atque in eadem regione habitabant (cf. pag. 362); insuper posteri Madian minus copiosi erant (cf. pag. 363) quam Ismaelitae (cf. pag. 374): quibus de causis Madianitae Ismaelitis annumerabantur eorumque nomine vocabantur (cf. Gunkel, Hoberg, Strack[2]). Si Ismaelitae *de Galaad* (cf. pag. 451) venisse narrantur, non sequitur eos ibi habitasse; rationem, cur e Galaad venerint, in Ier. 8, 22; 46, 11; Ez. 27, 17 insinuatam habemus: in Galaad aromata reperiebantur. Commeatus iam antiquitus per Dothain in Aegyptum profectos esse, omnes interpretes concedunt.

Cameli Ismaelitarum portarunt נְכֹאת = contusionem, confractionem (a נָכָא = נָכָה *percussit*) „inde pulvis aromaticus (LXX *θυμιάματα*, Vulgata *aromata* vertunt) . . . quod generale nomen dein ad certum quoddam aromatis genus translatum videtur“ (Gesenius 883); recentiores communiter tragacanthum seu tragantum = gummi tragacanthae seu astragali intelligunt (cf. Buhl, Dillmann aliosque). Portarunt praeterea צֳרִי = lacrimam (a צָרָה *fissuras fecit*) „arboris fruticisve in Gileaditide crescentis admodum pretiosa . . . vulneribus potissimum sanandis adhibita . . . plerique interpretes Hebraei balsamum s. opobalsamum intelligunt“ (Gesenius 1185); recentiores communiter masticem i. e. *resinam* pistaciae lentisci intelligunt (cf. Buhl, Dillmann aliosque). Portarunt denique לֹט = „*λῆδον, λήδανον*, lat. ledum, ladanum . . . resina quaedam pituitosa suave olens, quae ex foliis fruticis (cistus ladanifera, cistus creticus dictae) in insula Creta, Arabia . . . Africa . . . singulari modo . . . colligitur“ (Gesenius 748 aliique recentiores); LXX et Latinus stacten i. e. lacrimam myrrhae intellexerunt. Istis rebus Aegyptii praecipue ad medicanda mortuorum corpora indigebant, quemadmodum omnes interpretes profitentur; quas cum in terra sua non invenirent, a negotiatoribus emebant, qui eas ex Arabia, Galaad et Chanaan (cf. 43, 11; Dillmann, Hummelauer, Hoberg) in Aegyptum afferebant.

Secundum Ꝟ. 29 s. Ruben a fratribus discesserat vel „quaesitum commodiora suo gregi pascua“ (Hummelauer) vel probabilius ut ita Iosephum clam e cisterna educere posset (Hoberg). Iudas putavit, iuxta consilium Rubeni Iosephum in

cisterna fame necandum esse; misericordia motus absente Rubeno fratribus mitiorem simulque utiliorem modum proponit, quo Ioseph de media familia tolli possit, videlicet venditionem, quam ceteri approbant. Transeuntibus igitur Madianitis Iosephum e cisterna extrahunt ac 20 siclis argenteis i. e. 48 *M* (cf. pag. 339) illis vendunt, qui eum in Aegyptum ducunt.

Isti, qui fratrem in cisternam miserant, ut ibi fame necaretur, sederunt *ut comederent panem.* Bene Hummelauer S. Chrysostomum citat exclamantem: „O crudelitatem! o inhumanitatem!" — Lapide cum Caietano et Pererio censet, negotiatores partim Ismaelitas partim Madianitas fuisse; „sic enim mercatores Flandri et Galli simul ad nundinas proficisci solent". Verius tamen negotiatores Medianitae tantum fuerunt, qui etiam nomine Ismaelitarum vocabantur (cf. pag. 528). — Gunkel affirmat, scriptorem de Ismaelitis et Madianitis loquentem peccatum grave in temporis ratione committere. At quomodo quaeso? Posteri Ismaelis et Madian, filiorum Abrahae, iam tunc erant; populi vero a scriptore non introducuntur: ergo „anachronismus crassus" in phantasia Gunkeliana tantum exsistit. — De commercio in Aegyptios aliasque gentes vigente, de via commeatuum necnon de aromatibus ab Aegyptiis adhibitis Heyes (Bibel und Ägypten, pag. 52—87) diffuse scripsit. — Iudas voluit Iosephum e familia tollere, quia omnibus fratribus invidiosus; noluit eum fame necare, quia consanguinitate cum eis coniunctus erat. *Celare sanguinem,* כִּסָּה אֶת־דָּם, idem est ac necem occultare (Buhl, Dillmann, Strack[2]); iuxta Wellhausen vero idem ac necare sine sanguinis effusione; iuxta Gunkel et Holzinger, qui Schwally sequuntur, idem ac sanguinem tegere, ne vindictam invocare possit. At ambae sententiae posteriores a Dillmanno recte reiiciuntur, quia usu loquendi probari nequeunt. — Hummelauer putat, Iudam interrogatione sua avaritiam fratrum stimulare, ne Iosepho manus iniciant i. e. vim afferant fame eum necantes. Cum phrasi *frater noster et caro nostra est* conferas aliam pag. 64 declaratam. — Vendiderunt Iosephum 20 argenteis scil. siclis (cf. pag. 338) quod omissum est uti 20, 16 (cf. pag. 310). Cum in Ex. 21, 32 pretium servi 30 sicli argentei statuantur, Hummelauer opinatur, Madianitas „perspexisse, sibi cum malae fidei hominibus esse negotium, qui pretium etiam vilius non essent recusaturi"; multo melius tamen Dillmann, Gunkel, Holzinger ad Lev. 27, 5, provocant, ubi pro masculo a quinto anno usque ad vigesimum 20 sicli statuuntur: Ioseph enim erat 17 annorum. — „Notat Severianus, apte auctorem venditionis Iosephi fuisse Iudam, quia per Iudam vendendus erat Christus, cuius typus erat Ioseph. Verum Iudas hic Iosephum bona mente et fine; Iudas ille Christum mala et sacrilega vendidit" (Lapide). — Negotiatores antiquitus etiam venaliciariam exercuisse, omnes sciunt. — Conferatur 42, 21: *et locuti sunt ad invicem: Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem*

nostrum, videntes angustiam animae illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio.

„Ideo, inquit S. Gregorius lib. 6. Moral., c. 12., venditus est a fratribus Ioseph, ne ab eis adoraretur, sed ideo est adoratus, quia est venditus. Sic divinum consilium, dum devitatur, impletur; sic humana sapientia, dum reluctatur, comprehenditur.“ Quibus verbis Lapide sequentia addit: „Fratribus ergo et mundo miser et infelix videbatur hic esse Ioseph, revera tamen non erat. Nam hoc ipso facto incipit Deus erigere manipulum eius fratrumque manipulos deiicere. Tunc enim Deus exaltare incipit, cum humiliat; et quo quemque plus exaltare intendit, eo profundius eum humiliat: ita fecit in Ioseph, et maxime in Christo. Thalamus ergo virtutis et gloriae est adversitas et deiectio.“

In ℣. 28 hebr. et gr. mutatio subiecti habetur, scilicet: transierunt *Madianitae;* extraxerunt et vendiderunt Iosephum Madianitis-Ismaelitis (pag. 527s.) *fratres eius;* duxerunt eum in Aegyptum *Madianitae.* Mutatio subiecti apud Hebraeos frequens est (pag. 250, nota 1 in fine) et hic per contextum manifestatur ac demonstratur. — Dillmann et sectatores eius concedunt quidem, in contextu nobis tradito Iosephum a fratribus suis e cisterna extractum fuisse; contendunt tamen, versum 28 e duabus relationibus sibi contrariis compilatum esse: iuxta unam Iosephum a fratribus venditum esse Ismaelitis; iuxta alteram Iosephum a Madianitis e cisterna eductum et furto sublatum esse. Probat autem Dillmann assertionem suam argumentis tribus: *a)* diversis nominibus negotiatorum; *b)* absentia articuli ante אֲנָשִׁים מִדְיָנִים, ob quam Madianitae non iidem esse possint ac Ismaelitae in ℣℣. 25 et 27 iam nominati; *c)* testimonio ipsius Iosephi 40, 15 dicentis, se furto sublatum esse. Quibus argumentis sequentia oppono: *α)* Madianitas Ismaelitis annumeratos eorumque nomine vocatos fuisse, pag. 527s. demonstratum ac declaratum est. Alioquin redactor, qui e duabus relationibus versum 28 compilavit, uti supponunt, discrepantiam nimis acrem nimisque apparentem abstulisset, nomen Madianitarum supprimendo (cf. Hoberg). *β)* Quod ad usum articuli attinet, nomina personarum vel rerum antea iam nominatarum utique articulum habent (cf. Gesenius-Kautzsch 410); ita iuxta regulam nomen Ismaelitarum in ℣. 25 sine, in ℣. 27 autem cum articulo ponitur. Atqui nomen Madianitarum in hoc contextu antea nondum nominatum est, ergo recte in ℣. 28 sine articulo, in ℣. 36 autem cum articulo scribitur; quod Madianitae etiam nomine Ismaelitarum vocati sint, nihil officit: nomine enim proprio nondum nominati fuerunt. Ergo absentia articuli assertionem Dillmanni non probat. *γ)* Item 40, 15 non probat id, quod Dillmann vult. Verbum גָּנַב proprie *ad latus posuit* (Gesenius, Buhl), hinc *abstulit, clam removit, furatus est* significat (Gesenius). Clam remotum vel furto sublatum Ioseph merito se dicere potuit, quia inscio atque invito Rubeno et Iacobo venditus et in Aegyptum ductus fuerat (cf. Hoberg et Strack[2]). Confirmatur haec explicatio alio Iosephi testimonio (45, 4s.), quo se a fratribus in Aegyptum

venditum fuisse asseverat. *δ)* Scriptor ille, qui e monumentis antiquioribus Genesim composuit, Dillmanno concedente tam in 37, 28 quam in 45, 4s. Iosephum a fratribus venditum, non vero a Madianitis surreptum narrat. Atqui e doctrina catholica scriptor inspiratus nomine proprio narrans falsa enuntiare nequit (cf. pag. 35. 37). Ergo Ioseph reapse Madianitis venditus, non vero ab eis surreptus est.

℣℣. **29—34. Reversusque** est (Hebraicus et Graecus) *Ruben ad cisternam, non invenit puerum,* in Hebraico: et ecce non erat (LXX *καὶ οὐχ ὁρᾷ*) Ioseph in cisterna; [30]*et scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait: Puer non comparet,* אֵינֶנּוּ i. e. *οὐκ ἔστιν, et ego quo* ego (Hebraicus) *ibo?* [31]*Tulerunt autem tunicam eius* (pro *eius* in Hebraico et Graeco *Ioseph*), *et in sanguine hoedi, quem occiderant, tinxerunt,* LXX accuratius *ἔσφαξαν ἔριφον αἰγῶν καὶ ἐμόλυναν τὸν χιτῶνα αἵματι·* [32]*mittentes qui ferrent ad patrem, et dicerent,* LXX accuratius *καὶ ἀπέστειλαν τὸν χιτῶνα τὸν ποικίλον* (cf. pag. 520) *καὶ εἰσήνεγκαν τῷ πατρὶ αὐτῶν καὶ εἶπαν· Hanc invenimus: vide* quaesumus (Hebraicus) *utrum tunica filii tui sit, an non.* [33]*Quam cum agnovisset pater, ait,* in Hebraico: et vidit eam et dixit: *Tunica filii mei est* (etiam Samaritanus, Graecus et Syrus legebant הִיא, quod in textu Masorethico deest), *fera pessima* (in Hebraico et Graeco *mala*) *comedit* seu devoravit *eum* (cf. ℣. 20), *bestia devoravit Ioseph;* similiter in LXX, in Hebraico autem טָרֹף טֹרַף יוֹסֵף i. e. omnino dilaniatus (cf. pag. 56) est Ioseph. [34]*Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore,* LXX accuratius *διέρρηξεν δὲ Ἰακὼβ τὰ ἱμάτια αὐτοῦ καὶ ἐπέθετο σάκκον ἐπὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ καὶ ἐπένθει τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἡμέρας τινάς.* Ruben clam ad cisternam rediit, ut Iosephum liberaret (cf. pag. 528; Dillmann, Hummelauer); eam vacuam inveniens vestimenta sua scidit, quae scissio „significabat scissum dolore cor“ (Lapide; cf. et Holzinger). Suspicans, a quibus Ioseph ablatus esset, ad fratres perrexit atque lamentabatur. Verba eius: „Puer non adest, et ego quo ego ibo“, Lapide bene sic explicat: „Quid agam? quo me vertam? quo ibo? non enim audeo comparere coram patre nostro. Pater enim a me, quasi seniore filio, suum Ioseph exposcet, et cum eum illi exhibere nequeam, ingentem illi tristitiam et mihi offensam conciliabo . . . non ausim in conspectum eius prodire; quo

ergo ibo?" Similiter Hummelauer cum aliis. Conferas verba Iudae (44, 34): *Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero: ne calamitatis, quae oppressura est patrem meum, testis assistam.* Tunc „fratres Rubenum, quid actum esset, edocuerunt" (Hummelauer cum Iosepho Flavio) atque sentire coeperunt, in quam iniquam conditionem semetipsos redegissent. Hinc convenerunt, ut patrem tunica sanguine tincta fallerent (cf. pag. 527); at nemo eorum ausus est coram patre apparere: per internuntium patri tunicam miserunt et locuti sunt. Iacob persuasum habens, filium suum dilectum a bestia dilaniatum fuisse, non solum vestimenta sua scidit, verum etiam cilicium vel saccum, שַׂק, induit. „Primus, notat Lapide, qui in luctu saccum sive cilicium induisse legitur, fuit Iacob hoc loco: unde postea idipsum eius posteri, puta Israelitae, in luctu imitati sunt." Idem asserit, Iacobum mortem Iosephi luxisse, donec eum vivere cognovit (cf. pag. 359).

Quod Schwally (cf. Holzinger) opinatur, vestem forsitan scissam fuisse, ut saccus facilius indueretur, etiam Gunkel reprobat atque versus 30 falsum ostendit: Ruben enim saccum non induit. Secundum Wellhausen (cf. Holzinger) scissio vestis erat expressio passionis, quae nullius rationem haberet (rücksichtsloser Leidenschaft), quae tamen opinio demonstrari nequit. — Vestis superior orientalium supra pectus facile scindi potest. Vestis Rubeni vocatur בֶּגֶד, Iacobi שִׂמְלָה, quorum nominum differentia vix indicari poterit (cf. Gesenius, Buhl). — De אֵינֶנּוּ videas Gesenius-Kautzsch 294 et lexica; de duplici *ego* in ℣. 30 Gesenius-Kautzsch 465 s. — Hoberg cum Bonfrerio putat, sensum interrogationis Rubeni hunc esse: quo ibo eum requisiturus? sed Hummelauer istum sensum minus probabilem censet. Idem Hoberg putat, fratres Rubeno non dixisse, quid interea factum sit. At haec opinio psychologice improbabilis est. — Contextus innuere videtur, fratres Iosephi tunc (non antea) consilium patris fallendi cepisse (cf. pag. 526 s.); utrum Ruben quoque consenserit necne, non liquet: tacuit saltem, quod in sequentibus videbimus. — טֹרַף est inf. absol. pass. kal (Gesenius-Kautzsch 347). — שַׂק, assyr. *šakku,* aeg. *sag,* copt. *sok,* gr. *σάκκος* (Buhl) idem est ac „pannus crassus impr. e pilis textus, qualem cribris colisque . . . neque non saccis frumentariis et vestibus lugubris adhibebant . . . in corpore nudo gestari . . . et etiam noctu non deponi" solebant (Gesenius). Pannus iste crassus ad coxas alligabatur (cf. ℣. 34; Buhl). — יָמִים רַבִּים = „dies multi, longum tempus" (Gesenius 1254). — Holzinger cum Schwally opinatur, usum sacci (= vestis servorum) fuisse reliquias cultus manium. Verumtamen nullo argumento demonstrari potest, proavos

populi Israel manibus defunctorum cultum divinum tribuisse; in Scriptura Vet. Test. nihil legimus, quod pietatem naturalem erga mortuos excedat (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 413).

℣. **35. Congregatis autem,** *συνήχθησαν δέ* = וַיִּקָּהֲלוּ (in Masorethico וַיָּקֻמוּ i. e. et surrexerunt) *cunctis liberis eius* (in Hebraico similiterque in Graeco: cuncti filii eius et cunctae filiae eius) *ut lenirent dolorem patris,* לְנַחֲמוֹ i. e. *παρακαλέσαι αὐτόν, noluit consolationem accipere,* וַיְמָאֵן לְהִתְנַחֵם, *sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum,* שְׁאֹלָה. *Et illo perseverante in fletu,* LXX accuratius *καὶ ἔκλαυσεν αὐτὸν ὁ πατὴρ αὐτοῦ.* Postquam fratres per internuntium (pag. 532) rescierunt, quanta tristitia patrem affecissent, in Hebron venerunt, ut ei solatium afferrent, quod tamen recusavit. Volebat filium suum lugere, donec cum ipso in inferno coniungeretur. Nomen שְׁאוֹל (= infernus, orcus) Israelitis proprium est neque apud populos reliquos invenitur. Quod ad etymon attinet, Gesenius et Fürst cum Böttcher et Ewald שְׁאוֹל a verbo שָׁאַל = שָׁעַל *fodit, excavit* derivant, ita ut proprie „cavum subterraneum" significet; hanc etymologiam Deut. 32, 22; Ps. 85, 13; 138, 8; Prov. 15, 24; Iob 11, 8; Am. 9, 2; Is. 14, 9; 57, 9; Ez. 32, 21 confirmare videntur: nam in his locis שְׁאוֹל locus in profundo terrae situs describitur. Alii plerique „orcum a *poscendo* dictum putabant, refert Gesenius, quippe qui continuo poscat et insatiabilis sit (Prov. 30, 16; *orcus rapax,* Catull. 2, 28. 29)": derivabant igitur vocabulum a שָׁאַל *poposcit,* quae opinio minus probabilis videtur (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 613 s.). Iacob asseverans *Descendam ad filium meum lugens in infernum* immortalitatem animae, quam scriptores inspirati alibi docent (cf. pag. 365 et Theol. bibl. Vet. Test., pag. 534 ss.), evidenter professus est. „Nam Iacob putabat, Iosephum a bestiis devoratum ideoque insepultum esse; ergo non putabat nec optabat ad eum descendere in sepulchrum, sed in infernum . . . Iacob autem Iosephi mortui animam superstitem videre cupiebat . . . Hinc patet, Iacobum ex maiorum instructione et traditione credidisse animae immortalitatem" (Lapide; cf. et Holzinger).

Ex hoc loco discimus, Iacobum plures *filias* habuisse (cf. pag. 435; Hummelauer, Gunkel). Gunkel asserit, aliam in 30, 21 (ubi *Dina sola*

commemoratur) aliam in 37, 35 traditionem contineri. Hoc falsum est. Nam ex eo quod in 30, 21 sola Dina commemoratur, non sequitur Iacobum illam tantum filiam habuisse; cur sola Dina commemoretur, pag. 435 iam diximus. Ceterum iuxta usum loquendi Hebraicum *filiae* etiam nurus intelligi possunt (cf. Strack[2]). — Experientia edocti scimus, homines acribus dolorum morsibus commotos saepius solatium recusare atque semper dolori parere velle; sensim tamen luctus imminuitur, quia „plaga animi quantalibet tempore mitigatur" (Lapide). — Gunkel cum Schwally e verbis Iacobi deducit, ipsum sacco indutum et cinere conspersum ad filium in infernum descendere voluisse. Haec conclusio prorsus ridicola est. Iacob enim expertum habuit, corpora mortuorum in sepulchro recondi, non vero in infernum descendere; ipsum autem putasse, animam immortalem sacco indutam et cinere conspersam in infernum descendere, impossibile est, quia sciebat saccum et cinerem cum corpore in sepulchro manere. Sententiae Gunkelianae nonnumquam absurdissimae sunt (cf. pag. 475, nota 1). — Idem Gunkel infernum miserum vocat. Quid Israelitae de statu animarum in inferno degentium senserint, hic non exponendum est; in Theol. bibl. Vet. Test., pag. 614s. invenies, quid varii loci biblici Vet. Test. de hac re tradant.

℣. 36. **Madianitae** autem (Hebraicus et Graecus) *vendiderunt Ioseph* (pro *Ioseph* Hebraicus *eum*) *in Aegypto* (LXX accuratius *εἰς Αἴγυπτον*) *Putiphari eunucho Pharaonis* (pag. 229) *magistro militum.* — Putiphar, פּוֹטִיפַר (= פּוֹטִי פֶרַע, cf. 41, 45. 50; 46, 20) idem est ac nomen Aegyptium *P-du-pa-rā* = „is quem dedit Ra" vel „donum Ra" (*p* = articulus, *du* = dare, donum, *pa* = articulus, *Ra* = deus solis) vel *P(a)-hetep-ra* (Coptice et Graece *P(a)-ḥōtep-ra* transcriptum) = „donum Ra" (cf. Heyes 105ss., Buhl); LXX habent *Πετρεφῆς, Πεντρεφῆς*. Ipse vocatur *eunuchus,* סָרִיס, quod nomen non stricto, sed lato sensu accipiendum esse videtur, ita ut aulicum quemlibet significet (Buhl, Dillmann, Hoberg, Holzinger, Strack[2] cum Ermann aliisque, quibus tamen Gesenius contradicit; cf. et Heyes 117ss.). Vocatur etiam שַׂר הַטַּבָּחִים = „praefectus carnificum i. e. satellitum s. praetorianorum. Apud Aegyptios in eius domo erat carcer publicus (Gen. 40, 3); apud Chaldaeos Nebusaradan, qui hoc munere fungebatur, exercitus regii parti praeerat, Ier. 39, 13; 52, 15" (Gesenius 542). Putiphar fuit igitur praepositus eorum, qui corpus et domum regis custodiebant (Buhl 242s.) simulque securitati publicae invigilabant (Heyes 123s.). Vocatur denique in 39, 1 *vir Aegyptius,* quibus verbis hagiographus forsitan insinuat, reges illius temporis

extraneos fuisse. Reapse Ioseph in Aegyptum venit, cum Hyksos dominabantur. Nam Abraham *ca.* 2200 a. Ch. vixit (pag. 240), cui centenario Isaac natus est (pag. 312); hic 60 annorum Iacobum genuit (pag. 379), qui 91 annos natus Iosephum suscepit (pag. 396) post 17 annos in Aegyptum deductum (pag. 517 s.). Si ab *ca.* 2200 deducimus 100 + 60 + + 91 + 17 = 268, invenimus Iosephum *ca.* 1932 a Putiphare emptum esse: Hyksos autem 2100—1700 a. Ch. in Aegypto dominabantur (pag. 227, in fine).

הַמְּדָנִים aut ex הַמִּדְיָנִים contractum aut falso scriptum est (Strack[2]), ut e ℣. 28 et versionibus elucet. — „Plurimos apud Aegyptios fuisse servos Semitas, constat cum picturis murorum, tum quod vox עֶבֶד apud Aegyptios in generalem servorum appellationem abierit: *abata*" (Hummelauer). — *Putiphar* iuxta Ebers = aeg. *petefrê* i. e. consecratus soli, iuxta Brugsch = aeg. *puti-par* i. e. donum eius qui apparuit (cf. Bachmann). — De סָרִיס apud Heyes, Hummelauer, Gesenius plura invenies. Lapide bene scribit: „Eunuchis . . . olim committebatur custodia reginae eiusque puellarum cubilisque regii; hinc eunuchi erant intimi et proximi regi et reginae. Hac de causa eunuchi vocati sunt principes aulae, etiamsi non essent eunuchi" sensu stricto. — Titulus idem שַׂר הַטַּבָּחִים in Vulgata 37, 36 *magister militum,* 39, 1 *princeps exercitus,* 40, 3 et 41, 10 *princeps militum,* 41, 12 *dux militum,* 40, 4 vero *custos carceris* vertitur, quae varietas versionis varietatem personarum insinuare potest. — Gunkel putat, ob 40, 2 ss., ubi praepositus pincernarum et praepositus pistorum commemorantur, שַׂר הַטַּבָּחִים praepositum laniorum intelligendum esse. Verbum טָבַח reapse tum *mactavit* (pecora) tum *trucidavit* (homines) significat (cf. lexicon); forsitan cum quibusdam a Buhl 243 citatis dicere possumus satellites regios etiam pecora mactasse. LXX vertunt ἀρχιμάγειρος i. e. praepositus coquorum, quia טַבָּח etiam coquum significat (cf. 1 Reg. 9, 23 s. et lexica). — Steindorff, Brugsch et alii asserunt, nomina ut nomen *Putiphar* formata ante dynastiam XXII i. e. ante 950—800 a. Ch. non inveniri. Quibus respondemus, sepulchra Heliopoleos, urbis Ra, nondum reperta atque e ceteris documentis istius urbis pauca dumtaxat hucusque effossa esse (cf. Heyes 107 ss.).

Excursus.

De compositione huius narrationis.

Wellhausen, Dillmann, Kautzsch-Socin, Holzinger, Gunkel et sectatores eorum statuunt, narrationem in cap. 37 consignatam e duabus variantibus quoad plura sibi contra-

dicentibus compositam esse. Breviter ascribam sententiam istorum a Gunkel 363 ss. retractatam. In priore variante causa movens sunt somnia. Somnis Iosephi aemulatio fratrum excitata est (℣℣. 5—11); quando igitur somniatorem ad se venientem conspexerunt (℣. 19), eum occidere ac deinde in cisternam abiicere volebant, ut viderent quid somnia ei prodessent (℣. 20); obedientes tamen Rubeno eum vivum in cisternam miserunt, ut fame necaretur (℣℣. 22. 24); postquam omnes fratres istam cisternam reliquerunt (cf. ℣. 29), transierunt Madianitae, qui Iosephum furati sunt (℣. 28^{a}) et in Aegypto Putiphari vendiderunt (℣. 36). — In altera variante causa movens est tunica manicata. Israel Iosepho prae ceteris dilecto tunicam manicatum fecerat, quam ob rem fratres eum oderunt (℣℣. 3. 4); quando Ioseph ad fratres suos venit, tunica manicata spoliatus sed ab Iuda e manibus eorum liberatus est (℣℣. 21. 23); consiliante Iuda fratres Iosephum Ismaelitis vendiderunt, qui eum in Aegyptum duxerunt (℣℣. 25—27. 28^{b}); denique tunica sanguine tincta patrem fefellerunt (℣℣. 32. 33).

Hanc sententiam Gunkel relationibus duplicibus et repetitionibus probat, quas in cap. 37 invenit et recenset scribens: negotiatores in ℣℣. 25. 27. 28^{b} necnon 39, 1 *Ismaelitae*, in ℣℣. 28^{a}. 36 *Madianitae* appellantur; Ismaelitae iuxta ℣℣. 27. 28^{b} Iosephum emerunt, Madianitae iuxta ℣. 28^{a} eum furati sunt; fratres Iosephum oderunt propter tunicam manicatam (℣℣. 3. 4; cf. 23. 31. 32. 33) aut propter somnia sua (℣℣. 5—11; cf. 19. 20); pater in ℣℣. 3. 13 *Israel*, in ℣. 34 *Iacob* nominatur; adiutor Iosephi secundum ℣℣. 22. 29 s. *Ruben*, secundum ℣. 26 *Iudas* fuit; bis Ioseph a patre missus narratur, scil. in ℣℣. 12. 13^{a}. 14^{b} atque in ℣℣. 13^{b} 14^{a}; bis fratres Iosephum occidere voluisse referuntur, videlicet in ℣. 18^{b} atque in ℣℣. 19. 20; bis eis contradicitur, nimirum in ℣. 21 atque 22; Ioseph a fera dilaniatus in ℣. 20 a fratribus, in ℣. 33 a patre pronuntiatur; bis Iacob filium luxisse scribitur, scil. in ℣℣. 34^{b}. 35^{a} atque in ℣℣. 34^{a}. 35^{b}.

Haec argumenta futilia et caduca sunt. Quod enim ad Madianitas et Ismaelitas spectat, iam pag. 527 s. demonstravimus, *Madianitas* Ismaelitis annumeratos eorumque nomine appellatos esse: ergo iidem negotiatores nomine Madianitarum et

Ismaelitarum significantur. Iosephum a Madianitis furto sublatum esse, pag. 530s. falsum ostendimus. De causa odii pag. 521 notavimus, hagiographum tam in ℣. 5^b quam in ℣. 8^b notare, Iosephum propter *somnia* maius odium concitasse: ergo versum 4^b necessario supponi, in quo odium propter *tunicam manicatam* nuntiatur; Gunkel supponit quidem, at nullo argumento probare potest, versus 5^b et 8^b serius adiectos esse: ratio agendi, qua sententiae opinionem propriam refutantes sine ullo argumento e textu originali eliminandae dictitantur, minime scientifica est. De nomine *Israelis* et *Iacobi* pag. 475 in fine videas. *Ruben* effecit, ne Ioseph statim interficeretur (pag. 525); *Iudas,* ne in cisterna fame necaretur (pag. 529): ergo in istis versibus de diversa re agitur. Iosephum non bis ad fratres missum neque fratres bis necem Iosephi machinatos esse, consideratio usus loquendi versuum 12—14 atque 18^b—20 manifestat. In ℣℣. 21 et 22 non bis fratribus contradici, pag. 526 monstravimus; in ℣. 21 pro *Ruben* legendum esse *Iuda* asserunt quidem, ut opinionem suam comprobent, at nullo argumento confirmare possunt (cf. pag. 527). Secundum ℣. 20 fratres Iosephi patri dicere voluerunt, illum a fera devoratum esse, quod etiam facto fecerunt mittentes tunicam sanguine tinctam; pater symbolicam eorum locutionem optime intelligens verbo pronuntiavit (℣. 33), filium dilectum a fera dilaniatum esse: ubi ergo duplex varians est? In ℣℣. 34. 35 utique bis luctus Iacobi describitur; sed in ℣. 35 notatur, luctum Iacobi statim inchoatum (℣. 34) interventu filiorum filiarumque eius interrumpi nequivisse, sed revera *multo tempore* perseverasse.

Insuper si compilator quidam e duabus variantibus sibi quoad plura contradicentibus unam narrationem confecisset, quemadmodum supponunt: quare istas contradictiones non abstulit, sed eas relinquens narrationem suam probabilitate et credibilitate destituit? nullus scriptor sanae mentis hoc facit. — Denique sententia Gunkeliana cum catholica inspirationis notione conciliari nequit. Nam scriptores inspirati proprio nomine loquentes „ea omnia eaque sola“, quae Deus iuberet, fideliter conscribere voluerunt atque „infallibili veritate“ expresserunt (cf. pag. 35. 37). Atqui

Deus, essentialis veritas et veracitas, sibi contradicere vel per scriptores inspiratos narrationem contradictiones continentem (cf. pag. 535 s.) compilare non potest. Ergo sententia virorum pag. 535 nominatorum falsa est.

C. 38. ℣℣. **1—5. Eodem tempore descendens Iudas** *a fratribus suis, divertit ad Virum Odollamitem,* עֲדֻלָּמִי, *nomine Hiram,* חִירָה. [2]*Viditque ibi* Iudas (Hebraicus et Graecus) *filiam hominis Chananaei, vocabulo,* וּשְׁמוֹ, *ἧ ὄνομα, Sue,* שׁוּעַ, *Σαύα· et accepta uxore, ingressus est ad eam,* LXX accuratius *καὶ ἔλαβεν αὐτὴν καὶ εἰσῆλθεν πρὸς αὐτήν* (pag. 427). [3]*Quae concepit, et peperit filium, et vocavit,* וַיִּקְרָא (ca. 12 manuscripta Hebraica et Samaritanus habent וַתִּקְרָא) *nomen eius Her,* עֵר, *Ἤρ.* [4]*Rursumque concepto foetu, natum filium vocavit Onan,* LXX accuratius *καὶ συλλαβοῦσα ἔτι, ἔτεκεν υἱὸν καὶ ἐκάλεσεν,* וַתִּקְרָא, *τὸ ὄνομα αὐτοῦ Αὐνάν,* אוֹנָן. [5]*Tertium quoque peperit: quem appellavit Sela. quo nato, parere ultra cessavit,* LXX multo accuratius *καὶ προσθεῖσα ἔτι* (cf. pag. 104 s.), *ἔτεκεν υἱὸν καὶ ἐκάλεσεν,* וַתִּקְרָא, *τὸ ὄνομα αὐτοῦ Σηλώμ,* שֵׁלָה: *αὕτη δὲ ἦν* (pro וְהָיָה Kittel cum multis aliis legendum iudicat וְהִיא) *ἐν Χασβί,* בִּכְזִיב, *ἡνίκα ἔτεκεν αὐτούς,* אֹתוֹ. — Hagiographus describit „genealogiam Iudae potius quam aliorum fratrum, quia ex Iuda de Thamar nasciturus erat Christus. Secundo, ne Iudaei Gentiles despicerent, cum tribus Iuda, quae erat nobilissima, ex Chananaeis per matrem Thamar descenderet“ (Lapide). Inseritur autem genealogia post venditionem Iosephi et post congregationem familiae Iacobi in Hebron (cf. pag. 533), quia matrimonium Iudae *eodem tempore* celebratum est; ea, quae de filiis Iudae narrantur, utique serius acciderunt, sed iam hic narrantur, ne narratio subsequens (cap. 39 ss.) interrumpatur (cf. pag. 507). Lapide putat, Iudam tunc 19 annorum fuisse, quod tamen e textu sacro cum certitudine erui nequit (cf. 29, 35 cum 30, 1 ss.). Iudas a fratribus in Hebron montana exsistentibus (pag. 533; Hummelauer; cf. Dillmann et Strack[2]) in urbem Odullam, in campestribus sitam (Ios. 12, 15; 15, 33. 35), *descendit* et cum Hiram amicitias iunxit. Postea ibi filiam Chananaei, qui Sue vocabatur, uxorem duxit et ab ea tres filios suscepit; ultimus in *K^ezib* natus est.

Dillmann et Strack[2] 139 notant, in cap. 38 originem trium familiarum tribus Iuda (cf. Num. 26, 19—22) describi. Strack[2] adiungit, non esse inane, quod David (cf. Ruth 4, 18—22 cum Gen. 38, 29) atque Christus (cf. Matth. 1, 1. 3. 16) de Thamar (Gen. 38, 6. 13 ss.) descendant. Reapse S. Hieronymus ad Matth. 1, 3 scribit: „Notandum, in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas quas Scriptura reprehendit: ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens omnium peccata deleret. Unde et in consequentibus Ruth Moabitis ponitur et Bethsabee uxor Uriae." — Hummelauer 532 et Hoberg 324 asserunt, „Iudae scelus" (Hummelauer) narrari ad declarandum, cur Ioseph quattuor fratribus natu maximis praelatus sit. Sed haec sententia non valde probabilis est. Nam incestus Iudae scelus dici nequit, quia Iudas cum Thamar non concubuisset, si eam nurum suam cognovisset (cf. ỳỳ. 16 et 26; Gunkel); praeterea, si ista assertio vera esset, hagiographus sibi constans etiam explicare debuisset, cur Ioseph duobus aliis fratribus natu maioribus, scil. Issachar et Zabulon, praelatus sit; denique ista assertio cum magnifica benedictione Iacobi (49, 8—12) conciliari nequit. Hoberg 324 s. insuper putat, tribum Iuda per Thamar ius naturale ad terram Chanaan possidendam sibi acquisisse; at videas quae pag. 341, nota 1 scripta sunt.

Hummelauer opinatur, „expressione *eodem tempore* non necessario effici, narrari cap. 38 quae simul cum cap. 37 narratis acta sint", et affirmat: „potuere haec aeque narrari initio cap. 37 aut ante 35, 23". Verumtamen usus loquendi et contextus revera docent, matrimonium Iudae post venditionem Iosephi celebratum esse (Dillmann). — Gunkel asseverat, Iudam non descendisse, sed ascendisse in Odullam, ideoque pro וַיֵּרֶד (ab יָרַד *descendit*) scribit וַיָּרָד (a רוּד *separavit se*). Sed Iudas reapse ab Hebron in Odullam descendit (cf. pag. 538), ergo mutatio textus non solum contra versiones antiquas, verum etiam sine fundamento facta est; ceterum forma וַיָּרָד verbi רוּד (cf. pag. 409, in fine) nullibi occurrit (cf. Buhl). Quales consequentias Gunkel e textu ita mutato deducat, in fine capitis exponemus. Separatio Iudae non perpetua fuit, nam in cap. 42 ss. eum cum fratribus coniunctum legimus (cf. Dillmann). — וַיֵּט עַד־אִישׁ: verbum נָטָה = tetendit, expandit, inclinavit, deflexit; ideoque post וַיֵּט Delitzsch אָהֳלוֹ *tentorium suum,* Bachmann לְבָבוֹ *cor suum,* Dillmann et Buhl nihil supplent; quidam pro עַד־ commendabant אֶל־, quae mutatio non necessaria est (cf. Bachmann, Buhl). Amicitia inter Iudam et Hiram exsistens iam hic ob ỳỳ. 12. 20 ss. notatur. — In 2. et 3. editione Clementina *Virum,* in Sixtina et 1. editione Clementina *virum* impressum est (cf. epilogum criticum meae editionis Bibliae Sacrae, pag. 109*). — Urbs *Odollam* (Gen. 38, 1) vel *Odullam* (Ios. 12, 15) vel *Adullam* (Ios. 15, 35) fuit inter Hebron et Bethlehem ad occidentem versus; in spelunca Odollam David latebat (1 Reg. 22, 1: 2 Reg. 23, 13 s.). — *Sue* iuxta Hebraicum fuit nomen viri Chananaei,

iuxta Graecum vero nomen filiae eius; lectioni Graecae Ý. 12 obstat, quem videas (cf. Hummelauer aliosque recentiores). — De matrimoniis filiorum Iacobi Hummelauer scribit: „Licet vero Deo volente Isaac et Iacob uxores duxerint Aramaeas, nulla lege nuptiae Chananaeae filiis Iacob prohibitae fuisse demonstrari possunt (Calm.). Aliud fortasse erat ex cap. 34 de filia tradenda incircumciso.“ Conferas pag. 488. — Ad masc. וַיִּקְרָא *vocavit* scil. Iudas (Ý. 3) notat Lapide: „Unde patet, patrem primogenito suo Her nomen dedisse; matrem vero aliis duobus postea natis.“ Sed cum Samaritano fem. וַתִּקְרָא emendandum videtur (cf. pag. 538), quemadmodum plerique recentiores iudicant. — Quando Sela natus est, iuxta Hebraicum *Iudas*; iuxta Graecum, quem recentiores probabiliorem censent, uxor Iudae in *Kezib* erat. Putant Dillmann, Hummelauer, Hoberg aliique, Kezib eandem esse atque *Akzib* vel *Achzib* (Ios. 15, 44). — Iuxta textum Graecum non solum Sela, sed etiam Her et Onan in Kezib nati sunt: ἔτεκεν αὐτούς. Si lectio αὕτη δὲ ἦν lectioni וְהָיָה praefertur, consequens videtur, ut etiam lectio αὐτούς lectioni אֹתוֹ praeferatur.. Notatur locus nativitatis filiorum Iudae, quia patriarchae saepe locum mutarunt (cf. praesertim historiam Abrahae et Iacobi). — De lectione Vulgatae *quo nato, parere ultra cessavit* Lapide scribit: „Verum melius, teste S. Hieronymo in quaest. in Genes., noster interpres *Kesib* accipit non ut proprium, sed ut appellativum, quo modo significat *mendacium* sive *defectum*, quasi dicens: erat in defectu pariendi, defecit eam conceptus et partus, destitit parere; unde et Aquila vertit: stetit partus eius.“ At verbum כָּזַב *mentitus est* „ad significationem cessandi detorqueri nequit“ (Hummelauer; cf. et lexica). Hoberg dubius haeret et pro sententia S. Hieronymi citat Is. 58, 11, ubi fons aquarum, cuius aquae non fallunt, לֹא יְכַזְּבוּ, i. e. „numquam deficiunt“ (Gesenius 674), commemoratur. Sed constructio בִּכְזִיב בְּלִדְתָּהּ in hoc sensu nimis dura videtur. In Vulgata quaedam „ambigue“ atque „minus accurate“ elata esse, Leo XIII. (Providentissimus, pag. 33; cf. Exegeticam, pag. 125 s.) ultro concedit, quod etiam in antecedentibus saepius notavimus.

ÝÝ. 6—11. **Dedit autem** (Hebraice et Graece: accepit autem) *Iudas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar,* תָּמָר. [7]*Fuit quoque,* LXX accuratius ἐγένετο δέ, *Her primogenitus Iudae, nequam,* רַע, *in conspectu Domini: et ab eo occisus est,* LXX accuratius καὶ ἀπέκτεινεν αὐτὸν ὁ θεός, יְהוָה. [8]*Dixit ergo Iudas ad Onan filium suum* (deest *filium suum* in Hebraico et Graeco): *Ingredere ad uxorem fratris tui, et sociare illi,* וְיַבֵּם אֹתָהּ i. e. levirum age quoad eam (= leviri officio fungere i. e. fratris mortui uxorem duc; Gesenius 562), *ut suscites semen fratri tuo.* [9]*Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine*

nascerentur, in Hebraico (similiterque in Graeco): et scivit Onan, quod non sibi futurum esset semen; et factum est, quoties ingrediebatur ad uxorem fratris sui, perdidit (scil. semen) in terram, ne daret semen fratri suo. [10]*Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret,* in Hebraico (similiterque in Graeco): et malum erat, וַיֵּרַע, in conspectu Domini quod fecit, et occidit etiam eum. [11]*Quam ob rem dixit* (in Hebraico et Graeco וַיֹּאמֶר, *εἶπεν δέ* tantum legitur) *Iudas Thamar nurui suae: Esto,* שְׁבִי, *κάθου, vidua in domo patris tui, donec crescat,* LXX accuratius *ἕως μέγας γένηται, Sela filius meus: timebat* (in Hebraico et Graeco *dixit*) *enim ne et ipse moreretur, sicut fratres eius. Quae* (in Hebraico et Graeco *et Thamar*) *abiit, et habitavit in domo patris sui.* — Ut Abraham (24, 1 ss.) et Hemor (34, 4), ita Iudas pro primogenito suo uxorem accepit (Strack[2], cf. et Dillmann), quae Chananaea erat (Hoberg; cf. et Dillmann, Hummelauer, Gunkel). „Consentiunt Hebraei et Christiani, tam Her quam Onan peccasse peccato mollitiei et retractus, quod est contra naturam generationis et matrimonii" (Lapide). Primogenito occiso Iudas secundogenitum hortatus est, ut officio leviri fungeretur. Levir (= devir, *δαήρ* i. e. frater viri; cf. Georges) e more antiquo, cuius „vestigia apud Indos, Persas et Africae atque Italiae tribus deprehendebantur" (Hummelauer, cf. et Dillmann 398) uxorem fratris sine liberis defuncti ducere debuit; primogenitus in tali matrimonio procreatus nomine viri defuncti appellabatur eiusque iura adipiscebatur, ceteri filii filiaeque ad levirum pertinebant (cf. Deut. 25, 5 s.; interpretes communiter). *Onan* iuxta morem altissimis radicibus defixum (cf. Gunkel) uxorem fratris defuncti duxit quidem, sed matrimonium frustratus est. Nam „filius de Thamar natus Iudaeque primogenito Her attributus obtenturus erat principatum tribus Iuda: at eum filio sui nominis haeredi malebat obvenire Onan" (Hummelauer), quare in usu matrimonii illud peccatum commisit, quod in Theologia Morali ab eius nomine vocatur. Secundogenito etiam occiso tertiogenitus uxorem primogeniti ducere debuerat; Iudas tamen in domum patris eam remisit timens, ne tertius quoque filius occideretur, itaque ipse per eam omnibus filiis privaretur.

Her et Onan idem peccatum commisisse, eadem vox רַע in ℣. 7 et וַיֵּרַע in ℣. 10 indicat. Etiam Hummelauer concedit, agi „de scelere aliquo coniugii usum attingente". — Idem putat: „Non cogimur intelligere mortem violentam, sed praematuram liberisque carentem"; at usus loquendi reapse mortem violentam innuit, quemadmodum interpretes antiquiores intellexerunt. — Bene Hummelauer contra Knobel, Dillmann, Gunkel scribit: „Gratuito Knobel adstruit, s. auctorem non alia ratione inductum esse, ut scelestum scriberet Her, praeter communem opinionem, praematuram mortem in sceleris poenam infligi; ipsum factum auctor diserte affirmat, Her fuisse *nequam* et quidem *in conspectu Domini,* i. e. vere (cf. 10, 9)." — Notant iam antiquiores interpretes (e. g. Lapide) quaedam legalia iam ante Moysen in usu fuisse. Consuetudo matrimoniorum leviratus a Moyse mitigata est (Hoberg). „Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, inquit Deut. 25, 7—10, . . . accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede eius, spuetque in faciem eius, et dicet: Sic fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui." Conferas Ruth 4, 7 s. Secundum Gen. 38, 8 ss. fratres germani iuxta ordinem (cf. et Matth. 22, 25 ss.), secundum Ruth 3, 12; 4, 1 ss. deficientibus fratribus propinqui iuxta ordinem officio leviri fungi debuerunt. Morem matrimoniorum leviratus e cultu manium germinasse, nullo argumento confirmari potest. Ratio fuit, ne nomen et familia defuncti exstingueretur (Deut. 25, 6; Lapide aliique; cf. et Gunkel). — Onan non „a fratris vidua abstinuit", ut Hummelauer putat, nam ℣. 9 coll. cum ℣. 2 contrarium docet. — De אִם cum perfecto frequentativo videas Gesenius-Kautzsch 337 et 505. — Gunkel affirmat, Onan non erratione sexuali peccasse, sed impietate contra fratrem defunctum; at videas pag. 541. — Hoberg aliique censent, Iudam cum Thamar fraudulentur egisse; Hummelauer vero opinatur: „Non tamen fraudis, dum ea eloqueretur, est arguendus. Selae immatura aetas reapse coniugium differri poscebat, poteratque sperare Iuda, facile excepturam illam alterum virum ac proinde absolvendum se a necessitate tradendi illi tertium filium." — Cum ℣. 11 conferas Lev. 22, 13 (Dillmann, Hummelauer). Pro שְׁבִי et וַתֵּשֶׁב (ab יָשַׁב *sedit, habitavit*) Ball et Gunkel שֻׁבִי et וַתָּשָׁב (a שׁוּב *reverti, redire*) emendant; sed mutatio non necessaria est, ut plerique censent, et versiones textum Masorethicum confirmant. — Hummelauer cum Caietano sapienter notat: „Illud etiam fere efficiunt verba, matrimonia leviratus vel apud Chananaeos in usu tum fuisse." — Dillmann, Gunkel, Strack[2] cum hac narratione bene ea comparant, quae Tob. 3, 7 ss. leguntur.

℣℣. 12—14. Evolutis autem multis diebus, LXX accuratius ἐπληθύνθησαν δὲ αἱ ἡμέραι καί, *mortua est filia Sue uxor Iudae: qui post luctum consolatione suscepta,* LXX accuratius καὶ παρακληθεὶς Ἰούδας, *ascendit ad tonsores ovium suarum,*

צֹאנוֹ, *ipse et Hiras opilio gregis,* וְחִירָה רֵעֵהוּ i. e. et Hira amicus eius, *Odollamites, in Thamnas.* [13]*Nunciatumque est Thamar quod* (לֵאמֹר הִנֵּה, *λέγοντες ἰδού*) *socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oves,* צֹאנוֹ. [14]*Quae, depositis* a se (Hebraicus et Graecus) *viduitatis* suae (Hebraicus) *vestibus, assumpsit theristrum: et mutato habitu, sedit in bivio itineris, quod ducit Thamnam,* in Hebraico (cf. et Graecum): assumpsit velum et se obvolvit et sedit ad introitum ʿEnaiim, quae iuxta viam in Thamnam est: *eo quod crevisset Sela, et non eum accepisset maritum,* in Hebraico (cf. et Graecum): quia vidit quod accreverat Sela, ipsa autem non data est ei in uxorem. — Post *multos dies* seu post longum tempus (cf. lexicon), intra quod Sela accreverat (℣. 14) et Thamar intellexerat, „iam se negligi" (Hummelauer), Iudas uxorem amisit atque luctu persoluto ad festum tonsurae ovium cum amico suo Hira perrexit. Duplici hac occasione Thamar uti voluit, ut a socero suo prolem susciperet.

Mortua est filia Sue. LXX et Sixtina (cf. epilogum criticum meae editionis Bibliae Sacrae, pag. 109*) *filia* omittunt, quia *Sue* nomen femininum habebant (cf. pag. 540); sed omnes critici recentiores lectionem Masoretharum et Vulgatae Clementinae genuinam iudicant. — Hagiographus mortem uxoris Iudae notans insinuat, quod Iudas cum Thamar non concubuisset, si uxor vixisset (Gunkel). — וַיִּנָּחֶם = et consolatus est se, dolorem deposuit (Gesenius 874). — Tonsurae ovium dominus gregis ipse interfuit (31, 19; 1 Reg. 25, 2 ss.; 2 Reg. 13, 23), qui convivium sollemne concelebrabat (1 Reg. 25, 36; 2 Reg. 13, 27) et ad hanc festivitatem etiam amicos invitabat (2 Reg. 13, 24 ss.). — Hira in LXX et Vulgata *ὁ ποιμὴν αὐτοῦ, opilio gregis* vocatur: legerunt igitur רֹעֵהוּ i. e. pastor eius; sed ℣. 1 ostendit, רֵעֵהוּ i. e. amicus eius legendum esse (recentiores plerique cum Syro). — De urbe *Thamna* videas Ios. 15, 10. 57 (Dillmann, Hummelauer, Hoberg, Gunkel). — In ℣. 14 loco piʿel וַתְּכַס *operuit* cum Samaritano hithpaʿel וַתִּתְכַּס *operuit se* legendum videtur (Ball, Kittel); Dillmann, Buhl et Strack² וַתְּכַס retinent atque obiectum aut פָּנֶיהָ *vultum suum* supplent (Dillmann; cf. ℣. 15) aut sequens בַּצָּעִיף accipiunt (Buhl et Strack²). — *Theristrum, θέριστρον,* est vestimentum aestivum (Georges); vox Hebraica צָעִיף autem velum duplicatum significat (cf. pag. 358 s.), quo Thamar se operuit, ne agnosceretur (cf. pag. 426; Dillmann, Holzinger). Thamar insuper obvolvit se (cf. ℣. 14 hebr.) scil. ornatu meretricio (cf. Prov. 7, 10; Dillmann, Holzinger), ut pro קְדֵשָׁה i. e. meretrice sacra (cf. ℣. 21 s.) haberetur, „quae in honorem deae (Astartae) pudicitiam prostituebat" (Gesenius 1197;

Dillmann aliique). Gunkel putat, antiquas meretrices se obvolventes non omnem pudorem abiecisse, et concludit: „Hae meretrices sacrae non tam impudentes erant quam scorta in magnis urbibus nostris.“ — Sedit *ad introitum ʿEnaiim* (℣. 14 hebr.). In viis meretrices sedere solebant (cf. Ier. 3, 2; Bar. 6, 42s.; Ez. 16, 25; Dillmann, Hummelauer, Gunkel). De urbe ʿEnaiim videas Ios. 12, 34 (עֵינַיִם = עֵינָם, cf. pag. 465); fuit inter Odollam et Thamna. In Vulgata phrasis בְּפֶתַח עֵינַיִם (LXX πρὸς ταῖς πύλαις Αἰνάν = ad introitum ʿEnaiim) *in bivio itineris* vertitur, quam versionem falsam Lapide sic declarat: „Hebraei bivium vocant *petach enaim* i. e. apertionem et, ut Chald. vertit, divisionem duorum oculorum, quia in bivio solemus oculos divertere in duas partes, puta in duas semitas.“ — Gunkel 327 e ℣℣. 14 et 21 recte colligit, Thamar in urbe ʿEnaiim habitasse.

Antiquiores ac recentiores interpretes quaerunt, quid de moralitate concubitus Iudae et Thamar sentiendum sit. Gunkel cum aliis merito affirmat, Iudam neque adulterii, quia uxor eius iam obierat, neque incestus, quia nescivit nurum suam in via sedere (cf. ℣℣. 16 et 26), sed simplicis fornicationis reum esse (cf. Lapide ad ℣. 16). „At, num ita effrenatae libidinis Iuda, ut obiecto quoque scorto indubie praesciretur esse fruiturus?“ interrogat Hummelauer et respondet: „Quod vero Iudae libidinem attinet, videtur is reapse Chananaeis plurimum esse commixtus: Chananaeum habuit amicum, Chananaeam uxorem, Chananaeam sine dubio filiis providit uxorem. Quid mirum, si idem Chananaeorum morum licentiam sit imitatus? Merito autem supponebatur vir ad licentiam apprime pronus, quo tempore viduus luctu deposito ad tonsurae ovium tripudia ascendebat. Quam opportunitatem inter Chananaeos luxuriae consecratam“ Thamar selegit. — „Thamar vero peccavit et fornicatione et quasi adulterio (erat enim desponsa Selae filio Iudae, ut patet ℣. 11) et incestu, quia agnoscebat Iudam suum socerum“ (Lapide). Varios tamen defensores nacta est, non solum antiquiore (cf. apud Lapide) verum etiam recentissimo tempore. Possumus utique cum S. Chrysostomo et Theodoreto eam eatenus excusare, quatenus „non libidinem, ut Iudas, sed prolem intendebat“ (Lapide, cf. et Hummelauer); possumus etiam ad factum respicere, quod meretricium sacrum (cf. pag. 543) in Chanaan et alibi longe lateque diffusum erat (Dillmann 400): nihilominus concubitus mulieris cum socero suo moribus contrarius (cf. ℣℣. 16 et 26; Gunkel 374) et fornicatio desponsatae morte punienda (cf. ℣. 24) in sacro textu describitur. Gunkel igitur contra Benzinger et Nowack bene dicit, commercium mulieris cum socero neque regulam neque officium fuisse; simul tamen contra Reuss, Kautzsch, Wellhausen aliosque plurimos male contendit, commercium Thamar cum Iuda non incestum fuisse, sicut occisio hominis in bello non homicidium (Mord) ducitur: comparatio enim claudicat (cf. Theologiam Moralem). Gunkel admiratur fortitudinem Thamar, qua se super opiniones praeconceptas elevavit atque ibi prolem quaesivit, ubi eam habere potuit! — Quare Scriptura hoc factum non vituperat? Hum-

melauer opinatur, vituperium facti in contextu adesse. „Sacer sc. auctor, inquit, narratis ante Rubeni, Simeonis et Levi sceleribus iamque Iosephi acta narrare aggressus, inserit Iudae incestus narrationem, quo perspiciatur, cur eo tribusque fratribus praetermissis domus Iacob principatus antiquitus Iosepho obtigerit. Profecto nulla alia ratio intersertae narrationis excogitari potest, haec vero ratio grave habet Iudae vituperium.“ Sed falsum est, nullam aliam rationem excogitari posse, cur narratio hic inserta sit; e contrario, narratio hic inseritur, quia matrimonium Iudae post venditionem Iosephi celebratum est (cf. pag. 539). Nos dicimus: sicut factum filiarum Lot (19, 30—38) non vituperatur, ita etiam factum Iudae et Thamar non vituperatur, quia sana mens ipsa percipit, quid de hisce rebus sentiendum sit.

VV. 15—19. **Quam cum vidisset Iudas,** *suspicatus est esse meretricem,* זוֹנָה: *operuerat enim vultum suum* (cf. pag. 543), *ne agnosceretur* (LXX *καὶ οὐκ ἐπέγνω αὐτήν,* in Hebraico haec sententia deest). 16 *Ingrediensque ad eam, ait,* LXX accuratius *ἐξέκλινεν δὲ πρὸς αὐτὴν τὴν ὁδὸν* (pro אֶל־הַדֶּרֶךְ commendat Kittel אֶת־הַדֶּרֶךְ) *καὶ εἶπεν· Dimitte me ut coeam tecum* (in Hebraico: age quaeso, ingrediar ad te): *nesciebat enim quod nurus sua esset* (cf. pag. 544). *Qua respondente: Quid dabis mihi ut fruaris concubitu meo,* LXX accuratius *τί μοι δώσεις, ἐὰν εἰσέλθῃς πρὸς μέ;* 17 *dixit: Mittam* ego (Hebraicus et Graecus) *tibi hoedum,* LXX accuratius *ἔριφον αἰγῶν, de gregibus,* מִן־הַצֹּאן. *Rursumque illa dicente: Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris,* LXX accuratius *ἡ δὲ εἶπεν· Ἐὰν δῷς ἀρραβῶνα ἕως τοῦ ἀποστεῖλαί σε.* 18 *Ait Iudas* (pro *Iudas* Hebraicus et Graecus habent *autem*): *Quid tibi vis pro arrhabone dari,* LXX accuratius *τίνα τὸν ἀρραβῶνά σοι δώσω; Respondit: Annulum* signatorium *tuum, et armillam* vel potius filum tuum, *et baculum* tuum (Hebraicus) *quem manu tenes* (Hebraicus et Graecus: qui in manu tua est). *Ad unum igitur coitum mulier concepit,* LXX accuratius *καὶ ἔδωκεν αὐτῇ καὶ εἰσῆλθεν πρὸς αὐτήν, καὶ ἐν γαστρὶ ἔλαβεν ἐξ αὐτοῦ,* 19 *et surgens abiit: depositoque* a se (Hebraicus et Graecus) *habitu* vel potius velamine duplicato (Hebraicus), *quem sumpserat* (haec 2 verba in Hebraico et Graeco desunt), *induta est viduitatis* suae (Hebraicus et Graecus) *vestibus.* — Meretrices Astartae et Veneri hoedum offerre solebant (Tacit., hist. 2, 3; Lucian., hetaer. 7, 1; Gesenius 1197; Dillmann), quare Iudas hoedum pretium meretricium mittere voluit. Thamar tales res arrha-

bonem postulavit, quas iuxta mores antiquos dominus semper secum habebat (cf. Herodot. 1, 195; Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack²), ergo ipse solus aliis dare potuit, ut istis necessarie demonstrare posset, Iudam esse patrem prolis (Gunkel). Postulavit videlicet *annulum* signatorium, חוֹתָם (a חָתַם *obsignavit*), quem veteres vel in digito (Ier. 22, 24) vel e funiculo suspensum in pectore (Cant. 8, 6) gestabant, quemadmodum etiamnum solent Orientales (Gesenius 539, Dillmann); postulavit *filum* seu funiculum, פָּתִיל (a פָּתַל *torsit,* cf. pag. 431), in quo annulum gestabat (Gesenius, Dillmann aliique), ne annulus vi ablatus videretur; postulavit denique *baculum,* מַטֶּה (a נָטָה *extendit*), quem in manu habuit.

Herodotus 1, 195 de Babyloniis refert: „*Σφρηγῖδα δὲ ἕκαστος ἔχει καὶ σκῆπτρον χειροποίητον, ἐπ' ἑκάστῳ δὲ σκήπτρῳ ἔπεστι πεποιημένον ἢ μῆλον ἢ ῥόδον ἢ κρίνον ἢ αἰετὸς ἢ ἄλλο τι· ἄνευ γὰρ ἐπισήμου οὔ σφι νόμος ἐστὶ ἔχειν σκῆπτρον*" (Strack², Gunkel). — Qualis sit differentia inter מַטֶּה et מַקֵּל, quae voces virgam vel baculum significant, non patet (cf. Buhl). Secundum Gunkel haec baculum naturale, illa vero baculum artificiale significat; secundum Holzinger haec baculum commune, illa vero signum dignitatis fuit, etiam apud Aegyptios. — Gunkel et Holzinger cum Wellhausen putant, פָּתִיל fuisse amuletum apud Arabas usitatum, cum in ℣℣. 18. 25 diserte nominetur. Verumtamen, si Arabes fila ut amuleta gestabant, non sequitur etiam Iudam id fecisse; cur autem filum diserte nominetur, supra iam notavimus. Ceterum non constat, פָּתִיל idem ac filum esse; Graeci vertunt *ὁρμίσκος* vel *στρεπτός*, Hieronymus *armilla,* alii pallium (cf. Dillmann). — De reliquis pag. 544 dictum est.

℣℣. 20—23. **Misit autem Iudas hoedum** vel potius hircum caprarum (Hebraicus et Graecus) *per* (בְּיַד, *ἐν χειρί*) *pastorem* vel potius amicum (cf. pag. 543) *suum Odollamitem, ut reciperet pignus quod dederat mulieri* (pro *quod dederat mulieri* in Hebraico et Graeco habetur *de manu mulieris*): *qui cum non invenisset eam,* ²¹*interrogavit homines loci illius* dicens (Hebraicus): *Ubi est mulier quae sedebat in bivio,* in Hebraico (cf. et Graecum): Ubi est meretrix sacra, הַקְּדֵשָׁה, ista in ʿEnaiim iuxta viam (scil. sedens)? *Respondentibus cunctis: Non fuit in loco isto meretrix,* LXX accuratius *καὶ εἶπαν· οὐκ ἦν ἐνταῦθα πόρνη,* קְדֵשָׁה. ²²*Reversus est* autem (Hebraicus et Graecus) *ad Iudam, et dixit ei* (deest *ei* in Hebraico et Graeco): *Non inveni eam: sed* (deest *sed* in Hebraico et Graeco) *et homines loci illius*

dixerunt mihi (deest *mihi* in Hebraico et Graeco), *numquam sedisse* vel potius non fuisse (Hebraicus et Graecus) *ibi scortum,* קְדֵשָׁה. [23]*Ait Iudas: Habeat sibi, certe mendacii arguere nos non potest, ego misi hoedum quem promiseram,* LXX accuratius *εἶπεν δὲ Ἰούδας· Ἐχέτω αὐτά, ἀλλὰ μή ποτε καταγελασθῶμεν· ἐγὼ μὲν ἀπέσταλκα τὸν ἔριφον τοῦτον, et tu non invenisti eam.* — Gunkel hos versus sic explicat: Iudas per amicum suum meretrici hircum misit, quia vir Iudae similis non ipse a scorto arrhabonem repetere potest. Meretrice non inventa Iudas ulteriorem inquisitionem noluit, ne in derisum duceretur (cf. Hebraicum et Graecum): „commercium cum meretrice et similia sunt res, quas homo nobilis perpetrat quidem, at publice non eloquitur". Simul asseverat, se pretium promissum solvere voluisse sed non potuisse ideoque arrhabonem meretrici relinquere. Ita Gunkel; cf. et Lapide.

In ℣. 21 textus Masorethicus habet מְקֹמָהּ i. e. *loci illius* scil. meretricis (Gunkel); Samaritanus, Graecus et Syrus legerunt הַמָּקוֹם i. e. *τοῦ τόπου,* quam lectionem alteram Holzinger praefert contendens, Thamar non in 'Enaiim sed in Odollam habitasse: at ℣. 24s., ad quos Holzinger provocat, non probant Thamar in Odollam habitasse. — De הוא sine articulo videas Gesenius-Kautzsch 416; ceterum Samaritanus habet הַהִיא. — ℣. 23ᵃ in Vulgata nimis libere vertitur. — Etiam Holzinger notat, tam Hiram quam Iudam cum despectu de prostitutione loqui.

℣℣. 24—26. Ecce autem, LXX accuratius *ἐγένετο δέ, post tres menses nunciaverunt Iudae, dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua, et videtur uterus illius intumescere,* LXX accuratius *καὶ ἰδοὺ ἐν γαστρὶ ἔχει ἐκ πορνείας. Dixitque Iudas: Producite eam ut comburatur.* [25] *Quae cum duceretur ad poenam* (deest *ad poenam* in Hebraico et Graeco), *misit ad socerum suum, dicens: De viro, cuius sunt haec,* ego (Hebraicus et Graecus) *concepi:* et dixit (Hebraicus et Graecus): *cognosce cuius sit annulus, et armilla, et baculus* hic (Hebraicus et Graecus). [26]*Qui, agnitis muneribus, ait,* LXX accuratius *ἐπέγνω δὲ Ἰούδας καὶ εἶπεν· Iustior me est: quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen ultra non cognovit eam,* LXX accuratius *καὶ οὐ προσέθετο ἔτι τοῦ γνῶναι αὐτήν.* Iudas fuit „paterfamilias, qui more prisci illius saeculi erat iudex suae familiae" (Lapide) atque potestatem vitae necisque habebat (cf. 31, 32; Lapide, Dillmann,

(Gunkel, Holzinger). Audiens igitur, nurum suam fornicatam esse, eam ad rogum damnavit „ob certum et publicum adulterii crimen: erat enim ipsa desponsa Selae, filio Iudae, ac sponsalia haec violavit per concubitum . . . ideoque fuit adultera“ (Lapide similiterque Dillmann et Gunkel) latiore saltem sensu. Cum autem ad rogum ducebatur, Iudae arrhabonem remisit itaque eum coegit, ut prolem coram omnibus suam agnosceret (cf. Strack, quem Gunkel et Holzinger sequuntur).

Pro masc. כְּמִשְׁלֹשׁ Kittel cum Samaritano aliisque fem. כְּמִשְׁלֹשֶׁת legendum iudicat, quia חֳדָשִׁים masculinum est, ergo iuxta regulam (cf. Gesenius-Kautzsch 285 s.) numerale in forma feminina postulat; videas tamen Gesenius-Kautzsch 287, iuxta quem exceptio adesse potest. כְּמִשְׁלֹשׁ compositum est ex שָׁלֹשׁ *tres,* מִן *post* (Gesenius-Kautzsch 387) et כְּ *circa:* ergo = circa post tres (Gunkel). — ℣. 24 $a\beta$ in Vulgata nimis libere vertitur. — Poena, quam Iudas in Thamar statuit, valde gravis est. Secundum Lev. 21, 9 sacerdotis filia in stupro deprehensa flammis tradenda erat; mulieres adulterae secundum Lev. 20, 10; Deut. 22, 22; Ez. 16, 40; Ioan. 8, 5 lapidandae erant; desponsatae intra urbem oppressae iuxta Deut. 22, 23 s. etiam lapidandae erant, extra urbem autem oppressae iuxta Deut. 22, 25 ss. non puniebantur. Ergo ante legem scriptam adulterium gravius puniebatur quam post illam (cf. Dillmann et Gunkel; Lapide consuetudines variarum gentium citat). Hoberg ad Ios. 7, 15. 25 appellans opinatur, ream lapidandam et cadaver eius flammis tradendum fuisse; at in locis citatis non poena adulterarum, sed poena inobedientis Achan describitur, cuius peccatum prorsus extraordinarium fuit (videas contextum), ergo extraordinariam quoque poenam meruit. — Holzinger cum Gunkel asserit, Thamar ut uxorem primogeniti Her consideratam ideoque concubitum eius ut adulterium diiudicatum esse. Verumtamen teste S. Paulo (Rom. 7, 3) mulier „vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri: ut non sit adultera si fuerit cum alio viro“. Insuper in Deut. 22, 22 ss. violatio fidei coniugalis a violatione fidei sponsalis distinguitur: ergo peccatum Thamar tertiogenito desponsatae sensu lato dumtaxat adulterium vocari potest.

Producite videlicet extra fores domus patris sui (Deut. 22, 21) vel ad portam civitatis (Deut. 22, 24). — In ℣. 25 pro לָאִישׁ Gunkel et Holzinger לְאִישׁ emendant; חֹתֶמֶת heic tantum legitur, forsitan חֹתָם (℣. 18) emendandum est; si quis pro plurali הַפְּתִילִים non singularem הַפְּתִיל (℣. 18) cum Samaritano, Graeco et Latino ponere voluerit, funiculum multiplicem fuisse (ita Strack[2]) dicere debet. — *Iustior me est.* „Non ait: sanctior me est vel castior, sed iustior . . . id est magis aeque ac iuste egit Thamar cum Iuda, quam Iudas cum Thamar. Iudas enim promissa

et pacta sua illi non servavit negando ei matrimonium Sela promissum; itaque provocavit et adegit eam, ut hanc stropham strueret Iudae, qua prolem quam ex Sela sperabat, cum eam iniuste impediret Iudas, ab ipso Iuda repeteret . . . licet per scelus . . . Thamar ergo coram Deo iniquior, sed coram Iuda iustior exstitit" (Lapide; cf. Knobel, Delitzsch, Gunkel). — כִּי־עַל־כֵּן = nam idcirco (cf. pag. 285); sensus est: idcirco haec evenerunt, quia non tradidi eam Selae (cf. Holzinger). — Iudas cum nuru sua non amplius commercium habuit (cf. pag. 547); verum etiam „Sela eam, hoc incestu paterno pollutam, non potuit nec voluit habere coniugem, sed aliam duxit, ut patet Num. 26, 21, ex qua varios genuit filios" (Lapide).

℣℣. 27—30. Instante autem partu, ecce (Hebraicus) *apparuerunt* vel potius fuerunt (Hebraicus et Graecus) *gemini in utero* eius (Hebraicus et Graecus): *atque in ipsa effusione infantium unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens,* LXX accuratius *ἐγένετο δὲ ἐν τῷ τίκτειν αὐτὴν ὁ εἷς προεξήνεγκεν τὴν χεῖρα, λαβοῦσα δὲ ἡ μαῖα ἔδησεν ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ κόκκινον λέγουσα·* 28 *Iste egredietur,* יֵצֵא, *prior.* 29 *Illo vero retrahente manum,* ecce (Hebraicus) *egressus est,* יָצָא, *alter* (pro *alter* in Hebraico et Graeco *frater eius*): *dixitque mulier* (deest *mulier* in Hebraico et Graeco): *Quare divisa est propter te maceria?* in Hebraico: quid rupisti, פָּרַצְתָּ, pro te rupturam, פָּרֶץ (cf. Strack[2]). *et ob hanc causam* (ultima 3 verba desunt in Hebraico et Graeco) *vocavit* (וַתִּקְרָא, ita et Samaritanus, Graecus, Syrus; in Masorethico וַיִּקְרָא i. e. et vocatum est) *nomen eius Phares,* פָּרֶץ. 30 *Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum: quem appellavit,* LXX accuratius *καὶ ἐκάλεσεν* (cf. ℣. 29) *τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Zara,* זָרַח. — Dillmann recte observavit, historiam nativitatis Phares et Zara historiae nativitatis Esavi et Iocobi (25, 24—26; cf. pag. 378 ss.) similem esse. Si autem Gunkel asserit, ambas narrationes esse variantes eiusdem facti, errat omnino. Nam scriptor Genesis evidenter (conferas textus) duo facta narrat; atqui scriptores inspirati proprio nomine loquentes falsa proponere nequeunt (pag. 35. 37): ergo assertio Gunkeliana falsa est. Quodsi inspirationem interim negligere velimus, Gunkel necessarie demonstrare debuerat, factum quod scriptor Genesis evidenter ut duplex proponit, revera unum dumtaxat esse. At Gunkel iterum iterumque in idem peccatum logicum recidit, scilicet: fortiter asserit, sed non demonstrat (cf. pag. 341. 435).

Gunkel asserit sed non demonstrat, sensum narrationis esse, quod Thamar pro heroismo suo (cf. pag. 544) a Domino geminos acceperit. — Ad וַיִּתֶּן in Ꝟ. 28 hebr. supplendum est subiectum הַנֹּתֵן (Dillmann; cf. et Gesenius-Kautzsch 468); iuxta Bachmann אֶחָד *unus* excidit. — שָׁנִי = color coccineus, filum isto colore tinctum (Gesenius, Buhl); obstetrix ad manum filum alligavit, ut postea primogenitum recognosceret (Dillmann). — יָצָא *egressus est* in Ꝟ. 28 est perfectum confidentiae (cf. Gesenius-Kautzsch 311) et in LXX, Vulgata bene ut futurum vertitur. — In Ꝟ. 29 illud כְּמֵשִׁיב est part. hiphʿil verbi שׁוּב cum praepositione כְּ = cum retrahens erat (cf. Gesenius-Kautzsch 513); Dillmann כַּהֲשִׁיבוֹ, Ball כְּמוֹ הֵשִׁיב (cf. 19, 15) commendat. — Bachmann asserit, rupturam non in corpore Phares, sed Thamar factam esse (cf. et Gesenius, Dillmann, Hummelauer). — Holzinger censet, geminis a matre nomina imposita esse; mutatio subiecti in Hebraico frequens est (cf. pag. 250). — *Thares* = ruptura; *Zara* = ortus (a זָרַח *ortus est*), prior enim apparuerat (cf. Dillmann). — Iam in nativitate geminorum Dominus (Lapide cum S. Chrysostomo) matri eorum indicavit, Zaram a Phares superandum esse (cf. pag. 378, Dillmann).

Gunkel 371 ss. (quem Holzinger 230 sequitur) affirmat, in 38, 1—30 fabulose tribum Iuda describi. Iudas a fratribus se separat = tribus Iuda reliquas tribus relinquit. Haec separatio tribus Iuda iuxta Iud. 1, 1 s. a Deo mandata est, sed iuxta Os. 11, 12ᵇ (hebr. 12, 1ᵇ) apostasia fuit. — Iudas cum Hira amicitias coniunxit = tribus Iuda tribum Hira in Odollam habitantem superavit ac deinde cum eo societatem iniit. Secundum Iud. 1, 3 tribus Iuda cum tribu Simeon Chananaeum oppugnavit: sed tam adiutorium Simeon quam oppugnatio Chananaei in hac narratione omittitur, quia fabulosa est. — Filii Iudae nascuntur = familiae tribus Iuda oriuntur. — Her et Onan a Domino occiduntur = familiae Her et Onan mox ius suum perdiderunt. — Phares ante Zaram natus est = familia Phares familiam Zara superavit.

Contra has assertiones dicimus: *a)* in sacro textu Iudas et Hira et Thamar et filii Iudae tam manifeste ut personae individuae proponuntur, ut ipse Gunkel 371 s. id concedere debeat; nihilominus asserit, individuis istis personis personas morales designari, attamen more suo nobis iam noto (cf. pag. 341. 435) assertionem suam non demonstrat. „Quod autem gratis asseritur, gratis negatur", adagium est philosophicum. Antequam Gunkel peremptorie demonstraverit, personis individuis morales personas designari, quilibet logica imbutus et sana mente gaudens narrationem sic accipere debet, ut textus sonat, non ut Gunkel imaginatur. *b)* Hagiographus inspiratus proprio nomine loquens Iudam eiusque filios, Hiram et Thamar manifeste ut personas individuas proponit (cf. supra); qui cum errare nequeat (pag. 35. 37), eo ipso assertiones Gunkelianas falsas esse testatur. *c)* Consulto Gen. 38 et Iud. 1, 1 ss. et Os. 11, 12 (hebr. 12, 1) a Gunkel confunduntur. Nam hagiographus in

Gen. 38 de individuis (cf. lit. *a*), in Iud. 1 autem de tribubus Iuda atque Simeon et quidem Chananaeum impugnantibus, ergo de diversis personis ac rebus loquitur; Gunkel asserit quidem, tribum Simeon et impugnationem Chananaei in narratione Gen. 38 taceri, eo quod fabulosa sit, at nullum argumentum affert. Quod ad Os. 11, 12b (hebr. 12, 1b) attinet, versio Vulgata *Iudas autem testis descendit cum Deo, et cum sanctis fidelis* contra Gunkel stat, textus Hebraicus autem incertus est (cf. Kittel); insuper in hoc textu alia tempora aliaeque conditiones populi Israel describuntur atque in Iud. 1, 1ss., ut quilibet e comparatione textuum discere potest; denique deus Hegelianus (cf. pag. 420) dumtaxat, non vero Deus Iacobi (cf. pag. 418) id quod antea praeceperat (Iud. 1, 1ss.), postea per Oseam apostasiam dicere posset. *d)* Asserunt, familias Her et Onan mox ius suum quidem sed non exsistentiam perdidisse; eas enim in 1 Par. 2, 26; 4, 21 commemorari (Holzinger). Haec affirmatio cum usu loquendi et contextu evidenter pugnat. Nam Her et Onan, *filii Iuda,* in Gen. 38 a Domino occisi atque sine liberis mortui narrantur; Her et Onan, de quibus in 1 Par. 2. 4 legimus, non filii Iuda fuerunt: hic Her fuit *filius Sela,* et hic Onan fuit *filius Ierameel;* ambo in textu a filiis Iuda diserte distinguuntur (cf. 1 Par. 2, 3ss.; 4, 21), ergo Gunkel et Holzinger contra usum loquendi et contextum, notissima principia hermeneutica, tam Gen. 38 quam 1 Par. 2. 4 explicant. Et talis explicatio vocitatur scientifica! Conferas pag. 495 s.

Holzinger 230 affirmat, Gen. 38 contrarium esse doctrinae in Lev. 18, 16; 20, 21 atque 18, 15; 20, 12 traditae. Etenim in Lev. 18, 15 et 20, 12 Dominus commercium viri cum nuru sua severissime interdicit: in Gen. 38, 26 autem tale commercium ut aliquando licitum proponitur, cum Iudas confiteatur: *Iustior me est.* Praeterea in Lev. 18, 16; 20, 21 commercium et matrimonium inter virum et uxorem fratris eius a Domino prohibetur: iuxta Gen. 38, 8ss. vero matrimonium leviratus debitum declaratur. Quibus affirmationibus repono: *α)* in Lev. 18, 15 et 20, 12 commercium viri cum nuru sua utique interdicitur; verum etiam iuxta Gen. 38 Iudas cum Thamar nuru sua nullatenus concubuisset, si eam cognovisset (cf. pag. 544), ergo tale commercium illicitum habuit; confessio Iudae *Iustior me est* iuxta contextum aliter intelligi debet, ac Holzinger imaginatur (cf. pag. 548 s.). *β)* Matrimonium leviratus consuetudine sancitum (cf. pag. 541) et a Moyse, legislatore divino, retentum sed mitigatum fuit (cf. pag. 542); ea vero, quae in Lev. 18, 16 et 20, 21 leguntur, de commercio et matrimonio viri cum uxore fratris *vivente adhuc fratre* accipienda sunt (cf. Matth. 14, 3s.; Marc. 6, 17s. et commentarios horum locorum). *γ)* In Lev. 18, 16; 20, 21 et per Moysen (cf. supra) idem Deus locutus est (cf. pag. 35. 37), qui sibi contradicere nequit, nisi ratione Hegeliana concipiatur (cf. supra).

C. 39. ℣℣. 1—6. **Igitur Ioseph** *ductus est in Aegyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Aegyptius* (cf. pag. 534), *de manu Ismaelitarum* (cf. pag. 527 s.),

a quibus perductus erat illuc (Hebraicus et Graecus). [2]*Fuitque Dominus cum eo* (pro *eo* in Hebraico et Graeco habetur *Ioseph*), *et erat vir in cunctis* (deest *in cunctis* in Hebraico et Graeco) *prospere agens: habitavitque in domo domini sui* Aegyptii (Hebraicus et Graecus), [3]*qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia, quae gereret, ab eo dirigi in manu illius,* LXX accuratius *ᾔδει δὲ ὁ κύριος αὐτοῦ, ὅτι κύριος μετ' αὐτοῦ, καὶ ὅσα ἂν ποιῇ, κύριος εὐοδοῖ ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ.* [4]*Invenitque Ioseph gratiam coram domino suo* (pro *coram domino suo* in Hebraico et Graeco *in oculis eius*), *et ministrabat ei, a quo praepositus omnibus gubernabat creditam sibi domum et universa quae ei tradita fuerant:* [5]*benedixitque Dominus,* in Hebraico (similiterque in Graeco): et ministrabat ei, et praeposuit eum domui suae et omnia, quae habebat, dedit in manum eius. [5]Et factum est, ex quo praeposuerat eum domui suae et omnibus quae habebat, benedixit Dominus, *domui Aegyptii propter Ioseph, et multiplicavit tam in aedibus quam in agris cunctam eius substantiam,* LXX accuratius *καὶ ἐγενήθη εὐλογία κυρίου ἐπὶ πᾶσιν τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτῷ ἐν τῷ οἴκῳ καὶ ἐν τῷ ἀγρῷ.* [6]Et reliquit omnia, quae habebat, in manu Ioseph (Hebraicus et Graecus) *nec quidquam aliud* (deest *aliud* in Hebraico et Graeco) *noverat* penes eum (Hebraicus), *nisi panem quo vescebatur. Erat autem Ioseph pulchra facie* vel potius pulcher forma (Hebraicus), *et decorus* vel potius pulcher (Hebraicus) *aspectu.* — Genealogia Iudae in cap. 38 descripta historiam Iosephi interrumpit, quapropter in ℣. 1 capitis 39, ℣. 36 capitis 37 repetitur (Lapide, Hummelauer, Hoberg cum S. Augustino). Dominus permiserat quidem, ut Ioseph in servitutem redigeretur, fuit tamen *cum eo* „eum eiusque actiones per omnia dirigendo et prosperando eumque omnibus amabilem et gratiosum efficiendo“ (Lapide e S. Chrysostomo). Ita factum est, ut Ioseph non cum aliis servis sed cum ipso Putiphare habitaret, qui eum ministrum suum elegit necnon praefectum domus suae, immo totius possessionis suae creavit. „Putiphar ita omnia sua credebat Iosepho, ut de iis nihil inquireret, nihil cognosceret, nullius rei curam gereret, nisi tantum ut accumberet mensae“ (Lapide, Hummelauer, Strack[2] aliique).

Varias humiliationes ac tentationes Iosephi Dominus permisit, ut ita futurae gloriae eum dignum redderet (cf. Dillmann 402). „Vide fidelitatem Dei, qui nusquam in adversis suos relinquit, uti facit mundus" (Lapide), sed omnia in bonum eorum vertit. — „*Vir Aegyptius* non est otiosum additamentum (Dillmann): quo tempore Hyksos Aegypto imperabant, certe Aegyptii non ita multi summis officiis adhibebantur (Knobel)." Ita recte Hummelauer; cf. supra pag. 534 s. — In domibus Aegyptiorum nobilium praeter dominum, uxores et liberos generatim alii non habitarunt. Habitationem Iosephi hagiographus designat, ut lectores intelligant, quam carus domino suo fuerit et quomodo solus cum uxore eius (cf. ℣℣. 7 ss.) convenire potuerit (Hoberg). — Gunkel, Hoberg, Heyes 125 s. putant, Iosephum prius ministrum Putipharis, deinde praefectum domus eius, denique praefectum totius possessionis constitutum esse. Talem dignitatis accessionem non mirandam esse, Heyes 126. 128 monumentis Aegyptiis demonstrat, in quibus similia leguntur. — Phrasis *nec noverat nisi panem quo vescebatur* etiam aliter explicatur. Grotius opinatur, Putipharem „epulis tantum indulsisse"; Knobel putat, Putipharem iuxta consuetudinem Aegyptiorum (cf. 43, 32; 46, 34) panem, i. e. cibum (pag. 84), e manibus Iosephi sumere noluisse. Plerique tamen interpretes recentiores et antiquiores censent, ista phrasi indicari, ipsum Putipharem ea dumtaxat fecisse, quae per Iosephum facere non potuit „uti manducare, bibere, dormire" (Strack[2]). — ℣. 6^b etiam sic reddi potest: et factus est Ioseph (decurrentibus scil. annis) pulcher etc. (cf. Hoberg). Ioseph probabiliter 10 annos in domo Putipharis fuit (cf. 40, 4). — In ℣. 4 cum Samaritano legendum videtur וְכָל־אֲשֶׁר יֶשׁ־לוֹ; cf. ℣. 5 et 8.

℣℣. 7—10. Post multos itaque dies, LXX multo accuratius *καὶ ἐγένετο μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα καί, iniecit domina sua,* LXX accuratius *καὶ ἐπέβαλεν ἡ γυνὴ τοῦ κυρίου αὐτοῦ, oculos suos in Ioseph, et ait: Dormi mecum.* [8]*Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam,* LXX multo accuratius *ὁ δὲ οὐκ ἤθελεν, εἶπεν δὲ τῇ γυναικὶ τοῦ κυρίου αὐτοῦ· Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis,* penes me (Hebraicus, cf. et Graecum) *ignorat quid habeat in domo sua* (ita Samaritanus et Graecus quoque; Hebraicus *sua* omittit): [9]*nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi,* LXX accuratius *καὶ οὐχ ὑπερέχει ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ οὐθὲν ἐμοῦ οὐδὲ ὑπεξῄρηται ἀπ' ἐμοῦ οὐδέν, praeter te, quae* vel potius quia (Hebraicus et Graecus) *uxor eius es: quo modo ergo possum hoc malum* grarde (Hebraicus) *facere et peccare in Deum meum* (deest *meum* in Hebraico et Graeco)? [10]*Huiuscemodi verbis per singulos dies et mulier molesta erat adolescenti: et ille recusabat stuprum,* LXX

accuratius *ἡνίκα δὲ ἐλάλει Ἰωσὴφ ἡμέραν ἐξ ἡμέρας, καὶ οὐχ ὑπήκουεν αὐτῇ καθεύδειν μετ' αὐτῆς τοῦ συγγενέσθαι αὐτῇ.* — Ioseph in domo Putipharis talem timorem Dei talemque vim et virtutem animi ostendit, qualis eum dignum effecit, ut inter Patriarchas numeretur (Dillmann 402) et a Patribus (e. g. S. Chrysostomo et S. Ambrosio) exemplar castitatis celebretur. Concubitum a muliere postulatum malum grande vocavit, quia fuisset adulterium *(uxor eius es)* et violatio plenae fiduciae domini *(omnibus mihi traditis)* et transgressio voluntatis Dei *(peccare in Deum).* „Mulieri Dei oblitae in memoriam revocat Deum" (Hummelauer e S. Chrysostomo); memoria Dei Iosephum sic confortavit, ut quotidianas uxoris impudentis sollicitationes constanter repelleret.

Phrasim *μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα* S. Chrysostomus recte explicat „post creditam ei potestatem". — שָׁכַב *cubuit* adhibetur etiam „de concumbentibus cum muliere. Plerumque dicitur de illicito viri cum femina concubitu, sive ea nupta sit viro sive innupta" (Gesenius). — Bachmann scribit, in Ѷ. 8 pro מַה־ cum Samaritano מְאוּמָה legendum esse, cum מַה־ grammaticaliter declarari nequeat; sed Gesenius-Kautzsch 451 contrarium docent. — Ѷ. 9ª ex Hebraico sic vertendus est: non est maior (scil. Putiphar) in domo hac quam ego (Dillmann, Gunkel). — In Ѷ. 10 יוֹם יוֹם = quolibet die, diem ex die (Gesenius-Kautzsch 401). — הָיָה עִם אִשָּׁה = „rem habuit cum muliere, concubuit cum ea" (Gesenius 374). Gunkel putat, לִהְיוֹת עִמָּהּ glossam ad Ѷ. 10ª esse, quae opinio probabilitate non caret; sed LXX textum Masorethicum confirmant. — Lapide ad Ѷ. 10 scribit: „Nota hic invictam Iosephi constantiam . . . Ioseph tamen non cessit nec humanae naturae infirmitati nec iuvenilis aetatis in libidinem proclivitati, non assiduae sollicitationi herae suae . . . Disce hic nullam tentationem, quantacumque ea sit, esse insuperabilem, teque inexcusabilem fore, si ab ea te superari sinas, cum omnem aeque ac Ioseph per Dei gratiam superare possis et debeas."

ѶѶ. 11—18. Accidit autem quadam die *ut intraret Ioseph* (deest *Ioseph* in Hebraico) *domum et operis quippiam absque arbitris faceret,* in Hebraico: ut faceret opus suum, et nemo hominum domus ibi in domo erat, [12] *et illa, apprehensa lacinia vestimenti eius* (in Hebraico similiterque in Graeco: *apprehensa veste eius*), *diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio* (in Hebraico similiterque in Graeco: *veste*) *fugit, et egressus est foras.* [13] *Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, et se esse*

contemptam, LXX accuratius *καὶ ἐγένετο ὡς εἶδεν ὅτι κατέλειπεν τὰ ἱμάτια* (in Hebraico *vestem*) *ἐν ταῖς χερσίν* (in Hebraico *in manu*) *αὐτῆς καὶ ἔφυγεν καὶ ἐξῆλθεν* (ita et 10 manuscripta Hebraica ac Samaritanus; Masorethicus *καὶ ἐξῆλθεν* omittit) *ἔξω,* [14] *vocavit ad se* (deest *ad se* in Hebraico et Graeco) *homines domus suae, et ait ad eos* d i c e n s (Hebraicus et Graecus): *En introduxit virum Hebraeum, ut illuderet nobis: ingressus est ad me, ut coiret mecum: cumque ego succlamassem,* LXX accuratius *καὶ ἐβόησα φωνῇ μεγάλῃ,* [15] *et audisset vocem meam,* LXX multo accuratius *ἐν δὲ τῷ ἀκοῦσαι αὐτὸν ὅτι ὕψωσα τὴν φωνήν μου καὶ ἐβόησα, reliquit pallium quod tenebam, et fugit foras,* in Hebraico similiterque in Graeco: reliquit vestem suam apud me et fugit et egressus est foras. [16] *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum,* LXX multo accuratius *καὶ καταλιμπάνει τὰ ἱμάτια* (in Hebraico *vestem eius*) *παρ' ἑαυτῇ, ἕως ἦλθεν ὁ κύριος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ,* [17] *et ait,* LXX multo accuratius *καὶ ἐλάλησεν αὐτῷ κατὰ τὰ ῥήματα ταῦτα λέγουσα· Ingressus est ad me servus Hebraeus quem adduxisti* n o b i s (Hebraicus et Graecus) *ut illuderet mihi*: [18] *cumque audisset me clamare,* LXX multo accuratius *ὡς δὲ ἤκουσεν ὅτι ὕψωσα τὴν φωνήν μου καὶ ἐβόησα, reliquit pallium quod tenebam* (in Hebraico similiterque in Graeco: reliquit vestem suam apud me), *et fugit* e t e g r e s s u s e s t (Samaritanus et Graecus) *foras.* — „Nota hic ingenium versatile, impudentiam et improbitatem mulieris . . . eiusdem nequitiam, audaciam et dolos, quibus in Iosephum suum crimen intorquet . . . eiusdem furias, quibus illi antea adamato necem parat“ (Lapide; cf. et Gunkel).

„Quod aliqui causabantur, inquit Hummelauer 539, hanc narrationem de Ioseph et uxore Putiphari ab Aegyptiorum moribus dissonare, egregie refutatum habes in ‚F a b u l a d u o r u m f r a t r u m‘, quam primus e textu hieratico eruit E. de Rougé (Revue Archéologique IX, 385).“ Recentiores interpretes, e. g. Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger 232 profitentur narrationem cum moribus Aegyptiorum convenire. Heyes 129 ss. 137 ss. multa de mulieribus Aegyptiorum earumque moralitate scribit. — In ista fabula duorum fratrum narratur, quomodo uxor fratris maioris fratrem minorem seducere et adulterium recusantem perdere voluerit. Inter narrationem Aegyptiam et biblicam similitudines adesse, omnes concedunt: at dissimilitudines inter utramque exsistentes tot ac tales sunt, ut ipse Holzinger 232 nexum narrationum neget. Res similes saepius

eveniunt, ut e Prov. 2, 16ss.; 5, 3ss. 15ss.; 6, 24ss.; 7, 5ss. elucet, quos locos Gunkel 381 citat.

In ℣. 11 כְּהַיּוֹם הַזֶּה = die illa scil. qua Ioseph a muliere tentatus est (Hoberg); Graecus et Latinus הַזֶּה indefinite reddunt sensumque bene exprimunt. — Apud Aegyptios triplex vestimentorum genus in usu fuit, quemadmodum in monumentis Aegyptiis videmus (cf. imagines in Theol. bibl. Vet. Test., pag. 80ss.), scilicet: subligaculum vel praecinctorium, quod operarii adhibebant; tunica, quam multi Aegyptii super subligaculum portabant, sed operantes deponebant; denique pallium, quo etiam Graeci et Romani se amiciebant (cf. Heyes 144s.). Quale igitur vestimentum Ioseph in manibus mulieris impudentis reliquit? Secundum Heyes 145 reliquit pallium, quae sententia versioni Vulgatae subest; sed improbabile est, Iosephum qui in domo operari volebat (℣. 11), pallio indutum fuisse. Probabilius videtur (cf. Gunkel 382), eum tunicam reliquisse, ut ille adolescens fecit, de quo S. Marcus (14, 51s.) narrat. — Lapide quaerit, quare Ioseph vestimentum suum feminae per vim extorquere noluerit, et respondet: „ne quam vim herae suae inferret . . . quia praesentissimum remedium contra tentationes libidinis est non colluctatio, sed fuga . . . ne vel mulierem tangeret vel ab ea tangeretur“. Si non pallium, sed tunicam reliquit, fuga immediata eo ipso patet. — In ℣. 14 uxor nomen viri sui tacet, ad quod Hummelauer notat: „Vox reverenter supprimitur, uti etiam in novo regno . . . supprimebatur regis nomen: ‚aliquis te iussit‘, ‚aliquis nunc versatur Thebis‘ (Erman I, 92).“ — De *Hebraeis* videas pag. 197 et 244; Aegyptii eos abominabantur (cf. 43, 32; 46, 34). — *Ut illuderet nobis*, inquit, non mihi, quasi dicat: „vestrum quippe nulla iam se tutam reputet“ (Hummelauer cum Dillmann; Gunkel, Holzinger). Utrum ad concubinas (uxores secundarias) viri sui an ad alias mulieres domesticas locuta sit, incertum est. Aegyptii enim plerumque una uxore contenti erant, potuerunt tamen plures habere (Heyes 134). — Gunkel bene observavit, in ℣. 12s. narrari, Iosephum vestem suam *in manu* mulieris reliquisse, secundum ℣℣. 15. 18 vero mulierem dixisse, vestem *apud se*, אֶצְלִי (cf. lexicon), relictam esse eamque *apud se* retinuisse (℣. 16), ut ita accusationem plausibilem redderet. Samaritanus (et Syrus) habent quidem in ℣. 15 בְּיָדִי, sed Dillmann aliique hanc lectionem reprobant, eo quod mulier vestem in manu tenens semetipsam suspectam fecisset.

℣℣. 19—23. **His auditis dominus,** *et nimium credulus verbis coniugis, iratus est valde,* LXX multo accuratius ἐγένετο δὲ ὡς ἤκουσεν ὁ κύριος τὰ ῥήματα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, ὅσα ἐλάλησεν πρὸς αὐτὸν λέγουσα· οὕτως ἐποίησέν μοι ὁ παῖς σου, καὶ ἐθυμώθη ὀργῇ, 20 et sumpsit (cf. pag. 55) dominus Ioseph (Hebraicus et Graecus) *tradiditque Ioseph* (pro *Ioseph* in Hebraico et Graeco *eum*) *in carcerem,* אֶל־בֵּית הַסֹּהַר. in

locum (Hebraicus et Graecus) *ubi vincti regis custodiebantur, et erat ibi clausus,* in Hebraico similiterque in Graeco: et erat ibi in carcere, בְּבֵית הַסֹּהַר. [21] *Fuit autem Dominus cum Ioseph, et misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris,* שַׂר בֵּית־הַסֹּהַר. [22] *Qui* (pro *qui* in Hebraico et Graeco *princeps carceris*) *tradidit in manu illius* (pro *illius* in Hebraico et Graeco *Ioseph*) *universos vinctos qui in custodia tenebantur* (deest *tenebantur* in Hebraico et Graeco): *et quidquid fiebat, sub ipso erat,* in Hebraico: et omnia, quae faciebant ibi, ipse faciebat. [23] *Nec noverat aliquid, cunctis ei creditis: Dominus enim erat cum illo, et omnia opera eius dirigebat,* in Hebraico: et princeps carceris prorsus nihil videbat quod in manu eius erat, quia Dominus cum eo erat, et quod ipse faciebat, Dominus prosperabat. — Putiphar Iosepho non „locum dedit se purgandi nec de facto inquisivit, sed statim damnavit innocentem“ (Lapide et Hummelauer cum S. Ambrosio). Dillmann inconveniens et Gunkel improbabile censet, servum hominis privati in illum carcerem, in quo vincti regis custodiebantur, missum esse. Contra has assertiones cum Hoberg et Heyes 168 notamus, Putipharem non hominem privatum sed aulicum regis et praepositum satellitum eius, illum carcerem autem custodiam publicam fuisse, in qua peccantes contra leges Aegyptias collocabantur. Gunkel insuper opinatur, in veritate vix cogitari posse servum ob tentatem uxoris violationem in carcerem dumtaxat missum, non autem iuxta mores antiquos severissime castigatum esse. At duae adsunt rationes, ob quas Putiphar Iosephum mitius tractavit. Primo quidem *optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia, quae gereret, ab eo dirigi in manu illius* (39, 3). Secundo valde probabile est, Putipharem non omni ex parte accusationem uxoris credidisse. Iam Philo sapienter notavit, ipsam vestem apud uxorem relictam „indicium esse violentiae a muliere profectae“; nam si Ioseph „vim dominae voluisset inferre, facile vestem suam utpote femina robustior servasset, immo et feminae extorsisset“ (Lapide).

Putiphar iratus esse dicitur, sed non adiungitur, cui iratus sit; iuxta contextum utique Iosepho iratus est (Gunkel), forsitan etiam uxori cui non plene fidebat (Delitzsch, Dillmann, Heyes 169: cf. et Hummelauer). — De iurisdictione Aegyptiorum antiquorum Heyes 158 ss. plura affert. — סֹהַר (a verbo inusitato סָהַר *rotundus fuit*) = „turris, a

forma rotunda, castellum. Inde בֵּית הַסֹּהַר *domus castelli* de carcere munito" (Gesenius 939). Hoberg cum Aben Ezra putat סֹהַר forsitan vocem Aegyptiam esse; at Gesenius recte observavit: „ut lingua Hebraea perquam aptum etymon offert, ita quaesita et longius petita sunt pericula Aegyptiaca". Videas Buhl quoque. — Ioseph in illum locum carceris missus est, ubi vincti regis custodiebantur, quia servus praecipui aulici erat (cf. pag. 557). — Pro kᵉthîbh אֲסוּרֵי praeferatur kᵉrê אֲסִירֵי (Gunkel, Kittel); similiter in ℣. 22. — ℣. 21ᵇ ex Hebraico sic vertendus est: et dedit gratiam eius (i. e. Iosephi) in oculis principis carceris = Deus effecit, ut in oculis principis carceris gratiam inveniret (Dillmann). *Princeps carceris* erat minister Putiphari subiectus. — In ℣. 22 et omnia, quae faciebant ibi, ipse faciebat = ipse opera vinctorum dirigebat (Dillmann). — Dillmann cum Knobel putat, 39, 22 atque 40, 4 sibi contrarios esse; at videas explicationem ad 40, 4 datam. — אֵין . . . אֶת־כָּל־מְאוּמָה = prorsus nihil (Buhl, Dillmann).

Lapide cum aliis notat, per Iosephum filium Iacobi adumbrari Iosephum, sponsum B. Virginis, et sequentia S. Bernardi (hom. 2 super Missus est) citat: „Ille Ioseph fraterna ex invidia venditus et ductus in Aegyptum Christi venditionem praefiguravit; iste Ioseph Herodianam invidiam fugiens Christum in Aegyptum portavit. Ille domino suo fidem servans dominae noluit commisceri; iste dominam suam, Domini sui matrem, virginem agnoscens et ipse continens, fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum; isti datum est conscium fieri atque participem caelestium sacramentorum. Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo; iste panem vivum e caelo servandum accepit tam sibi quam toti mundo."

C. **40.** **℣℣. 1—4. His ita gestis,** *accidit ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Aegypti, et pistor, domino suo,* LXX accuratius *ἐγένετο δὲ μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα ἥμαρτεν ὁ ἀρχιοινοχόος,* מַשְׁקֵה, *τοῦ βασιλέως Αἰγύπτου καὶ ὁ ἀρχισιτοποιός,* הָאֹפֶה, *τῷ κυρίῳ αὐτῶν, βασιλεῖ Αἰγύπτου.* ²*Iratusque contra eos Pharao (nam alter pincernis praeerat, alter pistoribus),* LXX accuratius *καὶ ὠργίσθη Φαραὼ ἐπὶ τοῖς δυσὶν εὐνούχοις αὐτοῦ,* סָרִיסָיו (cf. pag. 534), *ἐπὶ τῷ ἀρχιοινοχόῳ,* שַׂר הַמַּשְׁקִים, *καὶ ἐπὶ τῷ ἀρχισιτοποιῷ,* שַׂר הָאוֹפִים, ³*misit eos in carcerem,* בְּמִשְׁמַר i. e. in custodiam, d o m u s (Hebraicus, cf. et Graecum) *principis militum,* שַׂר הַטַּבָּחִים (cf. pag. 535), i n d o m u m c a s t e l l i (Hebraicus, cf. et Graecum; videas pag. 557), i n l o c u m (Hebraicus et Graecus) *in quo erat vinctus et* (deest *et* in Hebraico et Graeco) *Ioseph.* ⁴*At custos carceris,* שַׂר הַטַּבָּחִים i. e. princeps militum, *tradidit eos Ioseph* (ita et Graecus; at Maso-

rethicus verti debet: adiunxit eis Iosephum) *qui et* (deest *et* in Hebraico et Graeco) *ministrabat eis: aliquantulum temporis fluxerat, et illi in custodia tenebantur,* loco ultimorum 8 verborum in Hebraico et Graeco legimus: et erant diebus (יָמִים, cf. pag. 100) in custodia. — Pharao principem pincernarum ac principem pistorum in eundem locum custodiae publicae (cf. pag. 557) misit, in quo Ioseph erat. Princeps autem militum, i. e. Putiphar, praecipuis his aulicis Iosephum ministrum adiunxit. Duo isti principes per tempus aliquod in custodia tenebantur.

Certum est, principem pincernarum et principem pistorum in carcerem missum esse, cum textus Hebraicus et versiones in ℣. 2 conveniant. Alia quaestio est, quis peccaverit. Nam textus Graecus habet quidem in ℣. 1 quoque *ὁ ἀρχιοινοχόος* et *ὁ ἀρχισιτοποιός;* sed Hebraicus, quocum Vulgata congruit, habet מַשְׁקֵה (sine articulo) = pincerna quis et הָאֹפֶה (cum articulo) = pistor collective sumptus = pistores (cf. Gesenius-Kautzsch 412). Iuxta hunc Masorethicum probabile videtur, unum e pincernis et pistores communiter contra regem peccasse, duos autem praepositos eorum disquisitionis gratia in custodiam missos esse. Causa cognita praepositus pincernarum officio restitutus, contra praepositus pistorum occisus est (cf. ℣℣. 13. 19. 21 s.), qui exitus disquisitionis nostram sententiam confirmare videtur, quia praepositus non propter peccatum unius, bene vero propter peccatum omnium vel plurimorum subditorum poenam meretur. Quale autem fuit peccatum pincernae ac pistorum contra regem Aegypti? Hebraei „coniiciunt illud fuisse, ut coniuraverint veneno Pharaonem e medio tollere; aulicos Aegyptios quandoque contra regem coniurasse, et patet per se et confirmatur actis causae (Erman I, 205 ss.) habitae contra eos, qui cum uxoribus regiis coniuraverant de rege Pepy 6[ae] dynastiae expellendo" (Hummelauer). Hoberg recte censet, tales machinationes regnantibus Hyksos (cf. pag. 535) non raras fuisse. — מַשְׁקֵה est part. hiphʿil verbi שָׁקָה *bibit,* ergo *pincerna* (a *πίνω bibo* et *κιρνάω, κεράννυμι misceo:* cf. Georges). In recentioribus monumentis Aegyptiis nomen et officium pincernarum sensu stricto consignatum invenimus; in antiquioribus pincernae sensu lato, i. e. viri qui cibum potumque providere debuerunt, commemorantur (cf. Heyes 170 ss.). Olim contra axiopistiam Genesis obiiciebant, antiquos Aegyptios neque vitem coluisse neque vinum bibisse. At haec obiectio hodie ridicula evasit, quia monumenta antiqua Aegyptiorum contrarium docent. Aegyptii non solum cerevisiam *(ḥek, ḥekt),* verum etiam vinum bibebant: vinum commune *(àrp),* vinum bonum *(àrp nefer),* vinum dulce *(àrp neḏem),* vinum optimum *(àrp nefer nefer).* In monumentis nomen *àrp*, quod Graeci *ἔρπις* reddiderunt (cf. Passow) saepissime occurrit atque cultura vitis in variis imaginibus repraesentatur, quas in Theol. bibl. Vet. Test. pag. 80 s. videbis. Vites ad palos vel sudes

alligabantur et saepe in porticus formabantur, quales nunc in quibusdam Germaniae regionibus conspiciuntur. Uvae vindemiatae in corbibus ponebantur et ad torcular portabantur; prius in ligneo lacu torculario per viros funiculis se sustinentes calcabantur, deinde in panno collocatae varia ratione perfectius exprimebantur (cf. Heyes 179 ss., Hoberg 337, Dillmann 409). — אֹפֶה est part. verbi אָפָה = „coxit, spec. panem placentamve in furno“ (Gesenius). In Aegypto multos pistores fuisse, omnes omnino concedunt.

Hoberg putat, custodiam publicam non proprie in domo Putipharis fuisse, sed tantum potestati eius subiecisse; sed ℣. 3 clare docet, domum castelli (cf. pag. 558) reapse cum domo Putipharis coniunctam fuisse (Dillmann aliique), quod non mirandum est, quia etiam Venetiis carcer publicus cum palatio ducali coniunctus fuit, uti quilibet videre potest. — Hummelauer 540 s. opinatur, in 40, 4 et 41, 12 non Putipharem, sed principem carceris intelligendum esse. Verumtamen haec opinio cum usu loquendi pugnat. Si enim שַׂר הַטַּבָּחִים *princeps militum* alibi (cf. pag. 535) Putipharem significat, etiam in 40, 4 et 41, 12 iuxta primum principium hermeneuticum eum significare debet, neque ulla adest ratio hunc titulum cum titulo שַׂר בֵּית־הַסֹּהַר *principis domus castelli* confundendi. Etiam quod „Ebers censet, Putiphar toti praefuisse carceri, alterum virum ei soli parti, ubi vincti regis detinerentur“ (Hummelauer), in sacro textu nullum fundamentum habet. Iuxta textum *princeps domus castelli* erat praefectus totius custodiae publicae et qua talis *principi militum* subiectus (cf. pag. 534). — Praepositus pincernarum et praepositus pistorum, praecipui aulici Pharaonis (communis sententia), disquisitionis gratia in custodiam missi erant, ergo officio suo iterum restitui potuerunt, ut sequentia probant. Ex quo clarescit, quare Putiphar servum suum Iosephum eis ministrum adiunxerit. Inter 40, 4 atque 39, 22 nulla adest contradictio: princeps carceris omnes vinctos tunc in carcere exsistentes Iosepho tradiderat (39, 22); quando autem rex praecipuos suos aulicos in domo castelli posuit, hisce praepositus principis carceris, i. e. princeps militum (cf. supra), Iosephum adiunxit. Putipharem res ita disponere potuisse, licet isti aulici disquisitionis gratia, Ioseph vero poenae causa in custodia fuerit, per se patet. — Quot annos Ioseph in domo Putipharis quotque in carcere fuit? Certum est, Iosephum 17 annorum in domum Putipharis venisse (pag. 517); certum est, eum 30 annorum e carcere eductum esse (41, 46); certum est, eum post causam aulicorum diiudicatam adhuc 2 annos in carcere mansisse (41, 1). Aulici vero *ca.* annum in custodia tenebantur. Nam יָמִים (℣. 4) tempus incertum designat, quod contextu determinatur (pag. 100): atqui ex una parte iurisdictio Aegyptiorum diuturna quidem fuit (Hoberg), sed ex altera parte Pharao hanc causam aulicorum (pag. 559) ursisse et proximo die natali (℣. 20) eam diiudicasse videtur: ergo aulici *ca.* annum in custodia fuerint. Ioseph autem iam ante aulicos in carcerem ductus fuerat ibique inventa gratia principis carceris omnia gubernabat. Quibus

omnibus consideratis cum Lapide (ad 39, 7 et 40, 4) censeo, Iosephum 3 annos in carcere et 10 annos in domo Putipharis fuisse.

℣℣. 5—8. Videruntque ambo somnium, quisque somnium suum (Hebraicus et Graecus), *nocte una,* quisque (Hebraicus) *iuxta interpretationem congruam sibi* (loco *congruam sibi* in Hebraico et Graeco *somnii sui*), pincerna, הַמַּשְׁקֶה, ὁ *ἀρχιοινοχόος,* et pistor, הָאֹפֶה, ὁ *ἀρχισιτοποιός,* regis Aegypti qui vincti erant in domo castelli (Hebraicus et Graecus): [6] *ad quos cum introisset Ioseph mane, et vidisset eos tristes,* LXX accuratius *καὶ ἴδεν αὐτοὺς καὶ ἦσαν τεταραγμένοι,* [7] *sciscitatus est eos, dicens,* LXX multo accuratius *καὶ ἠρώτα τοὺς εὐνούχους Φαραώ, οἳ ἦσαν μετ' αὐτοῦ ἐν τῇ φυλακῇ παρὰ τῷ κυρίῳ αὐτοῦ, λέγων· Cur tristior est hodie solito facies vestra,* LXX accuratius *τί ὅτι τὰ πρόσωπα ὑμῶν σκυθρωπὰ σήμερον;* [8] *Qui responderunt* ei (Hebraicus et Graecus): *Somnium vidimus, et non est qui interpretetur nobis* (loco *nobis* in Hebraico et Graeco *illud*). *Dixitque ad eos Ioseph: Numquid non Dei est interpretatio? referte* quaeso (Hebraicus et Graecus) *mihi quid videritis* (deest *quid videritis* in Hebraico et Graeco). — Aegyptii somnia divinitus immissa credebant ideoque ad investiganda eventa futura maximi faciebant, ut monumenta eorum comprobant (Heyes 174 ss.; Dillmann, Gunkel, Hoberg, Hummelauer, Wiedemann aliique). Duo aulici Pharaonis tristes erant, eo quod ipsi sensum somniorum suorum non intellexerunt et in custodia positi interpretem somniorum (cf. 41, 8) interrogare non potuerunt; Ioseph autem eis reposuit, interpretationem somniorum non esse artem naturaliter acquisitam, sed donum a Deo concessum (Gunkel, Hoberg aliique).

„Triplicia sunt somnia: quaedam enim proveniunt a Deo, quaedam a daemone, quaedam a natura. Rursum tertia haec, quae a natura oriuntur, bipartita sunt: quaedam enim oriuntur ex diurna cogitatione vel ardenti erga rem aliquam affectu. . . . Quaedam vero somnia naturalia oriuntur ex temperamento et humore praedominante. . . . Nota. Quia somnia divina rara sunt et vix a daemoniacis aut vanis dignosci possunt, hinc tutissimum est somnia quaelibet contemnere, nisi Deus aliud revelet; hoc autem revelare solet partim illuminando ipsos somniantes, ut sciant somnium sibi esse a Deo immissum . . . partim interpretationem somniorum suis amicis virisque sanctis suggerendo" (Lapide).

Volui haec ascribere, quia recentissimo tempore vir quidam saecularis et instructus omnes locos biblicos conscripsit, in quibus somnia referuntur, atque dubius haerebat, quid sibi somnianti faciendum esset. Generalis regula sonat: „Somnia sunt vana (Träume sind Schäume)"; potest tamen esse, quod Deus e. g. peccatorem suam punitionem aut iustum suam remunerationem somniantem tali somnio corrigere aut recreare velit. — Una eademque nocte aulici Pharaonis sortem suam futuram in somnio praeviderunt; una eademque die somnium eorum verum apparuit. Illud *quisque iuxta interpretationem somnii sui* indicat, „somnia non fuisse vana et fortuita, quae interpretationem non habent, sed significasse quae illis ventura erant" (Hummelauer, Dillmann cum Knobel). Hoberg affirmat פִּתְרֹן in Gen. 40, 5 et 41, 11 non interpretationem neque sensum somniorum, sed subiectivam cognitionem seu perceptionem aulicorum significare. Verum haec affirmatio cum usu loquendi pugnat. Nam פִּתְרֹן in Gen. 40, 5. 8. 12. 18 et 41, 11 tantum occurrit (cf. Buhl et Mandelkern); atqui in Gen. 40, 8. 12. 18 certo interpretationem et sensum verum, non autem subiectivam perceptionem somniorum significat: ergo etiam in Gen. 40, 5 et 41, 11 eadem significatio retinenda est (cf. Exegeticam, pag. 36). — LXX in ℣. 5 nomina Hebraica cum articulo recte praepositum pincernarum et praepositum pistorum intellexerunt, quia ℣℣. 2. 9. 16 id postulant; aliter res in ℣. 1 se habet. — Holzinger in ℣. 8 pro פִּתְרֹנִים cum LXX פִּתְרֹנָם legit.

℣℣. 9—15. Narravit prior (deest *prior* in Hebraico et Graeco), *praepositus pincernarum, somnium suum* Iosepho et dixit ei (Hebraicus et Graecus): *Videbam coram me vitem,* LXX accuratius *ἐν τῷ ὕπνῳ μου ἦν ἄμπελος*, גֶּפֶן, *ἐναντίον μου,* [10] *in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, et post flores uvas maturescere,* in Hebraico (similiterque in Graeco): et in vite erant tres palmites, et ut ipsa germinavit, provenit flos eius, maturarunt racemi eius uvas, [11] *calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas, et expressi in calicem quem tenebam* (pro *quem tenebam* in Hebraico *Pharaonis,* Graecus omittit), *et tradidi poculum Pharaoni,* in Hebraico et Graeco: et dedi calicem in manum Pharaonis. [12] *Respondit* ei (Hebraicus et Graecus) *Ioseph: Haec est interpretatio somnii* (pro *somnii* in Hebraico et Graeco *eius*): *Tres propagines,* vel palmites *tres adhuc* (deest *adhuc* in Hebraico et Graeco) *dies sunt:* [13] *post quos recordabitur Pharao ministerii tui,* in Hebraico (cf. et Graecum): intra triduum levabit Pharao caput tuum, *et restituet te in gradum pristinum* (pro *gradum pristinum* in Hebraico *locum tuum*): *dabisque ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere*

consueveras, in Hebraico similiterque in Graeco: dabisque calicem Pharaonis in manum eius iuxta consuetudinem priorem ubi eras pincerna eius. [14] *Tantum,* כִּי אִם, *memento mei* tecum (Hebraicus, cf. et Graecum), *cum bene tibi fuerit, et facias mecum misericordiam: ut* vel potius et *suggeras* me (Hebraicus et Graecus) *Pharaoni ut educat* vel potius et educas *me de isto carcere:* [15] *quia furto sublatus sum,* כִּי־גֻנֹּב גֻּנַּבְתִּי (cf. pag. 56 et 530) *de terra Hebraeorum, et hic innocens in lacum missus sum,* LXX accuratius *καὶ ὧδε οὐκ ἐποίησα οὐδέν, ἀλλ᾽ ἐνέβαλόν με εἰς τὸν λάκκον τοῦτον.* Pincerna vitem cum tribus palmitibus vidit, in qua germina flores et hos uvae maturae statim subsecutae sunt; deinde semetipsum eadem celeritate ex uvis vinum conficientem regique porrigentem conspexit (cf. Hummelauer, Gunkel). Ioseph tres palmites symbolum trium dierum et opus pincernae symbolum restitutionis eius declaravit.

Sicut inter germina et flores et uvas maturas, ita etiam inter confectionem et consumptionem vini in veritate spatia sat longa interiacent: in somnio vel visione tamen ista spatia disparent. At ℣. 11 etiam ad litteram accipi potest. Nam ex antiquis monumentis Aegyptiis discimus, Aegyptios eorumque reges sucum uvarum cum aqua mixtum refrigerationis causa bibisse (cf. Heyes 188, Hoberg, Dillmann), quod Gunkel et Hummelauer immerito negant. — In ℣. 10 pro participio כְּפֹרַחַת (cf. pag. 550 et Gesenius-Kautzsch 513) Kittel כְּפָרְחָה, (Holzinger) Gunkel cum Ball מַפְרַחַת emendandum censet. — נִצָּהּ = נִצָּתָהּ (Buhl 469, Gesenius-Kautzsch 255, Bachmann aliique); Gunkel cum Ball verbum נִצָּה = נָצַץ *floruit* commendat. — In ℣. 13 בְּעוֹד שְׁלֹשֶׁת יָמִים = dum adhuc tres dies sunt i. e. triduo nondum absoluto, intra triduum (cf. lexicon et ℣. 20). — Caput alicuius levare (נָשָׂא רֹאשׁ, assyr. *našû rêša*) = aliquem ad dignitatem elevare (Buhl 474). — כִּי אִם (℣. 14) = nam si, quando sententia negativa praecedit = nisi (cf. lexicon); hic supplendum est: nihil aliud peto (nisi ut mei memineris), ut Gesenius-Kautzsch 510 docent. Wellhausen, Driver, Ball pro כִּי ponunt אַךְ, quae tamen mutatio neque necessaria est neque demonstrari potest, ideoque a Dillmann recte repudiatur. Perfectum sequens est perfectum confidentiae (Gesenius-Kautzsch 311); de נָא post perfectum cf. Gesenius-Kautzsch 306). — Dillmann et Gunkel phrasim *de terra Hebraeorum* „anachronismum“ vocant; at bene scribit Hummelauer: „Si Abraham Hebraeus (14, 13) numeravit servos trecentos decem et octo viros, Iacob sane, cui duodecim filii et infiniti paene erant greges, servos habebat plurimos, et tractus quem late diffusis gregibus obtinebat, facile potuit nomine *terrae Hebraeorum* Aegyptiis innotescere, imprimis regibus Pastoribus, qui et ipsi ad orientem primum Aegypti

sedes habuissent.“ Videas etiam pag. 197 ss. et 244, ut perspicias *Hebraeos* regibus Hyksos notos esse potuisse. — Verba *et hic innocens in lacum missus sum* non de terra Hebraeorum sed de terra Aegypti intelligenda sunt, ut plerique interpretes recentiores (excepto Hoberg) e contextu recte inferunt. — Hummelauer bene notat: „Non accusat Putipharem neque eius uxorem, non refert fratrum inhumanitatem (Chrys.): unum effert, se per nefas in servitutem esse adductum servumque nihil mali admisisse.“

℣℣. 16—19. Videns pistorum magister vel potius princeps (Hebraicus et Graecus) *quod prudenter somnium dissolvisset*, in Hebraico: quod bonum interpretatus esset, *ait* ad Ioseph (Hebraicus et Graecus): *Et ego vidi somnium, Quod tria canistra farinae haberem*, in Hebraico: etiam in meo somnio ecce tria canistra panis albi (חֹרִי) erant, *super caput meum:* [17]*et in uno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo*, in Hebraico (cf. et Graecum): et in canistro summo erat ex omni cibo Pharaonis, opus pistorium, sed aves comederunt eos, אֹתָם, e canistro de capite meo. [18]*Respondit Ioseph* et dixit (Hebraicus et Graecus): *Haec est interpretatio somnii* (pro *somnii* in Hebraico et Graeco *eius*): *Tria canistra, tres adhuc* (deest *adhuc* in Hebraico et Graeco) *dies sunt*: [19]*post quos*, in Hebraico: intra triduum (cf. pag. 563), *auferet* vel levabit, יִשָּׂא, *Pharao caput tuum* de te (Hebraicus et Graecus), *ac suspendet te in cruce* vel ligno, *et lacerabunt* vel comedent *volucres carnes tuas* de te (Hebraicus et Graecus). — Differentia inter somnium pincernae ac pistoris haec est: pincerna calicem Pharaoni reapse obtulit: pistor volebat ei cibos offerre, sed a volucribus impeditus est (Gunkel 387). Iuxta textum Hebraicum Ioseph annominatione usus est. Ut ad pincernam, sic et ad pistorem dixit יִשָּׂא אֶת־רֹאשְׁךָ *levabit caput tuum*, pro pistore tamen adiunxit מֵעָלֶיךָ *de te, ἀπὸ σοῦ*, qua phrasi decollatio significatur (Dillmann aliique recentiores). „Emortui cadaver suspendendum est in ligno i. e. in patibulo. Monumenta exhibent homines capite plexos et in patibulo suspensos. In ‚fabula duorum fratrum‘ uxoris infidelis cadaver canibus permittitur (Vigouroux, pag. 79). Id sane in gente cadaverum praeservandorum tam studiosa supplicium omnino extremum“ (Hummelauer cum Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger). Tam gravis poena gravem quoque culpam supponit (Hoberg), quam pag. 559 exposuimus.

℣. 16ᵃ ex Hebraico reddi potest aut: quod bonum interpretatus esset, aut: quod bene seu prudenter vel recte (LXX et Vulgata) interpretatus esset, scil. somnium. Prior versio praeferenda est (Dillmann, Strack² aliique). Nam pistor scire nequivit, utrum interpretatio Iosephi recta vel prudens esset necne; manifestum autem fuit, Iosephum pincernae bonum praenuntiasse. — De pronomine separato אֲנִי videas Gesenius-Kautzsch 445. — חֹרִי (a חָוַר *candidus fuit*) = albus panis vel album opus pistorium (cf. Gesenius, Fürst, Buhl); סַלֵּי חֹרִי = canistra panis (Gesenius) vel panaria, LXX *κανᾶ χονδριτῶν*. Meintel aliique, quibus Holzinger favere videtur, nomen „repetunt a חוֹר *foramen* et canistra intelligunt perforata, reticulata, quod frigidius videtur" (Gesenius 458). — Holzinger putat, duo canistra inferiora vacua fuisse; probabilius autem panes pro aulicis Pharaonis continebant (Gunkel). — Aegyptios multos panes comedisse eosque artificiose praeparasse, monumenta eorum docent (cf. Heyes 188 ss.) et omnes interpretes concedunt. — Viri Aegyptiorum onera in capite, mulieres vero in humero portabant (Dillmann aliique), saltem generatim loquendo (Heyes 195). — E canistro summo volucres singulos cibos (אֹתָם) pro Pharaone praeparatos comederunt. — Ball et Kittel, quibus Holzinger favet, in ℣. 19 prius מֵעָלֶיךָ *de te* delendum censent; at exceptis 2 manuscriptis Hebraicis et Vulgata, quae alibi quoque saepe verba omittit (cf. antecedentia), testes critici illud exhibent: ergo genuinum est (cf. Bibelkritik 174 ss.); ceterum sensus non mutatur, si illud omittitur (cf. ℣. 20). — Lapide contendit, pistorem non decollatum, sed laqueo in patibulo suspensum itaque caput eius levatum esse; recentiores tamen interpretes communiter cum Philone docent, pistorem prius decollatum et deinde in patibulo suspensum esse. Dillmann, Gunkel, Holzinger nullum monumentum Aegyptium citant; Hummelauer (cf. supra pag. 564) et Heyes 199 ss. monumenta Aegyptia afferunt, quibus veracitas Genesis in hac quoque causa demonstratur. — Interpretatio somniorum ab Ioseph data ostendit, in somniis, visionibus, symbolis, parabolis etc. partes essentiales, non autem accidentales considerandas esse (cf. Exegeticam 105. 109).

℣℣. 20—23. Exinde dies tertius *natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande convivium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, et pistorum principis;* in Hebraico sic legimus: et factum est, die tertio, die natalitio Pharaonis, fecit convivium omnibus servis suis et levavit caput principis pincernarum et caput principis pistorum in medio servorum suorum. ²¹*Restituitque alterum in locum suum, ut porrigeret ei poculum,* in Hebraico: et posuit principem pincernarum super potum suum, et dedit calicem in manum Pharaonis; ²²*alterum suspendit in patibulo, ut coniectoris veritas probaretur,* in Hebraico: et

principem pistorum suspendit, quemadmodum interpretatus est eis Ioseph. [23]*Et tamen succedentibus prosperis, praepositus pincernarum oblitus est interpretis sui,* in Hebraico: et non recordatus est princeps pincernarum Iosephi, sed oblitus est eius. — In Aegypto diem natalitium Pharaonis quotannis celebratum atque in eo veniam praeteritorum (amnestiam) datam esse, nemo negat (cf. Dillmann, Gunkel, Heyes 195 ss., Hummelauer). Ut Ioseph (pag. 564), ita et hagiographus in verbo נָשָׂא ludit (℣. 20 hebr.), quod tam *elevavit* quam *abstulit* significat (cf. Gesenius, Fürst, Buhl).

In Vulgata hi versus nimis libere, in Graeco accuratius vertuntur. S. Hieronymus, licet doctor maximus sit in exponendis sacris Scripturis (cf. Breviarium Romanum, die 30. Septembris), saepius sensum generalem dumtaxat, non autem verba sacri textus expressit. Sedes Apostolica, quae revisionem Vulgatae praeparat, eam textui Hebraico et Graeco magis conformabit, uti pie speramus. — De infinitivo hoph'al הֻלֶּדֶת pro הוּלֶּדֶת videas Gesenius-Kautzsch 190; de accusativo sequenti eosdem 393. — מַשְׁקֵהוּ in ℣. 21 potum suum vel curam et officium rei potatoriae suae significat (cf. Gesenius, Fürst, Buhl). — Gunkel recte notat, conclusionem huius sectionis esse pulcherrimam: aulicus ministri sui necnon interpretis somnii sui obliviscitur, et quidem per duos annos (41, 1)! Deus tamen iusti Iosephi non obliviscitur (Hoberg).

Excursus.

De compositione narrationis 39, 1—40, 23.

Gunkel 379. 385 cum aliis in 39, 1—40, 23 duplicem relationem invenit. Iuxta unam Ioseph a Putiphare emptus (37, 36) et ab eo minister domus et captivorum constitutus est, sed ipse non captivus fuit (40, 3 s. 7) et furto sublatum se dicit (40, 15[a]). — Iuxta alteram relationem Ioseph a quodam viro Aegyptio non nominato emptus (39, 1) et praepositus domus eius factus (39, 2—6), ab uxore autem Aegyptii accusatus (39, 7—19) in carcerem missus, sed a custode carceris praepositus omnium captivorum constitutus est (39, 20—23).

Haec distinctio relationum falsa est. Nam *a)* hagiographus 39, 1 diserte testatur: *emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Aegyptius.* Ergo iuxta 39, 1 non vir quidam Aegyptius Iosephum emit, sed vir Aegyptius, qui aulicus

Pharaonis et quidem princeps militum fuit, ut 37, 36 quoque legimus. Quare Putiphar *Aegyptius* notetur, et quare 37, 36 in 39, 1 repetatur, pag. 534 s. et 552 declaravimus. Gunkel affirmat quidem, verba *Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus* a redactore duarum relationum adiecta esse, ideoque in textu originali defuisse; at more suo (cf. pag. 341. 435) affirmationem suam non demonstrat, quod peccatum logicum (pag. 435) et scientificum (pag. 496) est. Si putat, assertionem suam eo confirmari, quod retentis istis verbis inconveniens sequatur, ut *eunuchus* uxorem habuerit (39, 7 ss.), fallitur vel fallit. Vox eunuchi enim etiam latiore sensu intelligi potest (cf. pag. 534); si quis autem sensum strictiorem urgere voluerit, e „fabula duorum fratrum" discere potest ac debet, eunuchos quoque uxores duxisse (cf. Heyes 120 ss.). *b)* E sententia Gunkeliana illud inconveniens, immo improbabilissimum sequitur, Iosephum servum c u i u s d a m viri Aegyptii in illum locum carceris missum esse, ubi vincti r e g i s custodiebantur (39, 20); si autem in 39, 1 verba, quae Gunkel delet, retinentur, statim 39, 20 clarescit (cf. pag. 557): ergo ista verba per 39, 20 genuina probantur. *c)* Ioseph non solum m i n i s t e r domus Putipharis et captivorum, sed ipse quoque c a p t i v u s fuit: *in quo erat vinctus*, inquit, *et Ioseph* (40, 3). Haec verba non ad originalem textum pertinere, Gunkel iterum asserit, sed more suo non probat (cf. pag. 341). *d)* Quod Ioseph p r a e p o s i t u s captivorum simulque m i n i s t e r praecipuorum aulicorum Pharaonis scribatur, optime declarari potest (cf. pag. 559) neque duplicem relationem indicat. *e)* Quomodo phrasis *furto sublatus sum* (40, 15) intelligenda sit, pag. 530 ostendimus; etiam haec duplicem relationem non probat. — Generalis methodus s c i e n t i f i c a, qua Hegeliani interpretes suppositiones suas plausibiles reddere volunt, in eo consistit quod verba ipsis contraria e textu eliminant, et quidem s i n e u l l o a r g u m e n t o l o g i c e v a l i d o: methodus utique percommoda, sed n i h i l m i n u s q u a m l o g i c a (cf. pag. 496).

C. **41.** **ℵℵ. 1—7. Post duos annos,** LXX accuratius
ἐγένετο δὲ μετὰ δύο ἔτη ἡμερῶν, vidit Pharao somnium (in
Hebraico: Pharao erat somnians). *Putabat se stare super fluvium*
(in Hebraico: et ecce erat stans ad fluvium),
2 *de quo ascendebant*

septem boves, pulchrae et crassae nimis: et pascebantur in locis palustribus, in Hebraico similiterque in Graeco: et ecce e fluvio ascendebant septem boves pulchrae aspectu et pingues carne et pascebantur in gramine palustri. [3]*Aliae quoque septem emergebant de flumine, foedae, confectaeque macie: et pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus,* in Hebraico (similiterque in Graeco): et ecce septem boves aliae ascendebant post illas e fluvio deformes aspectu et macrae carne et se sistebant iuxta boves ad ripam fluvii: [4]*devoraveruntque eas, quarum mira species, et habitudo corporum erat,* in Hebraico similiterque in Graeco: et devoraverunt boves deformes aspectu et macrae carne septem boves pulchras aspectu et pingues. *Expergefactus* vel evigilans *Pharao,* [5]*rursum dormivit* (in Hebraico *rursum,* in Graeco *rursum dormivit* deest), *et vidit alterum somnium* (in Hebraico et Graeco: et somniavit iterum): et ecce (Hebraicus et Graecus) *Septem spicae pullulabant in culmo uno plenae* vel pingues *atque formosae:* [6]*aliae quoque totidem spicae tenues, et percussae uredine oriebantur,* in Hebraico (similiterque in Graeco): et ecce septem spicae tenues et adustae vento orientali, קָדִים, progerminabant post illas, [7]*devorantes omnem priorum pulchritudinem,* in Hebraico similiterque in Graeco: et devorarunt spicae tenues septem spicas pingues et plenas. *Evigilans Pharao post quietem,* in Hebraico et Graeco: evigilavit Pharao, et ecce somnium fuit. — Pharao somnians ad fluvium, עַל־הַיְאֹר, stetit. Nomen יְאֹר in singulari apud Danielem (12, 5. 6. 7) Tigrim, in ceteris autem locis Nilum significat (Buhl). Zimmern quidem putat, nomen esse forsitan Semiticum (cf. assyr. *âru* = ire, fluere) et „fluvium" significare (Buhl); plerique alii tamen, quibuscum Buhl consentit, illud Aegyptiacum iudicant. Aegyptii Nilum *àtur āa* seu *àur āa* = fluvium magnum, vel simpliciter *àtur* seu *àur* = fluvium vocarunt; e forma breviore *àur (joor)* vocabulum Hebraicum formatum est (Heyes 202). Boves in gramine palustri, בָּאָחוּ, pascebantur. Nomen אָחוּ etiam Aegyptiacum est. S. Hieronymus ad Is. 19, 7 scribit: „Quumque ab eruditis quaererem, quid hic sermo significaret, audivi ab Aegyptiis hoc nomine lingua eorum quidquid in palude virens nascitur appellari;" hanc declarationem Buhl, Gesenius, Heyes 217 et reliqui recentiores

adoptarunt. Pharao vidit spicas vento orientali adustas. Ventus fervidus herbis nocens (Chamsîn vocatus) in Aegyptum proprie e regione inter meridiem et ortum solis spectante venit; monumenta autem Aegyptiaca ostendunt, eum mox meridianum mox orientalem appellatum fuisse (cf. Heyes 218, quocum multi recentiores consentiunt). Boves a bobus et spicae a spicis in somnio dumtaxat devorari possunt (Gunkel). Illud *et ecce somnium fuit* significat, istas vaccas et spicas Pharaoni tam vivide repraesentatas fuisse, ut eas primum in veritate vidisse crederet, sed postea somniatas intelligeret (Fillion, cf. Hummelauer, Gunkel), quae res somniantibus saepius evenit.

In ℣. 1 יָמִים est appositio ad שְׁנָתַיִם i. e. duo anni *dies* seu *tempus* = duo anni temporis (Gesenius-Kautzsch 431). — Praepositio עַל indicat, Pharaonem aequore fluvii superiorem fuisse (Gesenius-Kautzsch 388). — Heyes 202 s. probabile ducit, formam breviorem *àur* iam tempore dynastiae XVIII in usu fuisse, saltem in lingua vulgari. Nomen *Nili* iuxta plures ex Hebraico נַחַל *rivus* corruptum, iuxta Groff ex Aegyptiaco *Ne-ial-u* (= capita Nili) formatum est (Heyes 203). — Kittel cum Ball in ℣ 3 s. loco דַּקּוֹת commendat רַקּוֹת, ut Samaritanus habet. — In ℣. 5 solus Graecus *dormivit* omittit. — In ℣. 6 particip. pass. cum genetivo causae coniungitur (cf. Gesenius-Kautzsch 362). — Numerus septenarius in monumentis Aegyptiorum saepe occurrit (Heyes 212 ss.); quare autem Deus septem annos ubertatis et famis Aegyptiis destinaverit, nescimus. — Repetitum *et ecce* admirationem somniantis depingit (Gunkel).

℣℣. 8—13. et facto mane, pavore perterritus, LXX accuratius *ἐγένετο δὲ πρωὶ καὶ ἐταράχθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ καί, misit ad* (in Hebraico et Graeco: misit et vocavit) *coniectores,* חַרְטֻמֵּי, *ἐξηγητάς, Aegypti cunctosque sapientes,* חֲכָמֶיהָ, *σοφοὺς αὐτῆς· et accersitis narravit somnium, nec erat qui interpretaretur,* LXX accuratius *καὶ διηγήσατο αὐτοῖς Φαραὼ τὸ ἐνύπνιον, καὶ οὐκ ἦν ὁ ἀπαγγέλλων αὐτὸ* (ita Kittel et in Hebraico legendum censet; Masorethicus habet אוֹתָם) *τῷ Φαραώ.* [9]*Tunc demum reminiscens pincernarum magister, ait: Confiteor peccatum meum,* LXX multo accuratius *καὶ ἐλάλησεν ὁ ἀρχιοινοχόος πρὸς* (Samaritanus אֶל, Masorethicus אֶת) *Φαραὼ λέγων· Τὴν ἁμαρτίαν μου ἀναμιμνήσκω σήμερον.* [10]*Iratus rex servis suis, me et magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum,* LXX accuratius *Φαραὼ ὠργίσθη τοῖς παισὶν αὐτοῦ καὶ ἔθετο ἡμᾶς* (Samaritanus אֹתָם, Masorethicus אֹתִי) *ἐν φυλακῇ ἐν τῷ οἴκῳ*

τοῦ ἀρχιδεσμοφύλακος, ἐμέ τε καὶ τὸν ἀρχισιτοποιόν· [11]*ubi una nocte uterque vidimus somnium praesagum futurorum,* in Hebraico: et somniavimus somnium nocte una, ego et ille, quisque iuxta interpretationem somnii sui somniavimus (cf. pag. 562). [12]*Erat* autem (Hebraicus et Graecus) *ibi* nobiscum (Hebraicus et Graecus) *puer,* נַעַר (pag. 518) *Hebraeus, eiusdem* (deest *eiusdem* in Hebraico et Graeco) *ducis militum famulus* vel potius servus, עֶבֶד: *cui narrantes somnia,* in Hebraico: et narravimus ei, et interpretatus est nobis somnia, cuique iuxta somnium suum interpretatus est, [13]*audivimus quidquid postea rei probavit eventus. ego enim redditus sum officio meo: et ille suspensus est in cruce,* in Hebraico (cf. et Graecum): et factum est, quemadmodum interpretatus est nobis, ita evenit: me reduxit in locum meum et illum suspendit. — Cum Aegyptii somnia magni fecerint, et somnia regis inter se pugnantia apparuerint, non mirum est, quod Pharao perturbatus sit. Misit igitur servos suos, ut interpretes somniorum Aegyptios vocarent. Nomen *sapientium,* חֲכָמִים (cf. Gesenius 472), generalius, nomen vero coniectorum, חַרְטֻמִּים, specialius est (cf. Hummelauer). De altero hoc nomine Gesenius 520, quem interpretes catholici et acatholici sequuntur, scribit: „חַרְטֻמִּים sapientum magorumque genus apud veteres Aegyptios, qui somniis interpretandis operam dabant Gen. 41, 8. 24, artibusque magicis miracula patrabant Exod. 7, 11. 22; 8, 3. 14. 15; 9, 11, etiam ad magos Chaldaeos translatum Dan. 1, 20; 2, 2 . . . itidem in somniis interpretandis versatos. Bene observat Millius . . . חרטמים esse eum sacerdotum Aegyptiorum ordinem, qui Graecis *ἱερογραμματεῖς* vocabatur . . . litterarum rerumque arcanarum scientia insignem . . . Nullum autem probabilius etymon, quam quod Michaelis proposuit suppl. 923, a חָרַט *insculpsit* vel חֶרֶט *stylus* et חָרַם *sacer fuit,* ut sit *scriba sacer, scripturae sacrae* (i. e. hieroglyphicae) peritus = *ἱερογραμματεύς*.“ Gunkel asserit, iuxta textum omnes coniectores omnesque sapientes Aegypti a Pharaone vocatos fuisse, ideoque scriptorem simplicem (naiv) dicit. At Hoberg recte observavit, textum Hebraicum etiam significare posse, varios coniectores variosque, sapientes a Pharaone vocatos esse; nam כָּל־ etiam *varius* vel *omnis generis* denotare potest, si nomen sequens articulo non determinatum

est (cf. Gesenius-Kautzsch 417). Ceterum, si quis significationem omnis retinere voluerit, respondemus scriptorem nullibi asserere, istos viros uno die vel mense congregatos fuisse: ubi ergo simplicitas scriptoris latet? Peccatum, de quo pincerna loquitur, non est ingrata oblivio interpretis sui, ut plures antiquiores putarunt (cf. Lapide) et textus Latinus innuit, sed delicta quibus regem offenderat (cf. pag. 559): ita Dillmann, Hummelauer, Hoberg aliique recentiores. Hanc sententiam textus Hebraicus commendat, iuxta quem pincerna peccata sua, אֶת־חֲטָאַי, in memoriam revocat, מַזְכִּיר.

Ab *Hyksos* quoque coniectores et sapientes interrogatos esse, Heyes 222 demonstrat. Idem 221 s. cum nominibus Hebraicus חַרְטֻמִּים atque חֲכָמִים nomina Aegyptiaca *ānu* = scriptores atque *reẖu ẖetu* = periti rerum comparat. — In ℣. 12 אִישׁ est casus pendens (Gesenius-Kautzsch 455). — In ℣. 13[b] hebr. ad *reduxit* et *suspendit* subiectum est Pharao, quod tamen saepius omittebatur (cf. pag. 556); Hoberg indeterminatum subiectum personale (Germanicum *man*) accipit (cf. Gesenius-Kautzsch 468).

℣℣. **14—16. Protinus ad regis imperium** *eductum de carcere Ioseph totonderunt: ac veste mutata, obtulerunt ei,* in Hebraico (cf. et Graecum): et misit Pharao et vocavit Ioseph, et protinus dimiserunt eum e carcere, et totondit se et mutavit vestes suas et venit ad Pharaonem. [15]*Cui ille ait: Vidi somnia, nec est qui edisserat: quae audivi te sapientissime coniicere,* in Hebraico (cf. et Graecum): et dixit Pharao ad Ioseph: Somnium somniavi, et non est interpretans illud; sed ego audivi de te dicentem: audis somnium, ut interpreteris illud. [16]*Respondit* autem (Hebraicus et Graecus) *Ioseph* Pharaoni dicens (Hebraicus et Graecus): *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni,* in Hebraico: nihil ad me, בִּלְעָדָי (pag. 252); Deus respondebit salutem Pharaoni, LXX et Samaritanus: *ἄνευ τοῦ θεοῦ οὐκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον Φαραώ.* Quod ad capillum capitis et barbam attinet, Aegyptii et Hebraei contrariam omnino consuetudinem habuerunt. Hebraei capillum et barbam alebant et nonnisi lugentes ponebant; Aegyptii vero, si agricolas et pastores excipiamus, capillum recidebant ac barbam radebant, at in sollemnitatibus quibusdam barba et capillo alieno utebantur (cf. Heyes 222 ss.; Hummelauer, Hoberg, Gunkel; videas

imagines in Theol. bibl. Vet. Test., pag. 80—84). Ioseph comam nutriverat, vel quia in carcere tonsor deerat (Hummelauer) vel ob luctum (Bonfrerius, Lapide, Tuch, Knobel, Delitzsch[4]) vel probabilius quia servus isque captivus erat (cf. supra). Mutavit vestes: pro perizomate (cf. pag. 556) vestem talarem induit (Hummelauer) vel pro vestibus vilioribus captivorum vestes mundas et pulchras sumpsit, quales Aegyptii coram rege apparentes adhibere solebant, uti monumenta eorum ostendunt. Pharao opinabatur, Iosephum naturaliter somnia interpretari posse (Lapide, Gunkel); Ioseph vero rectam interpretationem somniorum Deo ascribit.

Dimiserunt Iosephum e carcere, nimirum custos carceris et princeps militum (cf. pag. 558). Holzinger affirmat, sacerdotes dumtaxat regni novi (cf. pag. 227, in fine) caput rasisse, indeque concludit, scriptorem mores Aegyptios e longinquo cognovisse; Gunkel tamen cum ceteris observat, tonsuram Iosephi „specifice Aegyptiam" fuisse. — Ebers et Vigouroux (cf. Hummelauer) notarunt, servis fuisse capitale facinus exercere scientias occultas; quomodo igitur Ioseph e carcere dimitti et a Pharaone honorari potuit? Respondet Heyes 225, iuxta papyrum ab Ebers citatam non quodlibet exercitium scientiarum occultarum servis interdictum fuisse, sed exercitium earum ad damnum aliorum: ergo ista papyrus narrationi biblicae non contraria est. — Pro piʿel וַיְגַלַּח sine obiecto Kautzsch et Kittel nipḥʿal inusitatum וַיִּגָּלַח, Ball hithpaʿel וַיִּתְגַּלַּח ponunt; Gesenius, Dillmann, Buhl piʿel retinent illudque intransitive accipiunt. — Phrasis *audis somnium, ut interpreteris illud* in ℣. 15 hebr. significat: ut audis somnium, statim illud interpretari potes (Dillmann, Hummelauer, Hoberg, Strack[2]). — ℣. 16ᵇ in Hebraico et Latino hunc sensum habet: „Non ego, sed Deus respondebit" (Symmachus et recentiores). LXX, quorum textum Holzinger probabiliorem iudicat, cum Samaritano pro בִּלְעָדָי legerunt בִּלְעֲדֵי et post אֱלֹהִים invenerunt לֹא; sensus idem est.

℣℣. 17—24. Narravit ergo Pharao *quod viderat: Putabam me stare super ripam fluminis,* in Hebraico: et locutus est Pharao ad Ioseph: in somnio meo ecce stabam ad ripam fluminis, [18] *et septem boves de amne conscendere, pulchras nimis, et obesis carnibus: quae in pastu paludis virecta carpebant,* in Hebraico: et ecce e fluvio ascendebant septem boves pingues carne et pulchrae forma et pascebantur in gramine palustri (cf. pag. 568). [19] *et ecce, has sequebantur aliae septem boves in tantum deformes et macilentae, ut numquam tales in terra Aegypti*

viderim, in Hebraico: et ecce septem boves aliae ascendebant post eas, macilentae et deformes forma valde et tenues carne, non vidi ut has in tota terra Aegypti deformitate: [20]*quae, devoratis et consumptis prioribus,* [21]*nullum saturitatis dedere vestigium: sed simili macie et squalore torpebant. Evigilans, rursus sopore depressus,* [22]*vidi somnium,* in Hebraico: [20]et devorarunt boves tenues et deformes septem boves priores pingues, [21]et intraverunt in interiora earum, et non innotuit, quod intraverant in interiora earum, et aspectus earum erat deformis sicut in principio, et evigilavi; [22]et vidi in somnio meo, et ecce: *Septem spicae pullulabant in culmo uno plenae atque pulcherrimae* vel potuis p u l c h r a e (Hebraicus et Graecus). [23]*Aliae quoque septem tenues et percussae uredine, oriebantur e stipula,* in Hebraico: et ecce septem spicae steriles, tenues et (ita Samaritanus et versiones, Masorethicus *et* omittit) adustae vento orientali progerminabant post eas, [24]*quae priorum pulchritudinem devoraverunt. Narravi coniectoribus somnium, et nemo est qui edisserat,* in Hebraico: et devorarunt spicae tenues septem spicas bonas. Et dixi coniectoribus, et non est explicans mihi. — Somnia ab hagiographo in ℣. 1 ss. breviter relata Pharao aliquantum diffusius narrat. Vulgata versio quoad verba nimis libera quidem, quoad sensum vero non falsa est.

In ℣. 19 pro וְרַקּוֹת habent ca. 40 manuscripta וְדַקּוֹת (cf. pag. 569). — In ℣. 21 de suffixo plur. fem. נָה videas Gesenius-Kautzsch 255; וּמַרְאֵיהֶן est singularis (ibidem 272). — Ante ℣. 22 cum Graeco, Latino et Syro וָאִישַׁן שֵׁנִית inserendum videtur (cf. ℣. 5). — In ℣. 23 Graecus, Latinus et Syrus צְנֻמוֹת *steriles* omittunt, quibuscum Ball consentit; Holzinger צֹמְחוֹת *progerminantes* legendum putat. — Loco אַחֲרֵיהֶם ca. 45 manuscripta Hebraica et Samaritanus אַחֲרֵיהֶן habent.

℣℣. 25—28. **Respondit Ioseph** P h a r a o n i (Hebraicus et Graecus): *Somnium regis* (pro *regis* in Hebraico et Graeco *Pharaonis*) *unum est: quae facturus est Deus, ostendit Pharaoni.* [26]*Septem boves pulchrae* s e p t e m a n n i s u n t (Hebraicus et Graecus), *et septem spicae plenae* vel p u l c h r a e (Hebraicus et Graecus) *septem ubertatis* (deest *ubertatis* in Hebraico et Graeco) *anni sunt: eandem vim somnii comprehendunt* (pro 4 ultimis verbis in Hebraico et Graeco legitur: s o m n i u m u n u m e s t).

[27]*Septem quoque boves tenues atque macilentae* vel potius deformes (Hebraicus), *quae ascenderunt post eas,* septem anni sunt (Hebraicus et Graecus), *et septem spicae tenues et vento urente* vel orientàli (Hebraicus) *percussae* vel adustae (Hebraicus): *septem anni venturae sunt famis.* [28]*Qui hoc ordine complebuntur,* in Hebraico et Graeco: hoc est verbum, quod locutus sum ad Pharaonem: quae facturus est Deus videre fecit Pharaonem. — Ioseph duo somnia Pharaonis unum somnium declarat, quatenus unam eandemque rem significabant, scilicet septem ubertatis et septem famis annos (Bonfrerius, Lapide, Hummelauer, Dillmann). Septem spicas plenas et tenues septem annos ubertatis et famis significare, facile percipimus; quare autem somnium septem boum pulchrarum et deformium praecesserit, e papyro Thebaica Berolini asservata discimus. Heyes 215s. cum Wiedemann ex eo deducit, vaccam fuisse symbolum (personificationem) inundationis Nili, de qua anni ubertatis atque famis in Aegypto dependent, ut omnes sciunt. Nilus enim propter imbres ab Octobri usque Maium ad fontes eius cadentes et nives liquescentes quolibet anno loca circumiacentia inundat, stercore satiat et fertiles efficit. In Aegypto a mense Iunio fluvius accrescit, inundatio autem mense Iulio paulatim incipit et usque ad Septembrem exeuntem vel Octobrem ineuntem perdurat. Si parum aut nimium redundat, annus famis; si vero satis redundat, annus ubertatis sequitur (cf. Heyes 203ss. aliosque). Boves pingues simulque pulchrae e fluvio ascendentes inundationes Nili abundantes, at non nimias significant, quas ubertas frumenti secuta est; boves tenues simulque deformes inundationes Nili non sufficientes indicant, propter quas penuria frumenti orta est.

In ℣. 26 Ball et Kittel cum Samaritano et Graeco הַפָּרֹת legunt; Masorethicus in ℣. 26 articulum הַ omittit, at in ℣. 27 ponit, quod inconsequens est. — In ℣. 27 pro הָרֵקוֹת Samaritanus et Syrus הַדַּקּוֹת exhibent. — Phrasi *quae facturus est Deus videre fecit Pharaonem* in ℣. 28[b] hebr. Iosephus ad dictum in ℣. 25[b] relatum respicit (Dillmann aliique).

℣℣. 29—32. **Ecce septem anni venient** *fertilitatis magnae in universa terra Aegypti,* in Hebraico et Graeco: ecce septem

anni venient, abundantia magna in universa terra Aegypti (de constructione cf. Gesenius-Kautzsch 498): [30]*quos sequentur septem anni alii tantae sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia: consumptura est enim fames omnem terram,* [31]*et ubertatis magnitudinem perditura est inopiae magnitudo,* in Hebraico similiterque in Graeco: [30]et surgent septem anni famis post eas, et oblivioni tradetur omnis abundantia in terra Aegypti, et consumet fames terram, [31]et non innotescet abundantia in terra e conspectu famis, quae postea erit, quia gravis est valde. [32]*Quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium: firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo, Dei et velocius impleatur,* in Hebraico similiterque in Graeco: quod autem iteratum est somnium Pharaoni bis (indicat), quod firma est res e consilio Dei, et cito Deus faciet eam. — Hummelauer scribit: „Advertit Ebers pag. 354, ita omnia in hac interpretatione Aegyptiorum indoli et religioni esse accommodata, ut vel nos antiquitatum Aegyptiarum tam parum gnari eorumdem somniorum eandem prompsissemus interpretationem; coniectorum vero et sapientum silentium inde unice explicari, quod veriti sint Pharaoni invisa proferre. Nota tamen, Iosephum somnii interpretationem Deo referre acceptam."

Ad Ꝟ. 30: fames tam gravis erit, ut nullum vestigium abundantiae prioris remaneat, itaque ipsa abundantia oblivioni tradatur. — Dillmann opinatur, versum 31 post versum 30 paene superfluum esse, ideoque fontem alium odoratur. Sed Gunkel bene notat, versu 31 versum 21 declarari. יִוָּדַע est imperf. niph'al verbi יָדַע *cognovit.*

ꝞꝞ. 33—36. Nunc ergo provideat rex (pro *rex* in Hebraico *Pharao,* in Graeco omittitur) *virum sapientem et industrium* (in Hebraico et Graeco: virum intelligentem et sapientem), *et praeficiat eum Terrae Aegypti:* [34]*Qui constituat praepositos per cunctas regiones: et quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis,* [35]*qui iam nunc futuri sunt, congreget in horrea: et omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serveturque in urbibus,* in Hebraico (cf. Graecum): [34]faciat Pharao et constituat praefectos super terram et sumat quintam partem (fructuum) terrae Aegypti septem annis abundantiae, [35]et colligant totam annonam annorum bonorum horum futurorum, et coacervent frumentum sub potestate Pharaonis

annonam in urbibus et custodiant. [36]*Et praeparetur futurae septem annorum fami, quae oppressura est Aegyptum, et non consumetur terra inopia,* in Hebraico (cf. et Graecum): et erit annona in depositum terrae pro septem annis famis, qui erunt in terra Aegypti; ita non consumabitur terra fame. — Ioseph non solum desideratam interpretationem somniorum dedit, verum etiam interpretationi prudens consilium adiunxit. Consuluit autem, ut rex universae terrae praefectum generalem praeponeret eique praefectos speciales regionum variarum adiungeret simulque iuberet, ut habitatores terrae quintam partem fructuum in horrea publica contribuerent; consuluit, ut praefecti regionum inspiciente praefecto generali totam annonam contribuendam colligerent, sub potestate regis in urbibus regionum conderent atque conditam bene custodirent: ut hoc modo pro annis famis depositum frumenti adesset.

Vir intelligens et sapiens idem est ac valde prudens. — In ℣. 34 hebr. illud *faciat et constituat* (cf. 3 Reg. 8, 32) Gesenius 1077 e phrasi Latina *fac scribas, fac eas* declarat, quam declarationem Strack[2] valde laudat. Hummelauero magis placere videtur declaratio Delitzschi: „manum operi admoveat Pharao et constituat". — Lapide censet, Iosephum consuluisse, ut Pharao per praefectos quintam partem frumenti coemeret; recentiores tamen e contextu recte colligunt, Iosephum voluisse, ut rex populo suo tributum imponeret. Tale tributum propter abundantiam frumenti non grave fuit (Dillmann 414). — In ℣. 35 hebr. phrasis *totam annonam* omne frumentum „quintae illius partis iam dictae" (Lapide), non vero omne frumentum absolute sumptum (ut Gunkel et Holzinger asserunt) significat; nam Ioseph, cuius sapientiam Pharao et ministri eius admirabantur (℣. 37), quique Aegyptios a fame liberare voluit, non potuit consulere, ut rex subditis suis omne frumentum absolute sumptum auferret et iam septem annis ubertatis fami eos traderet. — Gunkel alii scriptori versum 34, alii versum 35 ascribit, cum ibi quinta pars frumenti, hic autem omne frumentum solvendum scribatur; quid de hac distinctione fontium sentiendum sit, ex supra dictis patet. — Kittel in ℣. 35 post פַּרְעֹה inserit וְיִתְּנוּ (cf. ℣. 48).

℣℣. 37—40. **Placuit Pharaoni consilium** *et cunctis ministris eius,* LXX accuratius ἤρεσεν δὲ τὰ ῥήματα ἐναντίον Φαραὼ καὶ ἐναντίον πάντων τῶν παίδων αὐτοῦ· [38]*locutusque est ad eos,* LXX accuratius καὶ εἶπεν Φαραὼ πᾶσιν (deest πᾶσιν in Hebraico) τοῖς παισὶν αὐτοῦ· *Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit* (in Hebraico: num invenitur

sicut hic vir, in quo spiritus Dei est)? [39]*Dixit ergo Pharao* (Hebraicus et Graecus) *ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quae locutus es, numquid sapientiorem et consimilem tui invenire potero?* in Hebraico: postquam indicavit Deus tibi omnia haec, non est intelligens et sapiens sicut tu. [40]*Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium,* LXX accuratius *καὶ ἐπὶ τῷ στόματί σου, cunctus populus* meus (Hebraicus et Graecus) *obediet: uno tantum regni solio te praecedam,* LXX accuratius *πλὴν τὸν θρόνον ὑπερέξω σου ἐγώ.* Ioseph Pharaoni consilium dederat, ut virum intelligentem et sapientem terrae Aegypti praeponeret (cf. pag. 575 s.); Pharao autem tam ministris quam Iosepho intentionem suam manifestavit, qua ipsum Iosephum intelligentia et sapientia divinitus infusa eminentem domui regiae totique terrae praeponere primumque suum ministrum creare volebat.

De *spiritu Dei,* רוּחַ אֱלֹהִים, videas pag. 5. Ut Ioseph (cf. pag. 571 s.) sic et Pharao interpretationem somniorum Deo ascripsit. — In Ѷ. 39 inf. hiphʿil הוֹדִיעַ cum duplici accusativo construitur (Gesenius-Kautzsch 355). — *Eris super domum meam* = eris praefectus palatii regii, „qui universae rei familiari regis praeerat“ (Gesenius 192). Phrasis sequens וְעַל־פִּיךָ יִשַּׁק כָּל־עַמִּי quoad litteram = et ad *os* tuum *osculabitur* universus populus meus: quoad sensum = et ad *praeceptum* tuum (cf. פֶּה in lexico) *obediet* universus populus meus. Nam osculum apud antiquos signum venerationis, fidei et obsequii erat, quare nihil nos impedit, quominus verbum נָשַׁק in hoc loco non proprie *(= osculatus est),* sed improprie *(= obsequium praestitit)* accipiamus, ut Gesenius 923 recte notat (cf. et Buhl, Dillmann, Fürst, Strack[2]) et antiqui interpretes iam censuerunt; verbum non proprie accipiendum esse, subiectum *universus populus* satis indicat (Gesenius, Dillmann). Ball et Kittel pro יִשַּׁק punctare vellent יָשֹׁק (a verbo שָׁקַק) = currat (cf. Ѷ. 44); at שָׁקַק hanc significationem non habet (cf. Buhl, Holzinger). Alias sententias improbabiles apud Gesenium et Dillmann invenies. — הַכִּסֵּא, *τὸν θρόνον* est accusativus mensurae (Gesenius-Kautzsch 376 s.); כִּסֵּא tum solium tum imperium regium significat, ut sit sensus: „tantum regiam dignitatem mihi servo“ (Gesenius 699). — Holzinger cum Dillmann asserit, versus 40 et 41 esse variantes e duobus fontibus: sed Gunkel recte observavit, in Ѷ. 40 imperfectum, in Ѷ. 41 autem perfectum poni, ideoque in Ѷ. 40 consilium seu intentionem, in Ѷ. 41 autem exsecutionem narrari (similiter Delitzsch et Hummelauer). — Heyes 226 s. putat, Iosephum sententia in Ѷ. 40 relata praefectum palatii atque primum interpretem regis, sententia vero in Ѷ. 41 relata primum ministrum regni

constitutum esse; verumtamen, si ℣. 40 non de consilio sed de vera communicatione dignitatis intelligitur, Ioseph iam per verba in ℣. 40 consignata primus minister constitutus est, cum Pharao regiam dignitatem dumtaxat sibi servaverit (cf. supra).

℣℣. **41—43. Dixitque** *rursus* (deest *rursus* in Hebraico et Graeco) *Pharao ad Ioseph: Ecce,* רְאֵה (cf. pag. 405), *constitui* vel potius constituo (cf. pag. 21) *te super universam terram Aegypti.* [42]*Tulitque* Pharao (Hebraicus et Graecus) *annulum* suum (Hebraicus) *de manu sua, et dedit eum in manu eius* (pro *eius* in Hebraico et Graeco *Ioseph*): *vestivitque eum stola byssina,* בִּגְדֵי־שֵׁשׁ i. e. vestibus byssinis, *et collo* eius (Hebraicus et Graecus) *torquem auream circumposuit.* [43]*Fecitque eum ascendere super currum suum secundum clamante praecone, ut omnes coram eo genuflecterent,* לְפָנָיו אַבְרֵךְ (וַיִּקְרָא Samaritanus, Graecus et Syrus) וַיִּקְרְאוּ i. e. et clamarunt (et clamavit) in conspectu eius: Genu flectite, *et praepositum esse scirent universae Terrae Aegypti,* LXX accuratius *καὶ κατέστησεν αὐτὸν ἐφ' ὅλης τῆς γῆς Αἰγύπτου.* Pharao intentionem suam in ℣. 40 enuntiatam exsequitur (cf. pag. 577) et Iosephum tam verbis quam actionibus symbolicis primum regni ministrum creat. Tradit ei annulum suum signatorium, quo Ioseph auctoritate regis decreta firmare potuit (Gunkel); induit eum vestibus nobilium et ornavit torque aurea, qualem viri de regno bene meriti gestare solebant; iussit eum in secundo curru regio circumduci et a populo honorari.

Caerimonias in his versibus descriptas cum moribus Aegyptiorum omnino convenire, ipse Gunkel aliique rationalistae ultro confitentur. — טַבַּעַת, aeg. *d̲bāt* (a טָבַע, aeg. *d̲bā* = impressit, obsignavit) idem est ac annulus signatorius (cf. Heyes 235); aliud nomen pag. 546 videas. Traditio annuli signatorii est actio, cuius sensus patet. — שֵׁשׁ, aeg. *šes,* cum articulo *pa-šes,* unde *byssus* venit (Heyes 242) fuit pannus „candidus, subtilis et pretiosus“ (Gesenius) et quidem lineus, non xylinus, quemadmodum investigationes recentissimae docent (Heyes 242). — „Depictos cernis, scribit Hummelauer, in monumentis Aegyptiacis viros de re publica bene meritos et a rege torquis aurei dono honoratos.“ Gunkel et Strack putant, Pharaonem torquem suam Iosepho tradidisse; sed haec opinio improbabilis apparet, si ℣. 42[b] cum ℣. 42[a] comparamus et insuper attendimus, nomen רָבִיד sine articulo esse. In sequenti הַזָּהָב *auri* articulus est generalis (Gesenius-Kautzsch 413). Nomen רָבִיד non solum torquem, sed etiam collare significare potest (Gesenius, Holzinger), quale Aegyptii

gestabant (cf. imagines in Theol. bibl. Vet. Test., pag. 82). — Equi et currus probabiliter per Hyksos in Aegyptum venerunt (cf. Erman, Aegypten 649; Heyes 251; Strack[2]). — מֶרְכָּבָה, assyr. *narkabtu,* aeg. *mūrkabutà* (in lingua pure aeg. *urt*) fuit currus tum bellicus „tum nobiliorum hominum pompae et luxuriae inserviens“ (Gesenius); contra עֲגָלָה, aeg. *ūgartà,* plaustrum significat (cf. Heyes 251). — Ab antiquissimo tempore usque ad dies nostros in Aegypto servi a pedibus currus nobilium comitabantur (Heyes 253 s.).

Servi a pedibus clamarunt אַבְרֵךְ, cuius vocis sensus valde dubius est. Veterum explicationes: אָב *pater* et רַךְ *tener,* vel אָב *pater* et aram. רַךְ (רִיכָא, רִכָּא) *rex,* nunc ab omnibus philologis repudiantur. Si vox ex Hebraico declaratur, est infinitivus absolutus (pro imperativo adhibitus) hiphʿil verbi בָּרַךְ atque significat *genuflectere, γονατίζειν, γονυπετεῖν* (Gesenius 19). Recentiores tamen plerique cum eodem Gesenio censent, sub forma hebraizante vocem Aegyptiam delitescere, sed in ea determinanda dissentiunt. — Delitzsch (Paradies, pag. 225) opinatur, *ʾabrech* idem esse atque assyr. *abarakku* (= amicus regis) ab Aegyptiis adoptatum, quo titulo apud Assyrios primus minister (Großvezier, gran visire) honorabatur; hanc opinionem quasi omnes recentiores reiiciunt, quia demonstrari nequit, istum titulum apud Aegyptios adoptatum fuisse. — Brugsch (Geschichte Aegyptens, pag. 247) asserit, *ʾabrech* compositum esse ex *à* prosthetico, signo optativi, et verbo Semitico ab Aegyptiis reapse adoptato *bark* = genu flectere, ideoque *ʾabrech* idem esse ac genu flectite; haec sententia, quam Gunkel solam adducit, probabilior quam reliquae videtur. — Secundum Rossi (Etymologiae Aegyptiacae 1808, pag. 1 et 339) *ʾabrech* = ape-rek = caput inclinare. — Secundum Benfey (Verhältnis der ägypt. Sprache zum semit. Sprachstamm 1844, pag. 302 s.) *ʾabrech* compositum est ex *a* signo imperativi et *bor* = proiicere et *k* signo 2. personae, ergo *ʾabrech* = proiice te; haec explicatio Bachmanno placet, lexicographo Fürst autem displicet, eo quod improbabile sit, Hebraeos ex *abork* formasse *ʾabrech.* Hummelauer scribit quidem: „Etiamnum in Aegypto Arabes clamant *abrok,* quando volunt ut cameli in genua procumbant ad subeunda onera“; utrum vero *abrok* cum *ʾabrech* cohaereat necne, incertum est. — Secundum Chabas (Revue Archéologique 1858, pag. 6) *ʾabrech* = tep rek = caput inclinare. — Secundum Harkavy (Journal Asiatique 1870, pag. 161 ss.) *ʾabrech* = tep reḫ(u) = caput sapientium vel = āb reḫ = purus doctus. — Secundum Lepage Renouf (Proceedings of the Society of Biblical Archaeology 1888, pag. 5 ss.) *ʾabrech* = àb-r-k = thy command is our desir. — Secundum Spiegelberg (Correspondances du temps des rois-prêtes 1895, pag. 67) *ʾabrech* = àb-r-k = animus ad te = attendite; huic opinioni Heyes favet. — Secundum Lieblein (Proceedings etc. 1898, pag. 203) *ʾabrech* compositum est ex *àb* = ad sinistram et *r-k* = pro te vel *àrk* = esto, ergo *ʾabrech* = ad sinistram esto (ut scilicet currus Iosephi ad dexteram vehi possit). — Conferas Dillmann et Heyes 254 ss.

Ultima verba ℣. 43 וְנָתוֹן etc. non sunt verba servorum clamantium, ut Vulgata, Syriaca, Hoberg putant, sed hagiographi narrationem concludentis (LXX, Hummelauer, Dillmann aliique). Infinitivo absoluto saepius narrationem continuari, Gesenius-Kautzsch 347 s. docent. — In ℣. 43ᵇ hagiographus ad ℣. 41ᵇ regreditur: in ℣. 41ᵇ dixerat Pharao נָתַתִּי *constituo* etc., in ℣. 43ᵇ scriptor concludit וְנָתוֹן *itaque constituit* etc. Dillmann sine ullo argumento asserit, ℣. 43ᵇ a redactore insertum esse. Singulae partes narrationis ita collocatae sunt, ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum. — Philo in lib. de Ioseph bene observavit: „Quis exspectasset, intra unum diem e servo dominum, e vincto praestantissimum omnium, e carceris vicario proregem fieri et regiam inhabitare pro carcere et ex ignominia extrema in supremum honoris culmen ascendere?" (cf. Lapide).

℣℣. 44. 45. **Dixit quoque rex** (pro *rex* in Hebraico et Graeco *Pharao*) *ad Ioseph: Ego sum Pharao:* et (Hebraicus) *absque tuo imperio,* LXX accuratius ἄνευ σοῦ, *non movebit quisquam manum* suam (Hebraicus et Graecus) *aut pedem* suum (Hebraicus) *in omni terra Aegypti.* ⁴⁵*Vertitque nomen eius, et vocavit eum lingua Aegyptiaca, Salvatorem mundi,* loco horum 10 verborum habet Hebraicus et Graecus: et vocavit Pharao nomen Ioseph צָפְנַת פַּעְנֵחַ, Ψονθομφανήχ. *Deditque illi uxorem Aseneth,* אָסְנַת, *filiam Putiphare,* פּוֹטִי פֶרַע, (Sixtina *Phutipharis*) *sacerdotis Heliopoleos,* אֹן. *Egressus est itaque Ioseph ad terram Aegypti* (haec 7 verba in maiusculis LXX desunt). — Post verba et actiones symbolicas, quibus Ioseph primus minister regis constitutus fuit (cf. pag. 578), Pharao sollemniter declarat, intentionem suam in ℣. 40 relatam (cf. pag. 577) nunc exsecutioni mandatam esse (cf. pag. 577). Idcirco iuxta mores Aegyptiorum Iosepho nomen celebre imponit eique uxorem nobilissimam dat. Nomen *Zaphnath-paʿneach* diverso modo e lingua Aegyptia declarari potest; vel idem est ac *d̲ef-nt-pa-ānh* = abundantia vitae (Chabas; cf. Levi, Vocabulario geroglifico copto-ebraico 5, pag. 83; Hummelauer), vel *d̲efenti-pa-ānh̲* = „celui qui donne la nourriture de la vie" (Lieblein; cf. Proceedings of the Society of Biblical Archaeology 1898, pag. 204 s.) vel *d̲efentà-pa-ānh̲* = nutriens vitam (Heyes 261). Item nomen *ʾAsnath* potest esse vel *àus-n-Nt* = pertinens ad (deam) Neit vel *às-Nt* = sedes Neit (cf. Revue biblique 1899, pag. 415 s.) vel nomen femininum *Àsen* cum exitu hebraizante *ath* (cf.

Heyes 263). אֹן, aeg. *Ȧnu,* fuit urbs perantiqua (e septentrione urbis Cairo) cuius nomen sacrum erat *per-rā* = domus Ra (cf. pag. 534) = בֵּית־שֶׁמֶשׁ vel Ἡλιούπολις (cf. pag. 535). De urbe et cultu solis Heyes 265 ss. plura scripsit. Sacerdotes Heliopoleos intra et extra Aegyptum propter scientiam et doctrinam celebrabantur (Heyes 269, Dillmann) et apud populum plurimum valebant (cf. Gunkel); praesertim summus sacerdos divitiis et auctoritate eminebat (Heyes 271): filiam summi sacerdotis tunc viventis Ioseph uxorem accepit (Dillmann, Gunkel). Hoc coniugium igitur praemium interpretationis ac consilii sapientis necnon commendatio dispositionum futurarum efficacissima fuit (cf. Dillmann). — Ultima verba ℣. 45, quae in maiusculis LXX desunt, cum Dillmann, Hoberg et Holzinger delenda fuerint, quia idem referunt, quod in ℣. 46ᵇ sequitur.

Ex iis, quae supra diximus, apparet versum 44 non esse simplicem repetitionem vel variantem versus 40. — Sixtina habet *rex Aegypti.* — בִּלְעָדֶיךָ = „sine te i. e. te inscio et invito" (Gesenius 210; cf. supra pag. 252). Non movere manum et pedem hyperbolice dictum esse, omnes consentiunt. Illud *aut pedem suum* in maiusculis LXX deest. — Mutatio nominis cum moribus Aegyptiorum omnino congruit (Heyes 256 s., Hoberg, Gunkel). Item filiae sacerdotum Aegyptiorum viris in dignitate constitutis uxores dabantur (Heyes 271). — Gunkel, Hoberg, Strack², Lagarde aliique nomen *Zaphnath-pa'neach* cum Steindorff (Zeitschrift für ägyptische Sprache 1889, pag. 41 s.; et 1892, pag. 50 ss.) idem esse dicunt atque aeg. *d̲ed-pa-neter-ȧuf-ānh̲* (cop. *d̲e-penute-ef-ônch*) = „loquitur deus: vivat". Circa finem dynastiae XX (1200—1100) et postea saepius nomina occurrunt, quae e tribus elementis constant, scilicet e *d̲ed* = loquitur, e nomine dei cuiusdam, e. g. *Ptah* vel *H̬onsu,* ex *ȧuf ānh̲* (vel feminino *ȧs ānh̲*) = vivat. Sed ista nomina sine ulla exceptione in medio nomen dei determinati continent (Heyes 260; cf. Schack-Schackenberg, Zeitschrift für ägyptische Sprache 1892, pag. 50); *pa neter* autem idem est atque ὁ θεός, quod iuxta Strack² non determinatum deum (sensu monotheistico), sed deitatem in genere significat: ergo declaratio Steindorffi cum monumentis Aegyptiorum non congruit ideoque valde improbabilis est (Heyes 260). Aliae falsae declarationes nominis apud Heyes 258 ss., Dillmann, Hummelauer enumerantur, quas cum Gunkel omitto, quia obsoletae sunt. S. Hieronymus (in Quaest. Hebr.) scribit: „Interpretatur ergo sermone Aegyptio *Zapfanethfane* sive (ut LXX transferre voluerunt) *Psonthomphanech* salvator mundi." Haec interpretatio a Gesenio et Fürst defenditur, sed a recentioribus philologis (etiam ab Heyes, Hoberg, Hummelauer, Léves-

que) impossibilis vocatur. — Nomen *'Asnath* iuxta Steindorff (Zeitschrift für ägyptische Sprache 1889, pag. 41) idem est ac *Ns-nt* = pertinens ad Neit; pro *N* positum esset א, uti *Ns-Min* et *Ns-Ptaḥ* a Graecis *Ἐσμῖνις* et *Ἐσπτᾶις* transscripta sunt. Hanc declarationem Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack[2] adoptarunt et Heyes 262 possibilem dicit. — De nomine *Putiphare* videas pag. 534. S. Hieronymus (in Quaest. Hebr.) opinatur, Putipharem principem satellitum (cf. pag. 534 s.) et Putipharem sacerdotem Heliopoleos unam eandemque personam fuisse. Absolute loquendo hoc possibile esset, quia in Aegypto viri nobiles saepius sacerdotibus annumerabantur (cf. Dillmann, Heyes 271), considerato contextu autem probabilius est, sacerdotem Heliopoleos ac principem satellitum duas personas fuisse (S. Augustinus, S. Chrysostomus, Lyranus, Pererius, Lapide, Tappehorn, Hoberg, Hummelauer aliique). Nam diversa scriptio nominis (cf. pag. 534, Hummelauer) et diserta nominatio muneris (Bonfrerius) diversas personas indicare videntur.

Steindorff (Zeitschrift für ägyptische Sprache 1889, pag. 42; et 1892, pag. 51 s.) asserit, nomina *Zaphnath-pa'neach, 'Asnath* et *Putiphar* ad dynastiam XXII (950—800) pertinere ideoque Gen. 41, 45 non ante 925 a. Chr., forsitan post 664 a. Chr. i. e. tempore dynastiae XXVI scriptum esse. Respondeo: de nomine *Putiphar* nihil certi statui potest, quemadmodum pag. 535 in nota monstravimus; nomina autem quae ut nomen *'Asnath* formantur, iam antiquo tempore recurrunt (Dillmann, Holzinger, Strack[2]); denique forma nominis *Zaphnath-pa'neach* a Steindorff supposita utique circa finem dynastiae XX et postea dumtaxat occurrit (cf. pag. 581), sed valde improbabile est, nomen *Zaphnath-pa'neach,* a Steindorff recte declaratum esse (cf. pag. 581). Propterea Lieblein (Proceedings of the Society of Biblical Archaeology 1898, pag. 207) de assertionibus Steindorffi acerbe sed vere scribit: „Ah, quelle science! D'une interprétation aussi douteuse ou plutôt, comme je le crois, fautive, puisqu'il y en a une plus probable — tirer d'une telle interprétation une conclusion si importante, c'est compromettre la science."

Dillmann affirmat, Iosephum in collegium et in ordinem sacerdotum cooptatum esse. Gunkel adiungit, in textu quidem non dici, utrum Ioseph fidem patrum suorum retinuerit an religionem mutaverit; in veritate tamen Iosephum publice diis Aegyptiis cultum tribuisse, privatim ad Deum Israel precari potuisse. Hae sententiae improbabiles sunt. Improbabile est, Iosephum Deo Israel, quem in circumstantiis difficillimis coluerat (cf. pag. 554) et a quo publice intelligentia eminenti (cf. pag. 573 ss.) et consequenter dignitate summa ornatus fuerat, non amplius cultum publicum tribuisse; improbabile est, Pharaonem voluisse, ut Ioseph sacerdos seu minister illorum deorum fieret, qui per sapientes Aegyptios somnia interpretari nequiverant (cf. pag. 569). Multo probabilior est sententia Hobergi putantis, Pharaonem idcirco Iosepho filiam sacerdotis Heliopoleos uxorem dedisse, quod propter monotheismum suum sacerdos deorum Aegyptiorum creari non posset.

Hummelauer cum aliis verba ultima Ỷ. 45 retinet et ita declarat: „*Egressus est itaque Ioseph ad terram Aegypti.* Recensitis honoribus viro collatis, auctor eius res publice gestas narrandas aggreditur; at, descripto primo inciso, sermonem interrumpit, ut viri inserat aetatem Ỷ. 46: *Triginta autem annorum erat quando stetit in conspectu regis Pharaonis,* dein illud incisum repetit: et egressus est Ioseph a facie Pharaonis *et circuivit omnes regiones Aegypti.*" Sed talis constructio reapse durissima est. — Olshausen et Ball textum corrigunt, videlicet pro וַיֵּצֵא יוֹסֵף עַל ponentes וַיַּצֵּב (Ball וַיָּשֶׁת) אֶת־יוֹסֵף עַל = et statuit Iosephum super. Ita emendatus Ỷ. 45[b] simili modo narrationem concluderet quo Ỷ. 43[b], quem videas. — Gunkel 392 asserit, inter Ỷ. 43 et 46[b] matrimonium Iosephi non collocari posse. Nam iuxta Ỷ. 43 Ioseph currum ascendit et iuxta Ỷ. 46[b] in omni terra Aegypti circuivit: quomodo igitur interea uxorem ducere potuit? Etiam Hummelauer honores, qui in ỶỶ. 44 et 45 narrantur, non illico collatos credit et speciatim dubitat, Iosephum solos 30 annos natum duxisse uxorem, quod a Patriarcharum moribus discordare videtur. Contra Gunkel notandum est, in Ỷ. 43 hiphʿil וַיַּרְכֵּב *curru vehi fecit* non necessario indicare, Iosephum statim currum ascendisse; et si quis id supponere voluerit, non sequitur eum statim in omni terra Aegypti circumductum esse. Potuit primum in urbe regia circumduci et honorari (Ỷ. 43), deinde uxorem ducere (Ỷ. 45), denique a facie Pharaonis egredi (Ỷ. 46 hebr.) et in omni terra Aegypti circuire. Contra Hummelauer vero in memoriam revocamus, Iudam nondum 30 annos natum (cf. pag. 428. 436 s. 560) iam uxorem duxisse (cf. pag. 538 s.).

ỶỶ. 46—49. (triginta autem annorum erat Ioseph [Hebraicus et Graecus] *quando stetit in conspectu regis* Aegypti [Hebraicus et Graecus] *Pharaonis*) et egressus est Ioseph a conspectu Pharaonis (Hebraicus et Graecus) *et circuivit omnes regiones,* בְּכָל־אֶרֶץ, *πᾶσαν γῆν, Aegypti.* [47]*Venitque fertilitas septem annorum: et in manipulos redactae segetes congregatae sunt in horrea Aegypti.* [48]*Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est.* LXX multo accuratius: [47]*Καὶ ἐποίησεν ἡ γῆ ἐν τοῖς ἑπτὰ ἔτεσιν τῆς εὐθηνίας δράγματα,* לִקְמָצִים. [48]*Καὶ συνήγαγεν πάντα τὰ βρώματα τῶν ἑπτὰ ἐτῶν ἐν οἷς ἦν ἡ εὐθηνία ἐν γῇ Αἰγύπτου καὶ ἔθηκεν τὰ βρώματα ἐν ταῖς πόλεσιν· βρώματα τῶν πεδίων τῆς πόλεως τῶν κύκλῳ αὐτῆς Ὧν ἔθηκεν ἐν αὐτῇ.* [49]*Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenae maris coaequaretur, et copia mensuram excederet,* LXX multo accuratius *καὶ συνήγαγεν Ἰωσὴφ σῖτον ὡσεὶ τὴν ἄμμον τῆς θαλάσσης πολὺν σφόδρα, ἕως οὐκ ἠδύνατο ἀριθμῆσαι, οὐ γὰρ ἦν ἀριθμός.* Quando Ioseph primus minister Pharaonis

creatus est, 30 annorum erat (cf. pag. 560 s.). Celebratis autem nuptiis urbem regiam reliquit (cf. pag. 583) totamque terram peragravit, ut iuxta consilium Pharaoni datum (℣. 34 s.) omnia disponeret (Dillmann, Heyes 272 s., Strack[2]). Septem annis ubertatis (℣. 26) quintam partem frumenti (℣. 34) in singulis urbibus territoriorum condidit, quae tanta erat, ut non amplius numeraretur: „inaudita plane in Aegypto res, ubi minima quaeque a scribis numerari et describi consueverant" (Hummelauer).

עָמַד לִפְנֵי = stetit coram, ministravit; hic = ministerium adiit (Gesenius 1039). — יָצָא מִלִּפְנֵי = egressus est e conspectu, reliquit (Gesenius 613); „accepto mandato regis ad perficiendum illud" egressus est (Hummelauer). — לִקְמָצִים = „plenis manipulis i. e. abundanter" (Gesenius 1220, Buhl, Dillmann, Heyes 277 aliique). — In ℣. 48 pro שֶׁבַע שָׁנִים אֲשֶׁר הָיוּ cum Samaritano et LXX legendum est הַשָּׁנִים אֲשֶׁר הָיָה הַשָּׂבָע (Kittel; cf. et Dillmann, Holzinger). — Quae de fertilitate Aegypti et horreis dicuntur, monumenta profana confirmant (cf. Heyes 278 ss.). — De agricultura Aegyptiorum cf. Heyes 273 ss. et Theol. bibl. Vet. Test., pag. 82 s., ubi etiam imagines conspiciuntur. — De phrasi ὡσεὶ τὴν ἄμμον τῆς θαλάσσης (cf. 22, 17 et 32, 13 (Dillmann aliique); de הַרְבֵּה מְאֹד videas pag. 255. — Aegyptios omnia accurate numerasse ac notasse, monumenta eorum testantur (cf. Heyes 276).

℣℣. 50—52. Nati sunt autem Ioseph (Sixtina: *Natique sunt Ioseph*) *filii duo antequam veniret fames* (in Hebraico: annus famis, in LXX τὰ ἑπτὰ ἔτη τοῦ λιμοῦ): *quos peperit ei Aseneth filia Putiphare* (Sixtina *Phutipharis) sacerdotis Heliopoleos.* [51]*Vocavitque* Ioseph (Hebraicus et Graecus) *nomen primogeniti, Manasses,* מְנַשֶּׁה, *dicens* (in Hebraico כִּי): *Oblivisci me fecit,* נַשַּׁנִי, *Deus omnium laborum meorum, et* omnis (Hebraicus, cf. et Graecum) *domus patris mei.* [52]*Nomen quoque,* LXX accuratius τὸ δὲ ὄνομα, *secundi appellavit Ephraim,* אֶפְרָיִם, *dicens* (in Hebraico et Graeco כִּי): *Crescere me fecit,* הִפְרַנִי, *Deus in terra paupertatis meae,* עָנְיִי i. e. afflictionis meae. — Primogenitus Iosephum tanto gaudio affecit, ut omnes res adversas quas perpeti, omnesque res secundas quas relinquere debuerat, oblivioni traderet. מְנַשֶּׁה, partic. piʿel verbi נָשָׁה (Fürst), idem est ac „qui oblivioni tradit" (Gesenius). Ad formam נַשַּׁנִי autem notamus, piʿel etiam significationem causa-

tivam habere et originaliter in prima syllaba *ă* habuisse, quod tamen in *i* abbreviatum est (Gesenius-Kautzsch 139 et 141); originalis pronuntiatio, quae in Arabo et Aramaico nunc quoque retinetur, Hebraei in solo נַשַּׁנִי servarunt, ut significatio nominis מְנַשֶּׁה magis conspicua esset (cf. Gesenius-Kautzsch 142). Nato secundogenito Ioseph laetatur, quod fructifer fiat et dilatetur in illa terra, in qua per tot annos (cf. pag. 560 s.) afflictus et coangustatus fuerat. אֶפְרַיִם a פָּרָה *fructifer fuit* (Buhl) derivatur atque ut dualis fructum geminum (Simon. apud Gesenium) vel ut pluralis (cf. מַיִם) fructus, liberos (Fürst) significat. Conferas *Ephrath* pag. 502.

In V̸. 50 pro יֻלַּד habent Samaritanus et Graecus יָלְדוּ (cf. pag. 198). — Gunkel 392 putat, versum 50ᵇ esse additamentum et in versu 50ᵃ nuptias nobiles non supponi; at opinionem suam ne unico quidem argumento confirmat (cf. pag. 550, notam 3). Item sine argumento asserit, nomen *Manasse* in versu 51 dupliciter declarari, quod falsum est; nam *Manasse* tristitiam tam ex memoria laborum suorum quam ex memoria domus paternae provenientem a patre suo abstulit (cf. Dillmann): ubi ergo duplex declaratio est? — Idem Gunkel 396 opinatur, ideo ab Iosepho ad domum patris nullum nuntium missum esse, quod domus paternae oblitus esset; bene, sed quare ante nativitatem primogeniti felicitatem suam patri non nuntiavit? forsitan providentiam divinam praevenire noluit (cf. Lapide ad 42, 1). — Idem notat, in V̸. 52 textus Masorethici illud *fructiferum me fecit* non apte opponi sequenti *in terra afflictionis meae.* Idcirco iuxta LXX *ὕψωσέν με ἐν γῇ ταπεινώσεώς μου* pro הִפְרַנִי vellet scribere פֵּאֲרַנִי = honoravit me. At verbum פָּאַר cum *Ephraim* non cohaeret, quapropter interpretes communiter textum Masorethicum retinent.

V̸V̸. 53—57. Igitur transactis septem ubertatis annis, *qui fuerant in Aegypto,* LXX accuratius *ἐν γῇ Αἰγύπτῳ·* ⁵⁴*coeperunt venire septem anni inopiae: quos praedixerat Ioseph: et in universo orbe,* בְּכָל־הָאֲרָצוֹת i. e. in omnibus terris, *fames praevaluit* (in Hebraico et Graeco: *erat*), *in cuncta autem terra Aegypti panis erat.* ⁵⁵*Qua esuriente, clamavit,* LXX accuratius *καὶ ἐπείνασεν πᾶσα ἡ γῆ Αἰγύπτου, ἐκέκραξεν δέ, populus ad Pharaonem, alimenta petens,* LXX accuratius *περὶ ἄρτων. Quibus ille respondit,* LXX accuratius *εἶπεν δὲ Φαραὼ πᾶσι τοῖς Αἰγυπτίοις· Ite ad Ioseph: et* (deest *et* in Hebraico) *quidquid ipse* (deest *ipse* in Hebraico et Graeco) *vobis dixerit, facite.* ⁵⁶*Crescebat autem quotidie fames in omni terra,* LXX accuratius

καὶ ὁ λιμὸς ἦν ἐπὶ προσώπου πάσης τῆς γῆς· aperuitque Ioseph universa horrea, et vendebat Aegyptiis: nam et illos oppresserat fames, in Hebraico: nam gravis facta est fames in terra Aegypti (in LXX haec sententia deest). [57]*Omnesque provinciae,* וְכָל־הָאֲרָצוֹת i. e. et omnes terrae (ita Kittel cum LXX; textus Masorethicus habet sing. collect. וְכָל־הָאָרֶץ) *veniebant,* בָּאוּ, *in Aegyptum, ut emerent escas,* ad Ioseph (Hebraicus et Graecus), *et malum inopiae temperarent,* LXX multo accuratius *ἐπεκράτησεν γὰρ ὁ λιμὸς ἐν πάσῃ τῇ γῇ.* — Incipientibus annis inopiae in omnibus terris Aegypto finitimis quidem fames erat, sed in cuncta terra Aegypti propter ubertatem annorum praecedentium panis inveniebatur (℣. 53 s.). Procedente tempore autem terra Aegypti quoque fame premebatur, quare populus Pharaonem invocavit et ab eo ad Iosephum missus est (℣. 55). Illo tempore igitur omnes prorsus terrae, etiam terra Aegypti, famem sentiebant (℣. 56ª) hebr. et graece). Ingravescente fame (℣℣. 56ᵇ et 57ᵇ) Ioseph horrea aperuit atque Aegyptiis (℣. 56ᵇ) necnon habitatoribus terrarum finitimarum (℣. 57) frumenta vendidit.

In ℣℣. 54 et 57 phrases *in omnibus terris, omnes terrae* relative de omnibus terris Aegypto finitimis intelligendas esse, manifestum est. Nam „si fuisset fames absolute in universo orbe, ad eam levandam neutiquam suffecissent horrea et quinta pars frugum Aegypti“ (Lapide). — In ℣. 54 Syrus et LXX habent *ἐν δὲ πάσῃ γῇ Αἰγύπτῳ οὐκ ἦσαν ἄρτοι,* quam lectionem Kittel reprobat, licet ipsa quoque bene in contextum quadret (cf. ℣. 55ª hebr. et graece). — Hummelauer 552 cum Dillmann illud *panis erat* (℣. 54) de pane in granariis publicis recondito interpretatur; melius tamen de pane seu frumento in granariis privatis recondito intelligitur, qui intellectus necessarius est, si cum LXX et Syro *οὐκ* praemittamus. „Sane annis fertilitatis privati etiam frumenti copiam recondiderunt“ (Hummelauer cum Lapide ad ℣. 35), „unde non omnes primis saltem annis sterilitatis senserunt famem“ (Lapide ad ℣. 35). — Ioseph non statim horrea publica aperuit; quamdiu enim in horreis privatis divitum frumentum erat, Aegyptii ab illis emere potuerunt. Quando autem fames in terra Aegypti quoque gravis facta est (℣. 56ᵇ hebr.), Ioseph e horreis publicis frumenta vendidit. – In ℣. 56 textus Masorethicus habet עַל כָּל־פְּנֵי הָאָרֶץ; retinemus tamen textum LXX, quia Masorethicus etiam in sequentibus corruptus est. Legimus enim in ℣. eodem אֶת־כָּל־אֲשֶׁר בָּהֶם i. e. omnia in quibus (erat). Hanc sententiam corruptam esse, Dillmann, Hoberg, Kittel, Strack[2] aliique recte iudicant. Samaritanus post בָּהֶם addit בָּר i. e. frumentum; melius

tamen cum LXX, Latino et Syro ista 4 verba textus Masorethici sic emendamus אֶת־כָּל־אֹצְרוֹת בַּר (cf. Dillmann, Kittel). Item prokal וַיִּשְׁבֹּר *et annonam emit* legendum est hiph'il וַיַּשְׁבֵּר *et annonam vendidit* (Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger, Kittel, Strack[2]). — ℣. 56ᵇ qui in LXX dumtaxat omittitur, de Aegypto, ℣. 56ᵃ vero non de Aegypto, ut Hoberg putat, sed de terra in genere accipiendus est (Dillmann), quemadmodum usus loquendi horum versuum demonstrat. — De בָּאוּ post sing. coll. textus Masorethici in ℣. 57 videas Gesenius-Kautzsch 471.

Gunkel 392 asserit, inter ℣. 54ᵇ atque ℣℣. 55ss. contradictionem valde insignem adesse. Nam iuxta ℣. 54ᵇ terram Aegypti propter sapientes dispositiones Iosephi famem non sensisse; iuxta ℣℣. 55ss. vero terram Aegypti quoque fame oppressam fuisse. Si assertio Gunkeliana vera esset, redactor duarum relationum a Gunkel suppositarum valde stupidus fuisset, eo quod contradictionem manifestam non submovisset; at contradictio a Gunkel reperta reapse non adest. Etenim ℣. 54ᵇ refert quidem, in terra Aegypti panem fuisse, quando terrae finitimae iam fame premebantur; nullo tamen vocabulo indicat, id propter dispositiones Iosephi evenisse. Rationes istius eventus sunt aliae. Supra (pag. 227) cum aliis scripsimus, terram Aegypti propter situm suum rarius ac minus quam terras finitimas fame opprimi; deinde etiam „annis sterilitatis parum quid proxime ad flumen nascebatur" (Hummelauer 548 cum aliis); denique praecesserant 7 anni ubertatis extraordinariae (cf. pag. 584), quibus Aegyptii „frumenti copiam" in granariis recondere potuerunt (Hummelauer 548 cum aliis): unde „primis saltem annis sterilitatis" (Lapide ad ℣. 35) panem seu frumentum habuerunt, ut in ℣. 54ᵇ legimus. Decurrente tempore autem ista copia frumenti consumebatur, et Aegyptii quoque inopiam et famem sentire coeperunt, quod in ℣℣. 55ss. narratur. Ubi igitur contradictio est? — Idem Gunkel 391ss. totum caput 41 e duabus relationibus compositum, sed separationem earum valde difficilem dicit; iuxta Holzinger 234 de separatione fontium in specie desistendum erit. Conferas introductionem huic commentario praepositam.

Ioseph cum fratribus agens, 42, 1—45, 28.

C. **42.** ℣℣. **1—5. Audiens autem,** LXX accuratius ἰδὼν δέ, *Iacob quod alimenta,* שֶׁבֶר, *venderentur* (in Hebraico et Graeco *essent*) *in Aegypto, dixit* Iacob (Hebraicus) *filiis suis: Quare negligitis,* ῥαθυμεῖτε (תֵּאָחֵרוּ, cf. Kittel; textus Masorethicus habet תִּתְרָאוּ i. e. invicem vos aspicitis, sc. cunctantes nihilque agentes, cf. Gesenius 1247)? ²Et dixit (Hebraicus): ecce (Hebraicus et Graecus) *audivi quod triticum,* שֶׁבֶר, *venundetur* (in Hebraico et Graeco *sit*) *in Aegypto: descendite* illuc (Hebraicus et Graecus), *et emite nobis necessaria,* vel potius frumenta

(שִׁבְרוּ, cf. lexicon) illinc (Hebraicus), *ut possimus vivere, et non consumamur inopia,* LXX accuratius ἵνα ζῶμεν καὶ μὴ ἀποθάνωμεν. [3]*Descendentes igitur fratres Ioseph decem, ut emerent frumenta in Aegypto* (ita etiam ca. 50 manuscripta hebr.; textus Masorethicus et Graecus *ex Aegypto*), [4]*Beniamin domi retento a Iacob, qui dixerat fratribus eius: Ne forte in itinere quidquam patiatur mali,* LXX accuratius τὸν δὲ Βενιαμεὶν τὸν ἀδελφὸν Ἰωσὴφ οὐκ ἀπέστειλεν (Hebraicus addit Ἰακὼβ) μετὰ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ, εἶπεν γάρ· Μή ποτε συμβῇ αὐτῷ μαλακία, [5]*ingressi sunt terram Aegypti cum aliis qui pergebant ad emendum,* LXX accuratius ἦλθον δὲ οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἀγοράζειν μετὰ τῶν ἐρχομένων. *Erat autem* vel potius enim (Hebraicus et Graecus) *fames in terra Chanaan.* — Decem filii Iacob cum aliis habitatoribus terrae Chanaan (Hoberg) aliarumque terrarum (Gunkel) inopia et fame compulsi Aegyptum ingressi sunt, imminentium dolorum ignari.

In Aegypto frumentum vendi Iacob redeuntibus emptoribus et videre (℣. 1 hebr. ac graece) et audire (℣. 2) potuit. Increpavit autem filios suos, quia nullus eorum prior coepisse ac frumenta adducere volebat. — Dillmann versum 2^a post versum 1^a superfluum, ideoque ex alio fonte haustum censet, quod etiam illud *et dixit* in ℣. 2^a insinuet. Sed illud *et dixit* in textu Graeco et Latino deest, atque nostris quoque diebus idem scriptor nonnumquam quaedam scribit, quae absolute loquendo non necessaria sunt. — De *descendite* videas pag. 227; de וְלֹא in propositione finali cf. Gesenius-Kautzsch 322 s. — *Decem* descenderunt, ut plura frumenta adducere possent (Gunkel cum Delitzsch). — Beniaminum, tunc 22 (cf. pag. 506 s.) non 30 (ut Hoberg putat) annos natum, Iacob retinuit, quia unicus Rachelis dilectissimae filius superstes erat (Gunkel).

℣℣. 6—17. Et Ioseph erat princeps *in terra Aegypti* (deest *Aegypti* in Hebraico et Graeco), *atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur,* LXX accuratius οὗτος ἐπώλει παντὶ τῷ λαῷ τῆς γῆς. *Cumque adorassent eum fratres sui,* [7]*et agnovisset eos quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos,* LXX accuratius ἐλθόντες δὲ οἱ ἀδελφοὶ Ἰωσὴφ προσεκύνησαν αὐτῷ ἐπὶ πρόσωπον ἐπὶ τὴν γῆν· [7]ἰδὼν δὲ Ἰωσὴφ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ ἐπέγνω καὶ ἠλλοτριοῦτο ἀπ' αὐτῶν καὶ ἐλάλησεν αὐτοῖς σκληρὰ καὶ εἶπεν αὐτοῖς· *Unde venistis? Qui responderunt: De terra Chanaan, ut emamus victui necessaria,* LXX accuratius ἀγοράσαι βρώματα. [8]*Et tamen fratres ipse cognoscens, non est*

cognitus ab eis, LXX accuratius *ἐπέγνω δὲ Ἰωσὴφ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, αὐτοὶ δὲ οὐκ ἐπέγνωσαν αὐτόν.* [9]*Recordatusque* Ioseph (Hebraicus et Graecus) *somniorum, quae aliquando* (deest *aliquando* in Hebraico et Graeco) *viderat* quoad eos (Hebraicus; *αὐτός,* LXX), *ait ad eos: Exploratores estis: ut videatis infirmiora,* עֶרְוַת i. e. nuditatem vel partem minus munitam (Gesenius), *terrae venistis.* [10]*Qui dixerunt* ei (Hebraicus): *Non est ita* (deest *est ita* in Hebraico et Graeco), *domine* mi (Hebraicus), *sed* (deest *sed* in Samaritano, Graeco, Syro) *servi tui venerunt ut emerent cibos.* [11]*Omnes* nos (Hebraicus) *filii unius viri sumus: pacifici venimus* (in Hebraico: probi sumus nos), *nec quidquam famuli tui machinantur mali,* LXX accuratius *οὐκ εἰσὶν οἱ παῖδές σου κατάσκοποι.* [12]*Quibus ille* (deest *ille* in Hebraico et Graeco) *respondit: Aliter est,* LXX accuratius *οὐχί·* nam (Hebraicus; *ἀλλά,* LXX) *immunita,* עֶרְוַת, *terrae huius* (deest *huius* in Hebraico et Graeco) *considerare* vel videre *venistis* (cf. ℣. 9). [13]*At illi: Duodecim, inquiunt, servi tui, fratres sumus, filii viri unius* (ultima 3 verba in LXX desunt) *in terra Chanaan:* et ecce (Hebraicus et Graecus) *minimus cum patre nostro est* hodie (Hebraicus et Graecus) *alius non est super,* LXX accuratius *ὁ δὲ ἕτερος οὐχ ὑπάρχει.* [14]*Hoc est, ait* eis Ioseph (Hebraicus et Graecus), *quod locutus sum* vobis dicens (Hebraicus et Graecus): *Exploratores estis.* [15]*Iam nunc experimentum vestri capiam,* in Hebraico (cf. et Greecum) in hoc probati eritis: *per salutem Pharaonis,* חֵי פַרְעֹה i. e. vivus est Pharao, *non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus* huc (Hebraicus et Graecus). [16]*Mittite ex vobis unum, et adducat eum* (pro *eum* in Hebraico et Graeco *fratrem vestrum*): *vos autem eritis in vinculis, donec probentur quae dixistis utrum vera an falsa sint* (in Hebraico: utrum veritas vobiscum sit an non): *alioquin* (deest in Hebraico) *per salutem Pharaonis,* חֵי פַרְעֹה, *exploratores estis.* [17]*Tradidit ergo illos custodiae tribus diebus.* — Decem filii Iacob ad Iosephum venerunt, quia ab illo dispensatio frumenti dependebat. Ipse fratres suos cognovit sed ab eis non cognitus ut alienos et quidem ut exploratores terrae dure eos tractavit. Cumque innocentiam suam frustra probare conarentur, in carcerem eos misit, hac tamen conditione libertatem promittens, ut fratrem suum minimum adducerent itaque veritatem sermonum suorum demonstrarent.

Gunkel narrationem, qua primus minister ipse frumentum vendidisse dicatur, simplicem (naiv) iudicat. Sed hagiographus non asserit, Iosephum propriis manibus frumentum vendidisse; Vulgata sensum textus Graeci et Hebraici bene exprimit vertens *ad eius nutum frumenta populis vendebantur:* emptores licentiam Iosephi petere debebant, ut a subditis eius frumentum accipere possent (cf. Dillmann). Hoberg putat, filios Iacob non frumenti emendi causa ad Iosephum venisse, sed ut suspectos ab Aegyptiis comprehensos et ad eum deductos fuisse. At haec opinio cum contextu (℣. 7 coll. ℣. 6) non congruit neque ab aliis exegetis proponitur. — De adoratione videas pag. 283. — Quod Ioseph a fratribus non cognitus sit, licet eos alloqueretur, facile intelligimus. Nam adolescens 17 annorum venditus est (pag. 560), tunc autem vir 39 annorum erat (cf. 41, 46 coll. 41, 53 et 45, 6) vestimentis primi ministri Pharaonis ornatus; insuper fratres iuxta 42, 22; 44, 20 eum mortuum credebant (cf. Gunkel) neque suspicari poterant, eum in Aegypto ad summam dignitatem elevatum fuisse. Ipse vero fratres statim cognovit, quia tempore venditionis suae iam magis adulti erant atque in eisdem conditionibus permanserant. — Somnium, cuius Ioseph recordatus est, videas pag. 520 s. — Contra hostes, qui ex oriente in Aegyptum irruere volebant, a Pelusio usque ca. Arsinoe series castellorum erat, quae Hebraice שׁוּר i. e. murus nominabatur (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 105; Heyes 5 s.); inter ista castella loca minus munita inveniebantur: quare verba Iosephi, quibus viros e Chanaan venientes exploratores declaravit, clarescunt (cf. Gunkel). — Attamen, nonne mentitus est Ioseph, quando fratres suos *exploratores* vocavit? Lapide cum S. Thoma respondet, „Ioseph non assertive, sed tentative et probative loqui, uti iudices asserunt crimen, dum reum rogant pertentando, ut veritatem eliciant. Pari modo hic fratres pertentat Ioseph, ut ita adigat eos, sibi de patre et fratre Beniamin percunctaturo vera narrare". — Ut Iosepho probent, se non exploratores esse, fratres bis asserunt, se filios unius viri esse: „exploratores genus hominum sunt collectitium, non consuevere decem fratres una procedere exploratum" (Hummelauer). De fratre vendito per euphemiam dicunt: *non est super, οὐχ ὑπάρχει,* quia in his circumstantiis scelus suum necessario celare debent (cf. Gunkel). — Ioseph ter repetit suam affirmationem, qua eos exploratores declaravit. Illud *hoc est quod locutus sum* in ℣. 14 significat: manet et fixum est quod locutus sum (cf. Strack[2]). — Ioseph Beniaminum videre voluit, quia possibile duxit, ipsum quoque a fratribus male tractatum fuisse (Dillmann cum Lapide et S. Chrysostomo). — Filii Iacob *tribus diebus* captivi tenebantur, „ut ita luerent triplex crimen suum: primo mortis intentatae, secundo proiectionis in cisternam, tertio venditionis Iosephi, et ut sicut ipse triennio fuerat in carcere, sic illi essent triduo, inquit Delrio et alii" (Lapide). — Ioseph decem fratres duriter tractans non iniuste egit, „quia illi longe graviora meriti erant" (Lapide); quare autem etiam Rubenum innocentem in vincula coniicere atque patri suo, Beniaminum postulans, dolorem afferre (cf. 40, 20 ss.) voluit?

Ad priorem quaestionis partem Lapide respondet: „Ruben etiamsi a venditione Ioseph esset innocens, quia tamen commistus erat cum fratribus nocentibus, hinc et affligitur cum eis. Si enim eum excepisset Ioseph, agnitus fuisset a fratribus: ita Abulensis. Sic Deus, quin et princeps, communi belli clade insontes cum sontibus involvit et plectit.“ Ad alteram quaestionis partem Dillmann 418 optime scribit: „Quod etiam pater aetate provectus ita pati debeat, ob finem principalem evitari nequit; in veritate hoc pro eo praeparatio ad summa gaudia est, quae iuxta dispositionem divinam sine praecedente humiliatione profunda non acquiruntur.“

שַׁלִּיט in ℣. 6 a Bachmann vocabulum Aramaicum declaratur; multo cautius Gunkel scribit, istam vocem vocabulum recentioris linguae Hebraicae videri, cum thesaurus linguae vivae nobis ignotus sit (cf. pag. 525, notam). In 42, 30. 33 Ioseph אֲדֹנֵי הָאָרֶץ, in 45, 8. 26 מֹשֵׁל בְּכָל־אֶרֶץ vocatur. Tres phrases eandem dignitatem indicant atque ab eodem scriptore adhibitae esse possunt, quia quilibet scriptor ius habet eandem rem variis vocibus synonymis exprimendi (Hoberg contra Dillmann). — Dillmann notat, שַׁלִּיט nomini proprio primi regis Hyksos *Salatis* (iuxta Ios. Flav. c. Ap., 1, 14) vel *Silitis* (iuxta Euseb. chr. Arm., I, 224) valde simile esse et forsitan terminum technicum fuisse, quam sententiam Hoberg et Holzinger reiiciunt, eo quod talis terminus technicus in monumentis nondum inventus sit (Holzinger). — Pro הוּא secundo habent Samaritanus et Syrus וְהוּא. — Quomodo praedicatum cum articulo coniunctum esse possit, Gesenius-Kautzsch 412 exponunt. — Secundum Gunkel 42, 6 et 41, 57 hebr. et graece non ad eundem scriptorem pertinere possunt, cum ea quae in 42, 6 dicantur, ex 41, 57 iam pateant. At nihil impedit, quominus scriptor ea quae antea dixerat, aliis verbis repetat; scripta recentiora id demonstrant. — In ℣. 10 alterum וְ significationem adversativam habet (Gesenius-Kautzsch 510); forsitan omittendum est (cf. pag. 589). — In ℣. 11 pro נַחְנוּ Samaritanus אֲנַחְנוּ habet. — In ℣. 13 aut אֲנַחְנוּ cum Olshausen aliisque delendum aut melius cum Delitzsch, Holzinger, Kittel post עֲבָדֶיךָ distinguendum est. — In ℣. 14 post הוּא Kittel cum Ball sine necessitate inserit הַדָּבָר. — Ad ℣℣. 14 et 16 nota: in 1 Sam. 20, 3; 25, 26 duplex formula iurandi legitur, scil. חַי־יְהוָה וְחֵי נַפְשְׁךָ i. e. vivus est Dominus et viva est anima tua = ita (so wahr) vivit Dominus et ita vivit anima tua, ut etc. (Gesenius-Kautzsch 480). חֵי non est status constructus, sed status absolutus ut חַי (Gesenius-Kautzsch 269); si per Deum iuratur, Masorethae punctarunt חַי, si per homines vel res alias חֵי (Gesenius 469 aliique recentiores): similem distinctionem in nomine *adonai* pag. 256 videas. Ergo חֵי פַרְעֹה = ita vivit Pharao (so wahr Pharao lebt), ut non egrediemini, ut exploratores estis. Tale iuramentum Iosepho licitum fuisse, manifestum est.

℣℣. **18—25. Die autem tertio** *eductis de carcere* (pro *eductis de carcere* in Hebraico et Graeco *eis* tantum legitur), *ait* Ioseph (Hebraicus): *Facite quae dixi, et vivetis: Deum enim timeo,* LXX accuratius *τοῦτο ποιήσατε καὶ ζήσεσθε· τὸν θεὸν γὰρ ἐγὼ φοβοῦμαι.* [19]*Si pacifici* vel potius probi (cf. pag. 589) *estis, frater vester unus ligetur in carcere,* בְּבֵית מִשְׁמַרְכֶם i. e. in domo custodiae vestrae: *vos autem abite, et ferte frumenta quae emistis, in domos vestras,* הָבִיאוּ שֶׁבֶר רַעֲבוֹן בָּתֵּיכֶם i. e. ferte annonam (quae sufficiat) fami familiarum vestrarum (Gesenius et Buhl ad רַעֲבוֹן), [20]*et fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones,* LXX accuratius *καὶ πιστευθήσονται τὰ ῥήματα ὑμῶν, et non moriamini. Fecerunt ut dixerat,* LXX accuratius *ἐποίησαν δὲ οὕτως,* [21]*et locuti sunt ad invicem* (cf. pag. 205): *Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum,* in Hebraico: profecto, rei sumus de fratre nostro, *videntes angustiam animae illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio* vel potius angustia (Hebraicus et Graecus). [22]*E quibus unus Ruben, ait,* LXX accuratius *ἀποκριθεὶς δὲ Ῥουβὴν εἶπεν αὐτοῖς· Numquid non dixi vobis* dicens (Hebraicus et Graecus): *Nolite peccare in puerum:* (interpungas *puerum?*) *et non audistis me?* (interpungas *me:* Hebraicus *me* omittit) *en sanguis eius exquiritur* vel vindicatur, נִדְרָשׁ. [23]*Nesciebant autem quod intelligeret,* שֹׁמֵעַ, *ἀκούει, Ioseph: eo quod per interpretem loqueretur ad eos,* LXX accuratius *ὁ γὰρ ἑρμηνευτὴς ἀνὰ μέσον αὐτῶν ἦν.* [24]*Avertitque se parumper* (pro *parumper* in Hebraico et Graeco *ab eis*), *et flevit: et reversus* ad eos (Hebraicus et Graecus) *locutus est ad eos.* [25]*Tollensque* ab eis (Hebraicus et Graecus) *Simeon, et ligans illis praesentibus, iussit ministris* (in Hebraico et Graeco *ministris* omissum sed *Ioseph* insertum est) *ut implerent eorum saccos* vel potuis vasa, כְּלֵיהֶם, *ἄγγια, tritico, et reponerent pecunias* vel argentum (Hebraicus et Graecus) *singulorum in sacculis* vel potius saccis *suis, datis supra* (pro *supra* in Hebraico et Graeco *eis*) *cibariis in viam: qui fecerunt ita,* LXX accuratius *καὶ ἐγενήθη αὐτοῖς οὕτως.*

Post tres dies Ioseph fratres suos clementius tractavit et conditionem humaniorem quam antea (cf. pag. 589) eis proposuit, quam acceperunt: *ἐποίησαν δὲ οὕτως.* „Fratres hi in

plaga ad se redeunt et crimen agnoscunt. Ita Manasses rex impiissimus ... (2 Par. 33), ita Nabuchodonosor superbissimus ... (Dan. 4), ita Antiochus rex scelestissimus ... (1 Mach. 6)" a Deo castigati culpas suas agnoverunt (Lapide). In confessione sua: *videntes angustiam,* צָרַת, *τὴν θλῖψιν, animae illius ... venit super nos ista angustia,* הַצָּרָה, *ἡ θλῖψις,* idem vocabulum bis adhibentes insinuant illud „in quo quis peccavit, in hoc et punietur" (cf. Gunkel); S. Hieronymus nimium variationi studens hanc subtilitatem sermonis delevit. Ruben iuste (cf. pag. 525 s.) ceteros obiurgare et monere potuit, iure et merito sanguinem seu mortem fratris vindicari. Ioseph conatus primogeniti et confessionem ceterorum audiens sic commotus est, ut lacrimas cohibere nequiret, quare ab eis secessit. Reversus ad eos Simeonem ligavit, reliquos autem cum frumento, pecunia et cibariis dimisit.

Mitigavit Ioseph sententiam triduo ante latam, „quia unus ferendae domum sufficientis frumenti copiae impar omnino erat (Tost.), sed magis ex amore ratus, se in fratres triduo ante severius egisse" (Hummelauer). — De duobus imperativis in ℣. 18 coniunctis videas pag. 272. Textus hebr. et graec. non est vertendus: *facite quae dixi* antea, sed *facite quae dico* nunc (Hummelauer). — *Deum timeo* = vereor „Deum tanquam iniuriae vindicem" itaque a malo abstineo (Gesenius 622): quare „nil iniuste, nil infideliter, nil inhumane vobiscum agam, sed fideliter quae dixi praestabo" (Lapide; cf. Dillmann, Hummelauer, Strack[2]). — De אֶחָד (Samaritanus אֲחִיכֶם הָאֶחָד) = unus ex vobis fratribus, in ℣. 19 (et 33) videas Gesenius-Kautzsch 440. — Illud ἐποίησαν δὲ οὕτως in fine ℣. 20 Ball, Gunkel, Holzinger, Kautzsch-Socin, Kittel delendum, e contrario Dillmann, Strack[2], Hoberg aliique (quibus assentimur) retinendum censent. Ioseph dixerat: τοῦτο ποιήσατε (℣. 18), scil. unum relinquatis vinctum, ceteri domum revertamini et fratrem minimum adducatis (℣. 19 s.); fratres autem ἐποίησαν οὕτως i. e. conditionem acceperunt. — Ad verba ℣. 21 *et locuti sunt ad invicem* Hummelauer scribit: „Proposito assentiti conferebant inter se, quis remaneret in vinculis, hoc enim ipsis ℣. 19 Ioseph determinandum permiserat; simul conscientia admissi quondam in fratrem sceleris acti sequentem intermiscebant sermonem." Reliquis tamen interpretibus recte improbabile videtur, Iosephum fratribus permisisse ut personam ligandam determinarent, quare illud *et locuti sunt* de confessione eorum dumtaxat interpretamur. — Pro אֵלֵינוּ habent Samaritanus, Graecus, Syrus, Latinus עָלֵינוּ (cf. Kittel). — In ℣. 22 Ruben sensum, non verba (cf. pag. 525) sermonis sui refert (Dillmann). — Dillmann censet, Rubenum credidisse a bestia Iosephum devoratum esse.

quae sententia parum probabilis est (cf. pag. 532). Multo probabilius est, Rubenum et fratres eius putasse, „Iosephum in tam dira servitute prae afflictione et moerore iampridem esse mortuum", quia per tot annos nihil de eo audierant (Lapide). — De formula *sanguis eius exquiritur* videas pag. 157. Quia vita sanguine manifestatur et repraesentatur, sanguis pro vita scribitur: ergo sanguis effusus = vita ablata. — In Ÿ. 23 שֹׁמֵעַ non solum *audivit* verum etiam *audita intellexit* significat (pag. 207; Gesenius aliique). Interpres, per quem Ioseph ad peregrinos loqui solebat, „tum non proxime adstabat" (Hummelauer). — In Ÿ. 24 וַיִּסֹּב מֵעֲלֵיהֶם *avertitque se ab eis* indicat, Iosephum a fratribus secessisse, ut e sequentibus elucet, non faciem tantum avertisse, quemadmodum quidam opinabantur (cf. סָבַב *vertit se* in lexico). — Quid reversus *locutus est ad eos?* Hummelauer putat, eum interrogasse „quemnam vellent in vinculis relinquere"; at haec opinio improbabilis est (cf. pag. 593). Probabilius est, Iosephum allocutione sua fratribus poenitentibus crimenque confitentibus comitatem monstrare et afflictos eorum animos confirmare voluisse. — Tollens ab eis Simeonem et ante oculos eorum eum ligans Ioseph severitatem suam monstravit. In sequentibus quoque narrationibus hagiographus Iosephum severitatem cum comitate miscentem depingit (cf. Gunkel). — Quare Simeonem ligavit? Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger, Strack[2] cum Delitzsch censent: quia Simeon inter eos, qui contra consilium Rubeni egerant, maior natu fuit. Lapide autem scribit: „Forte etiam Simeon inter fratres insolentior et iniquior fuerat in Iosephum; audax enim et insolens eius indoles satis se prodidit in strage Sichimorum." Etiam Hoberg hanc sententiam admittit. — Pro verbo finito וַיְמַלְאוּ *et impleverunt* Kittel fortasse infinitivum לְמַלֵּא *ut implerent* legendum putat; at iuxta Gesenius-Kautzsch 391 lectio Masorethica retineri potest. — אִישׁ אֶל־שַׂקּוֹ = cuilibet in saccum suum (Gesenius-Kautzsch 455). — Pro sing. וַיַּעַשׂ Kittel cum aliis plur. וַיַּעֲשׂוּ probabiliter legendum putat; sed haec mutatio non necessaria est (cf. Gesenius-Kautzsch 468). — Pecuniam in saccis ponere iussit, ut fidem sinceram eorum tentaret; cibaria pro hominibus addidit, ne multum frumenti empti in via consumerent (cf. Lapide). — Gunkel sine ullo argumento asserit, alterum hoc colloquium Iosephi et fratrum eius (ŸŸ. 18—24) non necessarium a scriptore additum esse, ut plus spatii impleret. Nos iuxta notissimum principium logicum gratis asserta gratis negamus et hoc colloquium non a scriptore fictum sed reapse habitum esse tenemus. Conferas pag. 341, nota 1; pag. 435, nota 2; pag. 436, nota.

ŸŸ. 26—34. At illi portantes vel potius ponentes (Hebraicus et Graecus) *frumenta* sua (Hebraicus) *in asinis suis, profecti sunt* illinc (Hebraicus et Graecus). 27 *Apertoque unus sacco* suo (Hebraicus et Graecus), *ut daret iumento* vel potius asino suo (Hebraicus, cf. et Graecum) *pabulum in diversorio,*

contemplatus pecuniam in ore sacculi, Hebraicus (cf. et Graecum): vidit argentum suum, et ecce erat in ore sacci sui, et [28] *dixit fratribus suis: Reddita est mihi* (deest *mihi* in Hebraico) *pecunia* vel argentum meum (Hebraicus, cf. et Graecum), et etiam (Hebraicus) *en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatique mutuo dixerunt,* LXX accuratius *καὶ ἐξέστη ἡ καρδία αὐτῶν, καὶ ἐταράχθησαν πρὸς ἀλλήλους λέγοντες· Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus,* LXX accuratius *τί τοῦτο,* מַה־זֹּאת (cf. pag. 377), *ἐποίησεν ὁ θεὸς ἡμῖν;* [29] *Veneruntque ad Iacob patrem suum in terram Chanaan, et narraverunt ei omnia quae accidissent sibi, dicentes:* [30] *Locutus est nobis* vir (Hebraicus et Graecus) *dominus terrae dure* vel dura (Hebraicus et Graecus), *et putavit nos exploratores esse provinciae,* LXX *καὶ ἔθετο ἡμᾶς ἐν φυλακῇ* (textus Masorethicus *ἐν φυλακῇ* omittit, sed Ball, Kittel, Gunkel, Holzinger בְּמִשְׁמָר inserunt) *ὡς κατασκοπεύοντας τὴν γῆν.* [31] *Cui respondimus: Pacifici* vel potius probi *sumus nec ullas molimur insidias* vel potius: nec facti sumus exploratores (Hebraicus et Graecus). [32] *Duodecim fratres uno patre geniti sumus,* Samaritanus, Syrus et Graecus: *δώδεκα ἀδελφοί ἐσμεν, υἱοὶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν· unus non est super,* LXX accuratius *ὁ εἷς οὐχ ὑπάρχει, minimus* autem hodie (Hebraicus et Graecus) *cum patre nostro est in terra Chanaan.* [33] *Qui ait nobis,* LXX accuratius *εἶπεν δὲ ἡμῖν ὁ ἄνθρωπος ὁ κύριος τῆς γῆς· Sic probabo* vel potius in hoc sciam (Hebraicus et Graecus) *quod pacifici* vel potius probi *sitis: Fratrem vestrum unum dimittite apud me, et cibaria domibus vestris necessaria sumite, et abite,* [34] *fratremque vestrum minimum adducite ad me, ut sciam quod non sitis exploratores,* quod probi sitis (addunt Hebraicus et Graecus): *et istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis: ac deinceps quae vultis, emendi habeatis licentiam,* in Hebraico et Graeco multo brevius: fratrem vestrum dabo vobis, et terram peragretis (scil. „ad frumentum emendum“, Gesenius 946).

Diversorium, מָלוֹן (a לוּן pernoctare), quemlibet locum significat, „in quo pernoctant viatores, sive sub dio sive sub tecto“ (Gesenius) sive in spelunca (Winer, I, 478); publica ista diversoria quae nunc in Palaestina et Syria exsistunt *(Chan* vel *Karawanserei* vocata) antiquitus ignota erant (Winer, I, 478) et a Delitzsch, Gunkel, Strack[2] gratis supponuntur. In diver-

sorio igitur primus, הָאֶחָד (cf. Gesenius-Kautzsch 441 s.) saccum suum aperuit, in ore eius argentum suum vidit idque fratribus nuntiavit, qui etiam saccos suos aperuerunt et argentum suum invenerunt, unusquisque in ore sacci sui. Omnes fratres iam in diversorio saccos suos aperuisse, non solum antiquiores (e. g. Tostatus, Menochius, Lapide) verum etiam recentiores (e. g. Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hummelauer, Strack²) interpretes recte iudicant. Nam fratres ipsi 43, 21 diserte ita narrant, extremus pavor eorum hoc testatur, vocabulum הָאֶחָד *primus* id commendat, leges psychologicae talem inquisitionem postularunt. Dixi: extremus pavor. In Hebraico enim legimus: וַיֵּצֵא לִבָּם i. e. et exiit cor seu animus eorum = „exanimati erant“ (Gesenius 641) atque וַיֶּחֶרְדוּ אִישׁ אָחִיו i. e. et trepidantes converterunt se ad se invicem (Gesenius 518; Gesenius-Kautzsch 389). Timebant valde, ne a viro, qui eos ut exploratores iam dure tractaverat, nunc ut fures (cf. 43, 18) adhuc durius tractarentur (cf. Dillmann, Gunkel); reverti autem debebant tam propter Simeonem ligatum quam propter famem. Licet nescirent, quis pecuniam in saccis posuisset (cf. 43, 22), tamen providentiam Dei agnoverunt, qui nova hac angustia crimen punire volebat (cf. Dillmann). Patri ea narrarunt, quae in ℣℣. 9 ss. referuntur.

Hoberg cum Ranke putat, unum dumtaxat in diversorio, reliquos apud patrem (cf. ℣. 35) pecuniam in saccis invenisse et relationem fratrum in 43, 21 non accuratam esse. Sed valde improbabile est, fratres qui severitatem suspiciosam Iosephi perspectam habebant atque propter pecuniam in saccis inventam pro se et asinis suis servitutem metuebant (43, 18), inventionem pecuniae non accurate narrasse; immo iuxta leges psychologicas incredibile est, fratres reliquos post nuntium primi saccos suos non pervestigasse. Conferas ℣. 35. — Gunkel asserit, filios Iacob pecuniam miro modo a Deo in saccis positam putasse. Textus hanc assertionem non confirmat, sed permissionem vel providentiam Dei dumtaxat insinuat. — In ℣. 30 אֲדֹנֵי est pluralis excellentiae (Gesenius-Kautzsch 402 ss.). In ℣. 33 ante רַעֲבוֹן inserendum est שֶׁבֶר (cf. ℣. 19; Dillmann, Gunkel, Kittel, Strack²). In ℣. 34 pro secundo אֵת Kittel cum versionibus וְאֵת legit.

℣℣. 35—38. His dictis (desunt haec verba in Hebraico et Graeco), *cum frumenta effunderent* vel potius cum evacuarent saccos suos (Hebraicus et Graecus) *singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias: exterritisque simul omnibus,* in

Hebraico (cf. et Graecum): et ecce cuiuslibet marsupium argenti sui erat in sacco suo, et viderunt marsupia argenti sui ipsi et pater eorum et timuerunt, [36]et *dixit* eis *pater* eorum *Iacob: Absque liberis me* (in Hebraico et Graeco *me* in principio ponitur) *esse fecistis* vel facitis (cf. grammaticam Hebraicam), *Ioseph non est super, Simeon tenetur in vinculis* vel potius et Simeon non est super (Hebraicus et Graecus), *et Beniamin auferetis: in me haec omnia mala* (deest *mala* in Hebraico et Graeco) *reciderunt.* [37]*Cui respondit Ruben,* LXX accuratius *εἶπεν δὲ Ῥουβὴν τῷ πατρὶ αὐτοῦ λέγων· Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, et ego eum tibi restituam.* [38]*At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscum:* nam (Hebraicus et Graecus) *frater eius mortuus est, et ipse solus remansit:* et (Hebraicus et Graecus) *si quid ei adversi acciderit in terra ad quam pergitis* vel potius in via in qua ibitis (Hebraicus et Graecus), *deducetis canos meos cum dolore ad inferos,* שְׁאֹלָה, *εἰς ᾅδου.*

Dillmann (quocum Gunkel, Holzinger, Strack[2] consentiunt) confidenter asserit, iuxta ℣. 35 filios Iacob evacuando saccos, non in ore eorum, pecuniam reperisse: ergo inter ℣. 35 et ℣. 28 contradictionem adesse, ita ut ad diversas relationes pertineant. At hoc assertum falsum est. Etenim in textu Hebraico et Graeco nulla vox versus 35 indicat, filios Iacob evacuando saccos pecuniam reperisse (ut Vulgata vertit): וַיִּרְאוּ, *καὶ ἴδον, et viderunt* legimus in Hebaico et Graeco. Nulla vox negat, fratres evacuando saccos pecuniam in ore eorum vidisse. Nulla vox fratres vel patrem obstupefactos et exterritos dicit: *et timuerunt* simpliciter narrat Hebraicus et Graecus. Ex quo cum Hummelauer 555 inferimus, fratres iam ante evacuationem saccorum patri suo narrasse „quod in diversorio acciderit“, licet hagiographus eos non inducat „referentes in diversorio acta“. Quibus Hummelauer adiungit: „Ceterum patet ratio, cur ea pecunia primum a patre iterumque a filiis conspecta admirationem moverit et timorem. Pecunia sc. una cum frumento conspecta plenissime corroborabat filiorum narrationem, et hinc Simeonis et etiam Beniamini discrimen movebatque suspicionem, ne ob eam pecuniam incommodum aliquando nescio quod accideret.“ — Iacob re-

spondens illud *me* et *in me* cum emphasi in principio posuit filiosque animi frigidi accusavit, quo patrem tribus filiis orbarent; sed Ruben statim duos filios suos patri occidendos offert, nisi Beniaminum et cum eo Simeonem reduxerit. „Est modus loquendi vehemens, quo exprimit, quam certus ipse sit de salute Beniamin (Bonfr.). Unde haec certitudo? E fide in Dei providentiam et Iosephi promissionem iuramento firmatam“ (Hummelauer; cf. Lapide et Hoberg). Nihilominus Iacob Beniaminum mittere nolebat, quia unicus Rachelis dilectissimae filius superstes erat (cf. pag. 588). Sensum verborum *deducetis canos meos* etc. Lapide bene sic reddit: „efficietis, ut ego senex moerore et moestitia moriar, quinimmo senio meo accelerabitis mortem.“ De שְׁאֹל videas pag. 533 s.

Initium ℣. 35 וַיְהִי הֵם מְרִיקִים = et factum est, cum erant evacuantes (cf. Gesenius-Kautzsch 328). — Lapide cum aliis opinabatur, filios Iacobi simulate exterritos fuisse; at iuxta textum Hebraicum et Graecum non fuerunt exterriti, sed simpliciter timuerunt. — Hoberg e verbis *Simeon non est super* concludit, Iacobum liberationem eius desperasse. — Gunkel inter 42, 37 et 46, 9 ubi quattuor filii Rubeni enumerantur, contradictionem invenit. At respondemus cum Hummelauer: „Quaeri potest, utrum duo ibi (scil. 46, 9) per anticipationem recenseantur, qui reapse nonnisi post ingressum in Aegyptum nati sint, an sensus nostri versus is sit, Rubenum pro uno Beniamin“ vel potius pro Beniamin et Simeon „duos e suis quattuor offerre filios“. — Idem Gunkel affirmat, Beniaminum post verba Rubeni a patre fratribus traditum fuisse, eosque statim in Aegyptum rediisse, ut Simeonem liberarent; sed more suo (cf. pag. 594) affirmationem suam nullo argumento confirmat et sacrum textum contrarium habet: vaticinatur.

Holzinger 239 cum aliis in cap. 42 indicia et vestigia duorum fontium videt, scilicet: ℣. 2^{a} cum ℣. 1 male cohaeret; at videas pag. 588. — In ℣. 7 idem atque in ℣℣. 8 et 10 asseritur; non est verum. Nam in ℣. 7 narratur, quomodo Ioseph fratres suos statim cognoverit, sed nihilominus ut alienos eos tractaverit; in ℣℣. 8 et 10 vero legimus, quomodo Ioseph a fratribus non cognitus sit, licet eos alloqueretur (cf. pag. 590). — In ℣. 13^{a} repetitur quod in ℣. 11^{a} iam dictum est. Utique. Sed filii Iacob potentius ad refutandam accusationem Iosephi argumentum proferre nequibant quam se decem fratres seu filios unius viri esse, quare ad hoc factum bis provocarunt (cf. pag. 590). — ℣. 27 per ℣. 25^{c} et ℣. 35 omnino excluditur. Nullo modo. Nam in ℣. 25^{c} non legimus, Iosephum fratribus etiam pro asinis pabulum dedissse, et in ℣. 35 fratres pecuniam videntes nulla voce obstupefactos fuisse scribuntur (cf. pag. 597). — In ℣. 38 neque conditio seu oblatio Rubeni neque cap-

tivitas Simeonis attenditur, ergo hic ℣. cum ℣℣. 36 et 37 non cohaeret. E contrario optime cohaeret. Etenim Ruben dixerat: *trade illum in manu mea, et ego eum tibi restituam* (℣. 37), et Iacob respondit: *Non descendet* (℣. 38), ergo nexus adest. Liberationem autem Simeonis vincti ab adventu Beniamini dependere, fratres iam antea patri exposuerant (℣℣. 34 et 36 s.), quare Iacob missionem Beniamini recusans (℣. 38) implicite etiam liberationem Simeonis noluit. Libentius Simeonem vivum in vinculis relinquere quam Beniaminum dilectissimum mortis periculo (cf. ℣. 38) exponere volebat. Postquam vero missio Beniamini necessaria evasit, ne pater filiique eius et familiae eorum morerentur (43, 8) atque Iudas quoque patri pro Beniamino vadem se dedit (43, 9), Iacob petitioni filiorum non amplius resistere potuit. — De propositione conditionali in ℣. 38 videas Gesenius-Kautzsch 502 s.

C. **43. ℣℣. 1—10. Interim fames omnem terram** *vehementer premebat,* in Hebraico (cf. et Graecum): fames autem erat gravis in terra. [2]*Consumptisque cibis quos ex Aegypto detulerant, dixit Iacob ad filios suos,* LXX accuratius *ἐγένετο δὲ ἡνίκα συνετέλεσαν καταφαγεῖν τὸν σῖτον ὃν ἤνεγκαν ἐξ Αἰγύπτου καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ πατὴρ αὐτῶν· Revertimini, et emite nobis pauxillum escarum.* [3]*Respondit* autem ei (Hebraicus et Graecus) *Iudas* dicens (Hebraicus et Graecus): *Denunciavit nobis vir ille sub attestatione iurisiurandi, dicens,* LXX multo accuratius *διαμαρτυρίᾳ διαμεμαρτύρηται* (הָעֵד הֵעִד, cf. pag. 56) *ἡμῖν ὁ ἄνθρωπος λέγων· Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum* (similiter LXX), in Hebraico: nisi frater vester vobiscum fuerit. [4]*Si ergo* (deest *ergo* in Hebraico et Graeco) *vis eum* (pro *eum* in Hebraico et Graeco *fratrem nostrum*) *mittere nobiscum, pergemus pariter* (deest *pariter* in Hebraico et Graeco), *et ememus tibi necessaria* (pro *necessaria* in Hebraico et Graeco *cibaria*): [5]*sin autem non vis* mittere (Hebraicus et Graecus), *non ibimus: vir enim, ut saepe diximus, denunciavit nobis, dicens,* in Hebraico (cf. et Graecum): vir enim dixit nobis: *Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo,* in Hebraico (cf. et Graecum): nisi frater vester vobiscum fuerit. [6]*Dixit eis* (deest *eis* in Hebraico et Graeco) *Israel: In meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei et alium habere vos fratrem,* LXX accuratius *τί ἐκακοποιήσατέ μοι ἀναγγείλαντες τῷ ἀνθρώπῳ εἰ ἔστιν ὑμῖν ἀδελφός;* [7]*At illi responderunt: Interrogavit nos homo per ordinem nostram progeniem,* LXX accuratius *ἐρωτῶν ἐπηρώτησεν ἡμᾶς ὁ ἄνθρωπος καὶ τὴν γενεὰν ἡμῶν*

λέγων· *si* adhuc (Hebraicus et Graecus) *pater viveret: si haberemus fratrem: et nos respondimus ei consequenter iuxta id quod fuerat sciscitatus,* וַנַּגֶּד־לוֹ עַל־פִּי הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה i. e. et nos indicavimus ei pro ratione rerum harum i. e. „ut res erant, secundum rei veritatem" (Gesenius 1088): *numquid scire poteramus,* הֲיָדוֹעַ נֵדַע (cf. pag. 56), *quod dicturus esset: Adducite fratrem vestrum vobiscum?* (deest *vobiscum* in Hebraico et Graeco). [8]*Iudas quoque dixit* Israel (Hebraicus et Graecus) *patri suo: Mitte puerum mecum, ut* surgamus et (Hebraicus et Graecus; cf. pag. 321) *proficiscamur, et possimus vivere: ne moriamur nos et parvuli nostri,* in Hebraico (cf. et Graecum): et vivamus et non moriamur nec nos nec tu nec familiae nostrae. [9]*Ego suscipio puerum,* in Hebraico: ego spondeo pro eo, *de manu mea require illum. nisi reduxero, et reddidero eum tibi,* LXX accuratius *ἐὰν μὴ ἀγάγω αὐτὸν πρός σὲ καὶ στήσω αὐτὸν ἐναντίον σου, ero peccati reus in te omni tempore.* [10]*Si non intercessisset dilatio, iam vice altera, venissemus,* LXX accuratius *εἰ μὴ γὰρ ἐβραδύναμεν, ἤδη ἂν ὑπεστρέψαμεν δίς.*

Dillmann opinatur, 43, 3 et 43, 7 ex alio fonte esse ac 42, 20. 34 et 42, 13. 32. Nam iuxta 42, 20. 34 filii Iacob Beniaminum adducere debuerunt, ut se probos demonstrare, Simeonem recipere et frumentum emere; iuxta 43, 3 autem, ut ante faciem Iosephi apparere possent. Iuxta 42, 13. 32 filii Iacob sponte et ultro progeniem suam manifestarunt, ut accusationem Iosephi refutarent; iuxta 43, 7 autem ab Iosepho examinati id fecerunt. Attamen secundum principia logica loci citati inter se non pugnant neque duos scriptores indicant. Etenim fratres Beniaminum non adducentes ideoque ab Iosepho non admissi consequenter neque se probos demonstrare neque Simeonem recipere neque frumentum emere (cf. pag. 595) potuerunt; principia logica non prohibent, quominus Ioseph utramque sententiam pronuntiaverit, neque postulant ut fratres eius patri suo statim utramque retulerint, cum sensus earum idem sit. Et si fratres ad refutandam accusationem Iosephi sponte ultroque progeniem suam manifestarunt, haec manifestatio Iosephum non impedivit, quin accurate *(ἐρωτῶν ἐπηρώτησεν ἡμᾶς)* rem examinaret. Videas Hummelauer et Hoberg.

Iacob liberationem Simeonis tacet, quia libentius eum in carcere relinquere quam Beniaminum perdere volebat (cf. pag. 599); desiderat frumentum, quia pro se et familia necessarium erat: monitus, etiam frumentum sine Beniamino emi non posse (cf. pag. 600), denique conditione Iosephi utitur, ut frumentum et Simeonem reciperet (℣. 14). — Quare non Ruben primogenitus neque Simeon secundogenitus vadem se dederit, ex 42, 25. 33 s. 37 s. elucet; Levi tertiogenitus propter ferocitatem in Sichimos monstratam (34, 25 s.) non aptus erat: propterea Iudas quartogenitus pro Beniamino se spopondit. — בִּלְתִּי in ℣. 3 = nisi quod, nisi (Gesenius-Kautzsch 510; cf. et lexicon). — טַף in ℣. 8 = „parvuli, pueri et puellae ... nonnunquam patet ad universam familiam solique patri familias opponitur" (Gesenius 554). — חָטָא in ℣. 9 = „peccavit, reus factus est, culpam fert" (Gesenius). = In ℣. 10 כִּי־עַתָּה = ἤδη, iam (Gesenius-Kautzsch 507; cf. et lexicon).

℣℣. 11—15. Igitur Israel *pater eorum dixit ad eos: Si sic necesse est, facite quod vultis,* in Hebraico et Graeco: si sic vere est, hoc facite: *sumite de optimis terrae fructibus in vasis vestris, et deferte viro munera, modicum resinae, et* modicum (Hebraicus) *mellis, et storacis, stactes, et terebinthi, et amygdalarum.* [12]*Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum,* LXX accuratius λάβετε ἐν ταῖς χερσὶν ὑμῶν· *et illam, quam invenistis in sacculis, reportate,* in Hebraico: et pecuniam reportatam in ore saccorum vestrorum reportate in manu vestra, *ne forte errore factum sit,* LXX accuratius μή ποτε ἀγνόημά ἐστιν· [13]*sed* (deest in Hebraico et Graeco) *et fratrem vestrum tollite,* et surgite (Hebraicus et Graecus) *et ite ad virum.* [14]*Deus autem meus omnipotens,* וְאֵל שַׁדַּי (cf. pag. 271 s.) *faciat vobis eum placabilem,* LXX accuratius δῴη ὑμῖν χάριν ἐναντίον τοῦ ἀνθρώπου· *et* vel potius ut *remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet* (pro *quem tenet* habet Masorethicus אַחֵר = alium, Samaritanus הָאֶחָד = τὸν ἕνα, LXX), *et hunc Beniamin: ego autem quasi orbatus absque liberis ero,* LXX accuratius ἐγὼ μὲν γὰρ καθὰ ἠτέκνωμαι ἠτέκνωμαι. [15]*Tulerunt ergo viri munera* haec (Hebraicus et Graecus), *et pecuniam duplicem* tulerunt in manu sua (Hebraicus et Graecus), *et Beniamin:* et surrexerunt (Hebraicus et Graecus) *descenderuntque in Aegyptum, et steterunt coram Ioseph.*

Iacob experientia edoctus, quid munera valeant (cf. pag. 469 ss.), praeposito Aegypti ex optimis terrae Chanaan fructibus misit *resinam* vel potius masticem, צֳרִי, et *storacem*

vel potius tragacanthum, נְכֹאת, et *stacten* vel potius ladanum, לֹט (de his tribus cf. pag. 528) necnon *mel* vel syrupum, דְּבַשׁ, et *terebinthum* vel pistacia, בָּטְנִים, et *amygdalas*, שְׁקֵדִים. Deinde iussit, ut filii praeter pecuniam ad emendum frumentum necessariam etiam illam deferrent, quae forsitan per errorem in saccis posita fuerat, atque Beniaminum secum ducerent. Denique Deum omnipotentem rogavit, ut virum istum durum eis gratiosum redderet, simul tamen pleno cum obsequio in Deum tribus filiis orbatus esse volebat, si ita Domino placeret.

In ℣. 11 אֵפוֹא a Gesenio aliisque cum antecedenti אִם־כֵּן coniungitur, ut sit sensus: si prorsus vel vere ita est; a Buhl et Strack[2] vero ad sequentia trahitur, quae constructio ab Holzinger artificiosa sed non necessaria vocatur. — זִמְרָה = cantus, metonymicos = laudatus fructus (Gesenius); aliis quidem haec metonymia nimis poetica videtur, „sed non est, quod hanc formulam a reliquo radicis usu divellamus“ (Gesenius). Hoberg et Ball cum Graeco *(ἀπὸ τῶν καρπῶν)* et Latino pluralem מִזִּמְרַת punctat. — דְּבַשׁ iuxta Gesenium, quocum plerique recentiores consentiunt, non solum *mel* ab apibus paratum significat, verum etiam „mel uvarum i. e. mustum ad tertiam vel dimidiam partem decoctum, gr. *ἕψημα, σίραιον, σίραιος οἶνος*, lat. *defrutum, sapa* . . ., ital. *musto cotto,* arab. *dibs,* pers. *duschab* . . . quod hodieque ex Palaestina, maxime ex Hebronis vicinia, in Aegyptum exportari solet“. Hunc syrupum recentiores interpretes protestantes ab Iacobo missum dicunt, quia Aegyptus „optimo melle apiario, magis etiam quam Palaestina, abundat“ (Gesenius). Hoberg et Hummelauer tamen melius mel apum, intelligunt, quia „monumenta vix quidquam de melle Aegyptiorum produnt, plurima de vineis et vino“, et quia „ad lectos Chanaanitidis fructus certe pertinet mel“ (Hummelauer). — בָּטְנִים, assyr. *butnu,* pistacia sunt nuces provenientes „ex arbore terebintho simillima (Pistacia vera Linn.), quae in Syria frequens nascitur“ (Gesenius aliique recentiores). — שְׁקֵדִים (cf. assyr. *šikdu, šiḳittu, šuḳdu*) sunt nuces amygdalae (Gesenius aliique). — Illud *modicum* duabus prioribus tantum speciebus fructuum praemittitur, forsitan quia istae tempore famis rarae erant. — Versum 12 Hummelauer iuxta circumstantias historicas recte sic explicat: „Crediderim id Iacob in mente habuisse, ut non solum filii paratos se protestarentur ad restituendam pecuniam in saccis repertam, sed simul pro frumento coemendo duplum offerrent pretium“, quia tempore famis pretium frumenti augeri solet. Absolute loquendo pars altera versus explicatio partis prioris esse potest, ut sit sensus: sumite duplicem pecuniam, scilicet pretium frumenti iam empti necnon pretium emendi; ita Hoberg cum aliis versum interpretatur, cui interpretationi ℣. 15 favere videtur. — מִשְׁנֶה est appositio ad כֶּסֶף (cf. Gesenius-

Kautzsch 431. 433). — *Ne forte errore factum sit,* ait Iacob, quia etiam consulto fieri potuit (cf. pag. 596 s.). — In ℣. 13 pro שׁוּבוּ habent Samaritanus et Syrus וְשׁוּבוּ (Kittel). — In ℣. 14 habet Sixtina: *quem tenet in vinculis.*

Strack[2] asserit, versum 14[a] non ab eodem auctore scriptum esse ac 42, 38—43, 13 et 44, 18—34, cum in ℣. 14[a] captivitas Simeonis affirmetur, in 42, 38—43, 13 et 44, 18—34 autem taceatur. At hanc conclusionem iuxta praecepta logica falsam dicere debemus, quia in locis mox citatis captivitas Simeonis non negatur sed simpliciter tacetur. Si in istis locis captivitas negaretur, quae in 43, 14[a] affirmatur, conclusio valeret; non valet vero, si tacetur tantum. Nam idem auctor iuxta praecepta logica rem eandem in uno loco tacere, in alio autem narrare potest. — ℣. 14[b] וַאֲנִי כַּאֲשֶׁר שָׁכֹלְתִּי שָׁכָלְתִּי i. e. „ego vero, ubi orbus fuero (liberis), fuero orbus" ex 42, 36 clarescit, ubi Iacob dixit: „Absque liberis me esse facitis, Ioseph non est super, et Simeon non est super, et Beniamin auferetis." Sensus igitur versus 14[b] hic invenitur: „Si semel me orbari liberis necesse est, hanc iacturam quam patientissime potero, feram" (Gesenius 1405 aliique). Gesenius-Kautzsch 311 in phrasi desperationem, Gunkel tristitiam expressam vident, quae cum fiducia in ℣. 14[a] enuntiata non bene conveniat ideoque alium fontem indicet (Gunkel). At hae sunt imaginationes. Etenim iuxta usum loquendi verba desperationem non manifestant; tristitia autem cum pleno obsequio in Deum, immo cum fiducia, qua Iacob reversionem omnium filiorum a Deo speravit, optime coniungi potest. Nam per plures dies reapse omnibus filiis orbatus pater senex iuxta leges psychologicas tristitiam sentire debuit, sed eam patientissime tolerare voluit: „ubi orbus fuero, inquit, fuero orbus". — Pro *šakolti* in pausa pronuntiatur *šakalti* (Gesenius-Kautzsch 96), quae varietas iuxta Gesenium 1405 euphonica est.

℣℣. 16—25. Quos cum ille vidisset, *et Beniamin simul,* LXX *ἴδεν δὲ Ἰωσὴφ αὐτοὺς καὶ τὸν Βενιαμεὶν κτλ.* (congruit Samaritanus אִתָּם וְאֵת exhibens, Masorethicus autem habet אִתָּם אֶת = cum eis Beniaminum), *praecepit dispensatori domus suae, dicens* (deest *dicens* in Hebraico et Graeco): *Introduc viros domum, et occide victimas, et instrue convivium* (deest *convivium* in Hebraico et Graeco): *quoniam mecum sunt comesturi* viri (Hebraicus et Graecus) *meridie.* [17]*Fecit ille quod sibi* (pro *quod sibi* habet Sixtina *sicut*) *fuerat imperatum, et introduxit viros domum,* LXX accuratius *ἐποίησεν δὲ ὁ ἄνθρωπος καθὰ εἶπεν Ἰωσὴφ καὶ εἰσήγαγεν τοὺς ἀνθρώπους εἰς τὴν οἰκίαν Ἰωσήφ. Ibique exterriti, dixerunt mutuo,* in Hebraico (cf. et Graecum): et timuerunt viri quod introducerentur in domum

Ioseph et dixerunt: *Propter pecuniam, quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus: ut devolvat in nos calumniam, et violenter subiiciat servituti et nos, et asinos nostros,* in Hebraico: ut irrueret in nos et se proiiceret in nos et sumeret in servos nos et asinos nostros. 19 *Quamobrem in ipsis* (deest *ipsis* in Hebraico et Graeco) *foribus* domus (Hebraicus et Graecus) *accedentes ad dispensatorem domus* Ioseph (Hebraicus et Graecus) 20 *locuti sunt: Oramus domine* mi (Hebraicus) *ut audias nos* (haec 3 verba in Hebraico et Graeco desunt). *Iam ante descendimus ut emeremus escas:* 21 *quibus emptis,* וַיְהִי, *καὶ ἐγένετο, cum venissemus ad diversorium, aperuimus saccos nostros, et invenimus pecuniam in ore saccorum: quam nunc eodem pondere reportavimus,* in Hebraico: et ecce pecunia cuiuslibet in ore sacci sui, pecunia nostra iuxta pondus suum, et reportavimus eam in manu nostra. 22 *Sed* (deest in Hebraico et Graeco) *et aliud attulimus argentum* in manu nostra (Hebraicus, cf. et Graecum), *ut emamus quae nobis necessaria sunt,* LXX accuratius *ἀγοράσαι βρώματα· non est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupiis nostris,* in Hebraico (cf. et Graecum): nescimus quis posuerit argentum nostrum in saccis nostris. 23 *At ille respondit: Pax vobiscum, nolite timere: Deus vester, et Deus patris vestri* (Samaritanus et LXX *τῶν πατέρων ὑμῶν*) *dedit vobis thesauros in saccis vestris. nam pecuniam, quam dedistis mihi, probatam ego habeo* (similiter LXX), in Hebraico: pecunia vestra venit ad me. *Eduxitque ad eos Simeon.* 24 *Et introductis domum attulit aquam,* in Hebraico: et introduxit vir viros in domum Ioseph (haec 7 verba omittunt LXX) et dedit aquam, *et laverunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum.* 25 *Illi vero parabant munera, donec ingrederetur Ioseph meridie: audierant enim quod ibi comesturi essent panem.*

Ioseph Beniaminum videns intellexit, eum non tam male tractatum fuisse (cf. pag. 590), et fratres antea veritatem dixisse (cf. pag. 589), quare eos benigne tractavit (Dillmann) et a domo publica, ubi Ioseph munere suo fungebatur (cf. pag. 590), in domum suam privatam traducere iussit (Gunkel), in qua eis prandium dare voluit. Fratres hanc causam nescientes (cf. ℣. 25), et ob severitatem Iosephi iam expertam nihil boni exspectantes, in ista traductione initium servitutis suspicabantur (Dillmann).

Cumque propter pecuniam in saccis inventam servitutem timerent, hanc „rem explicare et componere conantur, antequam vis illis inferatur" (Hummelauer). Dispensator seu praefectus domus respondit, hanc ob rem eis nihil timendum esse, cum ipse pecuniam revera accepisset. Deinde iuxta promissionem Iosephi (42, 19. 34) Simeonem in libertatem restituit, omnibusque indicavit, quare in domum Iosephi introducerentur.

Ex Ѷ. 29 Lapide recte deducit, Iosephum in domo publica „obiter et dissimulanter" dumtaxat oculos ad Beniaminum allevasse. — Quae Ioseph dispensatori suo mandavit, fratres non audiebant, ut ѶѶ. 18 ss. ostendunt. — *Dispensator domus suae* = אֲשֶׁר עַל־בֵּיתוֹ = praefectus palatii sui, qui „universae rei familiari" praeerat (cf. Gesenius 192). — טְבֹחַ טֶבַח = macta mactationem i. e. pecudes ad mactandum destinatas; phrasis epulas parandas indicat: „de mactatione ad sacrificium utuntur verbo cognato זָבַח" (Gesenius 542 et Buhl). De forma טְבֹחַ videas Gesenius-Kautzsch 171. — Aegyptii libenter carnem manducabant (cf. Dillmann et Hoberg) et cenam i. e. convivium principale meridie apponere solebant ut antiquiores Romani (Gunkel, Holzinger). — De forma צָהֳרָיִם videas pag. 465 et Gesenius-Kautzsch 244 s. — In Ѷ. 18 loco *quam retulimus in saccis* Hebraicus habet: quae reddita est in saccis nostris. — *Ut devolvat in nos calumniam* = τοῦ συκοφαντῆσαι ἡμᾶς. LXX pro לְהִתְגֹּלֵל legisse videntur לְהִתְרַגֵּל (Holzinger, Kittel). Subiectum ad verba supplendum sunt Ioseph et ministri eius. — In Ѷ. 20 בִּי אֲדֹנִי = cum petitione domine mi vel pace tua domine mi; בִּי est particula obsecrandi id significans quod nostrum *bitte, prego* vel *mit Erlaubnis, con permesso* (cf. Gesenius 222). Singularis *domine mi* eo declaratur quod unus tantum loquitur (cf. 44, 18 et Strack[2]). — Ad *iuxta pondus suum* in Ѷ. 21 hebr. conferas pag. 339. — Verba *Pax tibi* vel *vobiscum* in Ѷ. 23 „timidum erigere eique salutem nunciare solent, in hanc sententiam: nihil metuendum est tibi (vobis), integrae sunt res tuae (vestrae)", quare additur *nolite timere* (Gesenius 1423). — Deum familiae Iacobi per Iosephum fratribus pecuniam reddidisse omnino verum est (cf. Dillmann, Hummelauer, Strack[2]). Verba autem sequentia iuxta textum Graecum et Latinum mendacia sunt, quemadmodum Calmetus cum S. Augustino notavit; in textu Hebraico tamen mendacium abest, quia pecunia reapse „venit" ad dispensatorem. — De lotione pedum cf. pag. 284. — Quare munera *paraverint*, e pag. 469 colligi potest (cf. et Gunkel).

ѶѶ. 26—30. Igitur ingressus est Ioseph *domum suam* (deest *suam* in Hebraico et Graeco), *obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis,* in Hebraico (cf. et Graecum): et attulerunt ei munus, quod in manu eorum erat, in cenaculum:

et adoraverunt proni in terram, in Hebraico: et prostraverunt se coram eo in terram. [27]*At ille, clementer resalutatis eis, interrogavit eos, dicens,* in Hebraico (cf. et Graecum): at ille interrogavit eos de salute et dixit: *Salvus ne* (Sixtina: *Sanus ne*) *est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc vivit?* [28]*Qui responderunt: Sospes* vel salvus (Hebraicus et Graecus) *est servus tuus pater noster, adhuc vivit. Et incurvati, adoraverunt eum,* in Hebraico: et inclinarunt se et prostrarunt se. [29]*Attollens autem Ioseph* (deest *Ioseph* in Hebraico) *oculos* suos (Hebraicus), *vidit Beniamin fratrem suum uterinum* (אָחִיו בֶּן־אִמּוֹ), *et ait: Iste est frater vester parvulus* vel minimus (Hebraicus), *de quo dixeratis mihi? Et rursum* (in Hebraico et Graeco *rursum* deest): *Deus, inquit, misereatur tui, fili mi.* [30]*Festinavitque* Ioseph (Hebraicus, cf. et Graecum) *quia commota fuerant viscera eius super* (עַל, Samaritanus et Graecus, contra Masorethicus אֶל) *fratre suo, et erumpebant lacrymae,* וַיְבַקֵּשׁ לִבְכּוֹת, *καὶ ἐζήτει κλαῦσαι* i. e. et quaerebat (locum) ad flendum: *et introiens cubiculum flevit* ibi (Hebraicus et Graecus).

Postquam Ioseph in cenaculum ingressus est, fratres muneribus e Chanaan allatis et prostratione eum honorarunt. Interrogati de salute sua et de salute patris iterum se prostrarunt, ut pro honorifica ista interrogatione gratias agerent (cf. pag. 336 ss. et Gunkel). Fratrem suum uterinum nunc propius et accuratius considerans Ioseph ita commotus est, ut lacrimas comprimere nequiret, quapropter in cubiculum interius fugit ibique lacrimando cor suum exoneravit.

Uti *οἶκος* (cf. Passow) ita et בַּיִת non solum domum totam, verum etiam singulas partes eius significat (Gesenius et Buhl). Propterea in ℣. 26 tam prius quam posterius הַבַּיְתָה de parte quadam domus Iosephi intelligimus, et quidem de cenaculo, quod ℣℣. 30 et 31 indicant. Holzinger הַבַּיְתָה posterius delendum censet. — De scriptione וַיָּבִיאּוּ (Ginsburg, sed Kittel א sine mappîk scribit) videas Gesenius-Kautzsch 54). — Verbum שָׁחָה et reflexivum הִשְׁתַּחֲוָה inusitati pa'lel שַׁחֲוָה videas apud Gesenius-Kautzsch 214. — Sensum textus Latini Hoberg sic exponit: fratres genuflexi, capite inclinato, munera in manibus tenuerunt. Sed phrasis Hebraica *quod in manu eorum erat* non necessario indicat, fratres munera sua in manibus tenuisse (cf. pag. 469; Dillmann, Hoberg, Hummelauer). — In ℣. 28 post *adhuc vivit* LXX addunt *καὶ εἶπεν Εὐλογητὸς ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος τῷ θεῷ,* quae tamen additio non genuina videtur

(Gunkel, Holzinger). — In ℣. 29 Ioseph responsum fratrum non exspectat, quia evidens erat (Dillmann, Gunkel, Strack[2]) — De יְחָנְךָ loco יְחָנְךָ videas Gesenius-Kautzsch 178 s. — Ioseph potuit dicere *fili mi,* quia tunc Beniamin 22, ipse vero 39 annorum erat (cf. pag. 588) et forsitan multis variisque perfunctus laboribus iam natu grandior videbatur. — Ad *festinavitque* in ℣. 30 supplendum est: „in colloquio" (cf. Dillmann, Hoberg, Strack[2]) — *Cubiculum* erat iuxta cenaculum (Hummelauer, Hoberg). — De fletu antiquorum videas pag. 424 s., notam.

℣℣. 31—34. Rursumque (deest *rursum* in Hebraico et Graeco) *lota facie egressus, continuit se, et ait: Ponite panes.* [32]*Quibus appositis, seorsum Ioseph, et seorsum fratribus* (in Hebraico et Graeco): seorsum illi et seorsum illis), *Aegyptiis quoque qui vescebantur simul* (pro *simul* in Hebraico et Graeco *cum eo*), *seorsum* (*illicitum est enim Aegyptiis comedere cum Hebraeis* panem [Hebraicus et Graecus], *et profanum putant huiuscemodi convivium,* in Hebraico: nam res abominanda haec est Aegyptiis) [33]*sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua, et minimus iuxta aetatem suam* minorem (Hebraicus et Graecus). *Et mirabantur nimis,* LXX multo accuratius *ἐξίσταντο δὲ οἱ ἄνθρωποι ἕκαστος πρὸς τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ,* [34]*sumptis partibus quas ab eo acceperant: maiorque pars venit Beniamin, ita ut quinque partibus excederet,* LXX accuratius *ἦραν δὲ μερίδα παρ' αὐτοῦ πρὸς αὐτούς· ἐμεγαλύνθη δὲ ἡ μερὶς Βενιαμεὶν παρὰ τὰς μερίδας πάντων πενταπλασίως κτλ. Biberuntque et inebriati sunt cum eo.*

In cenaculo Ioseph ob dignitatem suam solus sedit; Aegyptii autem pro more suo, quo ab exteris se segregabant (Dillmann, Gunkel, Hummelauer aliique cum Knobel), mensas separatas habuerunt; fratres Iosephi denique iuxta aetatem suam dispositi fuerunt, qua dispositione obstupefacti sunt (Dillmann). Hi praeter cibos e culina immediate ad mensas eorum allatos etiam de mensa Iosephi partes quasdam acceperunt (cf. Hoberg), ita tamen ut pars Beniamini quinquies maior esset quam pars cuiuslibet fratris (Dillmann). Bibentes quoque cum Ioseph *inebriati* sunt, i. e. „exhilarati sunt, mero incaluerunt, citra tamen crapulam" (Lapide, Dillmann, Gunkel, Hummelauer aliique).

Ponite panes = afferte cibos (cf. pag. 84). — Iosephum ob dignitatem suam solum sedisse, omnes concedunt; Dillmann et Strack[2] cum Knobel dignitatem eius sacerdotalem intelligunt, quam Gunkel, Hol-

zinger, Hummelauer recte negant, quia nullo textu sacro probari potest. — In ℣. 32 pro לַמִּצְרִים cum versionibus, Ball, Gunkel, Holzinger לְמִצְרִים punctandum videtur. — LXX finem versus sic reddunt *βδέλυγμα γάρ ἐστιν τοῖς Αἰγυπτίοις πᾶς ποιμὴν προβάτων* (cf. 46, 34). — *Sederunt* ad mensas (cf. pag. 285). „In epulis videntur adhibuisse mensas parvas et humiles, quibus duo ad summum accumbere vel assidere possent" (Hummelauer et Hoberg). — Iuxta Vulgatam fratres mirabantur, quod e mensa Iosephi partes acciperent; iuxta textum Hebraicum et Graecum vero, quod iuxta aetatem suam ab Iosepho dispositi essent. Hoberg cum Lapide et Bonfrerio non incredibile censet, eos utrumque admiratos esse; Hummelauer etiam servos obstupefactos putat: melius tamen cum Dillmann aliisque sensum textus Hebraici et Graeci retinemus. — Fratres partibus de mensa Iosephi acceptis honoratos fuisse, praesertim Beniaminum, omnes concedunt. Apud Spartanos rex duplum, apud Cretenses archon quadruplum accipiebat (Dillmann). Quare apud Aegyptios numerus quinque saepius occurrat, non patet. Knobel ob quinque planetas Aegyptiis notas, Dillmann ob quinque digitos manus numerum quinarium aliis praelatum esse opinatur. — Gunkel interrogat, utrum Beniamin omnes istos cibos comederit necne, et putat antiquos hac in re mirabilia (Erstaunliches) perpetrare potuisse. Melius tamen Strack[2] docet, omnes fratres plene saturatos fuisse et quantitatem ciborum Beniamini symbolicam significationem habuisse, ergo Beniaminum non omnia comedisse. — Ad וַיִּשָּׂא in ℣. 34 Ioseph subiectum supplendum est, qui per servos suos de mensa sua partes sumpsit (Hoberg); Graecus et Syrus pluralem exhibent. — חָמֵשׁ יָדוֹת = quinque manus = quinque partes = quincuplus (Gesenius-Kautzsch 443). — *Biberuntque:* cf. pag. 559 et Holzinger, iuxta quem Aegyptii plurimum bibebant. — *Inebriati sunt:* cf. pag. 162, notam 2. — Hoberg optime notat, quod scriptor post exilium hanc narrationem componens filios Israel cibos „Aegyptii" comedentes itaque leges convivales populi Israel violantes purgasset vel excusasset; cum talis purgatio vel excusatio desit, narrationem istis legibus antiquiorem esse concludimus. Conferas Iudith 12, 1—4.

C. 44. ℣℣. 1—5. **Praecepit autem** *Ioseph* (deest *Ioseph* in Hebraico) *dispensatori domus suae, dicens: Imple saccos eorum* (pro *eorum* in Hebraico et Graeco *virorum*) *frumento* vel cibo (Hebraicus et Graecus), *quantum possunt capere,* LXX accuratius *ὅσα ἐὰν δύνωνται ἆραι· et pone pecuniam singulorum* (in Hebraico et Graeco *cuiusque*) *in summitate* vel ore *sacci* sui (Hebraicus et Graecus). [2]*Scyphum autem meum* scyphum (Hebraicus) *argenteum, et pretium quod dedit* (deest *quod dedit* in Hebraico et Graeco) *tritici* sui (Hebraicus et Graecus), *pone*

in ore sacci iunioris. factumque est ita, in Hebraico (cf. et Graecum): et fecit iuxta verbum Ioseph, quod dixerat. [3]*Et orto mane, dimissi sunt* viri (Hebraicus et Graecus) *cum asinis suis.* [4]*Iamque* (deest *iam* in Hebraico et Graeco) *urbem exierant, et processerant paululum* (in Hebraico et Graeco: non procul iverant): *tunc Ioseph accersito* (deest *accersito* in Hebraico et Graeco) *dispensatore domus* suae (Hebraicus et Graecus), *Surge, inquit, et persequere viros: et apprehensis dicito: Quare reddidistis malum pro bono?* [5]*Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet: pessimam rem fecistis.* LXX autem habent: *ἵνα τί ἐκλέψατέ μου τὸ κόνδυ τὸ ἀργυροῦν; οὐ τοῦτό ἐστιν, ἐν ᾧ πίνει ὁ κύριός μου; αὐτὸς δὲ οἰωνισμῷ οἰωνίζεται ἐν αὐτῷ· πονηρὰ συντετέλεσθε ἃ πεποιήκατε.* In Hebraico prima 8 verba textus Graeci desunt, sed Bachmann, Holzinger, Kittel ea inserenda iudicant.

Lapide e Philone, Iosepho Flavio, S. Chrysostomo et Theodoreto bene sequentia excerpsit: „Fecit hoc Ioseph, ut hac ratione pertentaret animos fratrum, num inviderent Beniamino, tanquam Rachelis filio et tanquam ei, qui quintuplo maiores partes in convivio acceperat, ut videlicet, si invidiam hanc persentisceret per fratrum silentium et neglectum Beniamini, eum apud se retineret, ne quid in via fratres contra eum, uti olim contra se fecerant, molirentur. Sin vero amorem fraternum per anxietatem et curam eum liberandi ostenderent, eundem cum eis dimitteret.“

Quantum possunt capere vel auferre, datur fratribus frumentum, ut „tanto maior ablati scyphi iniuria“ appareat (Hummelauer, Delitzsch, Gunkel). — Gunkel et Holzinger opinantur, verba *et pone pecuniam cuiusque in ore sacci sui* in ℣. 1 necnon *et pretium tritici sui* in ℣. 2 originaliter defuisse et serius iuxta 42, 25 inserta esse, eo quod bonus scriptor eandem rem non bis adhibeat et pecunia in sequentibus non commemoretur (Holzinger) atque Beniamin solus noxius apparere debeat (Gunkel). Attamen, etiam bonus scriptor rem bis factam bis narrare potest; fratres autem omnes servi Iosephi fieri volunt (℣. 16), licet dispensator furem scyphi tantum postulaverit (℣. 10), qua oblatione pecuniam in saccis inventam esse insinuant (cf. 43, 18); denique Beniamin magis quam ceteri omnes noxius apparet, etiamsi pecunia in saccis eorum inveniatur, quia ipse praeter pecuniam, pretiosum quoque scyphum in sacco habet. Retinemus igitur textum talem, qualem omnes testes critici eum exhibent. — גָּבִיעַ = *κόνδυ*, calix, scyphus, crater;

„distinguitur enim a כֹּסוֹת i. e. cyathis, quibus vinum e cratere hauritur“ (Gesenius et Buhl). Vox *κόνδυ* secundum Hummelauer „e lingua Persica petita designat craterem decem *κοτύλας* seu scyphos continentem“. Si Ioseph reapse immediate e cratere bibebat, ut Hummelauer e ℣. 5 colligere videtur, ea in memoriam revocanda sunt, quae pag. 608 de abundantia ciborum diximus. — Cum emphasi Ioseph *craterem meum,* inquit, *craterem argenteum;* alioquin suffixum pronominale vocabulo materiam indicanti affigitur (Gesenius-Kautzsch 447). — Furtum crateris, in quo Ioseph bibere et augurari solebat (℣. 5), mox innotescere debuit (cf. Strack[2]), quare Ioseph proficiscentes per dispensatorem statim persecutus est (℣. 4) et in domo sua privata reversionem eorum exspectavit (℣. 14). — *Reddidistis malum pro bono* i. e. furtum crateris pretiosi pro hospitio et convivio liberali (cf. Gunkel). — Gunkel et Strack[2] prima 8 verba textus Graeci textui Hebraico inserere nolunt; sed Holzinger bene notat, sine istis verbis זֶה in ℣. 5 necnon responsum fratrum in ℣. 8s. „in aere haerere“.

Ad verba *in quo augurari solet* scribit Hummelauer: „נחשׁ certe significat *augurari* et severissime condemnatur Lev. 19, 26; Deut. 18, 10 etc. Augurari e scypho pertinet ad hydromantiam. . . . Vase aqua repleto apparebant in aqua formae quaedam futura praesagientes; coniectae in aquam gemmae, aurum et argentum varias ibidem formas discribebant.“ Eadem iam Knobel, Dillmann aliique dixerant. At, revera Ioseph augurari solebat an hanc artem simulavit dumtaxat? Gunkel et Hoberg dubii sunt, quid respondeant; Strack[2], Lapide aliique antiquiores, Iosephum artem simulasse putant; Dillmann cum Knobel eum reapse auguratum esse censent. Ego cum Hummelauer consentio scribente: „Si mendacium in Iosepho admitti potest, cur non aeque superstitio aliqua? Interpretis non est, patriarchas mordicus ab omni labecula demonstrare immunes. Sed notanda Grotii solutio, agi posse de praesagiis divinitus immissis. Reapse si in V. T. pontifex potuit ope Urim et Thummim oracula edere, quod nunc non sine superstitione possit quis imitari, non video equidem, cur non potuerint esse in religione primitiva ritus aliqui futurorum praesciendorum, a certis quibusdam viris legitime adhibendi Deoque tum probati, qui non nunc solum, sed vel lege Mosaica abrogati sint, neque inde a Moyse inanis superstitionis nota potuerint adhiberi.“ — Conferas pag. 608, notam ultimam.

℣℣. **6—13. Fecit ille ut iusserat.** *Et apprehensis per ordinem locutus est;* in Hebraico et Graeco ℣. 6 sic exhibetur: Et apprehendit eos et locutus est eis (LXX inserunt *κατά*) verba haec. [7]*Qui responderunt: Quare sic loquitur dominus noster, ut servi tui tantum flagitii commiserint?* In Hebraico (similiterque in Graeco): Et dixerunt ei: Quare loquitur dominus meus (cf. pag. 605) secundum verba haec? absit a servis tuis ut

fecerint secundum verbum hoc. [8]Ecce (Hebraicus, cf. et Graecum) *Pecuniam, quam invenimus in summitate* vel ore *saccorum* nostrorum (Hebraicus et Graecus), *reportavimus ad te de terra Chanaan: et quo modo consequens est ut* (deest *consequens est ut* in Hebraico et Graeco) *furati simus de domo domini tui aurum vel argentum* (in Hebraico et Graeco *argentum vel aurum;* cf. pag. 234)? [9]*Apud quemcumque fuerit inventum* vel potius inventus (scil. scyphus; cf. Hebraicum et Graecum) *servorum tuorum quod quaeris* (deest *quod quaeris* in Hebraico et Graeco), *moriatur, et* etiam (Hebraicus et Graecus) *nos erimus servi domini nostri* (in Hebraico *mei,* cf. pag. 605). [10]*Qui dixit eis* (deest *eis* in Hebraico et Graeco): *Fiat iuxta vestram sententiam,* in Hebraico (cf. et Graecum): Utique, iam secundum verba vestra ita sit: *apud quemcumque fuerit inventum* vel potius inventus, *ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxii* vel liberi, נְקִיִּם (cf. lexicon). [11]*Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli,* LXX accuratius *καὶ ἔσπευσαν καὶ καθεῖλαν ἕκαστος τὸν μάρσιππον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ἤνοιξεν ἕκαστος τὸν μάρσιππον αὐτοῦ.* [12]*Quos* (deest in Hebraico et Graeco) *scrutatus, incipiens a maiore* et veniens (cf. Graecum et Hebraicum) *usque ad minimum, invenit scyphum in sacco Beniamin.* [13]*At illi, scissis vestibus, oneratisque rursum* (deest *rursum* in Hebraico et Graeco) *asinis* suis (Hebraicus et Graecus), *reversi sunt in oppidum.*

Fratres Iosephi optime se defendunt. Homines, qui pecuniam in saccis suis inventam, quam dispensator domus non suam declaravit, e Chanaan reportaverant, e domo primi ministri Pharaonis neque argentum neque aurum, eo minus craterem tam pretiosum furati sunt (cf. Hummelauer, Holzinger, Strack[2]). Et quanto firmius innocentiam suam persuasam habebant, tanto maiorem poenam suggesserunt (cf. pag. 455 et Gunkel). Dispensator vero furem scyphi dumtaxat in servitutem abducendum, reliquos autem dimittendos declaravit (Dillmann, Gunkel, Hummelauer). Ioseph per dispensatorem fratribus haec proponens eruere voluit, quomodo fratrem suum uterinum in servitutem abducendum tractarent (Hummelauer, Holzinger, Strack[2].) Scindentes vestes suas (cf. pag. 531) et cum fratre in urbem revertentes factis probant, se nunc meliores esse quam antea (cf. pag. 529 s.).

In ℣. 8 pro כֶּסֶף Holzinger et Kittel cum Samaritano et Graeco הַכֶּסֶף legendum iudicant. — De וָמֵת in ℣. 9 videas Gesenius-Kautzsch 338. — Volebant servi fieri ut conscii vel fautores furti (Strack[2]), quam oblationem dispensator non accepit. — Innocentiam suam persuasam habentes cum festinatione saccos deposuerunt atque aperuerunt. — Dispensator saccos iuxta aetatem fratrum scrutatus est, ut exspectationem eorum augeret et acueret (cf. Gunkel); a Beniamino incipere nequivit, quia alioquin suspicionem movisset, rem sibi iam notam esse. — In ℣. 12 pro perfectis הֵחֵל et כִּלָּה (cf. Gesenius-Kautzsch 498s.) Gunkel cum Ball infinitiva הָחֵל et כַּלֵּה punctat (cf. Gesenius-Kautzsch 343); Holzinger et Kittel dubitant. — Bene Gunkel 408 et 411 notat, dispensatorem saccos scrutantem decies scyphum non invenisse ideoque confidentiam fratrum crevisse, in ultima autem perscrutatione et inventione scyphi dolore inexspectato eos perculsos esse, qui in cena cum Iosepho bibentes hilares facti fuerant. Nihilominus Beniaminum non accusant (Hummelauer), sed cum eo servi Iosephi fieri volunt (℣. 16). Quanta mutatio morum! Ista tristitia maxima fuit praeparatio ad summa gaudia (cf. pag. 591). — Quare fratres pecuniam in saccis suis conspicientes non obstupefacti dicuntur? Respondeo: idem iam antea viderant, nunc autem toti ad scyphum attendentes erant.

℣℣. 14—17. Primusque Iudas *cum fratribus ingressus est ad Ioseph (necdum enim de loco abierat) omnesque ante eum pariter in terram corruerunt,* in Hebraico (cf. et Graecum): Et ingressus est Iuda et fratres eius in domum Ioseph, hic enim adhuc ibi erat, et ceciderunt coram eo in terram. 15 *Quibus ille* (pro *ille* in Hebraico et Graeco *Ioseph*) *ait: Cur sic agere voluistis,* in Hebraico (cf. et Graecum): Quale est opus hoc, quod operati estis? *an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia,* LXX multo accuratius *οὐκ οἴδατε ὅτι οἰωνισμῷ οἰωνιεῖται ἄνθρωπος οἷος ἐγώ;* 16 *Cui Iudas: Quid respondebimus, inquit domino meo? vel quid loquemur, aut iuste poterimus obtendere,* LXX accuratius *ἢ τί λαλήσωμεν ἢ τί δικαιωθῶμεν; Deus invenit iniquitatem servorum tuorum: en omnes* (deest *omnes* in Hebraico et Graeco) *servi sumus domini mei, et nos, et apud quem inventus est scyphus.* 17 *Respondit Ioseph* (deest *Ioseph* in Hebraico): *Absit a me ut sic agam: qui furatus est scyphum,* LXX accuratius *ὁ ἄνθρωπος, παρ' ᾧ εὑρέθη τὸ κόνδυ, ipse sit servus meus: vos autem abite liberi* (לְשָׁלוֹם, *μετὰ σωτηρίας*) *ad patrem vestrum.*

Ioseph fratres suos increpat ut fures eosque interrogat, an nesciant sapientem Aegyptium augurando fures invenire

posse (cf. Lapide, Gesenius 875, Dillmann, Hummelauer). Iudas nomine reliquorum respondet (Dillmann), se nulla ratione innocentiam suam probare posse; Deum peccatum contra fratrem commissum (Dillmann) nunc punire, ideoque omnes cum Beniamino in servitute remanere velle. Ioseph repetit id, quod iam dispensator dixerat, se furem dumtaxat retinere, reliquos autem liberos dimittere.

Iudas ante ceteros ad Iosephum ingreditur et nomine eorum loquitur, quia pro Beniamino fidem interposuerat (cf. Hummelauer), quare Wellhausen, Ball, Gunkel, Holzinger in ℣. 16 pro וַיֹּאמֶר יְהוּדָה male scribunt וַיֹּאמְרוּ. — De priore quaestione Iosephi in ℣. 15 conferas pag. 609; sensum alterius supra exposuimus. — Hummelauer, Gunkel, Holzinger negant, verbis *Deus invenit iniquitatem servorum tuorum* (℣. 16) ad peccatum contra Iosephum commissum alludi; at cum fratres furti rei non fuerint, in 42, 21 autem peccatum contra Iosephum commissum iam confessi fuerint, in hoc quoque loco cum Dillmann illud intelligimus. Propterea omnes servi fieri volebant, ut poenas peccati solverent; hac voluntate non solum amorem suum in Beniaminum, verum etiam poenitentiam de peccato contra Iosephum commisso manifestarunt. Gunkel negans, fratres meliores factos fuisse, contextum non bene consideravit. — In ℣. 16 pro מַה Samaritanus et versiones habent וּמַה. — De נִּצְטַדָּק cum ט videas Gesenius-Kautzsch 148. — Pro הָאֱלֹהִים Samaritanus et Graecus וְהָאֱלֹהִים habent.

℣℣. 18—34. Accedens autem propius *Iudas, confidenter ait,* LXX accuratius *ἐγγίσας δὲ αὐτῷ Ἰούδας εἶπεν· Oro domine mi* (cf. pag. 605), *loquatur servus tuus verbum in auribus tuis* (pro *tuis* in Hebraico *domini mei*), *et ne irascaris famulo tuo: tu es enim post Pharaonem* [19] *dominus meus. Interrogasti prius servos tuos:* similiter LXX; in Hebraico tamen sic legimus: et ne ardescat ira tua in servum tuum, nam tu es sicut Pharao. [19]Dominus meus interrogavit servos suos dicens: *Habetis patrem, aut fratrem?* [20] *et nos respondimus tibi* (deest *tibi* in Hebraico et Graeco) *domino meo: Est nobis pater senex, et puer parvulus, qui in senectute illius natus est,* וְיֶלֶד זְקֻנִים קָטָן (cf. pag. 518); *cuius uterinus* (deest *uterinus* in Hebraico et Graeco) *frater mortuus est: et ipsum solum habet mater sua* (in Hebraico: et relictus est ipse solus matri suae), *pater vero tenere* (deest *tenere* in Hebraico et Graeco) *diligit eum.* [21]*Dixistique servis tuis: Adducite eum ad me, et ponam oculos meos super illum:* [22]*Sug-*

gessimus vel potius d i x i m u s a u t e m (Hebraicus et Graecus) *domino meo: Non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum dimiserit* (in Hebraico et Graeco: si autem patrem suum reliquerit), *morietur.* [23]*Et dixisti servis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam.* [24]*Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum* (ita et Samaritanus, Graecus et Syrus; contra Masorethicus habet *meum*), *narravimus ei omnia* (deest *omnia* in Hebraico et Graeco) *quae locutus est dominus meus.* [25]*Et dixit pater noster: Revertimini, et emite nobis parum tritici* vel c i b i (Hebraicus et Graecus). [26]*Cui diximus: Ire non possumus: si frater noster minimus descenderit* (in Hebraico *fuerit*) *nobiscum, proficiscemur simul* (deest *simul* in Hebraico et Graeco): *alioquin illo absente, non audemus videre faciem viri,* in Hebraico et Graeco: nam non possumus videre faciem viri, si frater noster minimus non fuerit nobiscum. [27]*Ad quae ille respondit,* in Hebraico et Graeco: dixit autem servus tuus pater noster (in Hebraico *meus*) ad nos: *Vos scitis quod duos genuerit mihi uxor mea.* [28]*Egressus est unus* a me (Hebraicus et Graecus), *et dixistis: Bestia devoravit eum: et hucusque non comparet,* in Hebraico: et dixi, certe omnino dilaniatus est (cf. pag. 531), et non vidi eum usque nunc. *Si tuleritis et istum* a f a c i e m e a (Hebraicus et Graecus), *et aliquid* (pro *aliquid* in Hebraico et Graeco *damnum*) *ei in via* (deest *in via* in Hebraico) *contigerit, deducetis canos meos cum moerore* (Hebraicus: *in malo*) *ad inferos.* [30]*Igitur si intravero ad servum tuum patrem nostrum* (in Hebraico *meum*), *et puer* n o b i s (Hebraicus et Graecus) *defuerit, (cum anima illius ex huius anima pendeat)* [31]*videritque eum* (pro *eum* in Hebraico et Graeco *puerum*) *non esse nobiscum* (ita et Samaritanus, Graecus aliique; contra Masorethicus *nobiscum* omittit), *morietur, et deducent famuli tui canos eius* (pro *eius* in Hebraico et Graeco *servi tui patris nostri*) *cum dolore ad inferos.* [32]*Ego proprie servus tuus sim qui in meam hunc recepi fidem, et spopondi dicens,* simplicius in Hebraico et Graeco: Nam servus tuus (fide interposita) accepit puerum a patre (LXX; m e o addit Masorethicus, n o s t r o Samaritanus) dicens: *Nisi reduxero eum* a d t e (Hebraicus et Graecus), *peccati reus ero in patrem meum omni tempore.* [33]*Manebo itaque servus tuus pro puero in ministerio* (pro *in ministerio* in

Hebraico et Graeco *servus*) *domini mei, et puer ascendat cum fratribus suis.* [34]*Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero: ne calamitatis, quae oppressura est patrem meum, testis assistam,* in Hebraico et Graeco: Nam quomodo ascendam ad patrem meum, si puer non fuerit nobiscum? ne videam malum, quod obveniet patri meo.

Iudas ut sponsor propius ad Iosephum accedit, humiliter sed simul graviter loquitur atque „omnia colligit, quibus Iosephi commiseratio excitetur: patrem senem, matrem et fratrem defunctum“ (Hummelauer). In fine orationis rogat, ut ipse in servitute retineatur, cum ita fidem servare et patrem iam alioquin afflictum a miseria et morte tueri possit. Recte Gunkel 412 observavit: „Haec descriptio erit summa voluptas legentium, quamdiu Genesis lecta fuerit“; necnon 402: Propter hos similesque tonos vel colores cor commoventes „haec historia modernis plerumque pulcherrima Genesis apparet“.

Iudas propter dignitatem Iosephi valde humiliter loquitur (cf. Dillmann, Hummelauer). — De constructione כְּ . . . כְּ in ℣. 18 videas Gesenius-Kautzsch 509. — Iudas non ad litteram sed ad sensum acta praeterita repetit (cf. Gunkel). — Gunkel et Holzinger in assertione *cuius frater mortuus est* (℣. 20) mendacium vident; sed fratres reapse Iosephum mortuum opinari potuerunt (cf. pag. 590). — Verba in ℣. 21 relata sensu bono pronuntiata fuisse, Iudas e modo collegit, quo Beniamin ab Iosepho tractatus est (Strack[2]; cf. Dillmann et Knobel). — Ad ℣. 28[b] Hummelauer scribit: „Ergo semper foverat spem aliquam Iacob, compariturum rursum esse Ioseph.“ — In ℣. 30 *anima* = vita (cf. lexicon). — In ℣. 34 ante *ne*, פֶּן verbum *vereor* vel *timeo* supplendum est (cf. Gesenius-Kautzsch 490.) — Argumentationem Iudae Hummelauer cum Tostato sic comprehendit: „Innocens non debet puniri; sed Iacob pater eorum in hac causa est innocens: ergo non debet puniri. Sed si teneretur Beniamin, puniretur Iacob“: ergo Beniamin ad Iacobum remittendus est.

C. **45.** **℣℣. 1—3. Non se poterat ultra** (pro *ultra* in Hebraico *autem*; cf. et Graecum) *cohibere Ioseph multis* (pro *multis* in Hebraico et Graeco *cunctis*) *coram astantibus: unde praecepit ut egrederentur cuncti foras, et nullus interesset alienus agnitioni mutuae,* LXX accuratius *ἀλλ' εἶπεν· Ἐξαποστείλατε πάντας ἀπ' ἐμοῦ· καὶ οὐ παριστήκει οὐδεὶς ἔτι τῷ Ἰωσήφ, ἡνίκα ἀνεγνωρίζετο Ἰωσὴφ τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ.* [2]*Elevavitque vocem* suam (Hebraicus) *cum fletu: quam audierunt Aegyptii, omnisque* (pro *omnis-*

que in Hebraico *et audivit*) *domus Pharaonis.* [3]*Et dixit* Ioseph (Hebraicus et Graecus) *fratribus suis: Ego sum Ioseph: adhuc pater meus vivit? Non poterant* autem (Hebraicus, cf. et Graecum) *respondere* ei (Hebraicus et Graecus) *fratres* eius (Hebraicus) *nimio terrore perterriti,* in Hebraico: nam perculsi erant e conspectu eius (LXX *e conspectu eius* omittunt).

Quod Ioseph post orationem fratris tam commoventem (cf. pag. 615) non amplius se cohibere potuerit, non mirum est. Patet quoque, cur Aegyptios foras egredi iusserit: noluit terrorem viderent, quo illud *Ego sum Ioseph* fratres afficere debebat, indeque mala suspicarentur.

Iuxta Gunkel et Holzinger Ioseph Aegyptios emisit, ut solus cum fratribus tractare, patrem ac domum eius clam adducere et Pharaonem ante factum completum (fait accompli) statuere posset. Ex sententia eorum Ioseph putavit, Pharaonem adductionem Iacobi et domus eius non libenter concessurum, sed adductos non eiecturum esse. Quibus suppositis Gunkel et Holzinger inter ℣. 1 et ℣. 2 contradictionem statuunt eosque diversis fontibus ascribunt. Verumtamen, neque usu loquendi neque contextu probare possunt, Iosephum idcirco sine arbitris cum fratribus loqui voluisse, ut cognatos suos clam adducere posset; contextus eam rationem commendat, quam nos attulimus. Deinde valde improbabile est, Pharaonem adductionem cognatorum eius non libenter concessurum fuisse, qui non solum Aegyptiis verum etiam exteris ex abundantia frumenti congregati cibos vendere potuit. Denique cum legibus psychologicis pugnat, Iosephum inscio Pharaone patrem ac domum eius adducere voluisse, ita ut rex ante factum completum statueretur. Quae cum ita sint, ℣. 1 et ℣. 2 non repugnantes sed bene congruentes sunt neque diversis fontibus assignari debent. — De fletu Iosephi videas pag. 424 s. — In ℣. 2 pro מִצְרַיִם Kittel aliique cum LXX πάντες οἱ Αἰγύπτιοι legendum iudicat. Item pro וַיִּשְׁמַע cum Graeco et Syro legit וַיִּשָּׁמַע, καὶ ἀκουστὸν ἐγένετο. — Aegyptii in domo Iosephi habitantes fletum eius immediate audierunt eumque domui Pharaonis nuntiarunt. — Dillmann et sectatores eius quaestionem *adhuc pater meus vivit* omnino superfluam censent, cum Ioseph iuxta 43, 27 s. atque 44, 19—34 patrem adhuc viventem scierit, ideoque alium scriptorem statuunt. At „multo sapientiores Knobel, Delitzsch affirmant, eam quaestionem ita totam Iosephi mentem praeoccupasse, ut usque et usque redierit" (Hummelauer; similiter Hoberg, cf. et Strack[2]). — Bene Lapide: „*Ego sum Ioseph.* Haec vox inopina quasi fulmen, ait Rupertus, perculit fratres eosque attonitos, elingues et quasi amentes reddidit; a formidabili enim potentia Iosephi sceleri suo non nisi mortem meritam expectabant."

℣℣. 4—15. Ad quos ille clementer, in Hebraico: Ioseph autem ad fratres suos: *Accedite, inquit, ad me. Et cum accessissent prope* (deest *prope* in Hebraico), *Ego sum, ait, Ioseph, frater vester, quem vendidistis in Aegyptum.* [5]*Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur,* in Hebraico (cf. et Graecum): et nunc ne doleatis neve exardescat in oculis vestris, *quod vendidistis me in his regionibus* (pro *in his regionibus* in Hebraico et Graeco *huc*): *pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum,* LXX accuratius *εἰς γὰρ ζωὴν ἀπέστειλέν με ὁ θεὸς ἔμπροσθεν ὑμῶν.* [6]*Biennium est enim quod coepit fames esse* (*quod coepit esse* deest in Hebraico et Graeco) *in terra: et adhuc quinque anni restant* vel erunt (Hebraicus), *quibus nec arari poterit nec meti.* [7]*Praemisitque me Deus ut reservemini super terram,* LXX accuratius *ὑπολείπεσθαι ὑμῶν κατάλειμμα ἐπὶ τῆς γῆς, et escas ad vivendum habere possitis,* LXX accuratius *καὶ ἐκθρέψαι ὑμῶν κατάλειψιν μεγάλην.* [8]*Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum,* LXX accuratius *νῦν οὖν οὐχ ὑμεῖς με ἀπεστάλκατε ὧδε, ἀλλ' ἢ ὁ θεός· qui fecit me quasi* (deest *quasi* in Hebraico) *patrem Pharaonis, et dominum universae domus eius, ac principem in omni terra Aegypti.* [9]*Festinate, et ascendite ad patrem meum, et dicetis ei: Haec mandat* vel potius sic dicit (Hebraicus) *filius tuus Ioseph: Deus fecit me dominum universae terrae* (deest *terrae* in Hebraico) *Aegypti: descende ad me, ne moreris,* [10]*et habitabis in terra Gessen* vel Gošen: *erisque iuxta me tu, et filii tui, et filii filiorum tuorum, oves tuae, et armenta tua, et universa quae possides.* [11]*Ibique te pascam (adhuc enim quinque anni residui* [deest *residui* in Hebraico et Graeco] *sunt famis) ne et tu pereas* vel potius egens efficiaris (Hebraicus), *et domus tua, et omnia quae possides.* [12]*En oculi vestri, et oculi fratris mei Beniamin vident quod os meum loquatur ad vos.* [13]*Nunciate* igitur (Hebraicus et Graecus) *patri meo universam gloriam meam* in Aegypto (Hebraicus et Graecus), *et cuncta quae vidistis in Aegypto* (deest *in Aegypto* in Hebraico et Graeco): *festinate, et adducite eum ad me* (pro *eum ad me* in Hebraico et Graeco *patrem meum huc*). [14]*Cumque amplexatus* (deest *amplexatus* in Hebraico et Graeco) *recidisset in collum Beniamin fratris sui, flevit: illo* (pro *illo* in Hebraico es Graeco *Beniamino*) *quoque similiter* (deest *similiter* in Hebraico et Graeco) *flente super*

collum eius. [15]*Osculatusque est Ioseph* (deest *Ioseph* in Hebraico et Graeco) *omnes fratres suos, et ploravit super singulos* (pro *singulos* in Hebraico et Graeco *eos*)*: post quae ausi sunt loqui ad eum*, LXX accuratius *καὶ μετὰ ταῦτα ἐλάλησαν οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ πρὸς αὐτόν.*

Ioseph fratres accedere iubet „animos addens" (Hummelauer cum S. Chrysostomo), repetit ista verba, quibus antea perculsi fuerant (cf. pag. 616), simul tamen eos monet, ne doleant neve irascantur, quod se in Aegyptum vendidissent, cum pro dignitate sua longo famis tempore vitam multorum servare domumque patris ab interitu tueri (℣. 7; Dillmann) possit. „Non tam damnanda est vestra in me iniquitas, quam divinae sapientiae providentia et misericordia praedicanda" (Lapide cum S. Chrysostomo). — *Pater Pharaonis* „dicitur de summo regis consiliario et amico, quem Wesirum . . . hodie appellant Orientales" (Gesenius 7, Buhl aliique; cf. 2 Par. 2, 13; Est. 13, 3. 6; 1 Mach. 11, 32). — Fratres a summo regis consiliario, praefecto domus regiae et principe totius terrae tam familiariter et fraterne tractati usum linguae antea amissum (cf. pag. 616) nunc recuperant.

℣. 4ª in pluribus manuscriptis Graecis deest (cf. Brooke. — De אֲשֶׁר אֹתִי videas Gesenius-Kautzsch 452 s. — Verba *ego sum Ioseph, frater vester, quem vendidistis* acerbam continent accusationem, quam sequentia (℣. 5) statim mitigant — Phrasis *exarsit in oculis* iuxta Gesenium et Fürst saepius „tristitiae potius quam irae affectum", iuxta Buhl vero semper iram designat. Ioseph „internam cuiusque tristitiam et indignationem" excludere voluit (Hummelauer): ne doleatis, inquit, neve exardescat in oculis vestris (cf. pag. 101). — Providentia divina eum, quem fratres morti tradere volebant (cf. pag. 524) quemque iam mortuum credebant (cf. pag. 590), ad servandam vitam eorum et aliorum multorum praedestinavit. „Neque Deus omnipotens . . . ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo" (S. Augustinus, Ench., n. 11). — Gunkel asserit, sensum religiosum, iuxta quem Deus in abscondito res naturales ita gubernat, ut finibus divinis serviant, esse modernum: iuxta antiquum sensum religiosum Deum sensibiliter apparere et miracula patrare. Verumtamen, sensus religiosus, quo apparitio Dei et miracula creduntur, etiam in libris recentioribus; sensus religiosus, quo providentia divina creditur, iam in antiquissimo libro Genesis (relegas introductionem) exhibetur: ergo certe antiquus est. — Ioseph in ℣. 6 quinque annos famis praedicit, quin praedictionem suam probet,

quia ad viros loquitur, qui eum prophetam esse cognoverunt (cf. Gunkel).— Ad sententiam *nec arari poterit nec meti* Lapide addit: „nisi tantum in paucis agris Nilo adiacentibus". — In V. 7 pro לִפְלֵיטָה Ball, Kittel, Gesenius-Kautzsch 369 cum Samaritano et Graeco פְּלֵיטָה emendant Hoberg et Strack[2] lectionem Masorethicam retinent et ל obiecti accipiunt, quod non solum in recentioribus, verum etiam nonnumquam in antiquioribus libris occurrit (cf. Buhl 335); obstare autem videtur lectioni, quod הֶחֱיָה alioquin cum accusativo construitur (Dillmann; cf. Buhl 203): nullo modo cogimur, ut ℣. 7ᵇ alii fonti ascribamus, quem Dillmann dubius cogitavit. — Strack[2] 157 s. cum Brugsch notat, in lingua Aegyptiaca quoque nomina *ab* et *adon* gradus dignitatis denotare, dubitat vero utrum hagiographus nomina Aegyptiaca in mente habuerit necne. — Festinantes patrem adducere debuerunt (℣. 9), quia Ioseph desiderio eius flagrabat (Gunkel).

Gessen, *Γέσεμ Ἀραβίας*, גֹּשֶׁן, inter Heliopolim, ostium Nili Taniticum, lacum Menzaleh et lacus orientales erat. Gesenius ex Iosepho (Arch., II, 7, § 6) colligit, eum Heliopolim Gosenitidi accensuisse (cf. et Wiedemann-Guthe, Bibelwörterbuch 224); Dillmann autem ex Ex. 2, 3 ss. et Num. 11, 5 infert, Iudaeos ad Nilum et quidem in orientali ripa habitasse, cum egredientes de Aegypto flumen traiecisse non narrentur; Alexandrini interpretes demum, in rebus Aegyptiacis fide dignissimi, *Γέσεμ Ἀραβίας* vertunt itaque indicant, terram Gessen usque ad lacus orientales se extendisse (cf. Gesenium, Dillmann, Gunkel, Strack[2]). Iuxta Wiedemann (Geschichte von Alt-Ägypten 128) Gosen adhuc regnante Seti I. ad dynastiam XIX pertinente (cf. pag. 227) nondum ad Aegyptum sensu stricto numerabatur. Urbs principalis terrae *Gessen* (aeg. *Kesem* vel *Kes*) erat *Phacusa*, aeg. *pa—Sept*, nunc *Saft el Ḥennā* (cf. Wiedemann-Guthe l. c.; Dillmann). — Hommel (Altisraelitische Überlieferung 226 ss.) putat, nomen גֹּשֶׁן apud Hebraeos istam partem Aegypti simulque confinem partem Idumaeae et Iuda (cf. Ios. 10, 41; 11, 16; 15, 51) designasse; melius tamen Hoberg cum Dillmann aliisque Gosen Aegyptiam a Gosen regione „in montanis tribus Iuda" sitam (Gesenius 308) distinguit.

Ad ℣. 11 Hummelauer cum Tostato scribit: „Haec mandat, quibus permoveat Iacob, ut Chanaanitide patriarchis promissa egrediatur." In ℣. 12 autem iuxta eundem Hummelauer „non fratribus suppetit argumentum, sed patri . . .; pater sciscitari poterat, an, quem afferrent, nuntius, reapse a Ioseph esset profectus. Cui responsuri erant fratres, non agi de rebus incerto rumore ad ipsos delatis, sed Iosephum a se et oculis conspectum et auribus auditum esse". Beniamin diserte nominatur, quia testimonium eius apud patrem multum valebat (cf. Strack[2]). — Versum 13, „quod idem dicat atque ℣. 9, Dillmann diverso tribuit auctori: sed quis miretur Iosephum illud, quod omnium maxime cordi haberet, inculcare bis"? His verbis Hummelaueri recte Hoberg adiungit:

„Quo iure exegeta saeculi XIX Iosepho praescribit, quomodo loqui debuisset?“ — Amplexus et oscula feruntur, postquam animi fratrum praeparati sunt (Dillmann).

℣℣. 16—20. **Auditumque est,** *et celebri sermone vulgatum in aula regis,* LXX multo accuratius *καὶ διεβοήθη ἡ φωνὴ εἰς τὸν οἶκον Φαραὼ λέγοντες. Venerunt fratres Ioseph: et gavisus est Pharao, atque omnis familia eius,* in Hebraico: et bonum fuit in oculis Pharaonis et in oculis servorum eius. [17]*Dixitque* Pharao (Hebraicus et Graecus) *ad Ioseph, ut imperaret fratribus suis, dicens* (pro *dicens* in Hebraico et Graeco *hoc facite*): *Onerantes iumenta* vestra (Hebraicus et Graecus), *ite in terram Chanaan,* [18]*et tollite inde* (deest *inde* in Hebraico et Graeco) *patrem vestrum et cognationem* vel potius et familias vestras, בָּתֵּיכֶם, *et venite ad me: et ego dabo vobis omnia* (deest *omnia* in Hebraico) *bona* terrae (Hebraicus) *Aegypti, ut comedatis medullam* vel pinguedinem, חֵלֶב i. e. optimos fructus (cf. pag. 101) *terrae.* [19]*Praecipe etiam ut* hoc faciant (Hebraicus) *tollant plaustra de terra Aegypti, ad subvectionem parvulorum suorum ac coniugum* (in Hebraico et Graeco: pro parvulis vestris et pro uxoribus vestris): *et dicito* (deest in Hebraico et Graeco): *Tollite patrem vestrum,* i. e. imponite eum in plaustrum (cf. Strack[2]) *et properate quantocyus venientes* (loco ultimorum 4 verborum in Hebraico et Graeco simpliciter *et venite*). [20]*Nec dimittatis quidquam de supellectili vestra,* in Hebraico (cf. et Graecum): et oculus vester ne misereatur supellectilis vestrae: *quia omnes opes Aegypti, vestrae erunt* (in Hebraico: nam bona totius terrae Aegypti vobis erunt).

Hagiographus iam in ℣. 2 notaverat, fletum Iosephi domui Pharaonis nuntiatum; in ℣. 16 autem refert, etiam causam istius fletus, scil. adventum fratrum, eidem indicatam esse. Rex et ministri eius de nuntio gavisi sunt, quia Iosephum magni faciebant (Dillmann, Strack[2]). Quod Pharao tempore famis patrem et fratres Iosephi cum familiis eorum e Chanaan in Aegyptum deducere voluerit et in hac causa cum consilio Iosephi (cf. pag. 616) convenerit, non admirabile sed valde naturale est.

In ℣. 17 וּלְכוּ־בֹאוּ = abite et venite; sed בֹּאוּ in LXX et Vulgata deest, ideoque forsitan omittendum est (cf. Ball et Holzinger). — Secundum

Hummelauer Ioseph ad Pharaonem „ingressus rem videtur exposuisse“. — Dillmann cum Knobel putat, Pharaonem non pro longiore tempore patri et fratribus Iosephi habitationem et cibum concedere voluisse, quae opinio parum probabilis apparet, si ea consideramus, quae Ioseph pro Pharaone et regno eius faciebat. Hummelauer e contrario scribit: „Rex *Pastor* Semitas opulentos libenter in inferiorem regionem recipiebat. Sane Ioseph ℣. 10 terram Gessen non promisisset, nisi scivisset Pharaonis mentem eam esse, ut ille tractus colonis Semitis permitteretur.“ — Ad וְאַתָּה צֻוֵּיתָה = *et tu iussus es* Hummelauer scribit: „Sapienter supplet Syrus *dicere fratribus tuis;* sed id minime in textu primitus legi necesse fuit, e genio quippe linguae hebr. eiusmodi facile subintelligitur.“ Melius tamen Kittel iuxta LXX *(σὺ δὲ ἔντειλαι)* et Vulgatam וְאַתָּה צַוֵּה אֹתָם emendat. — עֲגָלָה est currus, speciatim plaustrum (Gesenius); conferas pag. 579. — In Palaestina viri sani iter pedibus conficiebant; debiles et senes, mulieres et parvuli autem asinis vel camelis vehebantur; Pharao voluit, ut uxores et parvuli necnon pater senex in plaustra imponerentur (cf. Strack[2]). — Idem Strack[2] cum aliis affirmat, versum 19 esse repetitionem partialem versuum 17 et 18, ideoque alii fonti eum assignat. Attamen, versus 19 non est repetitio versuum 17 et 18. In ℣. 17 fratres iumenta frumento onerata in Chanaan reducere, in ℣. 19ᵃ etiam plaustra Aegyptia tollere iubentur; in 18 patrem et familias suas in Aegyptum deducere, in ℣. 19ᵇ eos in plaustra imponere iubentur. In ℣. 19 Pharao plus concedit, quam in ℣℣. 17 et 18 concesserat. — ℣. 20 in Hebraico hunc habet sensum: „ne doleatis supellectilem relinquendam“ (Gesenius 455 aliique recentiores) i. e. relinquatis seu dimittatis eam in Chanaan, quia in Aegypto artium studiosa supellectilem accipietis (Dillmann); iuxta Vulgatam vero etiam supellectilem secum sumere debuerunt: *Nec dimittatis quidquam de supellectili vestra.* Hoberg sensum textus Hebraici in Vulgata libere quidem sed recte redditum censet; at verba *nec dimittatis* contrarium docent, si iuxta communem usum loquendi intelligantur (cf. Georges). Sixtina habet *demittatis* (cf. epilog. crit. meae editionis Bibliae Sacrae 109*), quae lectio sensum textus Hebraici recte reddit, sed omnia manuscripta Latina contrariam habent (cf. Vercellone, Variae Lectiones, I, 159 s.). Vercellone l. c. notat, „duo verba *dimittere* et *demittere* ex amanuensium incuria promiscue usurpata fuisse“; putat quoque, S. Hieronymum verbo *dimittendi* significationem parcendi subiecisse.

℣℣. 21—24. **Feceruntque filii Israel** *ut eis mandatum fuerat* (loco ultimorum 4 verborum in Hebraico et Graeco simpliciter *ita*). *Quibus dedit Ioseph plaustra, secundum Pharaonis imperium: et* dedit eis (Hebraicus et Graecus) *cibaria in* vel pro (Hebraicus et Graecus) *itinere.* [22]*Singulis quoque proferri iussit binas stolas,* in Hebraico: omnibus eis dedit cuilibet

mutandas vestes: *Beniamin vero dedit trecentos argenteos* i. e. ca. 720 *M.* (cf. pag. 310s. 339. 529) *cum quinque stolis optimis,* in Hebraico et Graeco: et quinque mutandas vestes: 23 *tantumdem pecuniae et vestium mittens patri suo, addens et asinos decem, qui subveherent ex omnibus divitiis Aegypti: et totidem asinas, triticum in itinere, panesque portantes*, in Hebraico: et patri suo misit secundum haec: decem asinos portantes e bonis Aegypti et decem asinas portantes frumentum et panem et cibum pro patre suo pro itinere. 24 *Dimisit ergo fratres suos, et proficiscentibus ait: Ne irascamini* vel commoveamini *in via.*

„Vestes mutatoriae ab Hebraeis vocantur pulchrae et praestantes, quales in festis induimus, quando quotidianas viliores cum honestioribus commutamus" (Lapide; similiter Dillmann, Gunkel, Strack[2]). Illud *ne irascamini* vel commoveamini *in via* Lapide, Dillmann, Hoberg, Strack[2] cum S. Chrysostomo sic interpretantur: „Ne rixemini, scilicet alter in alterum crimen in me admissum intorquentes et improperantes, sicut paulo ante facere coeperat Ruben dicens: Numquid non dixi vobis" etc. (Lapide).

חֲלִפוֹת שְׂמָלֹת = mutationes vestium, i. e. vestes mutandae (Gesenius 481): vestes quae loco communium indui possunt. Cuilibet fratri Ioseph tot vestimenta (Kleidungsstücke) dedit, quot ad unum vestitum completum necessaria erant; Beniamino autem quinque (videas supra) vestitus; completos dedit (cf. Dillmann). Secundum Vulgatam Ioseph cuilibet fratri *binas* stolas, Beniamino autem quinque stolas *optimas* dedisset at S. Hieronymus ut alibi, hic quoque textum Hebraicum non accurate vertit (cf. Hoberg), idem vocabulum חֲלִפוֹת *mutationes* mox *binas* mox *optimas* reddens. — Iuxta textum Hebraicum versus 23 Ioseph patri suo 10 asinos et 10 asinas bona et cibaria portantes misit; iuxta Latinum autem, quocum Graecus et Syrus conveniunt, insuper 5 vestitus completos atque 300 siclos addidit. Nos textum Graecum, Latinum et Syrum probabiliorem iudicamus eo magis quod cum illo Hebraicus quoque conciliari possit (cf. Holzinger). — In Ꝟ. 23b pro Hebraico *portantes frumentum et panem et cibum* Graecus simpliciter *αἰρούσας ἄρτους* habet: מָזוֹן *cibus* in libris recentioribus dumtaxat occurrit et glossa videtur (Dillmann, Strack[2]), quia in Latino quoque deest. — Commoveri, רָגַז, quis potest rixa, ira, invidia, dolore, timore. Contextus verbum de rixa vel ira accipiendum suadet (videas supra). Delitzsch, Hummelauer, Holzinger de invidia erga Beniaminum magis honoratum, Gunkel de timore ab Iosepho olim vendito intelligunt.

℣℣. 25—28. **Qui ascendentes ex Aegypto,** *venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Iacob.* [26]*Et nunciaverunt ei, dicentes: Ioseph filius tuus* (pro *filius tuus* in Hebraico *adhuc*) *vivit: et ipse dominatur in omni terra Aegypti. Quo audito Iacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis,* loco ultimorum 12 verborum in Hebraico (cf. et Graecum) sic legimus: sed frigebat cor eius, quia non credebat eis. [27]*Illi econtra referebant omnem ordinem rei,* LXX multo accuratius ἐλάλησαν δὲ αὐτῷ πάντα τὰ ῥηθέντα ὑπὸ Ἰωσὴφ ὅσα εἶπεν αὐτοῖς. *Cumque vidisset plaustra, et universa* (deest *et universa* in Hebraico et Graeco) *quae miserat* Ioseph ut tolleret eum (Hebraicus et Graecus), *revixit spiritus eius* (pro *eius* in Hebraico et Graeco *Iacobi patris eorum*), [28]*et ait* Israel (Hebraicus et Graecus): *Sufficit mihi* (deest *mihi* in Hebraico et Graeco) *si adhuc Ioseph filius meus vivit: vadam, et videbo illum antequam moriar.*

Iacob nuntium laetissimum audiens animo frigebat, i. e. „laetitia non incalescebat“ (Gesenius 1093), quia filiis suis non credebat rem quasi incredibilem (cf. pag. 590). Postquam autem sermones Iosephi audivit, plaustra Aegyptia et munera vidit itaque nuntium verum esse cognovit, revixit spiritus eius gaudio atque desiderio. Quod Ioseph adhuc *vivit,* patri sufficit; quod *dominatur in omni terra Aegypti,* non attendit (Dillmann, Gunkel, Strack[2]).

Lapide ℣. 26 sic explicat: „*Cor eius elanguit,* id est tantam consolationem accepit, ut prae laetitia et admiratione cor pene deficeret, vitalis spiritus cessaret, itaque quasi in deliquium animi incideret.“ Similiter Holzinger (cf. et Dillmann). At verba sequentia *quia non credebat eis* nostram confirmant explicationem.

A 42, 1 usque 45, 28 duo adventus fratrum Iosephi in Aegyptum narrantur: prior (42, 1—38) et alter (43, 1—45, 28). Quaedam res in utroque adventu recurrunt, e. g. quod Ioseph in ore saccorum pecuniam posuerit et fratrem retinere voluerit. Gunkel 396s. asserit, in fabula originali unum dumtaxat adventum narratum fuisse, sed procedente tempore eum in duos distributum esse. Pro qua assertione duo argumenta affert, videlicet: unum adventum pro ordine et exitu historiae sufficientem fuisse, et in narratione utriusque adventus communes res quasdam inveniri (cf. supra). Quibus reponimus:

primo, Ioseph fratres suos non tantum punire (ut Gunkel supponit), sed etiam examinare et investigare voluit, utrum mores suos emendaverint necne. Ad talem vero investigationem unum tentamen omnino insufficiens esse, quilibet concedere debet, qui populos orientales cognoscit. Secundo, in utraque narratione non solum paucae similitudines, verum etiam plurimae dissimilitudines inveniuntur. In adventu priore Beniamin defuit, in altero affuit; in priore Ioseph fratres dure tractavit, in altero ad mensam eos invitavit; in priore omnes in carcerem misit, quod in altero non fecit; in priore reapse Simeonem ligavit, in altero Beniaminum servum retinere volebat; in priore pecuniam tantum in ore sacci posuit, in altero scyphum quoque; in priore fratres 9 cum pecunia in Chanaan reverti permisit, in altero per dispensatorem fratres 11 insecutus est; in priore profectio in Aegyptum ac reditio ad patrem alia fuit atque in altero. — Quae cum ita sint, sic concludimus: si Gunkel ob paucas istas similitudines duas narrationes originaliter unam fuisse dicit, nos ob plurimas istas dissimilitudines meliore iure duas narrationes iam originaliter duas fuisse affirmamus.

Gunkel 413 cum aliis in cap. 45 duplicem relationem (doppelten Faden) invenit. Etenim iuxta ℣. 1 Ioseph Aegyptios celavit adesse fratres suos; iuxta ℣℣. 2 et 16 autem Aegyptiis ac Pharaoni notum factum est. Bis dicit *Ego sum Ioseph* (℣. 3^a et ℣. 4^b); bis mandat, ut fratres patri gloriam suam enarrent (℣. 9 et ℣. 13); bis praecipitur, ut Iacobum in Aegyptum deducant (℣. 13 et ℣. 18s.). In ℣. 10 prius legimus, Iacobum in Gessen, deinde autem eum iuxta Iosephum, ergo circa regiam habitasse; in una relatione plaustra (℣℣. 19 et 27) in altera asini (℣℣. 17 et 23) commemorantur. — His assertionibus opponimus: iuxta ℣. 1 Iosephum adventum fratrum suorum Aegyptios celare voluisse, omnino falsum est (cf. pag. 616), ergo ℣. 1 non ad alium fontem pertinet ac ℣. 2. Quod Ioseph bis se illum esse dixerit, quem fratres mortuum crediderant, nequaquam duplicem fontem indicat, sed valde naturale est; audientes primum *Ego sum Ioseph* tanto terrore perculsi sunt, ut loqui nequirent: propterea Ioseph a metu respirantibus et se recipientibus repetiit, semetipsum revera esse fratrem olim venditum (cf. pag. 618). In casibus similibus nunc quoque ab eodem loquente eadem verba bis vel ter pronuntiantur, ut experentia testatur. Si Ioseph patri suo non solum nuntiavit, se primum ministrum Pharaonis esse (℣. 9), sed etiam voluit, ut fratres ei gloriam suam enarrarent (℣. 13), ratio manifesta est: res incredibilis videbatur (cf. pag. 590) ideoque per testes oculares confirmanda

erat. Nostris quoque diebus servus inopinato ad gradum ministri elevatus idem faceret, quin ullus duplicem relationem odoraretur. Bis utique praecipitur, ut Iacob in Aegyptum deducatur, sed a diversis personis: in ℣. 13 ab Iosepho, in ℣. 18s. a Pharaone. Ex quo principio logico autem idem praeceptum bis quidem, sed a diversis personis datum duas relationes indicat? In eodem ℣. 10 scriptorem sibi ita contrarium fuisse, ut Gunkel supponit, iam a priore improbabilissimum est. Reapse verba *erisque iuxta me* non significant, Iacobum circa regiam habitasse; hoc verba immediate sequentia *et filii tui, et filii filiorum tuorum, oves tuae, et armenta tua* necessarie comprobant, *quia detestantur Aegyptii omnes pastores ovium* (cf. 46, 34). Iacob iuxta Iosephum habitavit, licet in Gessen esset. Denique in ℣℣. 19 et 27 utique plaustra, in ℣℣. 17 et 23 autem asini et asinae commemorantur, verum etiam diversus finis eorum indicatur, quare ad eandem relationem pertinere possunt et non duas postulant. — Gunkel confitetur, distinctionem duarum relationum a se inventarum valde difficilem esse; lubentissime credo: relationes in phantasia dumtaxat, non vero in obiectivitate existentes, obiective distingui nequeunt.

Iacob in Aegypto, 46, 1—50, 14.

C. **46.** ℣℣. **1—4. Profectusque Israel** ab Hebron (cf. pag. 506. 523) *cum omnibus quae habebat, venit ad Puteum iuramenti,* בְּאֵרָה שָׁבַע (cf. pag. 317 s.). *et mactatis ibi* (deest *ibi* in Hebraico) *victimis Deo patris sui Isaac,* [2] *audivit eum per visionem noctis vocantem se, et dicentem sibi,* LXX accuratius *εἶπεν δὲ ὁ θεὸς Ἰσραὴλ ἐν ὁράματι τῆς νυκτὸς εἴπας· Iacob, Iacob. Cui respondit: Ecce adsum.* [3]*Ait illi Deus* (deest *illi Deus* in Hebraico et Graeco): *Ego sum fortissimus* (pro *fortissimus* in Hebraico הָאֵל, in Graeco deest) *Deus patris tui: noli timere, descende in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi.* [4]*Ego descendam tecum illuc* (pro *illuc* in Hebraico et Graeco *in Aegyptum*), *et ego inde adducam te revertentem* (in Hebraico: et ego certo etiam reducam te): *Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.*

In Bersabee, ubi Isaac altare aedificaverat (cf. pag. 391), Iacob sacrificium obtulit pro beneficiis acceptis gratias agens et de itinere voluntatem Dei investigans (Hummelauer cum antiquioribus; similiter Dillmann). Et Deus qui prohibuerat, quominus Isaac in Aegyptum descenderet (cf. pag. 385), Iacobo mandavit, ut terram sibi et semini suo promissam (cf. pag. 415. 500) relinqueret et in Aegyptum descenderet, unde posteri eius multiplicati (cf. pag. 411. 415. 499) in terram promissam

reducendi essent (cf. pag. 261 ss.); ipsum quidem in Aegypto mori debere, praesente tamen filio dilectissimo. Illud *Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos* significat: „Ioseph tibi morienti oculos claudet, ac consequenter relinques illic Ioseph superstitem. Hinc patet priscus Hebraeorum mos, quo charissimi charissimis suis morientibus oculos claudebant. Idipsum postea imitati sunt Graeci et Romani" (Lapide; similiter Dillmann aliique recentiores).

Quare Iacob sacrificavit? Secundum Gunkel, ut a Deo edoceretur; secundum Holzinger, ut pro salute Iosephi gratias ageret. Nos ex utraque ratione Iacobum sacrificasse diximus; si quis unam dumtaxat admittere voluerit, ob contextum proximum (cf. ℣. 2 ss.) priorem eligat. — Deum *Isaac* consuluit, quia Isaac quoque in Aegyptum descendere volebat, sed a Deo prohibitus est. — מַרְאֹת in ℣. 2 est pluralis intensivus (Gesenius-Kautzsch 403). — Quid Iacob timuit? Gunkel putat, eum timuisse, ne Ioseph fratribus adhuc irasceretur, quod cum antecedentibus non congruit; melius Lapide censet, eum timuisse, „ne in Aegypto sedes figerent sui posteri, quibus a Deo promissa erat Chananaea, itaque Dei promissa irritarent Deumque offenderent". — Cum promissione *Ego descendam tecum illuc, et ego inde adducam te* conferas aliam *ero custos tuus quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc* (pag. 415). — *Adducam te,* i. e. „te mortuum, tuos vero posteros vivos" (Lapide); Gunkel reductionem cadaveris, Dillmann aliique populi Israel intelligunt, quae altera sententia probabilior videtur (cf. Gen. 15, 14; Ex. 3, 8; 6, 8 etc.). — Dillmann bene notat, Deum per revelationem Abrahae mandasse, ut in terram Chanaan ingrederetur (12, 1 ss.); iterumque per revelationem Iacobo dixisse, ut ex ea egrederetur. — De nominibus *Israel* et *Iacob* hic simul positis videas introductionem.

℣℣. 5—7. **Surrexit autem Iacob** *a Puteo iuramenti: tuleruntque eum* (pro *eum* in Hebraico similiterque Graeco *Iacobum patrem suum*) *filii* Israel (Hebraicus et Graecus) *cum parvulis* suis (Hebraicus) *et uxoribus suis in plaustris quae miserat Pharao ad portandum senem* (pro *senem* in Hebraico et Graeco *eum*), [6] *et omnia quae possederat in Terra Chanaan,* in Hebraico (cf. et Graecum): et sumpserunt gregem suum, מִקְנֵיהֶם (cf. pag. 234), et possessionem suam quam acquisierant in terra Chanaan: *venitque in Aegyptum* Iacob (Hebraicus et Graecus) *cum omni semine suo* vel potius et omne semen eius cum eo (Hebraicus et Graecus), [7] *filii eius, et nepotes, filiae, et cuncta simul progenies,* LXX multo accuratius *υἱοὶ καὶ οἱ υἱοὶ τῶν υἱῶν*

αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ, θυγατέρες καὶ θυγατέρες τῶν υἱῶν αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ· καὶ πᾶν τὸ σπέρμα αὐτοῦ ἤγαγεν εἰς Αἴγυπτον. Postquam Iacob oraculo divino didicit, invitationem Iosephi et Pharaonis cum voluntate Dei patris sui Isaac convenire, cum tota familia sua in Aegyptum descendit. Si Deus descensum in Aegyptum prohibuisset, etiam Iacob ut Isaac (cf. pag. 385 s.) in terra a Deo assignata mansisset et per filios suos ex Aegypto sibi frumentum acquisisset.

Dillmann 434, Gunkel 418 aliique putant, iuxta ℣. 5 Iacobum hucusque in Bersabee, non in Hebron habitasse. Verumtamen, verba versum 5—7 hoc tantum indicant, Iacobum post petitum et acceptum oraculum divinum, non antea, invitatione et plaustris Pharaonis usum esse itaque fecisse, ut Ioseph et Pharao dixerant. — Supra (pag. 563) Hummelauerum citavi asserentem, Iacobo „servos plurimos" fuisse: hos omnes cum mulieribus et parvulis secum in Aegyptum deduxit. Idem Hummelauer 569 scribit: „Eos, qui se agmini iunxerunt, Iac. Edess. coniicit fuisse multa millia." Certo iam Abraham 318 expeditos servos vernaculos habuit (pag. 244 s.) et Esau fratri suo cum 400 viris fortibus obviam venit (pag. 478), e quibus numeris ad numerum servorum et ancillarum Iacobi filiorumque eius concludere possumus.

℣℣. 8—15. **Haec sunt autem nomina** *filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum, ipse cum liberis suis,* LXX accuratius *Ἰακὼβ καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ. Primogenitus* Iacobi (Hebraicus et Graecus) *Ruben.* [9] *Filii* autem (Hebraicus et Graecus) *Ruben: Henoch,* חֲנוֹךְ, *et Phallu,* וּפַלּוּא, *καὶ Φαλλούδ, et Hesron,* וְחֶצְרֹן (ca. 60 manusc. et Samaritanus וְ omittunt), *Ἀσρών, et Charmi,* וְכַרְמִי. [10] *Filii* autem (Hebraicus et Graecus) *Simeon: Iamuel,* יְמוּאֵל *Ἰεμουήλ, et Iamin,* וְיָמִין, *et Ahod,* וְאֹהַד, *καὶ Ἀώδ, et Iachin,* וְיָכִין, *καὶ Ἰαχείμ, et Sohar,* וְצֹחַר, *καὶ Σάαρ, et Saul,* וְשָׁאוּל, *καὶ Σαμουήλ, filius Chanaanitidis.* [11] *Filii* autem (Hebraicus et Graecus) *Levi: Gerson,* גֵּרְשׁוֹן, *et Caath,* קְהָת (ca. 60 manusc. ו praemittunt), *Καάθ, et Merari,* וּמְרָרִי. [12] *Filii* autem (Hebraicus et Graecus) *Iuda: Her,* עֵר, *et Onan,* וְאוֹנָן, *καὶ Αὐνάν, et Sela,* וְשֵׁלָה, *καὶ Σηλώμ, et Phares,* וָפֶרֶץ, *et Zara,* וָזָרַח. *mortui sunt autem Her et Onan in terra Chanaan. Natique* (deest *Nati* in Hebraico et Graeco) *sunt filii Phares: Hesron,* חֶצְרֹן, *Ἀσρώμ, et Hamul,* וְחָמוּל, *καὶ Ἰεμουήλ.* [13] *Filii* autem (Hebraicus et Graecus) *Issachar: Thola,* תּוֹלָע, *Θωλά, et Phua,* וּפֻוָּה, *καὶ Φουά, et Iob,* וְיוֹב, *καὶ Ἰασούφ* (= וְיָשׁוּב, Samaritanus),

et Semron, וְשִׁמְרֹן, *καὶ Ζαμβράμ.* [14]*Filii* autem (Hebraicus et Graecus) *Zabulon: Sared,* סֶרֶד, *Σέρεδ, et Elon,* וְאֵלוֹן, *καὶ Ἀσρών, et Iahelel,* וְיַחְלְאֵל, *καὶ Ἀλοήλ.* [15]*Hi filii Liae quos genuit* Iacobo (Hebraicus et Graecus) *in Mesopotamia Syriae,* בְּפַדַּן אֲרָם (cf. pag. 375 s.), *cum Dina filia sua. omnes animae filiorum eius et filiarum* eius (Hebraicus), *triginta tres.*

Lia Iacobo in Mesopotamia 6 filios et 1 filiam genuit (cf. pag. 505 s.) = liberos 7. — Filii Ruben: Henoch, Phallu, Hesron, Charmi = 4. — Filii Simeon: Iamuel, Iamin, Ahod, Iachin, Sohar, Saul = 6. — Filii Levi: Gerson, Caath, Merari = 3. — Filii Iuda: *Her et Onan (mortui in Chanaan),* Sela, Phares *(cuius filii: Hesron et Hamul),* Zara; ergo filii 5 et nepotes 2 = 7. — Filii Issachar: Thola, Phua, Iob, Semron = 4. — Filii Zabulon: Sared, Elon, Iahelel = 3. — Ergo omnes posteri Liae: 7 + 4 + 6 + 3 + 7 + 4 + 3 = *34,* sed in ℣. 15ᵇ numerantur *33.*

Filii Ruben in Ex. 6, 14; Num. 26, 5 s.; 1 Par. 5, 3 iidem recensentur (Vulgata in 1 Par. 5, 3 *E*noch, Phallu, *E*ron, *C*armi scriptum habet). — Filii Simeon in Ex. 6, 15 etiam iidem recensentur (sed Vulgata *Soar* scriptum habet); in Num. 26, 12 autem: *N*amuel, Iamin, Iachin, *Zare,* Saul; in 1 Par. 4, 24 demum: *N*amuel, Iamin, *Iarib, Zara,* Saul. In duobus his indicibus igitur *Ahod* omissus est (quem Kittel et in Gen. fortasse delendum censet), et nomina alia occurrunt. — Filii Levi in Ex. 6, 16; Num. 26, 57; 1 Par. 6, 1 iidem enumerantur. — Filii Iuda quoque in Num. 26, 19—21 et 1 Par. 2, 3—5 iidem enumerantur; in 1 Par. 4, 1 etiam alii filii Iuda sensu latiore, i. e. posteri nominantur.— Filii Issachar in Num. 26, 23 s. et 1 Par. 7, 1 eodem ordine inveniuntur; at tertius non *Iob* sed *Iasub* nominatur, quae lectio iuxta Kittel et in Gen. cum Samaritano et Graeco ponenda est. (Vulgata in Gen. 46, 13 *Semron* in Num. 26, 24 *Semran,* in 1 Par. 7, 1 *Simeron* impressum exhibet — pro eodem nomine שִׁמְרֹן.) — Filii Zabulon in Num. 26, 26 iidem exhibentur (Vulgata habet *Ialel* pro *Iahelel* = יַחְלְאֵל). — Si inter filios Simeonis *Ahod* deleatur (videas supra), reapse *33* posteri Liae remanent.

Sententia Ἰακὼβ καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ iuxta Dillmann et Gunkel originaliter in ℣. 8 deerat; reapse non bene ad contextum grammaticum quadrat atque etiam sequentibus contraria est, in quibus *filii* Israel numerantur, non vero ipse *Iacob* quoque, quod ista sententia innuit (Holzinger 221, Strack² 161, qui sententiam genuinam retinent). — Iidem Dillmann et Gunkel etiam sententiam *mortui sunt autem Her et Onan in terra Chanaan* versui 12 serius insertam dicunt indeque concludunt, iuxta

Gen. 46, 12 Her et Onan non in Chanaan mortuos esse, ut Gen. 38, 7—10 narratur, sed cum Iacobo in Aegyptum venisse. Holzinger 220 tamen recte negat, istam sententiam serius adiectam fuisse, quia in Num. 26, 19 quoque legitur. Ergo inter Gen. 38, 7—10 et Gen. 46, 12 nulla adest contradictio. — In Ѷ. 15 verba *cum Dina filia sua* necnon *et filiarum eius* Dillmann, Gunkel, Holzinger originaliter defuisse censent, eo quod iuxta Ѷ. 8 *filii* tantum enumerandi essent. Hummelauer pag. 570 voces *et filiarum* mendose irrepsisse asserit, at pag. 573 ex eis concludit. — Verba *quos genuit Iacobo in Mesopotamia Syriae* ad filios dumtaxat Liae, non vero ad nepotes eius spectare, ex antecedentibus (cf. pag. 505 s. 538 ss. 547 ss.) manifestum est, quare Hummelauer in eis immerito difficultatem videt.

ѶѶ. **16—18. Filii Gad** autem (Hebraicus es Graecus): *Sephion,* צִפְיוֹן, *Σαφών* (= צִפוֹן, Samaritanus), *et Haggi,* וְחַגִּי, *καὶ Ἀγγείς, et Suni,* שׁוּנִי (Samaritanus וְ praemittit), *καὶ Σαυνίς, et Esebon,* וְאֶצְבֹּן, *καὶ Θασοβάν, et Heri,* עֵרִי, *καὶ Ἀηδίς, et Arodi,* וַאֲרוֹדִי, *καὶ Ἀροηδίς, et Areli,* וְאַרְאֵלִי, *καὶ Ἀροηλείς.* 17 *Filii* autem (Hebraicus et Graecus) *Aser: Iamne,* יִמְנָה, *Ἰεμνά, et Iesua,* וְיִשְׁוָה, *καὶ Ἰεσσαί, et Iessui,* וְיִשְׁוִי, *καὶ Ἰεούλ, et Beria,* וּבְרִיעָה, *καὶ Βαριά, Sara quoque,* וְשֶׂרַח, *καὶ Σάαρ, soror eorum. Filii* autem (Hebraicus et Graecus) *Beria: Heber,* חֶבֶר, *Χόβωρ, et Melchiel,* וּמַלְכִּיאֵל, *καὶ Μελχιήλ.* 18 *hi filii Zelphae, quam dedit Laban Liae filiae suae. et hos genuit Iacob* (LXX clarius *τῷ Ἰακώβ*) *sedecim animas.*

Zelpha, ancilla Liae, Iacobo Gad et Aser genuit (cf. pag. 506) = filios 2. — Filii Gad: Sephion, Haggi, Suni, Esebon, Heri, Arodi, Areli = 7. — Filii Aser: Iamne, Iesua, Iessui, Beria *(cuius filii: Heber et Melchiel)*, Sara; ergo filii 4, nepotes 2, filia 1 = 7. — Ergo omnes posteri Zelphae: 2 + 7 + 7 = *16,* ut in Ѷ. 18^b computantur.

Filii Gad in Num. 26, 15—17 hi nominantur: Sephon, Haggi, (Vulg. *Aggi*), Suni, *Ozni,* Heri (Vulg. *Her*), Arod, Areli (Vulg. *Ariel*); in 1 Par. 5, 11—15 etiam alii filii Gad sensu latiore, i. e. posteri leguntur. — Filii Aser in Num. 26, 44—46 recensentur: Iemna, Iessui, Beria (Vulg. *Brie*) *cum filiis Heber et Melchiel,* Sara (ergo omittitur *Iesua*); in 1 Par. 7, 30: Iemna (cf. supra), Iesua, Iessui, Baria (cf. supra) *cum filiis Heber et Melchiel,* Sara. — Quod ad computationem attinet, in Num. 26, 44 ss. dumtaxat invenitur discrepantia et quidem 1 numeri.

Hummelauer 571. 573 asserit, *Iesua* et *Iessui* „unicum esse nomen"; sed tam in Gen. quam in Par. manifeste distinguuntur: quod autem in Num. *Iesua* omissum sit, ex similitudine eius cum nomine sequenti de-

clarari potest. — Cur *Dina* in Genesi diserte nominetur, pag. 435 diximus; quare autem in Ꝟ. 17 *Sara,* filia Aser, nominatur? Hummelauer 572 notat, LXX in Ꝟ. 20 hoc additamentum habere: *Natique sunt filii Manasse, quos peperit ei concubina Syra,* et interrogat: „an haec forte est eadem atque Ꝟ. 17 *Sara?*“ In hac interrogatione forsitan responsio ad quaestionem nostram continetur.

ꝞꝞ. **19—22. Filii Rachel** *uxoris Iacob: Ioseph et Beniamin.* [20]*Natique sunt Ioseph filii in Terra Aegypti, quos genuit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos: Manasses et Ephraim* (cf. pag. 584 s.). [21]*Filii* autem (Hebraicus et Graecus) *Beniamin: Bela,* בֶּלַע, *Βάλα, et Bechor,* וָבֶכֶר, *καὶ Χόβωρ, et Asbel,* וְאַשְׁבֵּל, *καὶ Ἀσβήλ, et Gera,* גֵּרָא, *et Naaman,* וְנַעֲמָן, *καὶ Νοεμάν, et Echi,* אֵחִי, *καὶ Ἀγχείς, et Ros,* וָרֹאשׁ, *καί Ῥώς, et Mophim,* מֻפִּים, *καὶ Μαμφείν, et Ophim,* וְחֻפִּים, *καὶ Ὀφιμίν, et Ared,* וָאָרְדְּ, *Ἄραδ.* [22]*hi filii Rachel quos genuit Iacob: omnes animae, quattuordecim.*

Rachel Iacobo Iosephum in Mesopotamia (pag. 436) et Beniaminum iuxta Bethlehem (pag. 502 s.) genuit = filios 2. — Filii Ioseph: Manasses et Ephraim = 2. — Filii Beniamin: Bela, Bechor, Asbel, Gera, Naaman, Echi, Ros, Mophim, Ophim, Ared = 10. — Ergo omnes posteri Rachel: 2 + 2 + 10 = *14,* ut in Ꝟ. 22ᵇ computantur.

Filii Ioseph in Num. 26, 28 quoque Manasse et Ephraim nominantur. — Filii Beniamin recensentur in Num. 26, 38—40: Bela *(cuius filii: Hered et Noeman),* Asbel, *Ahiram, Supham* (= Sephuphan), *Hupham,* ergo 5 filii et 2 nepotes; in 1 Par. 7, 6—11: Bela *(cuius filii: Esbon, Ozi, Oziel, Ierimoth, Urai = 5),* Bechor *(cuius filii: Zamira, Ioas, Eliezer, Elioenai, Amri, Ierimoth, Abia, Anathoth, Almath* = 9), Iadihel *(cuius filius Balan habuit 7 filios),* ergo 3 filii et 15 nepotes et 7 pronepotes; in 1 Par. 8, 1—5: Bale *(cuius filii: Addar, Gera, Abiud, Abisue, Naaman, Ahoe, Gera, Sephuphan, Huram = 9),* Asbel, Ahara, Nohaa, Rapha, ergo 5 filii et 9 nepotes. — Numeros et plura nomina horum locorum cum numeris et nominibus libri Genesis non convenire, manifestum est.

In Ꝟ. 20 post *Manasses et Ephraim* LXX sequentia addunt: *ἐγένοντο δὲ υἱοὶ Μαννασσή, οὓς ἔτεκεν αὐτῷ ἡ παλλακὴ ἡ Σύρα, τὸν Μαχείρ· Μαχεὶρ δὲ ἐγέννησεν τὸν Γαλαάδ* (cf. Num. 26, 29; 1 Par. 7, 14). *Υἱοὶ δὲ Ἐφράιμ ἀδελφοῦ Μαννασσή· Σουτάλααμ καὶ Τάαμ. υἱοὶ δὲ Σουτάλααμ· Ἐδέμ* (cf. Num. 26, 35 s.; 1 Par. 7, 20 s.). Versum autem 21 sic exhibent: *υἱοὶ δὲ Βενιαμείν· Βάλα καὶ Χόβωρ καὶ Ἀσβήλ. Ἐγένοντο δὲ υἱοὶ Βαλά· Γηρὰ καὶ Νοεμὰν καὶ Ἀγχεὶς καὶ Ῥὼς καὶ Μαμφεὶν καὶ Ὀφιμίν. Γηρὰ δὲ ἐγέννησεν τὸν Ἄραδ.* Versum 22 denique concludunt: *πᾶσαι ψυχαὶ δέκα*

ὀκτώ. Secundum hunc textum Ioseph habuit 2 filios, 3 nepotes, 2 pronepotes; Beniamin vero habuit 3 filios, 6 nepotes, 1 pronepotem. Ergo omnes posteri Liae 19, non 18.

In ℣. 20 illud *filii, υἱοὶ* in Hebraico deest, sed saltem subintelligi debet; sententiam *quos genuit* usque *Heliopoleos* Dillmann et sectatores eius serius adiectam putant, eo quod constructio dura sit. Sed hoc est argumentum pro genuinitate eius; nam redactor posterior constructionem planiorem effecisset, non duriorem. — In ℣. 21 loco *et Echi et Ros et Mophim et Ophim* Kittel aliique cum Num. 26, 38s. *et Ahiram et Supham et Hupham* legendum opinantur. — In ℣. 22 pro יֻלַּד cum 29 manuscriptis, Samaritano et versionibus יָלְדָה legendum est (Dillmann, Kittel aliique).

℣℣. 23—25. Filii Dan autem (Hebraicus et Graecus): *Husim,* חֻשִׁים, *Ἀσόμ.* [24]*Filii* autem (Hebraicus et Graecus) *Nephthali: Iasiel,* יַחְצְאֵל, *Ἀσιήλ, et Guni,* וְגוּנִי, *καὶ Γωυνί, et Ieser,* וְיֵצֶר, *καὶ Ἰσσααρ, et Sallem,* וְשִׁלֵּם, *καὶ Συλλήμ.* [25]*Hi filii Balae, quam dedit Laban Racheli filiae suae: et hos genuit Iacob* (LXX clarius τῷ Ἰακώβ): *omnes animae, septem.*

Bala, ancilla Rachelis, Iacobo Dan et Nephthali genuit (cf. pag. 506) = filios 2. — Filius Dan heic Husim, in Num. 26, 42 autem Suham vocatur, = 1. — Filii Nephthali sunt: Iasiel, Guni, Ieser, Sallem = 4. — Ergo omnes posteri Balae: 2 + 1 + 4 = 7, ut in ℣. 25ᵇ computantur.

Etiam in Num. 26, 48s. et 1 Par. 7, 13 quattuor filii Nephthali enumerantur; quartus in Vulgata mox Sallem mox Sellem mox Sellum scribitur. — In ℣. 23 *filii Dan* scriptum est, licet unus tantum filius nominetur; Dillmann aliique Gen. 36, 25 citant. Ibi tamen res aliter se habent (cf. pag. 512s.).

℣℣. 26. 27. Cunctae animae, *quae ingressae sunt cum Iacob,* לְיַעֲקֹב, *in Aegyptum, et egressae sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum eius* (pro *eius* in Hebraico et Graeco *Iacobi*), cunctae animae (Hebraicus et Graecus) *sexaginta sex.* [27]*Filii autem Ioseph, qui nati sunt ei in terra Aegypti, animae duae. Omnes animae domus Iacob, quae ingressae sunt in Aegyptum, fuere septuaginta.* — Secundum LXX animae cum Iacob in Aegyptum ingressae etiam erant 66; filii Ioseph autem in Aegypto nati 9; omnes animae denique domus Iacob in Aegyptum ingressae 75.

„Iam in hoc elencho“ i. e. in ℣℣. 8—27, recte scribit Hummelauer 572, „deprehenduntur difficultates quaedam non

sane leves". Etenim in isto elencho viri cum Iacobo in Aegyptum ingressi asseruntur, qui certissime cum eo in Aegyptum non ingressi sunt. Non ingressi sunt *Her* et *Onan,* quia in Chanaan mortui erant (cf. pag. 629); non cum Iacobo ingressus est *Ioseph,* quia iam in Aegypto erat; non ingressi sunt *filii Ioseph* (et nepotes ac pronepotes, iuxta LXX, cf. pag. 630) utpote in Aegypto nati; non ingressi sunt *decem filii Beniamin,* multo minus 2 filii, 6 nepotes, 1 pronepos (LXX) vel 5 filii, 2 nepotes (Num., cf. pag. 630), minime vero 3 filii, 15 nepotes, 7 pronepotes (Par., cf. pag. 630) eius: nam Beniamin in Aegyptum ingrediens erat 22 annorum (cf. pag. 588), ergo non modo non nepotes nec pronepotes, sed ne 10 filios quidem habere potuit, uti omnes interpretes notant. Difficultas una reapse non levis.

Strack[2] 161 cum aliis affirmat, duos tantum non quattuor filios Rubeni in Aegyptum ingressos esse, cum iuxta 42, 37 tunc duos tantum habuerit. At ex 42, 37 non sequitur, eum 2 tantum filios habuisse, sed eum 2 filios patri obtulisse (cf. pag. 597s.); ceterum solutionem nostram infra positam conferas. — Hummelauer 572 credere nequit, „iam tum duos exstitisse filios Phares", eo quod „sensus obvius utique is sit, eo circiter tempore natum esse Phares, quo Ioseph in Aegyptum divenditus sit". Bene. Sed a venditione Iosephi usque ad ingressum Iacobi in Aegyptum 22 anni (cf. pag. 396 et 560) praeterierant, quare Dillmann 438 non impossibile ducit, tum filios Phares iam natos fuisse. — Idem de *nepotibus Aser* (cf. pag. 629) sentiendum videtur. — Secundum Hummelauer 572 ex filiis Beniamino attributis „certe nullus, quo tempore ingressus est Iacob, natus erat". Haec assertio nimia est. Nam vir 22 annorum certissime filios quosdam habere potest. Quodsi Dillmann, Gunkel, Holzinger observarunt, Beniaminum ut puerum, נַעַר, proponi, reponimus נַעַר et παῖς et *puer* etiam puberem significare (cf. pag. 518) et quidem etiam virum ca. 28 annorum (cf. pag. 570), ergo vox *pueri* computationi nostrae non contraria est.

Antiquiores quidam ita ex ista difficultate se expedire volebant ut dicerent, hagiographum *Her* et *Onan* diserte in Chanaan mortuos dicere atque ex reliquis nonnullos non in propria persona sed „in lumbis patrum" in Aegyptum ingressos esse. Haec solutio difficultatis nunc ab omnibus reiicitur. Nam hagiographus, licet notet Her et Onan in Chanaan mortuos fuisse, nihilominus inter ingredientes Aegyptum eos computat (cf. pag. 628). Quod autem ad ingressum „in lumbis patrum" attinet, Hummelauer 572 scribit: „Vult nos auctor accuratum numerum eorum edocere, qui cum patriarcha Aegyptum ingressi sint, ut postea legentes ingentes numeros egressorum admiremur foecunditatem

divina benedictione impertitam: cf. Ex. 1, 5 ss. Ut includantur, qui in lumbis patrum ingressi sunt, auctoris argumento repugnat. Redditur etiam totum argumentum nugatorium: cur enim numerus ad 70 limitetur, cum aequo iure omnes omnium temporum Hebraei includi potuerint? Nonne ridicule insudaret auctor demonstrando, eum numerum 70, qui reapse totus esset arbitrarius, confici ex additis invicem 33 + 16 + 14 + 7, qui numeri et ipsi arbitrarii essent?" Optima responsio.

Altera difficultas non levis est, quod in elencho duae computationes nobis exhibentur, quae inter se pugnant. In ℣. 27ᵇ legimus, omnes animas domus Iacob in Aegyptum ingressas fuisse 70. Cum hoc numero congruunt numeri in ℣℣. 15. 18. 22. 25 signati, videlicet posteri Liae 33 (si *Ahod* omittatur, cf. pag. 628), Zelphae 16, Rachel 14, Balae 7 = posteri Iacobi 70. E contrario in ℣. 26 legimus, cunctas animas *cum Iacobo* in Aegyptum ingressas fuisse 66, et in ℣. 27ᵃ edocemur Iosephum duosque filios eius tunc iam in Aegypto fuisse; atqui 66 + 3 = 69, non 70. Si quis dicat, in hoc loco Iacobum quoque numerari itaque Charybdim vitare voluerit, in Scyllam incidit. Nam iuxta ℣℣. supra citatos posteri Iacobi (patre non numerato) erant 70.

Hoberg versus 26 et 27 ita explicat: ad numerum 66 pervenimus, si Her, Onan, Saram, Dinam non numeramus; in hoc numero 66 continentur etiam 2 filii Iosepho in Aegypto nati; ad numerum 70 pervenimus, si Iacobum, Saram, Dinam et Saul numero 66 addimus (Hoberg inter 33 posteros Liae *Ahod* numerat, sed *Saul* non numerat). Sed talis numeratio est nimis arbitraria, ut quilibet videt, et pugnat cum contextu (cf. supra).

LXX in ℣. 20 praeter 2 filios Iosephi etiam 3 nepotes et 2 pronepotes (cf. pag. 630), ergo *7* posteros Iosephi numerant; at in ℣. 27 filios Iosephi in Aegypto natos *9* notant (cf. pag. 631). Iidem animas cum Iacobo in Aegyptum ingressas 66, omnes autem animas domus Iacob 75 fuisse asserunt (cf. pag. 631). Si vero ad numerum 66 addimus 8, i. e. Iosephum et 7 filios eius, 74; si addimus 10, e contrario 76 animae domus Iacob inveniuntur. — In Ex. 1, 5 omnes codices Graeci, in Deut. 10, 22 codices Alexandrinus et Ambrosianus versionis Graecae etiam numerum 75 exhibent (cf. Swete), qui a S. Stephano (Act. 7, 14) repetitur. Propter inspirationem S. Lucae credere debemus, S. Stephanum reapse dixisse: *Mittens autem Ioseph accersivit Iacob patrem suum, et omnem cognationem suam in animabus septuagintaquinque;* non autem credere debemus, S. Stephanum numerum genuinum pronuntiasse. Nam si auctor inspiratus hominem non inspiratum loquentem introducit, quin verba eius sua faciat vel approbet, in sermone loquentis errores contineri possunt (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 11 s.).

Ad solvendas istas difficultates sequentia praemitto: primo omnes posteri Iacobi, *qui ingressi sunt in Aegyptum,* fuerunt 70. Praeter Gen. 46, 26 etiam Ex. 1, 1. 5 et Deut. 10, 22 hunc numerum confirmant, si versionem Graecam excipiamus (cf. supra). *Iacob* inter 70 non computatur, ut in Ex. 1, 1. 5 clarissime expressum invenimus (cf. Hummelauer). Secundo, *Ioseph* inter 70 numeratur, quia ipse reapse in Aegyptum ingressus est, licet ante Iacobum (cf. Ex. 1, 1—5); filii autem Iosephi iuxta Ex. 1, 1 et Deut. 10, 22 non numerantur, quia non in Aegyptum ingressi sed in Aegypto nati sunt. Ergo simul, i. e. eodem tempore, cum Iacobo 69 posteri eius in Aegyptum ingressi sunt. Tertio, isti posteri Iacobi non solum filii, verum etiam *filiae* et *neptes* erant. Dillmann ad 46, 7 de Iacobo scribit: „Omnes posteros suos secum sumpsit) etiam filias et neptes. Ipsum tales habuisse (37, 35) per se patet (ist selbstverständlich), uti 5, 4ss.; 11, 11ss.“ Supra autem praeter Dinam et Saram filii dumtaxat enumerantur, ac si filiae et neptes Iacobi non exstitissent. Quarto, omnes posteri Iacobi cum eo in Aegyptum descendentes, reapse 69 esse potuerunt, quia eo tempore minimus Beniamin iam 22 annorum erat (cf. pag. 588) atque Iudas, post venditionem Iosephi uxorem ducens (cf. pag. 538s.), iam nepotes habebat (cf. pag. 632).

Quibus praemissis difficultates ita solvi possunt. In textu originali filii atque filiae enumerati erant, qui cum Iacobo in Aegyptum ingressi fuerant (cf. Hummelauer 573). Postquam vero e familia Iacobi populus Israel factus est, nomina plurium filiarum eliminata et loco eorum nomina capitum familiarum posita sunt. „Adverte, monet Hummelauer 573, omnia elenchi nomina, etiam ea quae LXX v. 20 sufficit, Num. 26 describi ut principum familiarum nomina; solos excipi Ahod, Bechor (Beniaminitam), Gera et Ared, qui tamen et ipsi fortasse familias procreavere postero tempore exstinguendas aut absorbendas. Plurium familiarum capitum nomina antiquitus in nostro elencho legebantur: unde reliquas familias titillabat ambitio, ut suorum quoque capitum nomina ibidem resplenderent. Id sensim sine sensu effectum est, suffectis iis nominibus in locum quorumdam aliorum, quae primitus ibi

legebantur, sed iam non comparent.“ Hac ratione declarari potest, quare nunc in textu nomina virorum legantur, qui certo in Aegypto nati sunt (cf. pag. 632); quare Her et Onan quoque, licet in Chanaan mortui, in indice inveniantur. „Adverte, scribit Hummelauer 570, Phares et Zaram extensione aliqua legis leviratus reputatos esse Her et Onan filios: ergo erat aliqua ratio, etiam Her et Onan elencho inserendorum.“ Hac ratione discrepantia computationum quoque declarari potest. Enumeratio primitiva in Ex. 1, 1—5 contineri videtur, ubi legimus: *Haec sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt in Aegyptum cum Iàcob* (cf. Gen. 46, 8^a): *singuli cum domibus suis introierunt: Ruben, Simeon, Levi, Iudas, Issachar, Zabulòn et Beniamin, Dan, et Nephthali, Gad et Aser* (cf. Gen. 46, 8^b—25). *Erant igitur omnes animae eorum qui egressi sunt de femore Iacob, septuaginta: Ioseph autem in Aegypto erat* (cf. Gen. 46, 26 s.). Ergo e 70 posteris Iacobi Ioseph iam in Aegypto erat, 69 autem cum Iacobo in Aegyptum ingressi sunt. Pro phrasi simplici *singuli cum domibus suis introierunt* hagiographus in Gen. 46, 9 ss. filios filiasque singulas enumeravit, et quidem 69. Quando autem serius pro filiabus capita familiarum supposita sunt, utique ex alio libro inspirato (cf. pag. 634), numeratio turbata est. — Si quis interrogaverit, quomodo vir catholicus tales mutationes textus sacri asserere possit, cum Hummelauer 573 respondeo: „Luce clarius demonstratum habes, textum LXX aliqua exhibere nomina textui sacro de industria addita. Quodsi in textu LXX concedi id impune possit, immo necessario debeat, nulla s. textus reverentia prohibemur, quominus in textu etiam hebraeo recepto similes additiones et fieri potuisse et fortasse factas esse adstruamus.“ Conferas pag. 630.

Hoberg 379 asserit, scriptorem Gen. 46, 8 ss. indicem posterorum Iacobi in Aegyptum ingredientium conficere noluisse, sed e numero filiorum Israel 70 nomina recensere voluisse, eo quod numerus 70 sacer esset. At haec sententia cum verbis ipsius scriptoris 46, 8. 26. 27 manifesto pugnat. Relegas verba Hummelaueri pag. 633 citata. — Secundum Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack[2] in indice originali Iacob non numerabatur et Dina deerat, Her et Onan vero ut adhuc viventes numerabantur; scriptor posterior indicem retractans Her et Onan in Chanaan defunctos dixit, Iacobum annumeravit et Dinam inseruit: ita

factum est, ut Lia 32 et serva eius Zelpha 16, Rachel 14 et serva eius Bala 7 filios habentes apparerent; Iacob ad numerum 32 filiorum Liae addendus est (Strack[2]). Contra has affirmationes notamus: Dinam inter posteros Iacobi in Aegyptum ingredientes originaliter defuisse, valde improbabile est (cf. pag. 634); Her et Onan a primo scriptore ut viventes et in Aegyptum ingredientes consideratos fuisse, nullo argumento confirmari potest (cf. pag. 635 s.); Iacobus, pater omnium, inepte ad numerum 32 filiorum Liae additur; manet difficultas, in indice filiorum Israel in Aegyptum ingredientium viros recenseri, qui certo in Aegyptum non ingressi, sed in ea nati sunt. Conferas verba Hummelaueri pag. 634 s. citata.

℣℣. 28—30. **Misit autem Iudam** *ante se ad Ioseph, ut nunciaret ei et occurreret in Gessen,* in Graeco: πρὸς Ἰωσὴφ συναντῆσαι αὐτῷ καθ' Ἡρώων πόλιν εἰς γῆν Ῥαμεσσή, in Hebraico: ad Ioseph, ut praecepta daret ante se in Gošen, et venerunt in terram Gošen. [29]*Quo cum pervenisset, iuncto Ioseph curru suo, ascendit obviam patri suo ad eundem locum: vidensque eum, irruit super collum eius, et inter amplexus flevit,* in Hebraico (cf. et Graecum): et iunxit Ioseph currum suum et ascendit obviam Israeli patri suo in Gošen et conspiciendum se praebuit ei et cecidit super collum eius et flevit super collum eius continue. [30]*Dixitque pater* (pro *pater* in Hebraico et Graeco *Israel*) *ad Ioseph: Iam laetus* (deest *laetus* in Hebraico et Graeco) *moriar, quia* vel postquam (Hebraicus) *vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo,* in Hebraico et Graeco loco ultimorum 4 verborum: quia adhuc vivis. — In ℣. 6 s. hagiographus breviter notavit, Iacobum cum omni progenie sua in Aegyptum venisse. Post enumerationem istius prolis (℣℣. 8—27) describit, quomodo Iacob in Aegyptum venerit. Praemiserat ante se Iudam, sibi et Iosepho carum (43, 8 s.; 44, 14—34), ut Ioseph de adventu tot millium (cf. pag. 627) certior factus ante se in Gošen mandata mitteret et „ibi praepararet ad Iacobum excipiendum necessaria" (Gesenius 627, Dillmann, Strack[2]). Postquam Iacob cum comitatu suo in Gessen venit, Ioseph illuc ascendit atque patri ut primum ministrum Aegypti (Gunkel, Holzinger) conspiciendum se praebuit et ut filium tenerum se probavit. Iacob desiderio suo (cf. 45, 28) impleto ad moriendum se paratum declaravit (Dillmann).

Retineo lectionem Masorethicam לְהוֹרֹת = ad indicandum (ab יָרָה) et cum Strack[2] *ante se* bis ad Iacobum refero. LXX לְהִקָּרוֹת legisse videntur, quia *συναντῆσαι* verterunt; Samaritanus et Syrus לְהֵרָאוֹת *ut se ostenderet* exhibent; Holzinger cum Kautzsch-Socin opinatur, Iacobum Iosepho nuntiasse se *faciem suam* in Gošen vertisse, et textum postea corruptum esse. Hoberg lectionem LXX, Hummelauer sententiam nostram defendit.

℣℣. **31—34. At ille** (in Hebraico et Graeco *Ioseph autem*) *locutus est ad fratres suos, et ad omnem domum patris sui* (ultima 6 verba in Graeco desunt; Hebraicus *omnem* omittit): *Ascendam, et nunciabo Pharaoni, dicamque ei: Fratres mei, et domus patris mei, qui erant in Terra Chanaan, venerunt ad me:* [32] *et sunt viri pastores ovium, curamque habent alendorum gregum* (loco ultimorum 4 verborum in Hebraico: nam possessores gregis facti sunt): *pecora sua, et armenta* sua (Hebraicus), *et omnia quae habere potuerunt* vel potius quae habent (Hebraicus et Graecus), *adduxerunt secum* (deest *secum* in Hebraico et Graeco). [33] *Cumque vocaverit vos* Pharao (Hebraicus et Graecus), *et dixerit: Quod est opus* vel negotium *vestrum?* [34] *Respondebitis: Viri pastores* vel possessores gregis (℣. 32) *sumus* vel sunt (Hebraicus) *servi tui, ab infantia nostra usque in praesens, et nos et patres nostri. Haec autem dicetis* (ultima 3 verba in Hebraico et Graeco desunt), *ut habitare possitis in Terra Gessen* vel Gošen (Hebraicus): *quia detestantur Aegyptii omnes pastores ovium,* LXX accuratius *βδέλυγμα γάρ ἐστιν Αἰγυπτίων πᾶς ποιμὴν προβάτων.* — Ioseph voluit, ut fratres in Gessen habitarent, quia ibi a commercio et vitiis Aegyptiorum magis seiuncti manere et facilius in terram Chanaan reverti potuerunt (Lapide et Hummelauer). Inculcavit ergo eis, ut possessores gregis se profiterentur: nam talibus Gessen, „pagus alendis gregibus eximie aptus" (Hummelauer cum S. Chrysostomo) et ab Aegypto proprie dicta separatus (cf. pag. 619), assignanda erat. Aegyptii enim omnes pastores, „genus incultum, sordidum, intonsum" (Hummelauer), eo magis adventicios pastores ovium abominabantur (Dillmann aliique).

Ascendam, inquit, quia reges in sublimitate habitant vel saltem constituti sunt (cf. Dillmann, Holzinger, Strack[2]). — Ex verbo *nunciabo* iuxta praecepta logica non sequitur, familiam Iacobi ab Iosepho clam

adductam fuisse (cf. pag. 616). — In ℣. 32 verba *nam possessores gregis facti sunt* a Dillmann et Gunkel glossa, ex ℣. 34 sumpta, declarantur. — In ℣. 34 fratres sententia *possessores gregis ab infantia, et nos et patres nostri* insinuare volunt, se ad negotium aliud non aptos esse (Gunkel). — Pro רֹעֵה *ποιμήν* Samaritanus, Latinus et Syrus רֹעֵי *pastores* legerunt. — Aegyptii possidebant quidem oves et capras (Dillmann et Hummelauer cum Erman), maxime tamen boves aestimabant, ut notum est. Si nihilominus pastores boum quoque despiciebant, quod etiam Gunkel et Holzinger cum Erman affirmant, multo magis pastores ovium et caprarum abominabantur. — ℣. 34ᵇ est nota hagiographi (Holzinger). — Ex eo quod Ioseph fratribus inculcavit, ut se pastores ovium profiterentur, Gunkel infert, hanc assertionem ex integro vel ex parte falsam fuisse, atque hoc mendacium Iosephi narratori non ut flagitium sed ut prudentiam apparuisse. At ista conclusio logice non valet. Rationes, ob quas Ioseph fratribus id inculcavit, manifestae sunt. Timendum erat, ne fratres negotium ab Aegyptiis despectum tacerent, quemadmodum antea (cf. 42, 7—25) tacuerant; timendum erat, ne Pharao patrem et fratres primi sui ministri in urbe regia vel iuxta eam retineret itaque contagioni eos exponeret.

C. 47. ℣℣. 1—6. **Ingressus ergo Ioseph** *nunciavit Pharaoni, dicens: Pater meus et fratres* mei, et (Hebraicus) *oves eorum et armenta* eorum (Hebraicus), *et cuncta quae possident, venerunt de Terra Chanaan: et ecce consistunt in Terra Gessen* vel Gošen. ²*Extremos quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege,* LXX accuratius ἀπὸ δὲ τῶν ἀδελφῶν παρέλαβεν πέντε ἄνδρας καὶ ἔστησεν αὐτοὺς ἐναντίον Φαραώ· ³*quos ille interrogavit,* LXX accuratius καὶ εἶπεν Φαραὼ τοῖς ἀδελφοῖς Ἰωσήφ (ita et Samaritanus; Masorethicus habet אֶחָיו): *Quid habetis operis* vel potius quod est opus vestrum (℣. 33)? *Responderunt* autem Pharaoni (Hebraicus et Graecus): *Pastores ovium sumus servi tui, et nos, et patres nostri.* ⁴Et dixerunt Pharaoni (Hebraicus et Graecus): *Ad peregrinandum in terra tua* (deest *tua* in Hebraico et Graeco) *venimus: quoniam non est herba gregibus servorum tuorum, ingravescente fame in terra Chanaan: petimusque ut esse nos iubeas servos tuos in Terra Gessen,* loco ultimorum 10 verborum in Hebraico (cf. et Graecum): et nunc habitent, quaesumus, servi tui in terra Gošen. ⁵*Dixit itaque rex* (pro *rex* in Hebraico et Graeco *Pharao*) *ad Ioseph: Pater tuus et fratres tui venerunt ad te.* ⁶*Terra Aegypti in conspectu tuo est* (cf. pag. 235): *in optimo loco* terrae (Hebraicus) *fac eos* (pro *eos* in Hebraico *patrem tuum*

et fratres tuos) habitare, et trade eis Terram Gessen (loco ultimorum 5 verborum in Hebraico *habitent in terra Gošen*). *Quod si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum* gregum *meorum.* — Quinque fratres ad Pharaonem introducti iuxta mandatum Iosephi regi responderunt et licentiam assecuti sunt, ut in Gessen peregrinari possent.

Secundum Gunkel Ioseph patrem et fratres suos clam in Gošen adduxit, deinde ipse et fratres eius quinque sic ad Pharaonem locuti sunt, ut putaret eos casu in Gošen venisse. Pharao non tantum permisit, ut ibi manere possent, sed ex eis etiam magistros regii pecoris constituere voluit. Scriptor in simplicitate sua supponit, Pharaonem personaliter cum eis tractasse, et in fine narrationis magnam hanc delectationem habet: „Pharao est magnanimus, et aliquantum stultus", nobis quoque permittens ut de versutia filiorum Israel ac de stultitia Pharaonis rideamus. Quibus opponimus: Iosephum inscio Pharaone familiam suam adducere voluisse, improbabilissimum (cf. pag. 616), et Pharaonem reapse credidisse, patrem et fratres Iosephi cum tot servis et ancillis (cf. pag. 627), cum omnibus ovibus et armentis suis casu in Gošen venisse, psychologice impossibile est; quod autem Pharao viros in re pastoricia versatos magistros regii pecoris constituere voluerit, non mirum est; quod personaliter cum fratribus primi sui ministri tractaverit, non a simplicitate scriptoris supponitur, sed factis recentioris quoque temporis comprobatur. Non de stultitia Pharaonis, sed de interpretatione Gunkeli ridere possumus.

In ℣. 2 post לָקַח Kittel aliique cum Samaritano עִמּוֹ inserunt. — In ℣. 3 pro corrupto רֹעֵה Samaritanus, Graecus, Latinus, Syrus רֹעֵי legerunt. — In ℣. 4 ante *Et dixerunt* iuxta Ball et Gunkel supplendum est: „Pharao dixit: ad quid huc venistis?" Dillmann tamen aliique hoc supplementum non necessarium iudicant. — In Aegypto magistros regii pecoris fuisse, omnes concedunt; Philo et Iosephus asseverant, reapse quosdam fratres Iosephi magistros regii pecoris constitutos esse (Lapide). — LXX versus 5 et 6 sic exhibent: *εἶπεν δὲ Φαραὼ τῷ Ἰωσήφ· Κατοικείτωσαν ἐν γῇ Γέσεμ· εἰ δὲ ἐπίστῃ ὅτι εἰσὶν ἐν αὐτοῖς ἄνδρες δυνατοί, κατάστησον αὐτοὺς ἄρχοντας τῶν ἐμῶν κτηνῶν. Ἦλθον δὲ εἰς Αἴγυπτον πρὸς Ἰωσὴφ Ἰακὼβ καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ· καὶ ἤκουσεν Φαραὼ βασιλεὺς Αἰγύπτου. Καὶ εἶπεν Φαραὼ πρὸς Ἰωσὴφ λέγων· Ὁ πατήρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἥκασι πρός σέ· ἰδοὺ ἡ γῆ Αἰγύπτου ἐναντίον σού ἐστιν· ἐν τῇ βελτίστῃ γῇ κατοίκισον τὸν πατέρα σου καὶ τοὺς ἀδελφούς σου.* Hunc textum Hoberg confusum, Hummelauer vero cum Dillmann aliisque probabiliorem putat. Cum incertus sit, pro distinctione fontium afferri nequit.

℣℣. 7—10. Post haec (desunt haec 2 verba in Hebraico et Graeco) *introduxit Ioseph* Iacobum (Hebraicus et Graecus) *patrem suum ad Regem* (deest *ad Regem* in Hebraico et Graeco),

et statuit eum coram eo (pro *eo* in Hebraico et Graeco *Pharaone*): *qui benedicens illi,* [8] *et interrogatus ab eo* (in Hebraico et Graeco: et benedixit Iacob Pharaoni, [8] et dixit Pharao ad Iacob): *Quot sunt dies annorum vitae tuae?* [9] *Respondit* autem Iacob Pharaoni (Hebraicus et Graecus): *Dies* annorum (Hebraicus et Graecus) *peregrinationis meae centum triginta annorum* vel anni (Hebraicus et Graecus) *sunt, parvi et mali* fuerunt dies annorum vitae meae (Hebraicus et Graecus), *et non pervenerunt usque ad dies* annorum vitae (Hebraicus et Graecus) *patrum meorum quibus peregrinati sunt* (pro ultimis 3 verbis in Hebraico: in diebus peregrinationis eorum). [10] *Et benedicto rege, egressus est foras,* in Hebraico (cf. et Graecum): et benedixit Iacob Pharaoni et egressus est e conspectu Pharaonis.

Iacob tam ingrediens ad regem quam egrediens ab eo *benedixit,* i. e. salutavit Pharaonem „salutem apprecando“ (Gesenius 241, Dillmann aliique), „dicendo verbi gratia: Rex in aeternum vive, Deus te sospitet, tibi benedicat“ (Lapide). Pharao annos eius inquisivit, quia „senem facile interrogamus aetatem“ (Hummelauer cum S. Chrysostomo, Dillmann cum Knobel). Iacob 130 annos *parvos* seu paucos dixit, quia Isaac 180 et Abraham 175 annos natus mortuus fuerat; (cf. pag. 364 et 506); eos *malos* seu laboriosos et aerumnosos vocavit, quia reapse multa perpessus fuerat: debuit in Haran fugere ibique Labano servire, fratrem placare, stuprum Dinae et stragem Sichimorum audire necnon vindictam Chananaeorum timere, mortem Rachelis et incestum Rubeni sufferre, venditionem Iosephi et captivitatem Simeonis et deductionem Beniamini tolerare (Lapide, Strack[2]). Ista sententia *Dies annorum peregrinationis meae . . . dies annorum vitae patrum meorum in diebus peregrinationis eorum* Iacob non solum profiteri voluit, patriarchas huc illuc vagatos esse, ut Lapide et Dillmann aliique asseverant, verum etiam eos in hoc mundo se peregrinos in patriam alterius mundi properantes considerasse, ut S. Paulus in Hebr. 11, 13—16 sententiam authentice interpretatur. Videas Bisping, Kübel-Riggenbach, Weiß ad Hebr. 11, 13 necnon Theol. bibl. Vet. Test., pag. 534.

Dillmann et sectatores eius admirabile inveniunt, quod pater post filios ad regem introductus sit, ideoque hanc narrationem alii scriptori attribuunt. Respondeo: si antiquitus admirabile apparuisset, quod pater post filios ad regem introduceretur, redactor duarum relationum suppositarum sine dubio aliter eas ordinasset: ordo, quo redactor suppositus relationes suppositas coniunxit, eam rem antiquitus non admirabilem apparuisse ostendunt. Hummelauer interrogat: „Quid mirum, continuam hanc narrationem (scil. 46, 31—47, 6) non interrumpi interpositis, quae ℣. 7 ss. subnectuntur? Quid mirum, si quinque fratribus illico ad regiam properantibus pater senex in Gessen aliquamdiu vires resumpturus substiterit?"

℣℣. 11—14. Ioseph vero *patri et fratribus suis dedit possessionem in Aegypto,* in Hebraico et Graeco: Ioseph vero habitare fecit patrem suum et fratres suos et dedit eis possessionem in terra Aegypti, *in optimo terrae loco,* in terra (Hebraicus et Graecus) *Ramesses,* רַעְמְסֵס, Ῥαμεσσῆ, *ut praeceperat Pharao.* [12]*Et alebat eos, omnemque domum patris sui, praebens cibaria singulis,* LXX accuratius *καὶ ἐσιτομέτρει Ἰωσὴφ τῷ πατρὶ αὐτοῦ καὶ τοῖς ἀδελφοῖς καὶ παντὶ τῷ οἴκῳ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ σῖτον κατὰ σῶμα,* לְפִי הַטָּף = secundum familias. [13]*In toto enim orbe* vel potius terra (Hebraicus et Graecus) *panis deerat, et oppresserat fames terram, maxime Aegypti et Chanaan,* in Hebraico et Graeco: nam gravis erat fames valde, et elanguescebat terra Aegypti et terra Chanaan propter famem. [14]*E quibus omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti, et intulit eam in aerarium regis,* in Hebraico (cf. et Graecum): et collegit Ioseph omnem pecuniam inventam in terra Aegypti et in terra Chanaan pro frumento, quod emebant, et intulit Ioseph pecuniam in domum Pharaonis. — Terra *Ramesses,* ab urbe eiusdem nominis vocata, iuxta plerosque viros doctos idem ac Gošen (cf. pag. 619), iuxta Hummelauer et Strack vero partem terrae Gošen significat. Nominatur optimus terrae locus, scilicet pro alendis gregibus (Dillmann), ut e contextu elucet.

Cum urbs *Ramesses* a Ramse II (1324—1258) nominata videatur, Strack[2] habitationem filiorum Israel per prolepsin Ramesses vocari censet (cf. pag. 226, ℣. 8). — Gunkel asserit, iuxta ℣℣. 13. 14 Iosephum omnem pecuniam Aegypti ac totius mundi sumpsisse, ita ut nihil pecuniae remaneret, et hunc conceptum simplicem (naiv) appellat. Verumtamen hic conceptus, a Gunkel verbis hagiographi simpliciter obtrusus,

in eis non invenitur, si verba secundum usum loquendi explicantur. Videas textum Hebraicum et Graecum.

ŸŸ. 15—18ª. **Cumque defecisset emptoribus pretium,** in Hebraico et Graeco: et consumpta est pecunia e terra Aegypti et e terra Chanaan, et *venit cuncta Aegyptus ad Ioseph, dicens: Da nobis panes:* et (Hebraicus et Graecus) *quare morimur coram te, deficiente pecunia?* [16]*Quibus ille* (pro *ille* in Hebraico et Graeco *Ioseph*) *respondit: Adducite pecora vestra, et dabo vobis pro eis* (loco *eis* in Hebraico et Graeco *pecoribus*) *cibos* (ita et Samaritanus et Graecus; Masorethicus לֶחֶם omittit), *si pretium non habetis* vel si pecunia defecit (Hebraicus et Graecus). [17]*Quae cum adduxissent,* in Hebraico et Graeco: et adduxerunt pecora sua ad Ioseph, et *dedit eis* Ioseph (Hebraicus et Graecus) *alimenta* vel panes *pro* (i. e. ἀντὶ) *equis et ovibus, et bobus, et asinis,* in Hebraico (cf. et Graecum): pro equis et pro possessione ovium et pro possessione armentorum et pro asinis: *sustentavitque eos* panibus (Hebraicus et Graecus) *illo anno pro commutatione pecorum,* in Hebraico (cf. et Graecum): pro omni possessione eorum. [18a]Et peractus est annus iste (Hebraicus et Graecus). — In textu legimus, Aegyptios pecora sua ad Iosephum adducere, non autem ea ibi relinquere debuisse; potuerunt ea commodata recipere (cf. Hoberg). Valde simplex igitur Gunkel scribit: „Praeterea omnia pecora in possessionem Pharaonis veniunt. Etiam hoc valde simplex (sehr naiv) est: quomodo tandem arabant? ad quid Pharao pecoribus usus est?“ De equis pag. 230 videas.

ŸŸ. 18ᵇ—22. **Venerunt quoque** ad eum (Hebraicus et Graecus) *anno secundo, et dixerunt ei: Non celabimus* vel celamus *dominum nostrum quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt: nec clam te est, quod absque corporibus et terra nihil habeamus,* in Hebraico et Graeco: quod si defecit pecunia et possessio animalium ad dominum meum (cf. pag. 605), non remansit nobis coram domino meo nisi corpus nostrum et humus nostra. [19]*Cur ergo moriemur te vidente? et nos et terra nostra tui erimus: eme nos in servitutem regiam, et praebe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem,* in Hebraico (cf. et Graecum):

ad quid moriamur ante oculos tuos et nos et humus nostra? eme nos et humum nostram pro (i. e. ἀντὶ) panibus, et erimus nos et humus nostra servi Pharaonis, et da semina ut vivamus et non moriamur et humus non vastetur. [20]*Emit igitur Ioseph omnem Terram* vel humum *Aegypti* pro Pharaone (Hebraicus et Graecus), *vendentibus singulis* Aegyptiis (Hebraicus et Graecus) *possessiones suas* vel agros suos (Hebraicus, cf. et Graecum) *prae magnitudine famis,* LXX accuratius ἐπεκράτησεν γὰρ αὐτῶν ὁ λιμός. *Subiecitque eam Pharaoni,* LXX accuratius καὶ ἐγένετο ἡ γῆ Φαραώ, [21]*et cunctos populos eius a novissimis terminis Aegypti usque ad extremos fines eius,* LXX et Samaritanus καὶ τὸν λαὸν κατεδουλώσατο αὐτῷ εἰς παῖδας, ἀπ' ἄκρων ὁρίων Αἰγύπτου ἕως τῶν ἄκρων, [22]*praeter terram sacerdotum, quae a rege tradita fuerat eis: quibus et statuta cibaria ex horreis publicis praebebantur, et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas,* in Hebraico (cf. et Graecum): tantummodo humum sacerdotum non emit, nam statutum (cibi) habebant sacerdotes a Pharaone et comedebant statutum suum, quod dabat eis Pharao, propterea non vendiderunt humum suam.

Anno *secundo,* i. e. anno venditionem pecorum sequenti (Lapide, Dillmann, Hummelauer, Hoberg, Strack[2]), Aegyptii corpora et agros suos in servitutem Pharaonis miserunt, ut panes et semina reciperent. „Terra quotannis colebatur, agri aliqui Nilo adiacentes aut speciali arte irrigati aliquos fructus ferebant" (Hummelauer cum Calmeto; Gunkel). Sacerdotes agros suos non vendiderunt, quia cibum a rege statutum comedebant ideoque fame non premebantur.

Lapide scribit: „*Anno secundo* ab adductis et venditis pecoribus, qui fuit quartus vel quintus ab inchoata fame" (cf. 45, 11). Holzinger e petitione seminum concludit, fuisse annum septimum, quam conclusionem interpretes reliqui recte falsam censent. Gunkel affirmat, fuisse manifesto annum secundum ab inchoata fame, atque notat simplicitatem valde magnam scriptoris, qua Aegyptum tam cito exhaustam dixit; at reliquos interpretes contrarios habet, et quidem recte. Nam phrasis *anno secundo* ob contextum (cf. 45, 11) et circumstantias historicas (ubertatem praecedentem Aegypti) de anno secundo famis intelligi nequit. Contextus et circumstantiae historicae autem ab interprete semper observari debent (cf. Epitome, pag. 37 ss. 47 ss.). — Holzinger versum 19 valde

salebrosum dicit, cum humus neque mori neque serva fieri possit. At hoc zeugma (Dillmann) aliquanto durum cum conditione Aegyptiorum bene congruit (Hoberg). — In ℣. 21 loco הֶעֱבִיר אֹתוֹ לֶעָרִים *traduxit ei in urbes* Kittel et plerique alii recentiores cum Samaritano et Graeco הֶעֱבִיד אֹתוֹ לַעֲבָדִים *subiecit ei in servos* legunt, quia lectio Masorethica aptum sensum non habet (cf. Dillmann, Hummelauer). — Holzinger falsum putat, quod sacerdotes a rege cibum statutum acceperint; e contrario Dillmann, Hummelauer, Hoberg, Gunkel versum 22 documentis profanis verum confirmari dicunt. — Holzinger turpe et inhonestum iudicat, quod Ioseph ultimo famis anno pro seminibus homines et agros coemerit; etiam Gunkel 422 artem politicam Iosephi, qua liberum populum Aegypti fame vexatum servitute affecit, propriam prosapiam vero sustinuit ac fovit, minus gloriosam reperit. Quibus sequentia respondeo: Aegyptii sponte corpora et agros suos Iosepho obtulerunt (℣. 19) et post emptionem ei gratias egerunt (℣. 25); non ultimo, ut Holzinger supponit, sed quarto vel quinto anno famis Ioseph populum et terram pro Pharaone emit; si nihilominus eius ratio agendi sensui nostro durior apparet, etiam in historia Iosue, Iudicum, Davidis, Iudith, Esther facta occurrunt, quae sensum nostrum offendunt (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 148. 155. 158 ss. 192 ss. 285 s. 335 s.): facta antiqui temporis non secundum conscientiam temporis magis exculti diiudicanda sunt, quod Gunkel quoque notavit.

℣℣. 23—26. **Dixit ergo Ioseph** *ad populos* vel potius populum (Hebraicus): *En ut cernitis, vos et terram vestram Pharao possidet,* in Hebraico et Graeco: ecce emi vos hodie et humum vestram pro Pharaone: *accipite semina, et serite agros* vel humum (Hebraicus), [24] *ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis: quattuor reliquas permitto vobis in sementem, et in cibum familiis et liberis vestris,* in Hebraico (cf. et Graecum): et erunt proventus, et dabitis quintam partem Pharaoni et quattuor partes erunt vobis in semina agri et in cibum vestrum et pro iis, qui in domibus vestris sunt, et in cibum pro parvulis vestris. [25] *Qui responderunt: Salus nostra in manu tua est: respiciat nos tantum dominus noster, et laeti serviemus regi,* LXX multo accuratius: *καὶ εἶπαν· Σέσωκας ἡμᾶς, εὕρομεν χάριν ἐναντίον τοῦ κυρίου ἡμῶν, καὶ ἐσόμεθα παῖδες Φαραώ.* [26] *Ex eo tempore usque in praesentem diem in universa terra Aegypti regibus quinta pars solvitur, et factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quae libera ab hac conditione fuit,* LXX multo accuratius *καὶ ἔθετο αὐτοῖς Ἰωσὴφ εἰς πρόσταγμα ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης ἐπὶ γῆν Αἰγύπτου τῷ Φαραὼ ἀποπεμπτοῦν, χωρὶς*

τῆς γῆς τῶν ἱερέων μόνον, οὐκ ἦν τῷ Φαραώ. Postquam Ioseph populum et terram emit, quintam partem proventuum regi solvendam decrevit, quam conditionem non duram Aegyptii grati acceperunt. Ita factum est, ut in Aegypto ab omnibus, exceptis sacerdotibus (cf. pag. 643), quinta pars proventuum Pharaoni daretur.

In ℣. 24 pro בַּתְּבוּאֹת *in proventibus* cum LXX legimus הַתְּבוּאֹת *τὰ γενήματα* (cf. Dillmann et Kittel). — Sententia *et in cibum pro parvulis vestris* in LXX deest et superflua videtur; forsitan glossa est (Gunkel, cf. et Dillmann). — In ℣. 26 pro לְפַרְעֹה לַחֹמֶשׁ cum LXX legendum est לַחֹמֶשׁ לְפַרְעֹה (Gunkel, Holzinger, Kittel). — Lapide et Hummelauer putant, verba versuum 23—26 anno ultimo famis pronuntiata fuisse; at textus Hebraicus et Graecus *ecce emi vos hodie* annum quartum vel quintum indicat (cf. pag. 643). — Omnes interpretes concedunt, conditionem solvendae partis quintae non duram fuisse; alii $^1/_2$ vel $^2/_3$ vel $^3/_4$ proventuum solvere debuerunt (Dillmann). — Versum 25 Lapide sic exponit: „Tu es auctor et servator vitae nostrae . . . pro magno beneficio reputabimus, si nos in servitutem ac consequenter in curam et providentiam tuam recipias . . . ne rursum in famem simileve malum incurramus.“ Gunkel asserit sed non demonstrat, narratorem eo delectari quod Aegyptii, quibus pelles detrahantur, consentientes sint et gratiam Iosephi celebrent. — Versum 26 documentis profanis verum confirmari, omnes concedunt.

Versus 13—26 cum versibus 12 et 27 bene cohaerent. Nam in ℣. 12 hagiographus narrat, Iosephum domui patris sui cibaria praebuisse, licet in optimo terrae loco (℣. 11) habitaret; huius rei in ℣℣. 13—26 rationem indicat, scil. non solum in Chanaan verum etiam in Aegypto famem tantam fuisse, ut Aegyptii ipsa corpora et agros suos venderent; in ℣. 27 ad patrem et fratres Iosephi regreditur narrans, eos terram Gessen ut propriam possedisse (cf. Hoberg). — Gunkel 421 cum Dillmann putat, versus 13—26 originaliter post 41, 56 collocatos fuisse. Libenter concedimus, iuxta contextum psychologicum ibi eos collocari potuisse; iuxta contextum chronologicum tamen inter ℣. 12 et ℣. 27 capitis 47 collocari debuerunt, quia Iacob secundo anno famis in Aegyptum venit (cf. pag. 617), ea autem quae in ℣℣. 13—26 narrantur, anno quarto vel quinto acciderunt (cf. pag. 643). — Holzinger 251 s. in ℣℣. 13—26 duas relationes confusas invenit. Iuxta unam Aegyptii pro panibus corpora et agros suos offerunt (℣. 19^a), Ioseph oblationem acceptat (℣. 23^a), Aegyptii consentiunt (℣. 25), emptio fit (℣℣. 20. 21). Iuxta alteram Aegyptii anno ultimo famis semina petunt (℣. 19^b), Ioseph pro quinta parte proventuum ea concedit (℣℣. 23^b. 24), res perficitur (℣. 26^a). Hanc distinctionem relationum textu non fundari, iam Gunkel 422 observavit. Etenim panes pro hominibus alendis et semina pro agris colendis (cf.

pag. 643) necessaria separari nequeunt; Aegyptios anno ultimo semina petiisse, falsum est (cf. pag. 644); versus 24 versui 20 non contrarius est, quia Ioseph prius populum terramque emere debuit, antequam decernere posset, quid a servis Pharaonis in possessione regia faciendum esset; versus 25 non „post festum" venit, quia non cum ℣℣. 21 et 23, sed cum ℣. 24 coniungendus est; ℣. 23 non cum ℣. 18, sed cum ℣℣. 20—22 nectendus est, quemadmodum usus loquendi manifestat. — Gunkel 421 s. cum Dillmann et Holzinger in ℣℣. 13—26 fabulam *αἰτιολογικὴν* videt. Hebraei in Aegyptum venientes mirabantur, quod Aegyptii quintam partem proventuum regi solvere deberent, si sacerdotes excipiamus. Huius conditionis extraordinariae causam indicare *(αἰτίαν λέγειν)* volentes narrarunt, Iosephum filium Iacobi tempore famis Pharaoni populum terramque subiecisse: quae *αἰτιολογία* simplex (naiv) est. Respondeo: cum Moyses ca. 1450 librum Genesis composuerit (cf. introductionem), narratio in ℣℣. 13—26 consignata neque simplex neque fabula vocari potest, sed veram rationem istius status extraordinarii indicat, qui in documentis Aegyptiis supponitur sed non declaratur (cf. Gunkel 422, ubi Erman citatur).

℣℣. 27. 28. **Habitavit ergo Israel** *in* terra (Hebraicus et Graecus) *Aegypto, idest* (deest *idest* in Hebraico et Graeco), *in Terra Gessen* vel Gošen, *et possedit eam: auctusque est, et multiplicatus nimis,* in Hebraico (cf. et Graecum): et occuparunt eam et fecundi erant et multiplicati sunt valde. [28]*Et vixit* Iacob (Hebraicus et Graecus) *in ea* (Hebraicus et Graecus *in terra Aegypti*) *decem et septem annis: factique sunt omnes dies vitae illius,* in Hebraico et Graeco: et erant dies Iacobi, anni vitae illius, *centum quadraginta septem annorum.* — De nexu horum ℣℣. cum antecedentibus cf. pag. 645); de multiplicatione filiorum Israel videas Ex. 1, 7 et Deut. 10, 20.

Secundum ℣. 28 Israel 17 annis in terra Gessen vixit. Gunkel 424 e contrario asserit, Iacobum mox post adventum in Gessen mortuum esse, pro qua assertione locos sequentes citat: 37, 35; 42, 38; 43, 27 s.: 44, 22. 29. 31; 45, 9. 13. 28; 46, 30. Verumtamen, iuxta praecepta logica ex nullo horum locorum deduci potest, Iacobum mox mortuum esse. Videas quae ad 24, 1 pag. 341 in nota scripsimus.

℣℣. 29—31. **Cumque appropinquare cerneret** *diem mortis suae,* LXX accuratius *ἤγγισαν δὲ αἱ ἡμέραι Ἰσραὴλ ἀποθανεῖν καὶ, vocavit filium suum Ioseph, et dixit ad eum: Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo* (cf. pag. 342): *et facies mihi misericordiam* vel gratiam *et veritatem* vel fidelitatem (cf. Hebraicum), *ut non sepelias me in Aegypto:* [30]*sed*

dormiam cum patribus meis, et auferas me de terra hac (in Hebraico et Graeco *de Aegypto*), *condasque* me (Hebraicus et Graecus) *in sepulchro maiorum meorum* (pro *maiorum meorum* in Hebraico et Graeco *eorum*). *Cui respondit Ioseph: Ego faciam quod iussisti,* LXX accuratius ὁ δὲ εἶπεν· Ἐγὼ ποιήσω κατὰ τὸ ῥῆμά σου. [31]*Et ille: Iura ergo* (deest *ergo* in Hebraico et Graeco), *inquit, mihi. Quo iurante, adoravit Israel Deum* (deest *Deum* in Hebraico), *conversus ad lectuli caput,* עַל־רֹאשׁ הַמִּטָּה, LXX καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, עַל־רֹאשׁ מַטֵּהוּ. — Iacob in terra Chanaan sepeliri voluit, quia posteri sui eam possessuri erant (cf. pag. 335). Licentiam cadaveris transportandi autem Ioseph dare vel saltem a Pharaone obtinere potuit, quare Iacob eum rogavit, ut transportationem promitteret ac promissionem iuramento firmaret. Quo facto Iacob adoratione Deo et filio suo gratias egit.

Pro וַיְּהִי Kittel cum Samaritano וַיְּהִיוּ legendum iudicat. — Hagiographus in ℣. 29 notat, tempus moriendi Iacobo appropinquasse, et in ℣. 31 innuit, eum propter senectutem viribus desertum fuisse: non tamen dicit, eum aegrotasse. Quod Iacob nihilominus filium suum vocavit (cf. pag. 341), ut cum eo de sepultura tractaret, non mirabile est, cum hodie quoque multi senes iam longe ante horam mortis res suas ordinent, et Ioseph a patre remotus habitaret. Secundum 48, 1 autem Iacob aegrotavit, quod Iosepho nuntiatum est, qui mox cum Manasse et Ephraim ad moriturum perrexit. Qui hos textus comparaverit et iuxta usum loquendi explicaverit, in 47, 29—31 et 48, 1 non duos scriptores (ut Gunkel 425 aliique) sed unum reperiet, qui tamen de diversis temporibus loquitur. — *Facies mihi gratiam et fidelitatem* = promitte mihi beneficium et promissum fideliter serva (cf. Lapide). — Desiderium Iacobi naturale est; nostris quoque diebus multi homines in sepulchro maiorum sepeliri et in terris externis commorantes post mortem in patriam transportari volunt (cf. Gunkel). — Quare Ioseph iurare debuit? Secundum Gunkel, quia transportatio cadaveris difficilis et politice periculosa erat; probabilius iuxta Lapide, ut Ioseph hoc iuramentum „apud Pharaonem possit praetexere, si Iacobi corpus in Aegypto retinere vellet". — ℣. 30 forsitan sic melius vertitur: *sed, si dormiero cum patribus meis, auferas me* etc. (cf. 49, 29; Gunkel, Holzinger, Strack[2]). — *In sepulchro maiorum meorum,* cf. 49, 30 hebr. 31. Inter 47, 30 et 50, 5. 11 non adesse contradictionem, ipse Gunkel contra Holzinger confiteri debet.

In ℣. 31 וַיִּשְׁתַּחוּ (cf. pag. 480) *et adoravit* de inclinatione profunda intelligimus (cf. pag. 283), qua Iacob Iosepho iuranti atque Deo Iosephum gratiosum reddenti gratias egit. Secundum S. Chrysostomum hac adoratione praedictio 37, 9 impleta est. Quomodo autem adoravit? Iuxta

textum Masorethicum et Latinum Vulgatae *ad caput lectuli,* in quo sedebat; similiter David *in lectulo suo* adorasse legitur (3 Reg. 1, 47). Hanc sententiam Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger, Hummelauer, Strack[2] aliique defendunt. Sed quare Iacob *ad caput* lectuli adoravit, quod de Davide non narratur? Holzinger putat, in capite lectuli forsitan *teraphim* i. e. penates collocatos fuisse; sed haec opinio non solum demonstrari nequit, ut iam Gunkel notavit, sed fidei Iacobi omnino contraria est (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 408). Iuxta textum Graecum, Syrum, Latinum Italae necnon Latinum Vulgatae in Hebr. 11, 21 *adoravit fastigium virgae eius* vel potius *προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ* (Hebr. 11, 21), i. e. innixus in summitatem baculi sui vel Iosephi se inclinavit, quia propter aetatem aliter non potuit. Bisping cum aliis exegetis antiquioribus istum locum S. Pauli sic explicat: „Iacob in filio suo Iosepho, domino Aegypti, futurum dominium Christi praevidit et fidem suam in illud eo monstravit, quod baculum i. e. sceptrum Iosephi adoravit." Si circumstantias historicas consideramus, prior; si ad textum Paulinum respicimus, altera explicatio probabilior videtur. Nullo modo igitur ex Gen. 47, 31 demonstrare possunt, sensum biblicum verbalem esse multiplicem (cf. Epitome, pag. 98).

C. 48. ℣℣. 1—7. **His ita transactis,** LXX accuratius *ἐγένετο δὲ μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα, nunciatum est Ioseph quod aegrotaret pater suus: qui, assumptis duobus filiis Manasse et Ephraim, ire perrexit,* LXX *καὶ ἀναλαβὼν τοὺς δύο υἱοὺς αὐτοῦ . . . ἦλθεν πρὸς Ἰακώβ* (ultima 3 verba in Hebraico desunt). [2]*Dictumque est seni,* LXX *ἀπηγγέλη δὲ τῷ Ἰακὼβ λέγοντες· Ecce filius tuus Ioseph venit ad te: Qui confortatus,* LXX accuratius *καὶ ἐνισχύσας Ἰσραήλ, sedit in lectulo.* [3]*Et ingresso ad se ait,* LXX accuratius *καὶ εἶπεν Ἰακὼβ τῷ Ἰωσήφ· Deus omnipotens,* אֵל שַׁדַּי (cf. pag. 271), *apparuit mihi in Luza, quae est in Terra Chanaan: Benedixitque mihi,* [4]*et ait* mihi: ecce (Hebraicus et Graecus) *Ego te augebo* vel fecundum faciam *et multiplicabo, et faciam te in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, et semini tuo post te in possessionem sempiternam* (cf. pag. 415 ss.; 498 ss.). [5]*Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in Terra Aegypti antequam huc* (pro *huc* in Hebraico et Graeco *in Aegyptum*) *venirem ad te, mei erunt: Ephraim et Manasses, sicut Ruben et Simeon reputabuntur* vel potius erunt (Hebraicus et Graecus) *mihi.* [6]*Reliquos autem,* LXX accuratius *τὰ δὲ ἔκγονα, quos genueris post eos, tui erunt, et nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.* [7]*Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso* (deest

ipso in Hebraico et Graeco) *itinere, eratque vernum tempus: et ingrediebar Ephratam* vel potius et erat adhuc k^e^bara terrae usque Ephratam (cf. pag. 502), *et sepelivi eam* ibi (Hebraicus) *iuxta viam Ephratae, quae alio nomine appellatur Bethlehem* (loco ultimorum 5 verborum in Hebraico et Graeco *haec est Bethlehem*).

Ioseph patrem suum aegrotare audiens cum Manasse et Ephraim eum visitavit et tanto gaudio affecit, ut confortatus in lectulo sedere posset (Hummelauer cum Lapide). Iacob promissionem divinam recolens duos filios maiores Iosephi adoptavit, ut ita perdilecta Rachel morte praematura sibi ablata tres filios haberet, qui in gentes seu tribus proprias accrescerent et in divisione terrae promissae partes separatas acciperent (Lapide).

Iam pag. 647 notavimus, hagiographum hanc visitationem Iosephi a priore distinguere; quantum temporis spatium inter utramque praeterierit, e textu erui nequit (Hoberg). — Loco singularis וַיֹּאמֶר in ℣. 1 atque וַיַּגֵּד . . . וַיֹּאמֶר in ℣. 2 Kittel cum Gesenius-Kautzsch 46δ forsitan pluralem legendum putat. — Manassen et Ephraim Ioseph secum sumpsit, quia maiores natu erant. — Iacob ob sequentia (cf. ℣. 13ss.) Ephraim ante Manassen nominat. — *Sicut Ruben et Simeon erunt* = separatas in divisione terrae partes accipient; Manasses et Ephraim maiores natu Iosephi, Ruben et Simeon maiores natu Iacobi erant. — Reliqui, quos Ioseph post adventum Iacobi genuit (Strack aliique), cum Manassitis aut Ephraimitis numerabuntur atque in partibus eorum habitabunt. — Primogenitus principatum, duplices partes, benedictionem peculiarem accipiebat (cf. pag. 382). Ruben autem peccato suo post mortem Rachelis commisso primogenitura se indignum reddidit (cf. pag. 505). Quapropter Iacob principatum et benedictionem peculiarem Iudae (cf. 49, 8—12), duplices partes tamen Iosepho contulit. — ℣. 7 e textu Hebraico sic vertendus erat: nam ego, quando veniebam e Paddan, mortua est mihi, עָלַי i. e. cum dolore meo (cf. Gesenius 1025) Rachel etc.; Graecus *mihi* omittit. — Post *Paddan* Samaritanus et Graecus addunt *Aram* (cf. pag. 375s.). — Post *Rachel* Samaritanus et Graecus addunt *mater tua.* — Ultima verba *haec est Bethlehem* non ab Iacobo dicta, sed ab hagiographo addita sunt (Hummelauer).

Qualis est nexus inter ℣. 7 et ℣℣. antecedentes? Hoberg et Hummelauer cum plurimis antiquioribus exegetis, catholicis et protestantibus (cf. Dillmann), in ℣. 7 rationem indicatam censent, ob quam Iacob duos filios Iosephi adoptavit. Rachel, inquit, „mihi praemature erepta et mortua est, cum adhuc plures mihi parere potuisset filios, ideoque eorum loco filios tuos in meos mihi illique adopto“ (Lapide). Cur autem duos tantum, non plures filios Iosephi adoptavit? Forsitan hae sententiae invicem

comparatae rationem pandunt: *filii tui, qui nati sunt tibi in Terra Aegypti antequam in Aegyptum venirem* (Ѷ. 5) atque *mortua est Rachel mater tua in terra Chanaan in itinere, et erat adhuc kebara terrae usque Ephratam* (Ѷ. 7). — Dillmann, Gunkel, Holzinger cum aliis negant, inter Ѷ. 7 et ѶѶ. antecedentes nexum adesse, dissentiunt tamen declarantes quomodo Ѷ. 7 in hunc contextum venerit. Gunkel opiniones virorum Bruston, Budde, Dillmann reiiciens duas recensiones statuit: iuxta unam Iacob in sepulchro maiorum suorum (47, 29—31), iuxta alteram in sepulchro Rachel (48, 7) sepeliri voluit. Quam sententiam Holzinger recte repudiat, quia cum 50, 5. 11. 13 et cum constanti traditione Iudaeorum pugnat. Ipse Ѷ. 7 glossam e 35, 16—19 desumptam declarat. At, si Ѷ. 7 reapse cum aliis ѶѶ. non cohaeret, quomodo in hoc contextu inseri atque etiam ab omnibus viris doctis Iudaeorum retineri potuit?

ѶѶ. 8—12. **Videns autem** Israel (Hebraicus et Graecus) *filios eius* (pro *eius* in Hebraico et Graeco *Ioseph*) *dixit ad eum* (deest *ad eum* in Hebraico et Graeco): *Qui sunt isti* tibi (Samaritanus et Graecus)? [9]*Respondit* autem Ioseph patri suo (Hebraicus et Graecus): *Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco* (LXX accuratius ἐνταῦθα). *Adduc, inquit, eos ad me, ut benedicam illis.* [10]*Oculi enim Israel caligabant prae nimia* (deest *nimia* in Hebraico et Graeco) *senectute, et clare* (deest *clare* in Hebraico et Graeco) *videre non poterat. Applicitosque ad se, deosculans et circumplexus eos,* [11]*dixit ad filium suum,* LXX accuratius καὶ ἤγγισεν αὐτοὺς πρὸς αὐτόν, καὶ ἐφίλησεν αὐτοὺς καὶ περιέλαβεν αὐτούς. [11]Καὶ εἶπεν Ἰσραὴλ πρὸς Ἰωσήφ· *Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuum* (similiter LXX), in Hebraico: videre faciem tuam non existimavi, et ecce fecit videre me Deus etiam semen tuum. [12]*Cumque tulisset eos Ioseph de gremio patris* (LXX accuratius ἀπὸ τῶν γονάτων αὐτοῦ), *adoravit* vel adoraverunt (Samaritanus, Graecus et Syrus) *pronus in terram.* — Iacob filios Ioseph conspexit sed non cognovit, quia propter senectutem non clare videre poterat (cf. pag. 396 s.; Hummelauer, Hoberg). Ioseph ad patrem eos adduxit et mox cum eis se prosternens pro benevolentia singulari gratias egit.

Gunkel 425 hic contradictionem invenit, scilicet: iuxta ѶѶ. 8ª et 11 Iacob vidit, iuxta Ѷ. 10ª vero non vidit. Experientia tamen docet, quomodo istae assertiones intelligendae sint. Multi senes enim res obscure quidem videre, sed non clare distinguere possunt, ita ut etiam personas alioquin sibi notas at longinquius stantes non cognoscant. —

Idem Gunkel 427 cum Dillmann contra Strack[2] asserit, Iacobum filios Iosephi antea numquam vidisse, cum mox post adventum suum mortuus sit. Sed Iacobum mox mortuum esse, falsum est (cf. pag. 646); eum decurrentibus 17 annis filios Iosephi numquam vidisse, psychologice impossibile est. — Bene ad ℣. 11 Gunkel notat: „Narrator tale verbum cum gaudio retulit; postquam cum sene Iacob in maerore fuimus, certiores fieri debemus, Deum lacrimas eius abstersisse atque dolorem eius in gaudium convertisse." — E ℣. 12 Dillmann, Gunkel, Holzinger inferunt, filios Iosephi in genibus Iacobi sedisse ideoque adhuc parvulos fuisse; at secundum 41, 50; 45, 11; 47, 28 fuissent iam iuvenes saltem 20 annorum (Hoberg cum Lapide): ergo iterum contradictio textuum adest. Respondeo: e ℣. 12 nequaquam (Strack)[2] sequitur, filios Iosephi in genibus sedisse ideoque adhuc parvulos fuisse; si „Ephraim et Manasse accedentes ad avum Iacobum, prae senio sedentem in lecto, genu flexerant caputque in gremium eius demiserant" (Lapide et Hummelauer) hagiographus iure scribere potuit, Iosephum eos de gremio vel genibus patris tulisse. Potuerunt igitur etiam iuxta ℣. 12 plus quam 20 annorum esse. Contradictio non adest. — Tulit autem eos Ioseph, ut in terram se prosternerent itaque pro adoptione necnon pro verbis amore plenis versus 11^{b} gratias agerent. Secundum Dillmann Ioseph rite ad dexteram et sinistram patris filios disponere voluit; Hummelauer hoc „lepidius quam verius" dicit.

℣℣. 13—16. Et posuit, in Hebraico (cf. et Graecum): et sumpsit Ioseph ambo, *Ephraim ad dexteram suam* vel potius in dextera sua (Hebraicus, cf. et Graecum), *id est* (deest *id est* in Hebraico et Graeco), *ad sinistram Israel: Manassen vero in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris,* in Hebraico et Graeco: ad dexteram Israel, *applicuitque ambos* (LXX *αὐτούς,* Hebraicus omittit) *ad eum.* [14]*Qui* (in Hebraico et Graeco *Israel autem*) *extendens manum* (*manum* deest in Hebraico) *dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris* (LXX accuratius *αὐτος δὲ ἦν ὁ νεώτερος*): *sinistram autem super caput Manasse qui maior natu erat, commutans* vel potius decussatim collocans, שִׂכֵּל, *manus* suas (Hebraicus). [15]*Benedixitque Iacob* (deest *Iacob* in Hebraico et Graeco) *filiis Ioseph* (Hebraicus omittit *filiis,* Graecus pro *filiis Ioseph* habet *αὐτούς*), *et ait: Deus, in cuius conspectu ambulaverunt patres mei Abraham et Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in praesentem diem:* [16]*Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis* (deest *istis* in Hebraico): *et invocetur super eos* vel potius et vocetur in eis (Hebraicus et Grae-

cus) *nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, et Isaac, et crescant in multitudinem super terram.*

Pars dextera communiter praestantior habetur, et per manum dexteram plura ac meliora bona conferri censentur, „manus enim dextera nobilior, potior et robustior est quam sinistra“ (Lapide); unde patet cur Ioseph primogenitum ad dexteram, secundogenitum autem ad sinistram patris statuerit. Sed Iacob „prophetice praefert iuniorem Ephraim seniori Manasse“, ideoque „in modum crucis“ manus collocat (Lapide). Ter Deum invocat; nam *Angelus* non est Angelus custos, ut Lapide aliique putarunt, sed ipse Deus, quemadmodum S. Chrysostomus, Dillmann, Hummelauer, Holzinger aliique (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 470) docent. De phrasi *in cuius conspectu ambulaverunt patres mei* videas pag. 271. Apte pastor Iacob Deum custodientem, gubernantem, providentem cum pastore comparat (cf. Dillmann); *Angelum* autem eum vocans ad luctationem cum Deo alludit (cf. pag. 472). Triplici invocationi Dei triplex donorum collatio respondet: benedicantur a Deo (cf. pag. 16); vocentur in eis nomina Iacobi et Isaaci et Abrahae, i. e. numerentur inter genuinos posteros patriarcharum, licet in Aegypto de Aegyptia nati sint (cf. Gunkel); multiplicentur valde super terram. Conferas pag. 419 triplicem promissionem Iacobi triplici promissioni Dei respondentem.

Gunkel 425 asserit, verba *et sumpsit Ioseph ambo* in ℣. 13 cum ℣. 9ᵇ coniungenda esse, ita ut bis narretur, quomodo Ioseph voluntatem patris fecerit: in 10ᵇ et 13ᵃ. At Gunkel nullo argumento demonstrare potest, versum 13ᵃ non cum ℣. 12, sed cum ℣. 9ᵇ coniungendum esse. „Quod gratis asseritur, gratis negatur“, et retinetur coniunctio textus obvia. — שִׂכֵּל non solum *prudenter fecit,* verum etiam *decussatim collocavit* significat (cf. Dillmann, Buhl). — Impositio manuum est symbolum collationis donorum (cf. Siegfried-Guthe 238, Dillmann). Gunkel in hac impositione manuum antiquissimam ideam huius ritus benedicendi, scilicet: per manum virtutem occultam transire, clare quidem conspicit; at verba textus iuxta principia hermeneuticae generalis explicata istam ideam non continent. — Secundum textum Hebraicum filii Ioseph benedicendi erant (℣. 13ᵇ), sed reapse Ioseph benedicitur, quare Dillmann diversos scriptores odoratur. At textus Graecus αὐτούς habet; ita in Hebraico quoque legendum esse, Kittel iudicat. — Gunkel affirmat, in ℣. 15 originaliter scriptum fuisse *Deus, qui in conspectu patrum meorum*

ambulavit, cum verba ita cum sequentibus melius conveniant; sed cum contextu (cf. pag. 271) etiam haec verba bene congruunt: *Deus, in cuius conspectu ambulaverunt patres mei* = Deus „Abrahae et Isaac coniunctissimus" (Hummelauer) benedicat etc. — Verba *pascendi* et *eruendi* seu redimendi in hoc loco primum Deo tribuuntur (Hoberg), in libris posterioribus autem saepius recurrunt. — Verbum *pascendi* non solum de pluribus, ut Gunkel asserit, sed etiam de uno pronuntiari potest; ceterum etiam familiares Iacobi intelligi possunt: *usque in praesentem diem* dicit.

Idem, qui in ℣. 15 bis *Deus* vocatur, in ℣. 16 *Angelus* nominatur (cf. pag. 472 et 652). Atqui Angelus, מַלְאָךְ (ab inusitato לָאַךְ *misit, legavit*) essentialiter missum seu legatum significat, quod omnes philologi concedunt (cf. Buhl, Fürst, Gesenius). Iuxta usum loquendi universalem et constantem autem nemo semetipsum mittere seu legare dicitur; missus seu legatus et mittens seu legans sunt semper personae realiter distinctae. Ergo in hoc loco saltem duae personae divinae obscure insinuantur: persona mittens seu legans atque persona missa seu legata. — Gunkel cum Dillmann affirmat, in hac benedictione ut in benedictione sacerdotali (cf. Num. 6, 24ss.) non sine ratione ter Deum invocari, quam affirmationem libenter subscribimus. Quod si tamen adiungit, nobis rationem ignotam esse, usum loquendi et contextum considerare noluit. In hoc loco duae personae divinae insinuantur, quemadmodum vidimus; etiam 1, 26 (pag. 17s.), 3, 22 (pag. 87s.), 11, 6ss. (pag. 206ss.), 19, 24 (pag. 300s.) mysterium Trinitatis obscure docetur. Propterea censemus, mysterium Trinitatis esse rationem triplicis invocationis, licet homines V. T. claram Trinitatis notitiam non habuerint (cf. pag. 18, notam).

℣℣. 17—20. Videns autem Ioseph *quod posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, graviter accepit* (וַיֵּרַע בְּעֵינָיו): *et apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, et transferre super caput Manasse,* LXX accuratius *καὶ ἀντελάβετο Ἰωσὴφ τῆς χειρὸς τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἀφελεῖν αὐτὴν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς Ἐφραὶμ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν Μανασσῆ.* [18]*Dixitque* Ioseph (Hebraicus et Graecus) *ad patrem* suum (Hebraicus et Graecus): *Non ita convenit* (deest *convenit* in Hebraico et Graeco), *pater* mi (Hebraicus): *quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius.* [19]*Qui* (in Hebraico *pater eius*) *renuens, ait: Scio fili mi, scio: et iste quidem* (deest *quidem* in Hebraico et Graeco) *erit in populos* vel potius populum (Hebraicus et Graecus), *et multiplicabitur* vel magnus erit (Hebraicus): *sed frater eius minor, maior erit illo: et semen illius crescet in gentes,* LXX accuratius *καὶ τὸ σπέρμα αὐτοῦ ἔσται εἰς πλῆθος*

ἔθνῶν. [20]*Benedixitque eis in tempore* vel potius d i e (Hebraicus et Graecus) *illo, dicens: In te* (LXX ἐν ὑμῖν) *benedicetur* (ita et Graecus, Syrus aliique; Hebraicus *benedicet*) *Israel, atque dicetur* (לֵאמֹר, λέγοντες): *Faciat tibi* vel potius t e (Hebraicus et Graecus) *Deus sicut Ephraim, et sicut Manasse. Constituitque Ephraim ante Manassen.* — Ioseph putavit, patrem propter caecitatem manus ita collocasse. Iacob respondit, se consulto ita fecisse, eoquod minor Ephraim magis multiplicandus esset, quam maior Manasses; deinde benedictionem post verba *et crescant in multitudinem super terram* (℣. 16) ab Iosepho interruptam absolvit adiungens: Deus tantum vos multiplicet, ut illi qui alicui prolem copiosam exoptare voluerint, dicant: „Multiplicet te Deus, sicut multiplicavit Ephraim et Manassem" (Lapide, Hummelauer). Haec formula hodie quoque ab Iudaeis adhibetur (Strack[2]).

In ℣. 20 pro בְּךָ *in te* Kittel cum Graeco בָּכֶם *in vobis* emendat. Dillmann lectionem Masorethicam retinet ac deinde eam alii scriptori adiudicat. At, etiamsi lectiones *benedixitque eis* atque *in te* retineamus, non duo scriptores postulandi sunt; nam „Ioseph est Ephraim et Manasse, Ephraim et Manasse sunt Ioseph" (Strack[2]).

℣℣. 21. 22. Et ait I s r a e l (Hebraicus et Graecus) *ad Ioseph filium suum* (deest *filium suum* in Hebraico et Graeco): *En ego morior, et erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum* (cf. pag. 625). [22]*Do tibi partem,* שְׁכֶם, σίκιμα, *unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio* m e o (Hebraicus) *et arcu meo.* — Sensus obvius versus 22 est, Iacobum filio suo dilecto partem quandam terrae donare, quam ex Amorrhaeis vi tulerat (Pererius, Lapide, Dillmann, Gunkel, Holzinger). In 33, 19 legimus, Iacobum partem agri, in qua tabernaculum suum fixerat, a filiis Hemor patris Sichem, שְׁכֶם, centum kesitis emisse (cf. pag. 483s.). Postea autem filii Iacobi urbem Sichem vastarunt et exspoliarunt (pag. 491), Iacob in Bethel ascendit (pag. 496), Deus Chananaeis timorem incussit, ne Iacobum recedentem aggredi auderent (pag. 498). Valde probabile est, Chananaeos tunc agrum saltem Iacobi occupasse, ita ut Iacob e Bethel rediens Amorrhaeis (= Chananaeis, cf. pag. 262) eum vi eripere deberet. Ita iam Pererius et Lapide. Si haec pugna Iacobi a l i b i n o n n a r r a t u r, iuxta praecepta

logica non sequitur, eam non commissam fuisse; in ℣. 22 clare pugna supponitur (Pererius).

Haec sententia iis confirmatur, quae Ios. 24, 32 legimus: *Ossa quoque Ioseph, quae tulerant filii Israel de Aegypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Iacob a filiis Hemor patris Sichem, centum novellis ovibus* (cf. pag. 485), *et fuit in possessionem filiorum Ioseph.* Iuxta hunc locum igitur (cf. Gunkel 429) pars agri Iosepho et filiis eius ad possidendum data (Gen. 48, 22) fuit illa, quam Iacob emerat (Gen. 33, 19). — Hoberg cum Hummelauer ulterius progreditur et in Gen. 48, 22 pro בְּחַרְבִּי וּבְקַשְׁתִּי *in gladio meo et in arcu meo* iuxta Gen. 33, 19 scribit בְּמֵאָה קְשִׂיטָה *pro centum kesitis.* Sed haec mutatio textus ceteris viris doctis recte displicet, quia iuxta principia critica lectio difficilior retinenda est, praesertim si apud omnes testes criticos invenitur, uti haec lectio (cf. Bibelkritik, pag. 174. 178). — Gunkel in 33, 19 et 34, 27—29 et 48, 22 tres traditiones invicem independentes videt, quarum prima emptionem agri iuxta Sichem, secunda et tertia occupationem prius imperfectam, deinde perfectam urbis Sichem enarrent; scriptorem Ios. 24, 32 primam et tertiam traditionem coniunxisse dicit. E contrario Holzinger 216. 255 cum Dillmann asserit, in 34, 27—29 et 48, 22 duas relationes diversas eiusdem facti contineri: iuxta 48, 22 Iacobum facinoris filiorum participem fuisse (Holzinger 216). Verumtamen, haec assertio logice frivola et moraliter impudens est. Etenim Iacobum facinoris filiorum participem fuisse, in 34, 30 et 49, 5—7 directe excluditur, in 48, 22 autem nullo vocabulo innuitur. Sine causa vero quendam gravissimi criminis accusare, reapse impudens est. — Strack[2] cum Hebraeis quibusdam (cf. Lapide) perfectum propheticum accipit et futuram occupationem intelligit, quae tamen opinio cum contextu non bene congruit et communiter repudiatur. — Alias explicationes improbabiles Lapide enumerat ac reiicit. — שְׁכֶם = humerus, metaphorice = tractus terrae elatior (cf. Gesenius. 1407); Iacob hac expressione ad nomen *Sichem* (cf. pag. 225) alludit. — Conferas Ioan. 4, 5: *Venit ergo in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar: iuxta praedium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.*

Gunkel 427 asseverat, in ℣℣. 8—20 fabulam *αἰτιολογικήν* (cf. pag. 646) narrari: filios Iosephi fortitudine, numero, terra celeberrimos fuisse; huius facti rationem a scriptore versuum in benedictione Iacobi inveniri. Respondeo: iam interpretes antiquiores notarunt, in ℣℣. 8—20 rationem indicari, ob quam Ephraim et Manasses tam potentes fuerint; istam rationem fabulosam esse, Gunkel asserit quidem sed more suo (cf. pag. 341) non demonstrat.

C. **49.** ℣℣. **1. 2. Vocavit autem Iacob** *filios suos, et ait eis (*deest *eis* in Hebraico): *Congregamini, ut annunciem* vobis (Hebraicus et Graecus) *quae ventura sunt vobis in diebus novis-*

simis. [2]*Congregamini, et audite filii Iacob, audite Israel patrem vestrum.* — Filios a moriente patre vel matre vocari, admoneri, benedici, experientia abunde ostendit (Hummelauer cum Lapide). Iacob filiis suis nunciat ea, quae *diebus novissimis* eis ventura sint, i. e. diebus Iosue, Iudicum, Messiae (Lapide, Hummelauer, Hoberg).

Quantum temporis spatium inter adoptionem et benedictionem filiorum Iosephi et hanc prophetiam praeterierit, e textu erui nequit (Hoberg). — Holzinger negat, in sequentibus prophetias contineri, quam negationem Gunkel 429 „valde superficialem" vocat; idem Holzinger phrasim *in diebus novissimis* cum Stärk glossam declarat, at Dillmann eam ut a contextu postulatam retinet. — Gunkel 429 „vaticinia ex eventu" i. e. descriptiones temporis narratori praesentis in ore proavi positas agnoscit; at tempore Moysis, qui librum Genesis scripsit (cf. introductionem) res in ℣℣. sequentibus praenuntiatae nondum praesentes erant. „Manet igitur illud unum, concludit Hummelauer 585, ut supremum Iacobi alloquium fluxerit e scientia futurorum revelatione acquisita." — Protestantes recentiores, utpote rationalistae, „non vaticinia et oracula, sed aut confictas post eventus praedictiones aut ex naturali vi praesensiones" statuunt atque „huiusmodi portenta errorum . . . tamquam decretoria pronuntiata novae cuiusdam scientiae liberae obtrudunt" (Leo XIII, Providentissimus pag. 27. 29). — In ℣. 2 prius *et audite* Gunkel serius additum, plerique alii tamen originaliter scriptum censent.

℣℣. 3. 4. **Ruben primogenitus meus,** *tu fortitudo mea, et principium doloris mei* vel roboris mei אוֹנִי (LXX *καὶ ἀρχὴ τέκνων μου*): *prior in donis, maior in imperio,* in Hebraico: excellens dignitate et excellens robore. [4]*Effusus es sicut aqua, non crescas* vel potius efferbuisti, פָּחַזְתָּ (ita Samaritanus, Graecus aliique; Masorethicus habet פַּחַז i. e. ebullitio) ut aqua, ne sis excellens: *quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum eius,* LXX *τότε ἐμίανας τὴν στρωμνὴν οὗ ἀνέβης.* — Iacob Rubenum propter incestum cum Bala commissum (cf. pag. 505) iure primogeniturae spoliat (Lapide aliique). „Quod egregie comprobavit eventus, cum tribus Ruben nunquam, ne iudicum quidem aevo, primatum obtinuerit" (Hummelauer, Dillmann aliique).

Holzinger cum Dillmann et Stade putat, lapsum tribus Ruben fabulose ut consequentiam exsecrationis Iacobi proponi; cui opinioni testimonium Moysis (cf. introductionem) obstat. — *Primogenitus meus* = *fortitudo mea* i. e. effectus fortitudinis virilis (Lapide, Dillmann) = *prin-*

cipium roboris mei i. e. primus filiorum meorum (Lapide, Hummelauer). S. Hieronymus אוֹנִי ab אָוֶן *dolor,* non ab אוֹן *robur* derivavit. Ad *prior in donis, maior in imperio* Hummelauer cum Lapide supplet: esse debebas. Videas iura primogeniturae pag. 382 enumerata. — *Efferbuisti ut aqua* Hummelauer cum Lapide aliisque plurimis de impetu libidinis intelligit. — Ad *non crescas* vel *ne sis excellens* Lapide scribit: „Disce hic primo, seram esse Dei vindictam, sed numquam irritam. Ecce sceleris Ruben post 40 annos, quam fuerat ab eo patratum et a Iacob dissimulatum, vindicta et poena pronuntiata est. Secundo, quam vili de causa homines maxima bona perdant. Nonne Ruben omnia primogeniturae bona amisit brevissimae voluptatis turpissima mercede? nonne eadem amisit Esau per lentis edulium?“ — De incestu Rubeni cf. pag. 505. — In Ṽ. 3 pro שְׂאֵת *dignitas* Gunkel שְׂאֵת et Kittel שְׂאָה *strepitus* punctant; at lectio Masorethica et versionum bonum habet sensum, quem Gunkel non videt. — In Ṽ. 4 pro תּוֹתַר Ball cum Syro niphʿal תִּוָּתַר punctat. — Ultima verba textus Masorethici sic vertenda sunt: *tunc profanasti,* חִלַּלְתָּ, *stratum meum ascendit,* עָלָה. Licet talis mutatio personarum possibilis sit (cf. Gesenius-Kautzsch 470), tamen offendit, quod verbum *profanasti* sine obiecto est (Ball, Bachmann). Emendo cum Graeco et Syro עָלִיתָ atque verto: *tunc profanasti stratum meum quod ascendisti* (similiter iam Bachmann). Dillmann pronuntiare vellet חֻלַּלְתָּ *profanatus es* = iure primogeniturae indignus redditus es; Gunkel חִלַּלְתִּי *profanavi* scribit, ut sit sensus: tunc stratum meum, quod ascendit, exsecratus sum. Alii pro יְצוּעִי עָלָה scribunt יְצוּעֵי בִלְהָה (cf. Kittel) vel יְצוּעֵי יוֹלַדְתְּךָ (cf. Ball). At hae similesque (cf. Bachmann) mutationes testimonio antiquissimarum versionum (Graecae, Latinae et Syrae) omnino destitutae, ergo valde improbabiles sunt.

ṼṼ. 5—7. **Simeon et Levi fratres:** *vasa iniquitatis bellantia,* LXX *συνετέλεσαν ἀδικίαν ἐξ αἱρέσεως* (cf. Brooke et Swete) *αὐτῶν.* [6]*In consilium eorum non veniat anima mea, et in coetu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum,* in Hebraico et Graeco: et in arbitrio suo enervarunt bovem. [7]*Maledictus furor eorum, quia pertinax* vel potius vehemens (Hebraicus): *et indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Iacob, et dispergam eos in Israel.* — Simeon et Levi, qui communi furore et consilio et opera homines animaliaque urbis Sichem pessime tractaverant, a patre iterum (cf. pag. 492) et vehementer vituperantur atque ad dispersionem inter fratres suos damnantur (cf. Strack[2]). Praedictio Iacobi impleta est, quatenus tribus Levi non in separata parte terrae sed in urbibus per totam terram dispersis

habitavit (cf. Num. 35, 2ss.; Ios. 21, 1ss.); tribus Simeon autem „sedes in medio tribus Iuda" (cf. Ios. 19, 1ss.) accepit et cum „excrevisset, novas sedes quaesivit, et pars in Gador, pars in montem Seir abiit" (cf. 1 Par. 4, 39—43). Ita Lapide et Hoberg.

Simeon et Levi erant *fratres* „non tantum germani natura, sed simillimi et coniunctissimi scelere, puta feritate, audacia, dolo, crudelitate in Sichimitas" (Lapide; similiter Hummelauer, Holzinger). — Pro כְּלֵי *vasa, instrumenta, arma* LXX et Samaritanus legerunt כִּלּוּ *consummaverunt.* — Loco *bellantia* in Hebraico מְכֵרֹתֵיהֶם scriptum est. Quid מְכֵרָה in hoc tantum loco occurrens significet, incertum est (Buhl). Multi antiquiores ac recentiores machaeram *(μάχαιραν)* vel gladium vel aliud genus armorum intelligunt, vocabulum a כּוּר = כָּרָה *fodit, perfodit* (Gesenius) derivantes; Frd. Delitzsch assyr. *kâru* = caedere citat. Eadem significatione vocabulum Vulgatae *bellantia* accipiendum videtur, quia S. Hieronymus in Quaest. hebr. *arma eorum* vertit. Alii plures ad linguam Arabam provocantes (cf. Gesenius 672, Dillmann) consilia prava seu machinationes interpretantur. Ball מִכְרָה (a כָּרָה *fodit*) machinationem accipit et scribit כִּלּוּ חֲמַס מִכְרֹתָם = consummant iniquas machinationes suas; Gunkel emendat כְּלֵי וְחָמָס מִכְרֹתֵיהֶם = malitia et vis sunt foveae eorum. Inter varias has coniecturas prima probabilior videtur; vertimus igitur: instrumenta iniquitatis (= instrumenta iniquitati servientia) sunt arma eorum. — Quid LXX legerint, ut ἐξ αἱρέσεως (secundum Lagarde ἐξαιρέσεως) vertere potuerint, non liquet. — In ℣. 6ª *gloria mea,* כְּבֹדִי, iuxta Hummelauer, Strack[2] aliosque animam significat, ut in Ps. 7, 6; 15, 9; 29, 13; 56, 9 (cf. Buhl); LXX tamen τὰ ἥπατά μου vertentes legerunt כְּבֵדִי *iecora mea* (= affectus meus vel cor meum, Dillmann cum Delitzsch): hanc lectionem Dillmann et Gunkel probabiliorem iudicant, quia etiam in Assyriaco *kabidtu* vel *kabittu* (כָּבֵד) cum *napištu* (נֶפֶשׁ) componitur. Pro fem. תֵּחַד cum Samaritano masc. יֵחַד scribendum videtur (Gunkel). Sensus igitur versus 6ª invenitur: neque anima mea consilii eorum neque affectus meus operae communis eorum particeps sit. — In ℣. 6ᵇ *virum,* אִישׁ, est singularis collectivus. Pro בִּרְצֹנָם habet Syrus et Ball בְּעֶבְרָתָם, Lagarde בַחֲרֹנָם; sed mutatio non necessaria est (cf. Holzinger). — Hummelauer et Hoberg lectionem Aquilae, Symmachi, Syri, Latini *suffoderunt murum,* שׁוּר, retinent; plerique tamen recentiores lectionem Masorethicam et Graecam *enervarunt bovem,* שׁוֹר, praeferunt, quae per Ios. 11, 6. 9 et 2 Reg. 8, 4 commendatur.

Cum in 34, 28s. legamus, filios Iacobi pecora et boves et asinos Sichimorum captivos duxisse (cf. pag. 491), Dillmann cum Knobel inter duas relationes contradictionem invenit. Reapse tamen contradictio non

adest, ut iam Strack[2] notavit, quia ibi non omnia animalia abducta narrantur: filii Iacobi meliora abduxerunt, reliqua enervarunt. — Reprobatio facti hic multo severior est quam 34, 30, cuius rei causam pag. 492 in nota attulimus. — „Haec maledictio a Levi et Levitis sublata est per zelum tum Mosis et Aaronis aliorumque Levitarum in caede adorantium vitulum aureum tum Phinees Levitae, qui Hebraeum incestantem Madianitidem occidit et Beelphegor evertit (Num. 25, 5 ss.), ideoque tribus Levi et sacerdotium et benedictionem a Mose accepit (Deut. 33, 10). In Simeone vero remansit haec maledictio propter fornicationem et idololatriam Zambri, qui fuit dux tribus Simeonis, quem occidit Phinees (Num. 25). Unde solus Simeon a Mose non fuit benedictus (Deut. 33)." His verbis Lapide ad ea respondet, quae longe post mortem eius Dillmann et Gunkel moverunt.

℣℣. **8—12. Iuda,** יְהוּדָה, *te laudabunt,* יוֹדוּךָ, *fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui.* [9]*Catulus leonis Iuda: ad praedam* vel potius a praeda (Hebraicus et Graecus) *fili mi ascendisti: requiescens accubuisti,* כָּרַע רָבַץ i. e. genua flexit, recubuit *ut leo, et quasi* (vel ut, cf. Hebraicum et Graecum) *leaena, quis suscitabit eum.* [10]*NON AUFERETUR* vel non recedet, לֹא־יָסוּר, *sceptrum,* שֵׁבֶט i. e. baculus, *de Iuda, et dux de femore eius,* וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו i. e. et scipio e medio pedum eius, *donec veniat qui mittendus est,* עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה, *ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ* (alii *ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται,* cf. Brooke), *et ipse erit expectatio gentium* (ita LXX quoque), וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים i. e. et ipsi erit obedientia gentium. [11]*Ligans ad vineam* vel vitem *pullum* vel asellum *suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam,* in Hebraico et Graeco: et ad vitem generosam filium asinae suae. *Lavabit* vel potius lavat *in vino stolam suam, et in sanguine uvae* vel uvarum (Hebraicus) *pallium suum.* [12]*Pulchriores sunt oculi eius vino, et dentes eius lacte candidiores,* similiter LXX; in Hebraico autem: caligans oculis a vino et albus dentibus a lacte.

Pars principalis huius vaticinii in ℣. 10 continetur, quare hunc versum ante ceteros explicabimus. Vocabulum שֵׁבֶט baculum vel scipionem significat, quem duces, principes, reges insigne potestatis suae ambulantes et stantes manu tenebant, sedentes autem inter pedes, בֵּין רַגְלָיו, collocatum habebant, ut in imaginibus Assyriorum et Persarum videmus (Dillmann). Etiam מְחוֹקֵק (participium poʿel verbi חָקַק *cecidit*)

scipionem significare potest, quod ex textu Hebraico Num. 21, 18; Ps. 60, 9 hebr. elucet (cf. Gesenius 514, Buhl 228). Propterea duas priores sententias parallelas cum plerisque exegetis recentioribus sic vertimus: *non recedet baculus de Iuda et scipio e medio pedum eius.* LXX pro signo significatum posuerunt: *οὐ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ.* S. Hieronymus partim textum Hebraicum partim Graecum secutus est.

Coniunctio עַד כִּי, *ἕως ἄν, donec* potest significare (cf. Gesenius-Kautzsch 513): aut aliquid usque ad terminum quendam sed non ultra perdurare (e. g. 2 Reg. 23, 10) aut aliquid usque ad terminum atque etiam ultra eum permanere (e. g. Gen. 26, 13). Celeberrimum autem שִׁילֹה quid est? In textu Masorethico שִׁילֹה scriptum est sed שִׁילוֹ legendum notatur; at ca. 40 manuscripta et Samaritanus שלה exhibent, quod Buhl, Gunkel, Kittel aliique (cf. Holzinger) שֶׁלֹּה sive שֶׁלּוֹ punctant atque sic declarant: שֶׁ = אֲשֶׁר (nota relationis) לֹה = לוֹ *ei* (cf. Gesenius-Kautzsch 254 s.), ergo שֶׁלּוֹ idem ac אֲשֶׁר־לוֹ = *cui.* Tertia igitur sententia hunc habet sensum: „*donec veniat* (ille) *cui* erit baculus vel scipio". Tam subiectum *(baculus)* quam praedicatum *(erit)* e contextu suppleri potest. Hanc interpretationem non solum lectio Symmachi et Theodotionis et manuscriptorum LXX *(ᾧ ἀπόκειται)* necnon versio Syriaca, verum etiam Ezech. 21, 27 (hebr. 32) confirmat scribens: *et hoc non factum est donec veniret cuius est iudicium,* עַד־בֹּא אֲשֶׁר־לוֹ הַמִּשְׁפָּט. In hoc loco subiectum ponitur, quia in antecedentibus nondum nominatum est, ergo suppleri nequit. Opponunt autem nostrae declarationi, illud שֶׁ loco אֲשֶׁר in recentioribus dumtaxat libris inveniri; at hoc falsum est. Recurrit iam certo in Iud. 5, 7 et 6, 17 et probabiliter in Gen. 6, 3 (cf. pag. 130). Immo Baumann asserit (cf. Gesenius-Kautzsch 451, nota 1) et Buhl 65 probabile censet, אֲשֶׁר ex illo שֶׁ vel שַׁ apud Assyrios *(ša)* et Phoenices quoque occurrente evolutum esse, ita ut ש antiquius sit quam אֲשֶׁר.

Quarta sententia in textu Masorethico sonat: *et ipsi erit obedientia gentium* et ita versa bene in contextum quadrat. Interpretes tamen Graeci, Syrus et Latinus pro יִקְּהַת *obedientia* legerunt תִּקְוַת *expectatio;* quia in voce, שלה auctoritatem ver-

sionum secuti sumus, consequenter in hac quoque voce eam sequamur, vertentes: *et ipsi erit expectatio gentium,* non tantum populi Israel.

In istis verbis vaticinium Messianicum contineri, omnes interpretes antiquiores, Iudaei et Christiani, tenuerunt quibus Dillmann, Gunkel, Holzinger cum Wellhausen aliisque recentioribus assentiunt. Iacob quendam venturum annuntiat, cui *sceptrum* seu principatus erit, quem *gentes* expectabunt. Quis ille venturus sit, e benedictione Abrahae, Isaaco et Iacobo impertita (cf. pag. 223 s.) elucet: est Messias, in quo *omnes gentes terrae* benedicendae sunt (cf. pag. 328. 385); est semen mulieris, quod caput serpentis *conteret* (cf. pag. 75 ss.). Usque ad adventum eius principatus ab Iuda non auferetur. Quod coniunctio עַד כִּי in se ambigua (cf. pag. 660) exclusive sumenda sit, ex historia discimus. Usque ad tempus Hasmonaeorum seu Machabaeorum Iuda principatum tenuisse videtur (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 307. 313); quando vero Machabaei principes eligebantur (ibi, pag. 354 ss.), praesertim quando Simon anno 141 a. Chr. *dux* et summus sacerdos *in aeternum* constitutus est, *donec surgat propheta fidelis* (ibi, pag. 361; 1 Mach. 14, 24—49): principatus ab Iuda ablatus est, ideoque redemptor mundi *exspectandus* erat. Quod non statim, sed post 141 annos venerit, vaticinio non contrarium est. Nam Iacob praenuntiavit quidem, Messiam venturum esse, postquam principatus ab Iuda ablatus fuerit; non dixit autem, eum statim post mutationem regiminis venturum esse. Conferas phrasim similem Gen. 2, 17: *in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* (pag. 56 s.). Hoberg cum aliis coniunctionem inclusive sumit et declarat: Iuda principatum habebit, usque dum Messias veniat, verum etiam postea, scilicet per Messiam, regem gentium omnium. Sed cum hac sententia difficile conciliari poterit, quod principatus reapse ab Iuda ad Hasmonaeos, ut diximus, et postea ad Idumaeos (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 366 s.) transiit.

Illud *de femore eius* vel *e medio pedum eius* plurimi antiquiores interpretes catholici et protestantes de generatione intellexerunt (cf. Dillmann, Gesenius 204, Lapide quocum Hoberg consentit); haec tamen explicatio a recentioribus recte repudiatur, quia parallelismus membrorum

contrarius est. — Samaritanus habet מִבֵּין דִּגְלָיו = „e mediis vexillis i. e. turmis eius" (Gesenius 204), quae lectio singularis nunc ab omnibus reiicitur. — Coniunctionem עַד כִּי alii *quamdiu* alii *in aeternum quia* declararunt (cf. Dillmann), quas declarationes omnes philologi recentiores falsas dicunt. — Phrasim *et ipsi erit obedientia gentium* Dillmann de tempore intelligit, quo Messias omnes sibi subiecerit.

Interpretationem nostram de שִׁילֹה datam Gunkel agnoscit, Holzinger possibilem iudicat, Dillmann tamen propter ellipsim duram reiicit; Dillmann ut possibile admittit שֶׁלֹּה = *qui ei* = *suus* i. e. rex gentium e Iuda egrediens. Dillmann et Holzinger de vera vocis interpretatione dubii haerent. — Vulgata habet *qui mittendus est* ac si שָׁלוּחַ vel שֻׁלַּח scriptum esset; forsitan S. Hieronymus ad sensum transtulit, quod et alibi saepe fecit, quemadmodum vidimus. — Hummelauer putat, pro שִׁילֹה scribendum esse שֵׁלָה i. e. *petitio* = petitus vel *pax* = pacificus; iam ante Hummelauer Iudaei quidam dixerant, nomen Messiae esse שֵׁלֹה i. e. *pax* = pacificus (cf. Fürst, II, 449 s.). — Hoberg pro שִׁילֹה וְלוֹ יִקְּהַת scribit אֲשֶׁר לוֹ יִקְּהַת. — Strack² cum pluribus aliis urbem *Silo* intelligit, quam opinionem Gunkel et Holzinger ineptam, Dillmann non cum contextu congruentem vocat, quia in his sententiis generalibus specialia nomina geographica non occurrunt. — Alias explicationes, partim obsoletas, Lapide et Dillmann enumerant, e quibus nonnullas subiicio. Legendum est שָׁלֵם *Salem* (Gen. 14, 18) vel שָׁלֹם *pax* vel שַׁלְוָה *quies* vel שַׁלִּיט *potens* vel שֶׁאִלֹה *is quem Iuda expetit.* Holzinger quoque coniecturas aliorum (Ball, Cheyne, Driver, Zimmern) adducit, quin eas approbare audeat. Wellhausen aut שִׁילֹה aut sequens וְלוֹ glossam declarat, quam assertionem ipse parallelismus confutat (Gunkel). — Istae similesque coniecturae sine fundamento sunt: „in aere haerent". — Dillmann, Holzinger, Stade, Wellhausen affirmarunt, versum 10 glossam tempore prophetarum insertam esse, eo quod cum antecedentibus et consequentibus non cohaereat. Quod falsum est. Nam in antecedentibus fortitudo, in consequentibus felicitas Iudae describitur: ergo in medio apte indicatur, quamdiu principatus eius duraturus sit. Ceterum ℣. 11 s. quoque tempus Messiae respiciunt, uti infra videbimus. — Gunkel nobiscum versum genuinum retinet, sed in eo invenit, sceptrum Iudae a venturo principe auferendum esse; at hunc sensum verba iuxta usum loquendi explicata non habent (cf. pag. 661).

Parte principali vaticinii explicata ceteras quoque partes interpretemur. In ℣. 8 Iacob ad significationem nominis *Iudae* (cf. pag. 429) alludens filium suum ab omnibus fratribus laudandum et adorandum seu honorandum (cf. pag. 283) praenuntiat, et quidem propter fortitudinem eius: *manus tua,*

inquit, *in cervicibus inimicorum tuorum.* „Exprimitur plena de hostibus victoria, quae certe tum habetur, quando illi cervices, non pectora victori obiiciunt“ (Hummelauer); quando victor in tergis fugientium haeret eisque iugum servitutis iniungit (cf. Dillmann, Gunkel). In ℣. 9 cum leone, rege animalium (Hummelauer), eum comparat, qui a praeda in montem ascendit ibique „complicatis pedibus pectori“ incubat (Gesenius 1259) et praedam digerit (Hummelauer), atque cum leaena, quae catulos lactans adhuc saevior est quam leo (Lapide, Hummelauer, Dillmann): talem suscitare nemo audet (Gunkel), et „quisquis id faxit, non feret impune, cladem accipiet“ (Lapide). Tempore occupationis terrae Chanaan et regnante Davide haec ad litteram impleta sunt (cf. Dillmann). A fortissimo hoc filio principatus usque ad adventum Messiae non auferetur (℣. 10).

In ℣. 11 s. felicitas Iudae depingitur. Habitabit in terra, ubi vites, etiam generosae, tam copiosae et abundantes erunt, ut asini ad eas ligentur, et vestimenta in vino laventur. In sorte Iudae, praesertim in Hebron et Engaddi, erant quidem multae ac generosae vites (Dillmann et Strack[2]); nihilominus hyperbola revera nimia est (Gunkel), si ℣. 11 de Chanaan australi tantum interpretamur. Propterea Hummelauer cum Patribus (quos Lapide enumerat) et exegetis antiquioribus recte versus 11 et 12 utique de fertilitate sortis Iudae, „sed principalius“ de donis regni Messianici intelligit. „Ubi spiritualia exhibentur imaginibus materialium, efferturque eorum tam abundantia quam excellentia.“ — Verba textus Masorethici *caligans oculis a vino et albus dentibus a lacte* Gesenius, Dillmann, Holzinger, Strack[2] et antiquiores exegetae (quos Lapide citat) sic explicant: ex frequenti usu vini oculi caligantes vel obscurati, ex frequenti usu lactis dentes albi fient. At haec explicatio parum probabilis est. Nam ex frequenti usu lactis dentes non albescunt, ut experientia docet; oculi autem caligantes hominis „ebrii vel bene poti“ (Gesenius 472, Holzinger) non laus sed vitium sunt, ut Gunkel et Hoberg, observant, ergo cum contextu pugnant. Vocabulum חַכְלִיל (cum assyr. *eklitu* = tenebrae collatum, cf. Buhl) in hoc tantum loco occurrit, quare significationem eius e contextu proximo

eruere debemus; in membro sequenti autem dentes albi nominantur, qui ubique pulchri habentur: ergo hic oculi nigri intelligendi sunt, qui apud Aegyptios valde aestimabantur (Erman, Aegypten 315; Hoberg). Comparatio (מִן) dentium alborum cum lacte ubique, comparatio oculorum nigrorum cum vino nigro (vino nero) in terris meridionalibus valde perspicua est. Propterea ℣. 12 sic vertimus: *Nigri sunt oculi eius magis quam vinum, et albi sunt dentes eius magis quam lac* (cf. Hoberg et Vulgatam). In ℣. 12 igitur pulchritudo corporalis Iudae et filiorum eius necnon pulchritudo spiritualis civium regni Messianici (cf. pag. 663) celebratur, dum in ℣. 11 fertilitas terrae vel abundantia regni laudatur.

De pronomine separato אַתָּה in ℣. 8 videas Gesenius-Kautzsch 445, ubi versio: *Iuda tu, te laudabunt* (Hummelauer, Stade) reiicitur. — Iuxta Holzinger in hoc loco alia declaratio nominis Iuda continetur atque in 29, 35; Gunkel tamen recte notat, esse etymologiam eandem. — Sententia *manus tua* etc. iuxta Dillmann, Strack[2] rationem affert. — *Filii patris tui* est notio generalior quam *fratres tui* (Lapide, Dillmann), quia Iacob quattuor uxores habuit (cf. pag. 627 ss.). — Iacob filium suum apte *catulum leonis,* posteros autem eius *leonem* vel *leaenam* vocat (Dillmann, Hummelauer, Holzinger). — LXX in ℣. 9 vertunt ἐκ βλαστοῦ, υἱέ μου, ἀνέβης = „ex surculo ascendisti, h. e. a parvis initiis magnus factus es“ (Hoberg). Gunkel textum Hebraicum vertit: „praedâ, fili mi, magnus factus es“; sed hoc non laus sed vitium esset (cf. Dillmann), ergo cum contextu pugnat (cf. pag. 663). De statu constructo in ִי_ in ℣. 11 s. videas Gesenius-Kautzsch 251 s.; de suffixo ֹה_ ibi 255; de עִירֹה ibi 268. — In ℣. 12 Gunkel cum LXX (cf. Passow) oculos fulgentes intelligit, quales vinum efficit; sed haec significatio vocabulo Hebraico non subest et vix laudem contineret. — Holzinger supponit, phrasim *caligans oculis* significare, Iudam damnose bibere (seinem Wein tüchtig zuspricht), indeque concludit, versum 10 interpolatum esse, cum vaticinium Messianicum in tali contextu esset „Saul inter prophetas“. Verumtamen ista phrasis aliter explicari debet (cf. pag. 663), quare conclusio Holzingeri in „aere haeret“.

Quare Iuda, qui etiam peccaverat, tam solemniter benedicitur? Respondet Hummelauer 592: „Etiam Iuda peccaverat, sed peccata luerat poenitentia. Nurum scortum arbitratus cognoverat, sed eam cum suo etiam dedecore 38, 26 a crimine liberaverat; in Ioseph cum reliquis coniuraverat, sed vitam eius 37, 26 servaverat et pro Beniamino 44, 18 ss. se vinculis obtulerat. Cui igitur ignoratis delictis excellens conceditur benedictio.“ — Idem ibi adiungit: „Prophetia respicit Iudam non per desertum itinerantem, non primum agmen (Iud. 1) in terram sanctam inducentem, sed in suis finibus considentem. Non antea adoraverunt eum

filii patris eius, quin potius et Iacobi et Iosue tempore adorabant Ioseph; non antea principatum ipse obtinuit".

℣. 13. **Zabulon** *in littore maris habitabit, et* erit *in statione* vel potius in littore (Hebraicus) *navium pertingens usque ad Sidonem,* in Hebraico: navium, et latus eius est ad Sidonem. — Alludens ad significationem nominis *Zabulon* (cf. pag. 434 s.) Iacob huic filio positionem seu habitationem amoenam atque opportunam praedicit (Lapide, Hoberg, Hummelauer, Dillmann, Gunkel, Strack[2]). „Non dicitur pertingere usque ad ipsam Sidonem" (Hummelauer cum Lapide), sed versus eam. Pro עַל־צִידֹן habent Samaritanus, Graecus et Latinus עַד־צִידֹן. Nullus locus Scripturae invenitur, e quo deduci possit, tribum Zabulon non ad mare mediterraneum habitasse (Dillmann). — Mutationes textus a Ball propositae sunt omnino arbitrariae, ideoque a Kittel et exegetis communiter negliguntur.

℣℣. 14. 15. **Issachar** *asinus fortis* vel ossuosus (Hebraicus) *accubans inter terminos* vel potius inter caulas (cf. Hebraicum). [15] *Vidit* enim (Hebraicus, cf. et Graecum) *requiem quod esset bona: et terram quod optima,* πίων, שְׁמֵנָה (ita Ball; Masorethicus נָעֵמָה *amoena*): *et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.* — Issachar praedicitur robustus quidem, sed nihilominus placide inter caulas requiescens. Videt enim terram suam fertilem ac sentit quietem iucundam, propterea libentius in terra et quiete manens aliis servit quam pugnans eos sibi subiicit.

Issachar fortem fuisse, Debbora et Barac (Iud. 5, 15) testantur. — Loco *Issachar asinus fortis* vertunt LXX Ἰσσαχὰρ τὸ καλὸν ἐπεθύμησεν, legerunt igitur חֶמֶד חָמַד, non חֲמֹר גָּרֶם = asinus ossis vel corporis, scil. „magni et validi" = asinus „validus, robustus" (Gesenius 303). Samaritanus habet גרים, quod Gesenius 303 גָּרִים punctat et ex Arabo „magno corpore praeditus" declarat; Hummelauer tamen cum aliis גֵּרִים punctat et „peregrinorum" vertit. „Merito, ait, in benedictione Issachar exspectabis allusionem ad שכר, *mercedem:* qualem non habet *asinus fortis,* habet autem *asinus peregrinorum,* qui sc. a peregrinis mercede conductus onera comportet." Sed ratio haec parum valida est, quia allusio ad nomen Issachar (cf. pag. 434 s.) in ℣. 15 continetur. — Significationem verbi רָבַץ videas pag. 663. — מִשְׁפְּתַיִם est dualis (a verbo שָׁפַת *statuit, infixit* vel *constituit, dedit*) et idcirco LXX κλήρων. Vulgata *terminos* vertunt:

recentiores philologi tamen communiter „*caulas* pecorum palis (et cratibus) constructas" intelligunt, quae „pro diversis pecorum generibus in duas partes divisae essent" (Gesenius 1471). Sensum phrasis *accubans inter caulas* ex Iud. 5, 16 discimus, ubi Ruben ad bellum tardus a Debbora et Barac interrogatur: „cur sessitabas inter caulas ad audiendos scilicet sonos fistulae pastoriciae"? (Gesenius 1472). Significat ergo: pace fruens, culturae agrorum et gregum deditus, a re bellica remotus. — Verba ultima וַיְהִי לְמַס־עֹבֵד LXX verterunt *καὶ ἐγενήθη ἀνὴρ γεωργός*. Hoberg cum S. Hieronymo in Quaest. hebr. ista verba de tributis gentium exterarum explicat, quae Issachar regibus Davidi et Salomoni comportavit. Sed phrasis Hebraica (cf. Buhl, Gesenius) angarium significat, ut Hummelauer cum Dillmann et Gunkel recte observavit. „Requiem, qua terrae feracissimae bonis vescerentur, unice appetentes duplici ratione facti sunt mercenarii: primum suas fruges asinorum instar comportabant ad alios, puta Phoenices, a quibus opimam nanciscerentur mercedem; malueruntque tributa pendere oppressoribus, quam pro libertate pugnare" (Hummelauer cum Calmeto). Iuxta Dillmann in sorte Issachar urbes quaedam Chananaeorum non expugnatae erant, quibus filii Issachar tributum dabant. Holzinger cum Stade putat, tribum Issachar Phoenicibus serviisse. Quae servitus ante tempus regum collocanda erit (Gunkel). — Hoberg opinatur, nullam adesse rationem, ob quam tribui Issachar minus bona praenuntientur. Sed ratio adest. Terra optima, in qua fertilissimus campus Iezrael vel Esdrelon et via commeatuum celebris erat (Dillmann et Hoberg), filiis Issachar occasio ignaviae et ingenii nonnihil sordidi (Hummelauer) fuit, ob quas causas vituperantur.

℣℣. **16—18. Dan** *iudicabit* vel vindicabit, יָדִין, *populum suum sicut et alia* vel potius sicut una (Hebraicus et Graecus) *tribus in* (in Hebraico *in* deest) *Israel.* [17]*Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro.* [18]*SALUTARE tuum* vel salutem tuam *expectabo Domine.* — Iacob iterum ad significationem nominis (cf. pag. 431) alludens prophetat, Danitas prudentes sicut serpentes atque Domino confidentes populo Israel vindictam allaturos esse.

Verbum דִּין, assyr. *dânu* (cf. Buhl), generatim iudicare et speciatim punire aut „tueri causam innocentis et oppressi" (Gesenius) significat. — *Populum suum* Gunkel et Holzinger cum aliis protestantibus (cf. Dillmann) homines tribus Dan; sed Lapide cum antiquioribus, Hummelauer, Hoberg, Dillmann, Delitzsch aliique protestantes (cf. Dillmann) populum Israel intelligunt, qui intellectus cum historia melius congruit. — *Sicut et alia tribus Israel,* „licet ex concubina sit natus" (Hummelauer). — Iussivus יְהִי *fiat* in ℣. 17 pro imperfecto יִהְיֶה *fiet* vel *erit* positus est, quod iam Lapide affirmavit et Gesenius-Kautzsch 323 variis

exemplis demonstrant. — Versum 17 Lapide bene explicat: „Serpentes in viis et semitis sub frondibus vel arenis latitantes ex latebris et inopinato hominem aggrediuntur et mordent . . . Cerastes . . . cum equitem nequit attingere, equi calcaneum mordet, ut equum et consequenter equitem deiiciat" (cf. et Dillmann). Simili modo Danitae hostes potentiores superabunt, videlicet prudentia et astutia (cf. Hoberg et Gunkel). — Gunkel et Holzinger ad Iud. 18, 11 appellantes asserunt, in tribu Dan paucos tantum viros fuisse. At hoc falsum est. Nam iuxta Num. 26, 43 in ea 64400 viri militares numerati sunt. Viri 600 militares, qui Iud. 18, 11 commemorantur, propter angustiam loci (cf. Iud. 1, 34) e sorte tribus Dan egressi sunt, ut contextus ostendit. — Versum 18 Ball et Holzinger cum aliis protestantibus (cf. Dillmann) glossam serius additam declarant, eo quod non bene in contextum quadret. Aliter tamen Dillmann et Gunkel cum catholicis iudicant. Versus „in contextu bonum sensum habet" (Gunkel); Iacob nomine posterorum suorum loquitur et istam exclamationem hic adiungit, quia Danitae hostes potentiores non sola prudentia naturali sed exspectatione auxilii divini superare poterunt (Dillmann cum Knobel). — Quomodo vaticinium impletum est? Danitae urbem Lesem vel Lais (Ios. 19, 47; Iud. 18, 7 ss. 27 ss.) astute occuparunt et terminos septentrionales custodierunt (Dillmann); Samson de stirpe Dan (Iud. 13, 2; Lapide, Dillmann) victoriis sine auxilio humano et sine armis, sed in virtute Spiritus Domini reportatis iacentem Israelitarum animum excitavit itaque reapse liberator populi sui exstitit, quemadmodum Öttli (Richter 282) optime contra alios protestantes notavit (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 166). — Hummelauer scribit: „Salus autem, quae exspectatur, est tota illa, ad quam Dan sicut reliquae tribus cooperatur, salus tot civilibus in V. T. salvationibus praefigurata, per Messiam tandem complenda: verba Messiam non unice, licet potissimum respiciunt." Haec sententia in textu Vulgatae Clementinae indicatur, quatenus initium versus 18 litteris maioribus impressum est, ut in aliis vaticiniis Messianicis (cf. pag. 223. 289. 328. 385. 415. 659).

℣. 19. **Gad,** *accinctus praeliabitur ante eum: et ipse accingetur retrorsum,* in Hebraico et Graeco: Gad, turma instans instat ei, et ipse instat calcibus eorum. — Sensus textus Hebraici et Graeci est: tribui Dan turmae hostiles instabunt, sed ipsa eas fugabit eisque instabit itaque vere *Gad* i. e. fortuna (pag. 432) erit. Hostes eius erant Ammonitae, Moabitae, Aramaei (Dillmann, Gunkel, Holzinger).

Falsam S. Hieronymi versionem Lapide sic explicat: „Tribus Gad iuxta suum nomen accincta erit, armata et bellicosa: idque patebit . . . quando ipsa armata Israelem, puta reliquas tribus quasi dux praeibit easque per Iordanem ducet in Chananaeam. Ipsa deinde *accingetur retrorsum,* quando fratribus, puta aliis tribubus in sua sorte rite collocatis eaque quiete

fruentibus, ipsa . . . accincta rursum . . . in suam sortem trans Iordanem redibit.“ Sed explicatio uti versio falsa est (cf. Hummelauer). — Omnes interpretes notant, in brevi hoc versiculo plures adesse allusiones. — Non bene Dillmann, Hoberg, Holzinger hic aliam nominis Gad etymologiam viderunt atque in 30, 11. — Pro עָקֵב cum Graeco, Latino et Syro Dillmann, Gunkel, Hoberg, Holzinger, Kittel aliique bene legunt עֲקֵבָם sumentes ם ex vocabulo מֵאָשֵׁר versus sequentis.

℣. **20. Aser,** *pinguis panis eius, et praebebit delicias regibus.* „Significat hic Iacob et praedicit, opes et fertilitatem fructusque tribus Aser adeo sapidos et delicatos, ut regibus Iuda, Israel, Tyri aliisque sint futuri in deliciis: idque partim ex soli bonitate partim quia sita erat iuxta mare, partim quia vicina erat Tyriis et Sidoniis“ (Lapide; similiter Dillmann).

Pro מֵאָשֵׁר legendum est אָשֵׁר, ut e nota praecedenti apparet. — Etiam hic interpretes communiter allusionem ad significationem nominis *Aser* (pag. 432) vident.

℣. **21. Nephthali,** *cervus emissus* vel cerva dimissa (Hebraicus), *et dans eloquia pulchritudinis;* sed probabilior est textus Graecus *Νεφθαλεί, στέλεχος ἀνειμένον, ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γενήματι* (sic) *κάλλος* i. e. Nephthali est truncus emissus, addens in fructu pulchritudinem. — Sensus textus Graeci est: Nephthali arbori assimilatur, quae libere se extendit et fructus pulchros effert. Reapse tribus Nephthali in sorte sua fuit extensa et viros fortes protulit (Iud. 4, 6; 5, 18; 6, 35; 7, 23; Dillmann).

LXX pro אַיָּלָה *cerva* probabiliter אֵלָה *terebinthus* (cf. pag. 497) vel *arbor* (cf. Buhl) atque pro אִמְרֵי *eloquia* forsitan אֲמִרֵי *cacumina* vel probabilius פְּרִי *fructus* legerunt. — Ball putat, LXX in loco priore פֹּרָת *fructifera,* in altero פְּרִי *fructus* legisse, et vertit: „Nephthali est vitis pampinosa, quae fructum pulchrum dat.“ — Dillmann cum aliis vertit: „Nephthali est terebinthus procera, *is qui* cacumina pulchra dat.“ Gunkel vertit: „Nephthali est cerva fugax, quae agnos, אִמְּרֵי (assyr. *immeru,* cf. Buhl 46), pulchros parit.“ Hummelauer declarat: „Nephthali, tenella planta, in celsam et luxuriantem arborem excrescet.“ — Pro masc. הַנֹּתֵן Gunkel fem. הַנֹּתֶנֶת praefert. — Strack[2] textum Masorethicum retinet et vertit: „Nephthali est cerva libere vagans, *is qui* sermones pulchros profert.“ Notat, Semitis sermones suaves et concinnos valde placere: debet tamen concedere, duo membra parallela non bene cohaerere.

℣℣. **22—26. Filius accrescens Ioseph,** *filius accrescens et decorus aspectu: filiae discurrerunt super murum.* [23]*Sed exasperaverunt eum, et iurgati sunt, invideruntque illi habentes iacula.* [24]*Sedit in forti arcus eius, et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est lapis Israel.* [25]*Deus patris tui erit adiutor tuus, et omnipotens benedicet tibi benedictionibus caeli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvae.* [26]*Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum eius: donec veniret disiderium collium aeternorum: fiant in capite Ioseph, et in vertice Nazaraei inter fratres suos.*

Textus Graecus et Masorethicus a Vulgata recedunt et inter se discrepant. Versum 22 LXX sic reddunt: *υἱὸς ηὐξημένος Ἰωσήφ, υἱὸς ηὐξημένος μου ζηλωτός· υἱός μου νεώτατος· πρὸς μὲ ἀνάστρεψον.* Textus Masorethicus verti potest: filius fructiferae est Ioseph, filius fructiferae iuxta fontem; filiae ascendunt super murum. — V. 23 in LXX *εἰς ὃν διαβουλευόμενοι ἐλοιδόρουν, καὶ ἐνεῖχον αὐτῷ κύριοι τοξευμάτων.* In. Mas.: et exacerbant eum et iaculantur et adversantur ei domini sagittarum. — ℣. 24 in LXX *καὶ συνετρίβη μετὰ κράτους τὰ τόξα αὐτῶν, καὶ ἐξελύθη τὰ νεῦρα βραχιόνων χειρὸς αὐτῶν, διὰ χεῖρα δυνάστου Ἰακώβ· ἐκεῖθεν ὁ κατισχύσας Ἰσραήλ.* In Mas.: sed manet in firmitate arcus eius, et sunt robusta brachia manuum eius, per manus fortis Iacob, unde pastor, lapis Israel. — ℣. 25 in LXX *παρὰ θεοῦ τοῦ πατρός σου, καὶ ἐβοήθησέν σοι ὁ θεὸς ὁ ἐμός, καὶ εὐλόγησέν σε εὐλογίαν οὐρανοῦ ἄνωθεν, καὶ εὐλογίαν γῆς ἐχούσης πάντα· ἕνεκεν εὐλογίας μαστῶν καὶ μήτρας.* In Mas.: a Deo patris tui, isque adiuvet te, et cum Schaddai, isque benedicat tibi benedictionibus caeli desuper, benedictionibus abyssi iacentis subter, benedictionibus uberum et vulvae. — ℣. 26 in LXX *εὐλογίας πατρός σου καὶ μητρός σου, ὑπερίσχυσεν ἐπ' εὐλογίαις ὀρέων μονίμων καὶ ἐπ' εὐλογίαις θεινῶν ἀενάων· ἔσονται ἐπὶ κεφαλὴν Ἰωσὴφ καὶ ἐπὶ κορυφῆς ὧν ἡγήσατο ἀδελφῶν.* In Masorethico: benedictiones patris tui praevaluerunt super benedictiones parentum meorum usque ad desiderium collium aeternorum: veniant in caput Iosephi et in verticem principis fratrum eius.

In ℣. 22 textus Masorethici Ioseph cum fructifera vite vel arbore novella comparatur, quae non tantum iuxta fontem aquarum plantata ideoque semper irrigata (cf. Ps. 1, 3; Ier. 17, 8; Dillmann) verum etiam ad murum collocata est, ubi venti tempestatesque ei minus nocere possunt (cf. Strack[2]): unde palmites super murum ascendunt vel discurrunt, i. e. se extendunt. Similiter Bachmann, Dillmann, Hoberg, Holzinger, Hummelauer, Strack[2] cum Hebraeis quibusdam. — Pro statu

absoluto בֵּן legendus est constructus בֶּן (Dillmann, Holzinger, Kittel, Strack[2]), sensus tamen idem manet; פֹּרָת est partic. verbi פָּרָה cum exitu rariore ָת (Gesenius-Kautzsch 222) = fructifera vel vitis vel arbor (Buhl 599): ergo בֶּן־פֹּרָת = surculus vel propago vitis vel arboris (cf. Gesenius 218, Dillmann). בָּנוֹת *filiae* = rami arboris vel palmites (Gesenius 220 aliique recentiores). Metaphorae utique insolitae sunt, uti Gesenius et Gunkel notant, at melior interpretatio non invenitur. De singulari צָעֲדָה vide Gesenius-Kautzsch 472.

In textu Graeco et Latino Ioseph *υἱὸς ηὐξημένος*, ***filius accrescens*** vocatur, quia posteri eius, praesertim tribus Ephraim „uti numero, ita robore, victoriis et gloria" accreverunt (Lapide). Reliqua verba textus Latini S. Hieronymus sic explicat: „O fili mi Ioseph, qui tam pulcher es, ut te tota de muris et turribus ac fenestris puellarum Aegypti turba prospectet" (Hummelauer et Hoberg). Sensus reliquorum verborum textus Graeci non patet (Bachmann). Secundum quamlibet sententiam allusio ad nomen ***Ioseph*** (cf. pag. 436) et ***Ephraim*** (cf. pag. 584 s.) adest. — Zimmern textum sic emendat et vertit: „filius iuvencae, פָּרָת, est Ioseph, filius iuvencae, vitulus bovis feri, עֲלֵי רְאֵם; filius meus minimus, בְּנִי צָעִיר, est vitulus tauri, עֲלֵי שׁוֹר." Conferas Deut. 33, 17. Attamen עֲלֵי numquam vitulum significat (Dillmann; cf. lexica). Emendationem Ball omitto, quia etiam Holzinger eam improbabilem iudicat.

In ℣. 23 omnium textuum impugnatio Iosephi describitur. Pro וָרֹבּוּ cum Samaritano, Graeco, Ball, Hoberg, Holzinger, Hummelauer וַיְרִבֻהוּ (a רִיב) *iurgati sunt* legimus. בַּעֲלֵי חִצִּים *domini sagittarum* = sagittarii (cf. pag. 525). Ergo vertimus: *et exacerbant eum et iurgantur et adversantur ei sagittarii* et hanc sententiam cum Dillmann, Gunkel aliisque de incursionibus nomadum tempore Iudicum in sortes Ephraim et Manassis factis interpretamur. — Holzinger cum Wellhausen oppugnationes Aramaeorum post 900 a. Ch.; Hoberg cum S. Hieronymo aliisque inimicitias fratrum Iosephi intelligit, quae ultima explicatio cum contextu minus congruit (cf. Dillmann).

Si quis lectionem וָרֹבּוּ vel וַיָּרֹבּוּ (cf. Kittel) retinere voluerit, potest etiam vertere *et multiplicati sunt* (cf. Gesenius ad רָבַב). — Bachmann textum mutat et vertit: „boves et asini eius multiplicentur; si sagittarii ei adversantur, maneat fortis arcus eius" (cf. ℣. 24). Sed tales mutationes textus omnino subiectivae sunt, ut Bachmann ipse concedit.

In ℣. 24 textum Masorethicum probabiliorem retinemus, פָּזַז = *robustus fuit* (Gesenius) et זְרוֹעַ = *vis* (cf. lexica) accipimus, pro מִשָּׁם *unde* מִשֵּׁם *per nomen* (Syrus, Gunkel, Kittel aliique: cf. Dillmann) emendamus, ac vertimus: *sed manet firmus arcus eius, et sunt robustae vires manuum eius, per manus fortis Iacob, per nomen pastoris, lapidis Israel.* Sensus est: quamquam posteri Iosephi modis variis appetuntur et irritantur (℣. 23), tamen neque tremunt neque defatigantur, sed fortes se defendunt, confortati per *manum* i. e. virtutem (cf. lexica) Dei fortis Iacob et per *nomen* i. e. naturam (cf. lexica) Dei, qui est pastor simulque *lapis* seu petra i. e. refugium et praesidium Israel.

Hummelauer textum Graecum et Masorethicum coniungit et emendat et vertit: „et confractus est potenter arcus eius, et dissoluti sunt nervi manuum eius, a manu potentis Iacob, a nomine pastoris filiorum Israel". Adiungit: „qui modo plurali *habentes iacula* exprimebantur, ii nunc ut una concreta persona cum Ioseph luctans concipiuntur, quare recte quoad sensum LXX *αὐτῶν* . . . *Pastor lapidis* fingi nequit; ergo *pastor lapis*. At cur hi duo tituli, et quidem sine copula scribuntur? . . . Corrige . . . *pastoris filiorum Israel*". Hae explicationes vix probabiles sunt, si versiones antiquas et sententias recentiorum spectamus. — Kittel et Strack² אֶבֶן *lapis* omittendum censent. At Deus saepius צוּר יִשְׂרָאֵל *petra Israel* i. e. refugium et praesidium Israel vocatur (cf. Mandelkern, Buhl, Gesenius), quare etiam *lapis,* אֶבֶן, *Israel,* hunc sensum habere potest (cf. Buhl 6). Quod copula deest, durum quidem videtur; sed in istis versibus etiam aliae voces et constructiones durae occurrunt. — Gunkel opinatur, nomen *lapis Israel* originaliter lapidem ab Iacobo in Bethel erectum (cf. pag. 417 ss. 501 s.) significasse, et *pastorem lapidis Israel* (cf. et Dillmann) idem esse atque Iahve in isto lapide habitantem (cf. pag. 419). Attamen totus contextus (cf. pag. 418) huic opinioni contrarius est. — Si nomen אביר ipsum *Iahve* denotat (Gen. 49, 24; Is. 1, 24; 49, 26; 60, 16; Ps. 132, 2. 5 hebr.), Masorethae אֲבִיר; si vero angelos, homines, animalia e. g. taurum indicat, אַבִּיר punctarunt (Buhl aliique; cf. supra pag. 256, notam). Gunkel cum Wellhausen et Stade in nomine אֲבִיר יַעֲקֹב *tauri Iacob* insinuatum inveniunt, Israelitas antiquitus tauris cultum divinum tribuisse, quam sententiam Dillmann recte repudiat. Nam אביר, quomodocumque punctetur, ab אָבַר *fortis* seu *validus fuit* derivatur ideoque fortem, validum, potentem, non autem necessario taurum significat (cf. Buhl, Gesenius). — Hoberg verba *unde pastor, lapis Israel* non de Deo, sed de Iosepho accipit et declarat: ex eo tempore Ioseph, olim pastor exsistens, factus est petra i. e. fidissimum subsidium Israelis:

similiter Lapide: idcirco Ioseph effectus est pastor, i. e. princeps Aegyptiorum, et lapis, i. e. firmamentum sui populi Israel (cf. Eccli. 49, 17). Sed Iacob non de praeterito, verum de futuro tempore loquitur (cf. pag. 656). — Bachmann bene notat, phrasim *brachia manuum eius* esse valde miram et amentiae appropinquantem; at emendationes eius omnino arbitrariae sunt. Si *brachia* non proprio sed improprio sensu sumimus (cf. pag. 671) nihil amentiae in eis invenitur. — Dillmann aliique non *robusta* sed *agilia* vertunt; vide tamen Gesenium. Idem vertit: „inde ubi est pastor" etc., sed versiones contrarias habet. — *Vincula brachiorum et manuum* quae in Latino legimus, S. Hieronymus (Quaest. hebr.) de captivitate Iosephi interpretatur.

In ℣. 25 textum Masorethicum per LXX confirmatum retinemus eumque cum ℣. 24 nectimus. Ibi Iacob dixerat, Iosephum firmum et robustum manere *per manus,* מִידֵי, *fortis Iacob* et *per nomen* מִשָּׁם, *pastoris, lapidis Israel;* heic adiungit: *per Deum,* מֵאֵל, *patris tui, isque adiuvet te,* וְיַעְזְרֶךָּ, *et cum,* וְאֵת, *Schaddai, isque benedicat tibi,* וִיבָרְכֶךָּ, *benedictionibus caeli desuper, benedictionibus abyssi iacentis subter, benedictionibus uberum et vulvae.* — De Deo Iacob pag. 418, de Schaddai pag. 217 s. locuti sumus. Benedictiones caeli sunt pluvia, ros, aeris serenitas, benignus solis influxus (Lapide, Dillmann). Benedictiones abyssi subter iacentis sunt fontes et rivi, e voragine aquarum sub terra latentium scaturientes (Lapide, Dillmann, cf. et Gunkel). Benedictiones uberum et vulvae sunt „proles tum animalium tum hominum" (Lapide et recentiores).

Bachmann מִ ante אֵל necnon וְ ante duo verba delet atque וְאֵל pro וְאֵת legit, versum 25 separatam sententiam accipit et vertit: „Deus patris tui adiuvet te et Deus omnipotens benedicat tibi." Similiter Hoberg. Etiam Holzinger, Kittel cum Samaritano, Graeco et Syro וְאֵל emendant. Lectio Bachmanni valde plana est et plausibilis; textus Masorethicus autem difficilior ideoque probabilior (cf. Bibelkritik, pag. 178). — Gunkel repetit תְּהוֹם *abyssum* ut bestiam subter iacentem supponi; vide tamen quae pag. 31 ss. scripsimus. — De accusativo בִּרְכֹת videas Gesenius-Kautzsch 376 ss. — Loco *benedictionibus uberum et vulvae* Bachmann libentius legeret: „benedictionibus campi misereatur (tui)". At mutatio textus nullo argumento confirmari potest; fertilitas camporum iam in antecedentibus benedictionibus exprimitur, quare hic apte fecunditas animalium et hominum additur.

Versum 26 comparato textu Masorethico et Graeco sic emendamus et vertimus: *Benedictiones patris tui praevaluerunt*

super benedictiones montium perpetuorum, super benedictiones collium aeternorum: veniant in caput Iosephi et in verticem principis fratrum eius. Pro הוֹרַי *parentum* cum Dillmann, Hoberg, Holzinger, Kittel, Strack[2] aliisque (cf. Dillmann) הַרְרֵי *montium* lego illudque cum עַד *perpetuus* coniungo; loco תַּאֲוַת *desiderium* cum LXX et Hoberg emendo בִּרְכֹת *benedictiones* et antea וְעַל־ *et super* insero (Hoberg, cf. et Kittel); נָזִיר non *Nazaraeus,* sed *princeps* verto (Buhl, Gesenius), quia improbabile est (cf. Hoberg), Iosephum more Nasiraeorum, e. g. Samsonis et Samuelis, „a vino ac temeto, a novaculae usu et ab omni pollutione“ abstinuisse (Gesenius 870). Nomen a נָזַר *consecravit* venit; consecrati Deo etiam principes vocabantur (Buhl, Dillmann aliique recentiores cum LXX).

Genetivus *patris tui* non subiectivus (ut Hoberg putat) sed propter perfectum sequens obiectivus est (Dillmann, Holzinger, Strack[2]), ut sit sensus: benedictiones, quas pater tuus accepit, non tantum benedictiones montium et collium i. e. fructus terrae etiam in collibus et montibus procreati (Strack[2]) erant, sed bona quoque istas res transcendentia continebant, i. e. promissiones bonorum Messianicorum (Dillmann); etiam hae in caput Iosephi, principis fratrum suorum veniant.

Hummelauer reiicit lectionem *montium aeternorum* interrogans: „Quid enim sunt illae *benedictiones montium aeternorum* i. e. benedictiones quas secundum contextum ipsi montes aeterni impertiuntur?“ Respondet Hoberg: „Ut apud prophetas montes dulcedinem stillant, et colles lacte fluunt (Ioel 3, 18; Amos 9, 14); sic etiam hic montes et colles ut benedictionem impertientes apparent.“ — Idem Hummelauer scribit: „Benedictiones patris tui maiores sunt benedictionibus patrum meorum Abraham et Isaac, usque ad spem (seu benedictionem) *collium aeternorum,* quibus antiquiores patriarchae repraesentantur. Aut correctione opus est, v. g. גִּבֹּרֵי pro גִּבְעֹת: usque ad spem heroum antiquorum. Maiores sunt, quia antiquas illas benedictiones Iacob transmittit, suis additis; maiores sunt, quatenus ipse utique abundantissimas in filium prae ceteris dilectum conferre nititur benedictiones.“ At haec explicatio parum probabilis est. Nam *collibus aeternis* antiquos patriarchas repraesentari, demonstrari nequit; benedictiones autem Iosepho impertitas maiores fuisse benedictionibus, quas Iacob ab Abrahamo et Isaaco acceperat, falsum est (Strack[2]), quia Messias e semine Iacobi, non vero Iosephi ortus est (cf. pag. 649). — Dillmann, Holzinger, Strack[2] retinent quidem תַּאֲוַת, sed vertunt *deliciae collium aeternorum:* sensus manet idem. — Montes et colles perpetui et aeterni vocantur, quatenus

„ante multa secula creati et in perpetuum duraturi" sunt (Gesenius 1036). — Benedictiones *in caput* et *in verticem* Iosephi venire dicuntur, quia capiti benedicendi manus imponebantur (cf. Gunkel). — Phrasi *principis fratrum eius* ad regium imperium in Israel exsistens alludi, Holzinger quidem asserit, sed Dillmann et Gunkel recte negant. — In „litaniis de sacro corde Iesu" ab Apostolica Sede approbatis sequens quoque legitur invocatio „Cor Iesu, desiderium collium aeternorum". Supponitur textus Latinus: *donec veniret desiderium* i. e. salus vel salvator *collium aeternorum* i. e. totius mundi (cf. Hoberg et Lapide). Etiam in textu Graeco Messias et bona eius annuntiantur (cf. pag. 673), licet non in istis verbis (cf. pag. 81): ergo ℣. 26 recte Christo Iesu applicatur.

℣. 27. **Beniamin** *lupus rapax, mane comedet praedam, et vespere dividet spolia.* Lupus rapax tribum fortem et bellicosam (Hummelauer, Holzinger aliique), immo violentam (Dillmann, Gunkel cum aliis) significat „et abunde confirmatur Beniaminitarum gestis tempore Iudicum, Saulis et aliorum" (Hummelauer). Videas Iud. 3, 15 ss.; 5, 14; 19, 1—21, 24; 2 Reg. 2, 15. Comedere praedam et dividere spolia iuxta Hummelauer, Lapide aliosque idem indicat, scilicet praedari; *mane et vespere* „idem sonat atque saepe" (Hummelauer) vel semper (Dillmann, Strack[2]). Secundum Gunkel vero praeda lupi rapacis tanta erit, ut vespere adhuc ad dividendum habeat, licet iam mane comedere coeperit.

Hummelauer scribit: „Iam Tertullianus (c. Marc. V. 1; M. 11. 469) textum applicat ad S. Paulum primum persecutorem, inde apostolum: gratuito inter *mane* et *vespere* oppositio adstruitur et, si admittenda esset, gratuito supponeretur Iacob de S. Paulo explicite cogitasse." Lapide istam Patrum Latinorum explicationem recte allegoricam vocat. — Gunkel 431 et 439 asserit, Beniaminum ex raptu atque caede viventem laudari. Haec assertio falsa est, ut interpretes protestantium quoque agnoscunt, et usus loquendi ostendit: pronuntiatur lupus rapax, sed non laudatur.

℣. 28. **Omnes hi in tribubus Israel duodecim,** in Hebraico: omnes hi sunt tribus Israel, duodecim; in Graeco: *πάντες οὗτοι υἱοὶ Ἰακὼβ δώδεκα,* et (Hebraicus et Graecus) *haec locutus est eis pater suus* vel potius eorum (Hebraicus et Graecus), *benedixitque singulis, benedictionibus propriis,* LXX accuratius *καὶ εὐλόγησεν αὐτοὺς . . . ἕκαστον κατὰ τὴν εὐλογίαν αὐτοῦ εὐλόγησεν αὐτούς.* Hagiographus notat, hos duodecim fuisse auctores tribuum Israel et istas benedictiones recepisse,

quae in antecedentibus consignatae sunt (Lapide). Quae nota insinuat, verba Iacobi non tam ad personas filiorum quam ad posteros eorum spectare (Dillmann, Hummelauer). At quomodo hagiographus asserere potest, unumquemque benedictionem recepisse, cum Ruben, Simeon et Levi non benedicti sed increpati fuerint? „Respondet Estius, hos quoque aliquid benedictionis nactos esse: reapse, quod perseveraturi essent usque ad dies novissimos benedictionis erat, licet Rubeno negaretur incrementum, Simeoni et Levi continuae sedes“ (Hummelauer). Immerito igitur Dillmann aliique diversum odorantur scriptorem.

Hoberg cum aliis numerale *duodecim* non ad *omnes hi* (ut Hummelauer) sed ad *tribus* refert atque notat, duodecim tribus Israel diversa ratione recenseri. Genealogice tribus *Levi* numeratur, *Ephraim et Manasses* ut tribus una Ioseph considerantur; politice-geographice autem *Levi* non numeratur, quia in divisione terrae Chanaan nullam partem acceperat, *Ephraim et Manasses* vero ut duae tribus considerantur, quia duas partes terrae acceperant (cf. pag. 649). — Loco אִישׁ אֲשֶׁר Kittel scribere vellet אִישׁ אִישׁ (Kittel); sed Samaritanus, Graecus et Syrus אֲשֶׁר non exhibent.

Versus 2—27 (poetice scripti) „testamentum“ vel „benedictionem“ Iacobi continent. ℣℣. 1 et 28 (prosaice scripti) clare enuntiant, reapse Iacobum per ista verba filiis suis benedixisse (℣. 28) atque eventus futuros praedixisse (℣. 1), quam enuntiationem plurimi interpretes, non solum catholici verum etiam protestantes (cf. Dillmann 453) pro vera habent. Dillmann quidem cum recentioribus protestantibus asserit, talem prophetiam cum suis lusibus verborum et imaginibus, sua audentia et vi, suo pulchro parallelismo et valde poetico charactere in ore enervati et morientis senis inexplicabilem esse, praesertim ob cognitionem tribuum et habitationum earum aliarumque circumstantiarum, quae longe post mortem Iacobi evenerunt. Respondeo: cognitionem eventuum futurorum e revelatione divina acquisitam possibilem esse, iam pag. 656 diximus, quare talis prophetia in ore Iacobi omnino explicabilis est. Contra Reuss et Dillmann asserentes, in vera prophetia plura alia contineri debere, quae in verbis Iacobi non continentur, ideoque Iacobum non verum prophetam fuisse, bene scribit Hummelauer 587: „Delectat audire rationalistas

canones genuinae prophetiae describentes. . . . Propheta videt ea et ea tantum, quae Deus illi videnda obiicit, revelatio vero in V. T. gradatim procedit. Deus igitur Iacob morituro non quaelibet posterorum fata praemonstrat, sed ea tantum, quae viventi generaliori modo indicaverat, distinctius revelat." Quod autem ad formam attinet, Hoberg 397 cum aliis, etiam protestantibus (cf. Dillmann 453), censet formam praesentem esse poeticam retractationem verborum, quibus Iacob filios suos allocutus est. Ista verba singuli filii et tribus facile memoria retinere potuerunt; forsitan iam Ioseph ea litteris consignavit (cf. Dillmann 453).

Protestantes recentiores communiter docent, istas benedictiones longe post Iacobum confictas esse: tempore Moysis vel Iudicum vel Davidis et Salomonis (cf. Dillmann 453 s.). Holzinger 263 cum aliis affirmat, benedictiones singulas variis temporibus ortas ac deinde separatim traditas esse, donec saeculo IX a. Chr. collectae sint, quam affirmationem ipse Dillmann 455 et Gunkel 431 repudiant. — Si Moyses librum Genesis conscripsit, quemadmodum in introductione demonstravimus, has sententias falsas dicere debemus, licet ad inspirationem (cf. pag. 35—37) non appellemus.

℣℣. 29—31. **Et praecepit eis,** *dicens* eis (Hebraicus): *Ego congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici* (deest *duplici* in Hebraico et Graeco) *quae est in agro Ephron Hethaei,* [30] in spelunca quae est in agro Machpela (Hebraicus, cf. et Graecum) *contra Mambre in Terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethaeo in possessionem sepulchri.* [31] *Ibi sepelierunt eum* (pro *eum* in Hebraico et Graeco *Abraham*), *et Saram uxorem eius: ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua: ibi et Lia condita iacet,* in Hebraico: ibi sepelierunt Isaacum et Rebeccam uxorem eius, et ibi sepelivi Liam, *ἐν κτήσει τοῦ ἀγροῦ καὶ τοῦ σπηλαίου τοῦ ὄντος ἐν αὐτῷ παρὰ τῶν υἱῶν Χέτ* (haec sententia in textu Graeco et Hebraico ut ℣. 32 numeratur, in Vulgata autem deest). — Quod Iacob prius a filio suo Iosepho postulavit (cf. pag. 647), nunc ab omnibus filiis suis postulat. Quare Dillmann et sectatores eius propter hanc differentiam duos scriptores statuant, non patet. Iuxta principia logica idem Iacob tam ab Iosepho quam ab omnibus filiis suis eandem rem postulare, ideoque idem scriptor quoque eam narrare potuit.

In ℣. 29 pro עַמִּי forsitan עַמָּי legendum est (cf. Gunkel, Holzinger, Kittel). — In ℣. 30 verba אֶת־הַשָּׂדֶה Kittel aliique serius addita iudicant. — Versum 32 textus Hebraici et Graeci Hummelauer cum Delitzsch et Dillmann glossam declarat.

℣. 32. Finitisque mandatis *quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum,* LXX accuratius *καὶ κατέπαυσεν Ἰακὼβ ἐπιτάσσων τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ καὶ ἐξάρας τοὺς πόδας αὐτοῦ ἐπὶ τὴν κλίνην, et obiit: appositusque est ad populum suum* (cf. pag. 365).

C. **50. ℣℣. 1—3. Quod cernens** (haec 2 verba in Hebraico et Graeco desunt) *Ioseph, ruit super faciem patris* sui (Hebraicus et Graecus) *flens* super eum (Hebraicus, cf. et Graecum) *et deosculans eum.* [2]*Praecepitque servis suis medicis ut aromatibus condirent patrem,* LXX accuratius *καὶ προσέταξεν Ἰωσὴφ τοῖς παισὶν αὐτοῦ τοῖς ἐνταφιασταῖς ἐνταφιάσαι τὸν πατέρα αὐτοῦ· καὶ ἐνεταφίασαν οἱ ἐνταφιασταὶ τὸν Ἰσραήλ.* [3]*Quibus iussa explentibus* (haec 3 verba in Hebraico et Graeco hic desunt; vide tamen finem versus secundi), *transierunt* ei (Hebraicus, cf. et Graecum) *quadraginta dies: iste quippe mos erat cadaverum conditorum,* loco ultimorum 6 verborum in Hebraico et Graeco: nam ita complentur dies conditurae. *flevitque eum Aegyptus septuaginta diebus.* — Iacob „prius in sponda lectuli sedebat, cruribus pendentibus (cf. 48, 2): colligit ergo pedes in lectulum. ... Auctor exprimit placidam sancti viri quietem" (Hummelauer cum aliis). Quamvis non dubitandum sit, quin omnes Iacobi filii patrem mortuum fleverint ac deosculati sint, tamen dolor et amor filii dilectissimi ab hagiographo diserte notatur, ut praedictionem *Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos* (46, 4) impletam videamus (cf. Dillmann, Hummelauer). Ioseph medicis suis mandavit, ut corpus patris more Aegyptio condirent seu arte medicarent. Aegyptii corpus mortui viri nobilis et divitis aperiebant, interiora extrahebant et in quattuor vasis propriis collocabant. Corpus ipsum diligenter lavabant, per 40 vel 70 dies nitro ungebant, deinde aromatibus implebant, fasciis lineis per partes et totum vinciebant saepe litteris hieroglyphicis signatis, oculis vitreis instruebant, itaque in loculo ligneo vel etiam lapideo saepe notis hieroglyphicis ornato ponebant atque bene includebant (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 85). More hoc Aegyptio Iacob conditus est, quia in terram

Chanaan transportari voluit (Gunkel, Hoberg) et quia pater praepositi Aegypti erat. Ob hanc rationem Aegyptii 70 diebus eum fleverunt.

Holzinger asserit, in 50,2 errorem contineri, eo quod condire mortuos munus peculiaris collegii fuerit, videlicet entaphiastarum, *ἐνταφιαστῶν*. Sed Hummelauer recte notat, entaphiastas quosdam „ad tanti viri familiam" pertinuisse: *τοῖς παισὶν αὐτοῦ*, inquit hagiographus, *τοῖς ἐνταφιασταῖς*. — Corpora Iacobi et Iosephi (cf. ℣. 26) arte medicata sunt; utrum aliorum quoque Hebraeorum corpora more Aegyptio condita sint necne, Scriptura non indicat. Iudaei recentiores corpora mortuorum condiebant quidem (cf. Ioan. 19, 39 s.), sed alio modo (Dillmann). — Secundum Diodorum 1, 91 entaphiastae vel taricheutae, *ταριχευταί*, plus quam 30 (lectio varians 40), secundum Herodotum 2, 86. 88 autem 70 dies cadavera medicabant. Dillmann putat, in variis locis et quoad varias personas etiam tempus variasse. — Aaron (cf. Num. 20, 30) et Moyses (cf. Deut. 34, 8) diebus 30 dumtaxat complorati sunt; Aegyptii autem qui reges suos 72 diebus deflere solebant (Diodorus 1, 72), patrem praepositi Aegypti per 70 dies deplorarunt, in quo numero 40 dies supra nominati comprehenduntur (Dillmann, Strack[2]). Hummelauer verba flevitque eum Aegyptus sine ratione sufficiente ad Aegyptios „domus Ioseph" restringit.

℣℣. 4—9. Et expleto planctus tempore, *locutus est Ioseph ad familiam* (LXX *πρὸς τοὺς δυνάστας*) *Pharaonis* dicens (Hebraicus et Graecus): *Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis dicentes* (Hebraicus et Graecus):
5 *eo quod pater meus adiuraverit me, dicens,* LXX accuratius *ὁ πατήρ με ὥρκισεν λέγων· En* ego (Hebraicus) *morior, in sepulchro meo quod fodi mihi in terra Chanaan,* ibi (Hebraicus et Graecus) *sepelies me. Ascendam igitur, et sepeliam patrem meum, ac revertar.*
6 *Dixitque ei* (deest *ei* in Hebraico et Graeco) *Pharao: Ascende et sepeli patrem tuum sicut adiuratus es.* 7 *Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique maiores natu Terrae Aegypti,* LXX accuratius *καὶ ἀνέβη Ἰωσὴφ θάψαι τὸν πατέρα αὐτοῦ· καὶ συνανέβησαν μετ' αὐτοῦ πάντες οἱ παῖδες Φαραὼ καὶ οἱ πρεσβύτεροι τοῦ οἴκου αὐτοῦ καὶ πάντες οἱ πρεσβύτεροι τῆς γῆς Αἰγύπτου·* 8 *domus Ioseph cum fratribus suis,* in Hebraico (cf. et Graecum): et tota domus Ioseph et fratres eius et domus patris sui, *absque parvulis et gregibus, atque armentis quae dereliquerant in Terra Gessen* vel Gošen. 9 *Habuit quoque in comitatu,* LXX accuratius *καὶ συνανέβησαν μετ' αὐτοῦ καί, currus et equites: et facta est turba non modica* vel potius

numerosa valde (Hebraicus et Graecus). — Iosephum, primum ministrum Aegypti, a rege licentiam petere debuisse, ut in Chanaan proficisci posset, manifestum est; quare autem non immediate, sed per familiares Pharaonem rogaverit, incertum est: forsitan, ut a familiaribus adiutus facilius licentiam impetraret et suspicionem quamlibet vitaret. Ex eadem ratione iuramentum commemoravit (cf. pag. 647). Licentia obtenta corpus Iacobi arte medicatum pompa funebri Aegyptiorum (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 84) in Chanaan translatum est. Ascenderunt Ioseph et domestici eius, fratres Iosephi et domestici Iacobi, exceptis parvulis et gregibus. Simul omnes ministri Pharaonis exsequias funeris prosecuti sunt, et quidem tam seniores seu proceres domus Pharaonis quam seniores seu proceres terrae Aegypti, quia Ioseph praepositus domus Pharaonis necnon terrae Aegypti erat (cf. 41, 40 s.). Ad protegendum ac defendendum comitatum (Dillmann, Hummelauer) Ioseph etiam currus et equites secum sumpserat. Turba ista numerosa atque generosa Iacobum mortuum honore praecipuo affecit (Dillmann).

Quare Ioseph non ipse ad Pharaonem ingressus sit, varii varie declarant. Secundum Hoberg aliosque (cf. Dillmann) propter luctum, secundum Gunkel et Holzinger forsitan propter immunditiam praesentia cadaveris contractam, secundum Dillmann propter consuetudinem, qua minister regis in rebus suis privatis interventu procerum indigebat. Veram rationem probabiliter Gunkel tetigit scribens, Iosephum interventu procerum uti voluisse, ne iter suum in Chanaan proditio rei publicae Aegyptiorum appareret. Huic sententiae contextus favet. Nam Ioseph petitioni diserte adiunxit: *ac revertar*, atque fratres eius parvulos et greges suos in Gessen reliquerunt. — Holzinger cum aliis (cf. Dillmann) confidenter asserit, in Ѷ. 5 per verba *in sepulchro meo quod fodi mihi* speluncam agri Machpela (cf. pag. 340) vel sepulchrum maiorum (cf. pag. 647) excludi. At hoc falsum est. Dillmann repetit quod iam Pererius, Lapide aliique dixerant, scilicet in monumento maiorum seu spelunca Machpela pro singulis ibi sepeliendis propria loca seu sepulchra praeparari vel fodi debuisse. Hummelauer et Hoberg cum eodem Dillmann addunt, Iosephum forsitan iuxta usum loquendi nobilium Aegyptiorum locutum esse, „qui singuli sibi sepulturas effodiebant aut exstruebant“ (Hummelauer). — Pharao licentiam (Ѷ. 6) per familiares suos Iosepho dedit, ut e contextu elucet. — Iuxta Holzinger Ѷ. 7[b] superlatio est: iuxta Hoberg *omnes* seniores, quorum praesentiam dignitas Iosephi postulabat, intelligendi sunt. — Dillmann putat, etiam mulieres in Gessen relictas fuisse: certo

custodes parvulorum et pastores gregum necessarii erant. — In ℣. 7 Sixtina perfectum *dereliquerunt* exhibet. — Gunkel 440 opinatur, in ℣. 9 fratres Iosephi non praesentes supponi; reapse tamen in ℣. 9 praesentia fratrum neque asseritur neque negatur.

℣℣. **10—14. Veneruntque ad Aream Atad,** *quae sita* (deest *sita* in Hebraico et Graeco) *est trans Iordanem: ubi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleverunt septem dies,* LXX accuratius Ἰορδάνου, καὶ ἐκόψαντο αὐτὸν κοπετὸν μέγαν καὶ ἰσχυρὸν σφόδρα· καὶ ἐποίησαν (alii ἐποίησεν, cf. Brooke) τὸ πένθος τῷ πατρὶ αὐτοῦ ἑπτὰ ἡμέρας. [11] *Quod cum vidissent habitatores Terrae Chanaan, dixerunt,* in Hebraico (cf. et Graecum): et viderunt habitatores terrae, Chananaei, planctum in area Atad et dixerunt: *Plànctus,* אֵבֶל, *magnus est iste Aegyptiis. Et idcirco vocatum est nomen loci* (deest *loci* in Hebraico et Graeco) *illius, Planctus Aegypti,* אָבֵל מִצְרַיִם, quod est trans Iordanem (Hebraicus et Graecus). [12] *Fecerunt ergo filii Iacob* (in Hebraico, cf. et Graecum: filii eius illi ita) *sicut praeceperat eis:* [13] *Et portantes eum* filii eius (Hebraicus et Graecus) *in Terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam* (in Hebraico: in spelunca agri Machpela, quem) *emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethaeo contra faciem (κατέναντι) Mambre* (cf. pag. 339 s.). [14] *Reversusque est Ioseph in Aegyptum cum fratribus suis, et omni comitatu,* LXX accuratius αὐτὸς καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ καὶ οἱ συναναβάντες θάψαι τὸν πατέρα αὐτοῦ, *sepulto patre* (LXX hanc sententiam omittunt). — Sensus obvius horum versuum est, Iosephum et comites eius per desertum transiisse et ad ripam orientalem Iordanis exsequias celebrasse, deinde Iordanem traiicientes corpus Iacobi in Chanaan portasse et in spelunca agri Machpela sepeliisse, denique in Aegyptum reversos esse. Quod si quis interrogaverit, cur Ioseph non per Philisthaeam in terram Chanaan perrexerit, cum Hummelauer respondeo: „Fortasse, quo tempore Ammonitae et Moabitae nondum numeris et virtute florerent, iter per illam regionem tutius erat, quam iter per Philisthaeam.“ Conferas pag. 647, notam.

גֹּרֶן הָאָטָד, *Area Atad* (Sixtina exhibet *Arad*) a Lapide, Gesenio, Fürst, Buhl aliisque area rhamni explicatur; Hummelauer et Hoberg

opinantur, *Atad* forsitan nomen viri esse, ad quem area spectaverit. — בְּעֵבֶר absolute tam orientalem quam occidentalem partem fluvii significare potest (cf. Gesenius, Fürst, Buhl); propter ℣. 13 autem in hoc contextu orientalem ripam indicare videtur (cf. Dillmann, Holzinger, Strack[2]). Quia tamen iter supra descriptum reapse mirum apparet, verba בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן in ℣℣. 10 et 11 aliter quoque explicantur. Gunkel et Hoberg putant, *aream rhamni* in occidentali parte Iordanis sitam fuisse, quod iam S. Hieronymus senserat scribens: „Locus trans Iordanem, in quo planxerunt quondam Iacob, tertio ab Hierico lapide, duobus milibus a Iordane, qui nunc vocatur Bethhagla.“ Hoberg in ℣℣. 12 et 13 non continuationem, sed comprehensionem narrationis praecedentis videt atque *aream Atad* nomen aliud istius regionis esse censet, ad quam Mambre et ager Machpela pertinebant. Gunkel verba *trans Iordanem* in ℣℣. 10 et 11 glossas declarat; sed iuxta principia critica lectio difficilior retineri debet. Bunsen, Winckler et Marquart (cf. Dillmann et Holzinger) opinantur, originaliter בְּעֵבֶר הַנָּהָר scriptum fuisse, et נָהָר rivum Aegypti (cf. pag. 263) intelligunt; si haec opinio demonstrari posset, quaelibet difficultas evanesceret. — *Septem dies* luctus Hebraeorum etiam alibi commemorantur, scil. 1 Reg. 31, 13; Iudith 16, 29; Eccli. 22, 13. — Holzinger affirmat, iuxta ℣. 10 Iacobum in orientali parte Iordanis non tantum deploratum, sed etiam sepultum fuisse. Dillmann et Gunkel tamen recte notant, istam affirmationem e textu non sequi. — Chananaei in parte occidentali Iordanis stantes (Dillmann) vel etiam in partem orientalem transeuntes (cf. Hoberg 413) planctum Aegyptiorum videre et audire potuerunt. — Nomen loci iuxta pronuntiationem Masorethicam (אָבֵל) *pratum Aegyptiorum* significat; LXX interpretes et S. Hieronymus vero אֵבֶל pronuntiarunt (cf. Gesenius), ita ut nomen *planctum Aegyptiorum* significet: antiquiorem hanc pronuntiationem, quae optime ad contextum quadrat, merito retinemus. — Secundum Gunkel *'Abel-miṣraim* iuxta Hebron, *Goren-ha'aṭad* autem iuxta sepulchrum Rachel sita fuit. Ut hanc assertionem, quae cum alia suppositione falsa cohaeret (cf. pag. 650), sustinere possit, in ℣. 11 verba *in area Atad* sine ullo argumento et contradicente Holzinger 264 glossam redactoris declarat. — Versus 12 et 13 continuationem praecedentium accipimus. Quod hic omnes filii Iacobi patrem sepelientes describantur, licet in ℣℣. antecedentibus et subsequentibus Ioseph ut persona principalis proponatur, non mirum est. Nam Iacob omnibus filiis suis praeceperat, ut ab eis in spelunca Machpela sepeliretur (49. 29 ss., Hoberg). — Dillmann cum Tuch asserit, solos filios Iacobi Iordanem traiecisse, Aegyptios autem in terram Hebraeis promissam non intrasse, quam assertionem Hummelauer audaciorem vocat. — Idem Hummelauer scribit: „Si dicas cum Knobel, hos versus (scil. 12 et 13) primitus continuasse narrationem 49, 32, et descriptionem funeris 50, 1—11 postmodum esse insertam non repugno equidem.“ At, non multum probabile videtur, quod 50, 30 mox post 49, 29 s. scriptum fuerit, si textus comparantur.

Reliqua vita Ioseph, 50, 15—25.

℣℣. 15—17. **Quo mortuo,** *timentes fratres eius, et mutuo colloquentes,* LXX accuratius *ἰδόντες δὲ οἱ ἀδελφοὶ Ἰωσήφ, ὅτι τέθνηκεν ὁ πατὴρ αὐτῶν, εἶπαν· Ne forte memor sit iniuriae quam passus est, et reddat nobis omne malum quod fecimus,* in Hebraico (cf. et Graecum): si insidiaretur nobis Ioseph et retribuens retribueret (cf. pag. 56) nobis omne malum, quod intulimus ei, [16] *mandaverunt ei* (in Hebraico *ad Ioseph,* LXX *καὶ παρεγένοντο* vel *παραγενόμενοι πρὸς Ἰωσήφ*) *dicentes: Pater tuus praecepit nobis* (deest *nobis* in Hebraico et Graeco) *antequam moreretur* dicens (Hebraicus et Graecus), [17] *ut haec tibi verbis illius diceremus* (loco horum 6 verborum in Hebraico et Graeco: sic dicetis ad Ioseph): *Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati* eorum (Hebraicus et Graecus) *atque malitiae quam exercuerunt in te* (loco *atque . . . in te* Hebraicus et Graecus habent: nam malum intulerunt tibi): *nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Ioseph,* LXX accuratius *καὶ νῦν δέξαι τὴν ἀδικίαν τῶν θεραπόντων τοῦ θεοῦ τοῦ πατρός σου. καὶ ἔκλαυσεν Ἰωσὴφ λαλούντων αὐτῶν πρὸς αὐτόν.* — Fratres timebant, ne respectu patris dumtaxat ab Ioseph hucusque benigne tractati essent et nunc poenas sceleris sui luere deberent. Propterea ad eum legatos miserunt, qui nomine patris et fratrum veniam peterent. Ioseph amorem patris defuncti recordans et angores fratrum videns lacrimas profudit.

Gunkel 440 e ℣. 15ᵃ (cf. textum Graecum et Hebraicum) colligit, fratres Iosephi hucusque mortem patris nescivisse; at verba textus iuxta usum loquendi et principia logica nequaquam de prima notitia mortis accipi debent; iuxta leges psychologicas vero impossibile est, mortem patris non statim in notitiam filiorum pervenisse. — Post ea, quae 45, 1—15 narrantur, primo quasi aspectu timor fratrum superfluus videtur; sed ibi quoque Ioseph patris sui recordatur, ita ut fratres propter patrem dumtaxat benigne tractati videri possint. — In ℣. 15ᵇ textus Hebraici post *ei* propositio subsequens *male res se haberent* (cf. Dillmann) omissa est (Gesenius-Kautzsch 506). — Miserunt non unum, sed duos saltem legatos (cf. ℣. 17 in Hebraico et Graeco), forsitan Beniaminum et Iudam (cf. pag. 612 ss.) vel etiam Rubenum (cf. pag. 592). Iuxta LXX fratres ipsi venerunt; cf. notam ad ℣. 18. — Hoberg et Strack[2] cum Lapide aliisque antiquioribus dubitant, utrum Iacob reapse filiis suis ista verba mandaverit necne. „Pater enim, de Iosephi virtute, mansuetudine et

charitate fratribus ostensa per experientiam certus, nil mali fratribus ab eo metuebat; et si metuisset, vivens id Iosepho dixisset plenamque eis veniam et praeteritorum oblivionem impetrasset." His a Lapide scriptis Hummelauer optime opponit: „Potuit haec Iacob ante mortem et Iosepho et fratribus iterato inculcasse; sed habitura erat petitio specialem effectum, si veluti a demortui parentis labiis per fratres ad Iosephum deferretur." Improbabilissimum est, fratres mendacio abusos esse, cum scientiam Iosephi expertam haberent (cf. pag. 520 ss. 589. 612). — Vocant se *servos Dei patris eius,* ut Ioseph saltem metu Dei perterritus ipsis parceret. Sixtina habet: *servo Dei patri tuo.* — Nonnulli antiquiores et recentiores putarunt, Iosephum flevisse dolens fratres „reconciliationi suae diffidere" (cf. Lapide et Dillmann): potuit etiam causa lacrimarum esse.

℣℣. 18—21. **Veneruntque ad eum** e t i a m (Hebraicus) *fratres sui: et proni adorantes in terram dixerunt: Servi tui sumus* (loco ultimorum 3 verborum Hebraicus: ecce sumus tibi in servos). [19] *Quibus ille* (pro *ille* in Hebraico et Graeco *Ioseph*) *respondit: Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati,* כִּי הֲתַחַת אֱלֹהִים אָנִי, τοῦ γὰρ θεοῦ ἐγώ εἰμι. [20] *Vos cogitastis de* vel c o n t r a (Hebraicus et Graecus) *me malum: sed* (ita et Samaritanus aliaeque versiones; Hebraicus *sed* omittit) *Deus vertit* vel c o g i t a v i t (Hebraicus et Graecus) *illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in praesentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos,* loco ultimorum 12 verborum LXX multo accuratius ὅπως ἂν γενηθῇ ὡς σήμερον, ἵνα τραφῇ λαὸς πολύς. [21] *Nolite* i g i t u r n u n c (Hebraicus) *timere: ego pascam vos et parvulos vestros. consolatusque est eos, et blande ac leniter est locutus* (loco ultimorum 6 verborum LXX accuratius καὶ ἐλάλησεν αὐτῶν εἰς τὴν καρδίαν). — Postquam fratres reliqui (cf. Dillmann) audierunt, Iosephum flevisse, indeque benignum eius animum intellexerunt (cf. 45, 1—15), ipsi quoque venerunt illique servos se obtulerunt. Ioseph eos rogavit, ut omnem timorem abiicerent, eo quod vice et parte Dei non fungeretur, ergo malum a Deo permissum, sed in bonum suum, patris et fratrum necnon totius populi versum punire nequiret.

℣. 18ª hunc quoque sensum habere potest: fratres ad Iosephum prius legatos miserunt, qui non e numero suo erant, postea ipsi quoque venerunt (cf. Dillmann): probabilius tamen est, legatos e numero fratrum fuisse. — Hoberg putat, iam in ℣. 16 adventum omnium fratrum narrari et in ℣. 18 adorationem eorum describi; hanc explicationem textus Hebraicus admittit et Graecus commendat, sed interpretes non approbant. —

℣. 18[b] Dillmanno mirus videtur; sed tales phrases Orientalium non ad litteram accipiendae sunt (cf. pag. 337). — Gunkel 440 affirmat, in ℣. 18 primum post mortem Iacobi conventum fratrum narrari; at verba hunc sensum non habent, ut quilibet logicus videt. — In ℣. 19 Samaritanus כִּי, LXX et Syrus autem הֲ omittunt; S. Hieronymus eandem phrasim הֲתַחַת אֱלֹהִים אָנִי in 30, 2 *Num pro Deo ego sum* (cf. pag. 430), in 50, 19 vero *num Dei possumus resistere voluntati* vertit. Sensus versionis Graecae est: Dei servus ego sum, quare contra voluntatem eius venditionem meam permittentem nihil facio, qui sensus etiam in Vulgata expressus videtur; sensum textus Hebraici pag. 430 explicavi: quoad substantiam omnes textus conveniunt. — Knobel, Dillmann, Gunkel, Holzinger inter 47, 28 et 50, 21 contradictionem invenerunt: iuxta locum priorem, dicunt, fames iam longe finita erat; iuxta alterum vero adhuc perdurabat. Respondeo: verba *ego pascam vos et parvulos vestros* tam immediatam quam mediatam sustentationem significare possunt. In 45, 11 et 47, 12 de immediata sustentatione i. e. de largitione frumenti accipi debent, ut contextus proximus ostendit; in 50, 21 autem de sustentatione mediata i. e. de permissione mansionis (cf. ℣. 22[a]) in terra optima (cf. pag. 641), e qua eos expellere potuisset, accipi debent, quemadmodum contextus remotus demonstrat. Inter 47, 28 et 50, 51 contradictio adesset, si ista phrasis immediatam dumtaxat sustentationem significaret. Recte igitur Hummelauer cum Delitzsch scribit: „Perperam verbis asseri putat Knobel eum, qui ea scripserit, putasse famem adhuc fuisse in Aegypto.“ Secundum Hoberg forsitan Ioseph consulto ea verba repetiit, quibus patri sustentationem domus et familiae promiserat (45, 11).

℣℣. **22—25. Et habitavit** Ioseph (Hebraicus et Graecus) *in Aegypto cum omni domo patris sui: vixitque* Ioseph (Hebraicus et Graecus) *centum decem annis. Et vidit* Ioseph (Hebraicus et Graecus) *Ephraim filios usque ad tertiam generationem. Filii quoque Machir filii Manasse nati sunt in genibus Ioseph.* [23] *Quibus transactis* (haec 2 verba desunt in Hebraico et Graeco), *locutus est* Ioseph (Hebraicus et Graecus) *fratribus suis: Post mortem meam Deus visitabit vos,* LXX accuratius *ἐγὼ ἀποθνήσκω, ἐπισκοπῇ δὲ ἐπισκέψεται ὑμᾶς ὁ θεός, et ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam iuravit Abraham, Isaac, et Iacob.* [24] *Cumque adiurasset eos atque dixisset: Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto,* LXX accuratius *καὶ ὥρκισεν Ἰωσὴφ τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ λέγων· ἐν τῇ ἐπισκοπῇ ᾗ ἐπισκέψεται ὑμᾶς ὁ θεὸς καὶ συνανοίσετε τὰ ὀστᾶ μου ἐντεῦθεν μεθ' ὑμῶν* (ita et Samaritanus aliaeque versiones; *μεθ' ὑμῶν* pleraque manuscripta Hebraica omittunt): [25] *mortuus est* Ioseph

(Hebraicus et Graecus), *expletis* (deest in Hebraico et Graeco) *centum decem vitae suae* (deest *vitae suae* in Hebraico et Graeco) *annis. Et conditus aromatibus* (deest *aromatibus* in Hebraico et Graeco), *repositus est in loculo in Aegypto.* — Hagiographus in fine Genesis felicitatem Iosephi describit. Bis notat, eum 110 annis vixisse: Aegyptii enim vitam 110 annorum vitam plenam et fortunatam aestimabant (Dillmann). Narrat quoque, Iosephum ex aspectu pronepotum suorum laetitiam voluptatemque percepisse (cf. pag. 650). In ℣. 22b בְּנֵי שִׁלֵּשִׁים sunt „filii pronepotum i. e. רִבֵּעִים *abnepotes*" (Gesenius, Buhl); sed Samaritanus et versiones בָּנִים שִׁלֵּשִׁים *pronepotes* legerunt (cf. Kittel), quae lectio propter ℣. 22c probabilior est (Ball, Dillmann, Gunkel). Si lectio *nati sunt in genibus Ioseph* genuina est, filii Machir ab Ioseph adoptati sunt (cf. pag. 430). Ante mortem suam Ioseph contribulibus suis reditum in terram promissam praedixit eosque adiuravit, ut egredientes ex Aegypto ossa sua in Chanaan transportarent. Probabile est, corpus Iosephi medicatum non solum in ligneo, uti corpus Iacobi, verum etiam in lapideo loculo positum fuisse, quia vir nobilis ac dives simulque pater Aegyptiorum et populi sui erat. Videas imagines loculorum in Theol. bibl. Vet. Test., pag. 78 et 85. Gunkel optime notat, librum Genesis harmonica et tranquilla conclusione finire.

℣. 22a ex Hebraico ad litteram vertendus est: *Habitavit igitur Ioseph in Aegypto, ipse et domus patris sui.* Haec verba sententiam nostram pag. 684 propositam commendant. — Quare Ephraim ante Manassen nominetur, e pag. 651 s. elucet. — Posteri Machir celebres fuerunt (cf. Num. 32, 39 s.; Deut. 3, 15; Ios. 13, 31; 17, 1 ss.; Iud. 5, 14). Si filii Machir ab Ioseph adoptati sunt, inter 48, 5 et 50, 22 nulla adest contradictio (cf. 48, 6 et pag. 648 s.). Samaritanus vero pro עַל־בִּרְכֵּי *in genibus* habet בִּימֵי *in diebus,* quam lectionem Kautzsch-Socin et Holzinger approbant. — In ℣. 23 verba *fratribus suis* a Dillmann, Hummelauer aliisque sensu latiore sumuntur; potuerunt tamen quidam fratres Iosephi sensu stricto tunc adhuc vivere. — Hoberg asserit, Iosephum etiam oppressionem populi Israel praedixisse; at verba *Deus visitabit vos* sensu bono, non malo, intelligi debent, ut textus Hebraicus et Graecus necnon ℣. 24a docent. — In ℣. 24b *vobiscum* multa manuscripta Hebraica omittunt (cf. Kittel). — Filii Israel in exitu de Aegypto ossa Iosephi secum tulerunt (Ex. 13, 19) atque post occupationem terrae Chanaan in Sichem ea sepelierunt (Ios. 24, 32; cf. pag. 654 s.). Ioseph non postulavit, ut corpus suum mox post mortem in Chanaan transferretur, quia Pharao hoc non

permisisset. — De punctatione verbi ויישם in ℣. 26 hebr. videas pag. 350, notam. Syrus et LXX habent *καὶ ἔθηκαν*, וַיָּשִׂימוּ; videas Gesenius-Kautzsch 468. — De articulo in בָּאָרוֹן conferas eosdem 414.

Gunkel 440 s. in narratione sepulturae Iacobi duplicem relationem statuit, eo quod planctus bis narretur (℣. $10^{a\alpha}$ et ℣. $10^{b\beta}$, cf. Hebraicum et Graecum), locus duplex notetur, scil. Goren-ha'aṭad (℣. $10^{b\alpha}$) et Abel-miṣraim (℣. 11^{b}), bis quoque comitatus Iosephi describatur: iuxta priorem descriptionem (℣℣. 7 et 8) fratres Iosephi praesentes, iuxta alteram (℣. 9 coll. ℣℣. 15 et 18) absentes fuerint. — Verumtamen hae rationes omnino futiles sunt. Nam in ℣. 10 prius magnitudo, deinde tempus planctus narratur, quod ab uno eodemque scriptore fieri potest. In ℣. 11 verba textus Hebraici et Graeci *in area Atad,* quae Gunkel sine ullo argumento glossam redactoris declarat (cf. pag. 681), unum locum indicant. In ℣℣. 9. 15. 18 fratres Iosephi non excludi, iam pag. 680 et 684 diximus. — Holzinger 264 s. etiam in ℣℣. 15—26 duplicem relationem invenit, cum ℣. 18 non bene in contextum quadret, ℣. $21^{b\alpha}$ et ℣. $21^{b\beta}$ idem nuntient, ℣. 22^{b} iuxta ℣. 26^{a} (in Vulg. 25) superfluus, et commemoratio iuramenti in ℣. 24^{b} vix originalis sit. Sed ℣. 18 bene in contextum quadrat, quomodocumque explicatur (cf. pag. 683); in ℣. 21^{b} sententiae synonymae leguntur, quales etiam in epistola ad Romanos aliisque scriptis sacris et profanis inveniuntur, quin plures auctores postulent; ℣. 22^{b} non superfluus est (cf. pag. 685); commemorationem iuramenti in ℣. 24^{b} non originalem esse, nullo argumento demonstrari potest. Ipse Gunkel 440 quoque assertionem Holzingeri falsam iudicat. — Duplices istae relationes in phantasia interpretum tantum, non in textu hagiographi exsistunt.

Excursus.

De axiopistia historiae Isaaci, Iacobi et filiorum eius.

1. Hagiographum historiam individuorum Isaaci, Iacobi et filiorum eius scribere voluisse, omnino evidens est, si usum loquendi et contextum consideramus, quemadmodum ipsi rationalistae interpretes concedunt (cf. Kautzsch-Guthe, Bibelwörterbuch, pag. 284. 332. 337). Engert, propter sententias suas nimis liberales excommunicatus, in libello „Die Urzeit der Bibel, I. Die Weltschöpfung“ (München 1907, pag. 4) sincere profitetur: „Historiographus Hebraeus sine dubio vult esse historiographus, non poeta epicus, qui acta historica phrasibus praetexit et inventis rebus singulis (mit erfundenen Details) expingit.“ Atqui si ex usu loquendi et contextu apparet, hagiographos veram historiam, non historiam fictam vel liberam vel legendam proponere voluisse, etiam Deus

veram historiam proponere voluit, quia hagiographi ea omnia eaque sola quae Deus iuberet, et recte mente conceperunt et fideliter conscribere voluerunt et apte infallibili veritate expresserunt (cf. pag. 35. 367 ss.; Leo XIII., Providentissimus 61). Ergo narrationes acta Isaaci, Iacobi et filiorum eius referentes vere historicae sunt, quia Deus per hagiographum loquens nec falli nec fallere potest (cf. pag. 368).

Hanc conclusionem rectam esse, testimonia aliorum librorum inspiratorum commonstrant. Locos pag. 369 s. citatos omittentes, ad sequentes appellare possumus. Apud Lucam (13, 28) Christus Dominus Iudaeis dicit: „Ibi erit fletus, et stridor dentium: cum videritis Abraham et Isaac, et Iacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.“ Quibus verbis Christus pronuntiat, Abraham et Isaac et Iacob non solum revera vixisse, sed etiam adhuc vivere et in caelo commoraturos esse. — S. Paulus affirmat, fide Abrahamum *cum Isaac et Iacob coheredibus repromissionis eiusdem* in terra repromissionis habitasse (Hebr. 11, 9); narrationem nativitatis Esavi et Iacobi veram esse (Rom. 9, 10 ss.); fide Isaacum Iacobo et Esavo benedixisse (Hebr. 11, 20); fide Iacobum morientem filiis Iosephi benedixisse et fastigium virgae eius adorasse (Hebr. 11, 21); fide Iosephum morientem reditum filiorum Israel ex Aegypto in terram repromissionis praedixisse ac de ossibus suis mandasse (Hebr. 11, 22). S. Ioannes (4, 5) narrat, Iesum in civitatem Samariae venisse, quae dicitur Sichar: *iuxta praedium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.* His locis comparatis elucet, iuxta sententiam scriptorum inspiratorum Patriarchas prius in terra promissionis commoratos esse, Iacobum deinde in Aegyptum venisse et filios Iosephi adoptasse, Iosephum denique exitum ex Aegypto atque reversionem in Chanaan prophetasse. Quae sententia scriptorum inspiratorum falsa esse nequit (cf. pag. 35 et 37).

Holzinger 267 ss. cum Stade aliisque asserit, narrationem Patriarchas describentem non historiam, sed fabulam esse. Asserit, nomina 12 filiorum Iacobi non tam individua quam tribus significare; *Israel* quoque nomen tribus ab oriente Iordanis et *Iacob* nomen tribus ab occidente eiusdem, et quidem in austro, habitantis fuisse ambasque cum tribu Iuda coaluisse; asserit, nomina Liae et Rachelis aliarumque mulierum necnon Ismaelis et Isaaci tribus indicare atque Abrahamum recentissimam

Patriarcharum figuram esse; asserit confidenter, Israelitas ante commorationem in Aegypto nequaquam in Chanaan habitasse. Pro assertionibus suis futilia illa argumenta affert, quae iam pag. 372 refutavimus.

2. In introductione demonstravimus, librum Genesis a Moyse conscriptum esse. Atqui inter ingressum familiae Iacobi in Aegyptum et egressum populi Israel ex ista terra 430 anni dumtaxat praeterierunt (cf. Ex. 12, 40s. et Theol. bibl. Vet. Test., pag. 86). Per quattuor illa saecula historia Patriarcharum facile a generatione in generationem usque ad Moysen etiam viva voce incorrupte tradi potuit. Nam historia Isaaci, Iacobi et praesertim Iosephi tam iucunda et suavis est tamque facile memoria comprehenditur ac tenetur, ut nostris quoque diebus ipsi pueri et puellae scholarum elementarium eam memoriter narrare possint. — Insuper valde probabile est Iosephum, praepositum Aegypti, ea omnia litteris consignasse, quae ipse expertus est atque a fratribus et patre de familia sua necnon de avo suo audierat. Moyses igitur hoc monumentum adhibere potuit. — Quibus consideratis auctoritas historica et axiopistia narrationis manifesta est.

Narrationem cum monumentis Aegyptiis nobis notis optime convenire, nunc omnes interpretes concedunt; si quaedam res in monumentis nondum repertae sunt, ratio patet. Nam ex una parte in terra Gessen aliisque regionibus multa nondum effossa sunt; ex altera parte Aegyptii, omnes pastores et praecipue Hyksos detestantes, his expulsis probabilissime plura deleverunt, quae historiam biblicam illustrarent. — Sargon, rex Assyriorum, in Is. 20, 1 dumtaxat commemoratur, apud alios scriptores sacros vel profanos tacetur, quod silentium multi olim contra axiopistiam S. Scripturae invocarunt. Anno 1843 autem Botta palatium regis Sargon in Khorsabad detexit, ita ut nunc Sargon inter notissimos reges Assyriae numeretur (cf. Theol. bibl. Vet. Test., pag. 251). Hoc facto illos compescere possumus, qui silentio monumentorum hucusque inventorum S. Scripturam arguunt. Videas ea quoque quae pag. 229 et 559 scripsimus.

Index Specialis

personarum ac rerum magis notabilium.

Alia eiusdem auctoris opera:

Expositio Epistolae ad Romanos. Ad usum studiosorum sacrae theologiae et sacerdotum in vinea Domini laborantium. Oeniponte, 1891, Vereinsbuchhandlung. Pagg. XXVIII et 603, 8°. Pret. *M* 4·50.

„Ita ut cognitio profundior, distinctior, uberior Epistolae ad Romanos ex eo (opere) hauriri possit."

Dr. Romanus Riezler.

S. Fidelis a Sigmaringa Exercitia, cum appendice orationum ac benedictionum. Stutgardiae, 1893, Roth. Pagg. XXVI et 232, 8°. Pret. *M* 1·60.

„Hic libellus pulcherrimas meditationes et orationes continet."

Dr. Ign. R.

Das Kapuzinerkloster zu Innsbruck. Das erste dieses Ordens in Deutschland. Innsbruck, 1893, Fel. Rauch. Pagg. VIII et 192, 8°. Imaginibus 19 illustratum. Pret. *M* 1·60.

„Lector huius libri tam iucunde aspiratur, ut lectionem invite tantum interrumpat."

Katholische Kirchenzeitung, 1894, Nr. 33. **Dr. Mich. Hofmann.**

Die Eremitage Maximilians des Deutschmeisters bei den Patres Kapuzinern in Innsbruck. Innsbruck, 1894, Fel. Rauch. Pagg. 35, 8°. Imaginibus illustratum. Pret. *M* —·40.

„Inveniuntur in libello, quae sunt voluptati legere." **N. F.**

Novum Testamentum graece et latine. Oeniponte, 1896—1898, Libraria Academica Wagneriana.

Tom. I. Evangelium. Pagg. LXIV et 287 et 339, 8°. Pret. *M* 3·20.
Tom. II. Apostolicum. Pagg. XII et 354 et 403, 8°. Pret. *M* 3·60.

„Acumine critico summaque diligentia ita recensitum, ut hanc provinciam a doctis catholicis his ultimis temporibus nimis neglectam auctor egregie excoluerit."

Dr. Gustav Bikell.

Novum Testamentum vulgatae editionis. Ex vaticanis editionibus earumque correctorio critice edidit. Oeniponte, 1899, Libraria Academica Wagneriana. Pagg. VIII et 656, 8°. Pret. *M* 3·—.

„È la migliore edizione che finora sia stata fatta."

Civiltà cattolica, 1900, vol. IX.

Wesen und Prinzipien der Bibelkritik auf katholischer Grundlage. Innsbruck, 1900, Wagnersche Universitäts-Buchhandlung. Pagg. XII et 212, 8°. Pret. *M* 3·60.

„Excellent work on the principles of Biblical criticism."

The Irish Ecclesiastical Record. July, 1903, vol. XIV, 94.

De Imitatione Christi tractatus quattuor. Oeniponte, 1901, Fel. Rauch. Pagg. XVI et 409, 12°. Pret. *M* 1·—.

„Merito principale della nuova edizione è l'avere innanzi il testo del Kempis, trascritto con somma diligenza dal ms. originale e quindi accuratissimo, come il P. Michele sa fare. Elegante assai l'aspetto tipografico."

Civiltà cattolica, s. XVIII, v. III.

Abschreiben oder Benutzen? Innsbruck, 1902, Fel. Rauch. Pagg. 32, 8°. Pret. *M* —·20. „Opusculum eminenter practicum."

Dr. A. H.

Epitome Exegeticae Biblicae Catholicae. Scripsit in usum scholarum. Oeniponte, 1903, Libraria Academica Wagneriana. Pagg. X et 175, 8°. Pret. *M* 3·—.

„Tout est court, clair et exact dans ce petit ouvrage de 175 pages; il sera très profitable non seulement aux élèves mais aux professeurs et à tous les ecclésiastiques."

Nouv. Revue théol., 1903, p. 562 vv.

Novum Testamentum Graece. Editio altera emendatior. Oeniponte, 1904, Libraria Academica Wagneriana. Pagg. XVI et 299; atque IV et 368, 8°. Pret. *M* 4·20.

„Est monumentum insigne et pulchrum laborum theologicorum in Ecclesia catholica exantlatorum."

Bücherei für das evangelische Pfarrhaus, 1908, Nr. 8. **Dr. Kramer.**

Biblia Sacra Vulgatae Editionis ex ipsis exemplaribus Vaticanis inter se atque cum indice errorum corrigendorum collatis critice edita. Oeniponte, 1906, Libraria Academica Wagneriana. Pagg. XXXII et 1142 et 173, 8° mai. Pret. *M* 20·—.

„Ad fines scientificos est interim exemplar necessarium; pro usu practico commendat se non solum subtilitate textus, verum etiam optima forma typographica."

Katholik, 1907, p. 327. **Dr. Josef Selbst.**

Explicatio Genesis philologica (cap. 1 et 2 textus Hebraici). Graz, 1907, „Styria". Pagg. 20. Divendita.

Theologia biblica sive Scientia historiae et religionis utriusque Testamenti Catholica. Tomus I. Vetus Testamentum. Imaginibus 100 et tabulis 3 geographicis illustratum. Friburgi Br., 1908, Herder. Pagg. XXXII et 654, 8°. Pret. *M* 12·—.

„Le livre que vient de publier le P. Hetzenauer sera un service éminent, et unique en son genre, rendu au clergé."

Ami du clergé français, Paris, 1908.

„Profecto nobis constat ex assidua ac diuturna lectione, immensum prorsus doctrinae pondus eo contineri, quod non modo allatorum auctorum tam catholicorum quam acatholicorum crebra multitudo manifestat, sed maxime discussae ad hilum cum profundissima perspicacitate eorum sententiae comprobant."

Acta Pontificia, 1908, fasc. 12.